BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
7 K
16
VIII.

65.9

13-22-D-16

Digitized by Google

EXAMEN EPISCOPORVM

ET EORVM, QVI APPROBANDI SVNT

Ad adminiſtranda Sacramenta, vtile Examinandis, Examinatoribus, Iudicibus Eccleſiaſticis, Aduocatis, & Procuratoribus.

CONTINENS OMNES DECISIONES IVRIS CANONICI;

Et Materias Sacramentorum, Cenſurarum, & Decreta Sacri Concilij Tridentini mira claritate, & breuitate per Interrogationem, & Reſponſionem ſummo labore digeſtum.

Auctore Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Domino

D. HIERONYMO VENERO, ET LEYVA,

Archiepiſcopo, & Abbate Eccleſiæ Metropolitanæ Montis Regalis, & Domino temporali Ciuitatis, & totius Status, & priùs Abbate de la Sey, & Canonico S. Eccleſiæ Conquenſis, Conſiliario Sanctæ Inquiſitionis, Ordinario Sigūntino, Regio Capellano, Habitus, & Militiæ Sancti Iacobi de Spata, vtriuſque Iuris Profeſſore.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINVM

IO: FRANCISCVM MAVROCENVM

Venetiarum Patriarcham, Dalmatiæque Primatem, &c.



VENETIIS, Apud Bertanos, M. DC. LIX.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Dom. Prof. Rom.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

Domino noſtro Colendiſſimo

IOANNI FRANCISCO MAVROCENO,

Venetiarum Patriarchæ, Dalmatiæque Primati, &c.

S. P. P.

QVI Nobiliſſimi tui claritudinem generis, & eximiæ ſplendorem virtutis non admiratur, Illuſtriſs. Præſul, in meridie cæcutit, ne dicam cæcultat inuidia, quam ſuperaſti. Næc tamen (ea eſt amabilitas, quam vultu, & moribus ſanctiſſimis ſpiras) quiſquam admiratur quin omnibus proſequatur obſequijs. Itaque vnus cunctis præluces, vnus à cunctis acclamaris, coleris, ac, propè dixi, adoraris. Teſtis illa nuper Sereniſſimi Principis, & Excellentiſſ. Senatus conſenſio, quæ te ad Patriarchalis faſtigium dignitatis euexit. Teſtis eorumdem tanto cum omnium gaudio excepta de te renunciatio. Teſtis poſtremò illa totius Vrbis facies collucentis ignibus, ſplendentis facibus, tubarum clangore, campani æris tinnitu concinentium vocibus perſonantis, ac lætitijs omnibus geſtientis, quæ tuæ in Patriam pietati, humanitati in Ciues, munificentiæ in pauperes reſponderunt. Sedenim enimuerò ſi tu, magnanime Præſul, Abbateię tuę reditus ad propulſanda Turcarum tela, ad vſque finem Belli primus Patrię obtuliſti, exemplo cęteros prouocaturus; illa te primum ſui apud Deum interpretem, & Patriarcham elegit. Si tu opem Ciuibus, pauperibus ſtipem effusè impertiris, hi animos in vota, voces in plauſus, ſtudia in fauſtas acclamationes effundunt: nullaq; non teſtificantur ratione ſperatę abs te felicitatis iucunditatem. Quibus cum ſatis ſuperque declaretur, nec te clariorem ad tantum munus eligi potuiſſe quemquam, nec optatum magis deſtinari: nos igitur vbi ſalutantium concurſus, & gratulantium officia deferbuere, vt antiquæ noſtrę obſeruantię ſtudia, & recentia pietatis gaud a peculiari declaremus obſequio, Epiſcoporum Examen, nunc primùm Venetijs edentes in lucem, ſacrauimus immortalitati nominis tui. Grauiſſimum argumentum operis ſuadet placiturum ſapientię tuę

* 2 *donarium*

donarium noſtrę tenuitatis; quę inopi non inuenit in fœnore quid dignius offerret. Singularis tua benignitas ſpondet, nec etiam minora dedignaturum, quando magis heroicum cenſes dare pondus muneribus, quam precio munerum pergrauari. Omittimus Sereniſſimos Duces, Cardinales, & Procuratores Diui Marci prę ſtantiſſimos omnium ſęculorum memoria percelebres, quorum tu decora, & gloriam exęquabis anteibis. Prętérimus & illud nuncupatorijs ſolemne encomium laudum tuarum: ne temerario videamur auſu, Soli, perinde quaſi lucis egeret, velle lucem afferre; aut ſingulare decus virtutum, auitumq; Maurocænę Domus ornamentum, modeſtiam tuam, Illuſtriſs. Prę ſul, tentare. Quapropter elogia conuertentes in vota, & ſupplicationes; longum tibi vitę, ac felicitatis curſum, & opes in dies ampliores precamur: vt tantum Patriæ proſis, & gloriæ addas gloriæ tuæ, quantum pollicentur tuæ virtutes, & vota. Hic nos procumbentes ad oſcula benignus accipe, & foue autoritate inclyti nominis tui.

Venetijs, pridie Idus Nouembris M. DC. XLIV.

Præclariſſimo tuo nomini

Serui addictiſſimi

Ioannes Bertanus, & Fratres.

SEMINARIVM CLERICORVM CIVITATIS MONTIS REGALIS,

Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo D.

D. HIERONYMO DE VENERO,

Et Leyua, Archiepiſcopo, & Abbati, Domino temporali totius Status, Benefactori Optimo, ſalutem plurimam dicit.

SI indicendi oratione, Illuſtriſs. Princeps, aliquid profeciſsem, in qua non ſine laude per aliquot annos verſatus ſum, aut ſi in cognitione optimarũ artiũ valerẽ, ad quam meam diligẽtiam diutius accuratiſſimè contuli, oblata mihi erat occaſio, in qua fructus meorum laborũ copioſiſſimè perciperem ſed cum ingenio, & eloquentia parum poſſim, & hic Illuſtriſs. Princeps eximia habeat à Natura, & induſtria adiumenta, cum innocentia Vitę generis Nobilitate, & alijs virtutibus copulata, pertimeſco ſane, ne frangar animo, & oneris pondere parum honeſtè ſuccumbam; ſed me pertimeſcentem maxima conſolatio ſubſtentat, nempè, quòd res, de quibus dicturus ſum, tàm copioſæ, tàm illuſtres, tàm admirabiles ſint, vt inopiam, & egeſtatem dicentis compenſent, vt verè poſſit dici, quòd mihi ſuppetit materia, & modus dicendi deficit; ſed inhęrendo ſummorum ſcriptorum pręceptis, & eorum inſiſtendo veſtigijs, huius Illuſtriſſimi Principis patriam, generis nobilitatem, litteras, ſuauiſſimos mores, ingenium, memoriam ſuauem, & accuratam gubernationem, magnas eleemoſinas, inſignia ędificia meo rudi ingenio commendabo.

Hic Illuſtr. Princeps in vtilitatem multorũ natus fuit in Ciuitate Valle ſoletana anno 1558. quę Ciuitas eſt pulcherima, & amęniſſima, & per multos annos fuit ſedes Regum Caſtellæ, duobus fluminibus circundatur, in quibus pręter molas frumentarias Ciuibus vtiliſſimas, ſunt riui, & canales, qui irrigant hortos, & agros; ornatur etiam pulchris, & magnificentiſſimis templis, Ædibus ad venuſtatem, & elegãtiam extructis, vijs ſpatioſis, & directis, & tanta eſt pulchritudo, vt oculi teneantur ſuſpenſis. Platea inſignis quadra cũ opere laborata, & tantę admirationis, vt raròˌ vel nullibi ſimile ædificium inueniatur: in hac Vrbe Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſedem habet. Regium conſilium cum ſuo Præſide, & auditoribus pro cõmoditate totius illius Prouinciæ habitant, habet Epiſcopum cum canonicis, & Eccleſia Cathedrali, & Prætorem cum ſuis gubernatoribus, & Rectoribus, Tribunal diſtinctum ab alijs; vltimò, vt nihil huic Ciuitati deficeret, habet publicum ſtudium & vniuerſitatem, in qua omnes ſcientiæ doctiſſimè docentur, & habet inſigne Collegium Sanctæ Crucis, quod licet vltimo loco nominetur, primus locus ei iure optimo debetur ipſum enim peperit tot Cardinales, Princeps, Epiſcopos, Præſides, Gubernatores, Auditores Regij Conſilij, vt numerari facile non poſſint, & inter alios peperit Patrem Noſtri Archiepiſcopi, & quotidie hoc Collegium nouam lucem Hiſpaniæ præbet. Præterea hęc Ciuitas habet Ciues, qui ſemper Regiæ Coronę fuerunt fideliſſimi, & tempore Caroli V. Imperatoris armis reſtiterunt rebellibus, qui Caſtella inuaſerant, & repreſſerunt audaciam eorum, qui volebant ſibi vendicare Regiam auctoritatem ſub nomine libertatis.

Tandem hæc Ciuitas peperit, & quotidie parit filios doctiſſimos, prudentiſſimos, milites, & Duces in bello fortiſſimos, de quibus meritò inter alias Vrbes gloriari poteſt.

Si a parentũ nobilitate, & clara ſanguinis proſapia, & à rebus ab eis in bello, & in pace bene geſtis in augmentum Regiæ Coronæ Regum Hiſpaniarum voluerimus noſtrum Archiepiſcopum laudare, hæc difficultas magna, & ſuperat meas vires, & ingenium, ſed vt meũ officium compleam, aliquam dicam rudi ſtilo, & inſulſa minerua. Patrem habuit D. Andream de Venero, & Leyuam prolem Collegij Sanctæ Crucis, vbi in ſua adoleſcentia alitus fuit, & magna cum honeſtate, & prudentia vixit. Natus fuit in antiquiſſima domo de Venero, ſità in oppido de Caſtillo in Valle de Tranſmiera apudmontanos, quę domus deſcẽdit ex antiquiſſima Gothorum progenie, & in tota illa prouincia habetur in magna veneratione, tanquam caput eorum, qui ſequuntur nomen, & inſigna Gilis bandum oppoſitum Negretis; ex parte verò matris ſortitus eſt nobiliſſimam familiã de Leyua, in qua tot Duces, generales, in Terra, & Mari fuerunt, inter quos non eſt obliuioni tradendus Antonius de Leyua, ex cuius ſorore Pater dicti Archiepiſcopi legitimè deſcendit ille, qui vicit inſigne prælium, quod vocatur de Pauia, vbi captus fuit Rex Francorum Frãciſcus Primus, & Rex Nauarræ, & totus ſtatus Mediolanenſis ſub obedientia Caroli V. vſque in præſentẽ diem quieuit, & ſi facinora, prælia, res in bello, ab hac familia benè geſtas mea oratione complecti deberem, plurimi libri ſcribẽdi eſſent. Et Pater dicti Archiepiſcopi poſtquam exiuit de domo Collegij Sãctæ Crucis, cępit aliqua officia Regia exercere, & breui tempore cognita eius virtute, prudentia, & fortitudine ad altiorem gradum aſcendit; nam à Philippo II. Prudentiſſimo Re-

ge factus eſt Gubernator, Præſes, Dux Generalis noui Regni Granatenſis, apud Indos maris Oceani, nominatus eſt, miſſus magno comitatu; fuit enim ſecundus Gubernator, qui illam terram nondum ſubiectã gubernauit, in bello copijs collectis plura prælia cum inimicis, qui terram illam in magna parte poſſidebant, vi ſuperauit, vſque totum Regnum ſub obedientia Regis Philippi reduxit; his finitis, laborem, ſtudium, curam in gubernando, in pace, & quiete conuertit, vias in toto Regno aparuit, plurima oppida, & Ciuitates de nouo fundauit, audientiam, & Tribunal in Ciuitate de S. Fe, & Quinto, ipſe fundauit leges municipales, condidit ſanctiſſimas, diſtribuit terminos oppidis, & Ciuitatibus, cum quibus, hodie terra illa regitur, per decem, & octo annos totum Regnum noui Regni Granatenſis in politicum vſum, indos illos feros reduxit, & tanta pace, & quiete fertiliſſimas minas auri, & ſmaragdi, & flumem perlatum ipſe inuenit, & in laborem, & Cõmunem vtilitatem ipſe reduxit vias toto Regno ipſe aperuit, beſtias, & Iumenta ad generationem in Regnum introduxit, ex Hiſpania exportauit, redditus Coronæ Regiæ in magnam multitudine auxit, Indos feroces, manſuetos, obedientes, & in politicum vſum reduxit, ita per decem, & octo annos illam terram gubernauit, vt verè Pater patriæ dici poſſit, & memoriam ſui animis hominum magna cum laude impreſſam reliquit.

Mater vero dicti Archiepiſcopi D. Maria Hondegardo, & Zarate fuit ex parte maſculina filia Didaci Lopez, & Hondegardo S. Inquiſitionis Granatẽſi Receptoris Generalis, & ex parte femina fuit filia D. Hieronymæ de Zarate, & nepos Lupertij Diaz de Zarate ſecretarij Regum Catholicorum, & S. Inquiſitionis Generalis natus in Prouincia de Alaua ex clariſſima domo, & familia de Zarate ſita in illa Prouincia, habuit fratres viros eminentiſſimos in bello, & in pace, ſcilicet Polum de Hondegardo magiſtrũ Generalẽ Cãpi, & exercitus in bello contra Pizzarrum, qui ſibi aſſumpſerat imperium totius Regni de Perù, quẽ tribus in pugnis, & prælijs vicit, cępit, & tandem caput abſcidit, cuius exercitus caput, & Generalis erat, licẽtiatus de la Gaſca Generalis Inquiſitionis Conſiliarius, & vltimo Epiſcopus Seguntinus, habuit etiã ſecundum fratrem Didacũ de Zarate Ducem Infantariæ, & equitum in regnis de Perù, qui ſtrenuè ibi militauit; habuit tertium fratrem D. Alphonſum Hondegardo, cuius ingenium, & litterarum in iure Ciuili cognitio tanta fuit, & tam nota omnibus, vt facile æquaret maiores profeſſores ſui temporis; fuit Archidiaconus Valle ſoletanus, & Canonicus Doctoralis Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ magna cum laude, & ſatisfactione Archiepiſcopi D. Gaſparis de Quiroga totius Capituli, & Ciuitatis. Quartum fratrem habuit Lupertium Diaz de Zarate Sanctæ Eccleſiæ Oxomenſis Canonicum Doctoralem, & Commiſſarium Sanctæ Inquiſitionis Vallę ſoletanæ.

Iſti duo viri patres dicti Archiepiſcopi genuerunt quatuor filios, & tres filias qui veſtigijs ſuorum maiorum inhærendo, illos in officijs, & honoribus non ſolum coęquarunt, ſed maiores ſortiti ſunt dignitates, cum communi Regum ſatisfactione, & vulgi applauſu. Genuerunt D. Carolum de Venero, & Leyua Doctorem in iure Canonico, Regium Capellanum, Receptorem Capellæ Regiæ temporis Regis Philippi II. deinde Canonicum Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ, Capellanum maiorem Regnum veterum, qui in Eccleſia Toletana requieſcunt, Adminiſtratorem, & Gubernatorem Collegij puellarum inſtituti à Cardinale Siliceo; hic vir tantæ virtutis eſt, vt omnia ſua bona in diſtributiones pauperum eroget; fecit ſuis ſumptibus Eccleſiam Sanctæ Mariæ de S. Cebrian in Ciuitate Toletana, & ad eam deſeruiendam capellanos inſtituit, cum congrua ſubſtentatione, deinde, vt pius memoriã ſuorum maiorum ſuſcitauit conſtruendo capellam in Eccleſia Monaſterij Sancti Franciſci in Ciuitate Valle ſoletanæ, & numerum capellanorum deſignauit cum congrua annonæ ſubſtentatione. Curam, & adminiſtrationem Eccleſiæ Maioris Canonicorum reliquit. Tandem tanta eſt huius viri honeſtas, vitæ Caſtitas, Clementia in pauperes, tantæque virtutes in eo riuceſcunt, vt illi nullum vitiũ poſſit opponi. Imo plurimæ virtutes elucent imitandę.

Habuerunt filium D. Didacum de Venero, & Leyua, qui ab ineunte ætate militiæ operam dedit, in quo tanta fuit bellica fortitudo, ingenij acumen, vt adeptus ſit honorem ducis, & Capitanei Infantariæ Hiſpanicæ, & tribus vicibus fuit Dux equitum, & militauit in bellis Flandriæ, Franciæ, Italiæ, & in bello Aſtenſi. Quatuor habuit ſub ſe cohortes equitum, plura vulnera recepit in ſeruitium Regum Tandem fuit Gubernator, Dux Generalis in Ciuitate de Melilla in Regno Aphricæ, quod officium, tàm prudenter, & fortiter geſſit, vt plures reportaret ex mauris illis Victorias. Fuit habitus, & Militię Sancti Iacobi de ſpata, & habuit Gubernationem Ciuitatis de Lerena Ordinis Sancti Iacobi, nec non in Ciuitate Vallæ ſoletanæ fuit vnus ex Rectoribus illius Ciuitatis, nec non & Confrater Confraternitatis, ſeu Hoſpitales de Peranzules, quæ omnia officia magna cum laude exercuit.

Habuerunt etiam filium Fratrem Petrum de Venero, & Leyua Ordinis Sancti Dominici Collegam Collegij Complutenſis eiuſdem Collegij duabus vicibus Rectorem Priorem Lucruntj, & ibi Lectorem Theologiæ, Sanctæ Inquiſitionis Conſultorem, & Inquiſitorem ordinarium. Deinde fuit Prior in Ciuitate Conchenſi, & Pampilonæ, in Curia Regia totius Prouinciæ Procurator Generalis. Poſtea generalis Inquiſitionis Qualificator, Præſentatus, & Magiſter ordinis, quæ officia tanta prudentia geſſit, vt omnes eum deſiderarent, & nullus eum odio habuerit.

Habuit filiam D. Ioannam de Venero, & Leyua, quæ nupſit cum Don Ioanne Velazquez de Velaſco, Domino Villarum de Villa Vaccherin, & ſinoua, Almendros, ijuelo, Villa ſechito, fuit milles ordinis Sancti Iacobi, Commendator Commendæ de Peña Auxenda, militauit in Goletta eo tempore, quæ oppreſſa, & diruta fuit à Turcis, deinde in prælio Nauali, & in prælio de Nauarino, ſtrenuę, Dux infantariæ ſegeſſit, fuit tempore Phillippi II. ſpiarum, & intelligentiarum ſecretarum ſuper intendens Generalis Caſtellaµus, & Generalis Dux Prouinciæ Guipuzq; & Caſtelli de fuente Rabia. Vltimus qui hoc officium cum auctoritate Generalis Ducis geſſit, in quo ſub ſuo domino, & poteſtate habuit duas Copias, Nauium in Mari, & vnum exercitum in terra, paratum pro ſedanda ſeditione Aragoniæ orta.

Ex hoc matrimonio relicta fuit Proles non contemnenda; nam ortus fuit D. Andreas Velazquez de Valaſco, & Venero, huius viri ingenium, ſilentium, taciturnitas, cognitio linguæ Latinæ, Græcæ, Gallicæ, An-

glicæ, &

glicæ, & Italicæ, Arabicæ non facile explicari poteſt; nam in omnibus his linguis legebat, ſcribebat, & loquebatur. Fuit Ordinis Militiæ Sancti Iacobi de Spata Commendator de Mirabel, veſtigia maiorum ſuorum ſequutus, militauit in triremibus Hiſpanicis ſub Duce D. Martino de Padilla maioris Hiſpaniæ Adelantato, ibi per plures vices omnes triremes ſub ſua cura habuit; varias pugnas ex Angl:s Olandeatibus reportauit, plura ſpolia vi abſtulit, deinde in magna claſſe Nauium, quam miſit Rex Philippus II. Contra Reginam Angliæ Eliſabectam ipſe non paucas copias militum ſub ſuo dominio habuit; qui poſtea cum Domino Ioanne Fernando de Velazquez Caſtelle Conteſtabili Mediolanum ſe contulit, vbi per plures vices ob infirmitatem dicti Cõteſtabilis totum ſtatum magna prudentia gubernauit, & fuit Conſiliarius Conſilij Secreti Mediolanenſis, reuerſus in Regiam Curiam fuit factus ſuperintendens generalis ſpiatum, & negotiorum ſecretorũ, maiore auctoritate, quam patet habuit, & fuit Conſiliarius Conſilij Militiæ in dicta Curia, quæ omnia oficia tanta intelligentia geſſit, vt ſui memoriam poſteris reliquerit, & immatura ætatæ obijt magna popoli triſtitia, nupſit cum Domina Ioſepha de Guſman, ex Nobiliſſima, familia, & Domo de Toral, reliquit filium, Ludouicum Andream de Velazquez, & Guſman, qui hodie eſt in ætate duorum annorum.

Patres noſtri Archiepiſcopi habuerunt duas filias, Hieronymam de Zarate, & Marianam de Venero, & Leyua, moniales in oppido de Madrid in Monaſterio Regali Sancti Dominici, vbi vitam magna cum Sanctitate, & exemplo degunt.

Vltimus numeratur noſter Archiepiſcopus, licèt fuerit natu primus, quia de eo fieri debet longior oratio.

Primas litteras didicit Compluti, in domo Doctiſſimi viri magiſtri de Segura, & in rethorica tãtum profecit vt breui tempore eam publice interpretaret loco ſui magiſtri, applaudentibus ſui Condiſcipulis.

Deinde in eadem vniuerſitate Dialecticam didicit, & poſtquam eam perfecte audiuit, ad ſtudia Iuris ciuilis Salmanticam ſe contulit, vbi perfectus, & doctiſſimus in vtroque Iure euaſit, deinde Roman ſe contulit, vbi fuit Cubicularius ſecretis Gregorij XIII. Pontificis Maximi, & ab eo plurimum honoratus, & dilectus, qui illi dedit Abbatiam della Sey, dignitatem in Ecclesia Conchenſi, à Sixto V. Summo Pontifice obtinuit canonicatum in eadem Eccleſia, in qua vixit triginta, & Sex annos, & in ea lites plures ſuperauit, ad Reges miſſus maiora negotia Eccleſiæ tractauit ſemper cum felici ſucceſſu, & euentu; in Hiſpaniam reuerſus fuit conſultor Sanctæ Inquiſitionis, habuit habitum Sancti Iacobi de Spata in Legionenſi conuentu fecit profeſſionem ſolemnem, fuit Regius Capellanus, & electus Vicarius Prouincie Legionenſis a Philippo III. Hiſpaniarum Rege potentiſſimo electus, & nominatus Archiepiſcopus Montis Regalis Romam perſonaliter venit, rigoroſum examen ſubijt in præſentia Pauli V. Pontificis Maximi, in quo tantam ſui acquiſiuit gloriam, vt omnes Cardinales, qui aderant, mirarentur, & Summus Pontifex eum publice laudauit, magnoſque illi fauores fecit conſecratus fuit ab Illuſtriſſimo Cardinale Mellino in Capella Summi Pontificis Pauli III. ſita in Eccleſia Sanctæ Marie maioris anno 1620. die xxiij. Menſis Februarij.

Tandem in hunc Archiepiſcopatum perſonaliter venit anno 1620. tertio die Menſis Aprilis eiuſdem anni magna cleri, & populi alacritate exceptus, in principio ſui regiminis miſit manum ad fortia, Synodum Diœceſanam congregauit, decreta Sacri Concilij Tridentini executioni mandauit, clerum reformauit, & per Eccleſias parochiales diuiſit confeſſores prælibato examine viros doctos, & virtute præditos eligit, Eccleſiam Cathedralem Metropolitanam ornamentis, & paramentis pretioſis exornauit, cantum figuratum in ea inſtituit, tecta, & campanas vetuſtate dirutas refecit, viam, quæ ad Panormum ducit, hominibus, & beſtijs difficilem curribus facilem reddidit, magno labore, & expẽſis fontem ad portam Sancti Caſtrenſis de nouo fecit, toto populo vtiliſſimum, Monaſterium Sanctæ Mariæ della Rocca, ordinis eremitarum Sancti Auguſtini à fundamentis erexit Eccleſiam condens pulcherrimam, & monaſterium magnificum, patribuſque prædia circa monaſterium emit, vt in victu quotidiano ſe adiuuarent. Monaſterium etiam monialium ſub diſciplina Sancti Benedicti, & ſubiectum Archiepiſcopo ceptum ab Illuſtriſſimo Cardinale de Cardona, ſed vetuſtate funditus euerſum à fundamentis erexit, tanta magna pulchritudine, & commoditate, vbi habitant nonaginta ſorores cum exemplo ſanctitatis, & virtutis.

Seminarium Clericorum viſitauit, reformauit, redditibus auxit, Eccleſiam Sancti Cataldi ſubiectam Archiepiſcopo Montis Regalis cum ſuis redditibus ſeminario vniuit, & horrea propè ſeminarium in commoditatem ſemminarij emit, Hortum, qui vocatur de Venero, eis ad eorum recreationem dedit, ibi domum pulcherrimam extruxit, vndecim copioſiſſimas fontes ex aqua ab eo inuentas magna amænitate, incredibili pulchritudine extruxit, opus tam rarum, & magnum, quòd in tota Sicilia non ſit ei ſimile, & Ciuitas Panormitana in magna multitudine venit ad recreandos animos.

Et vt dictum Seminarium litteris maioribus augeretur, Cathedram philoſophiæ inſtituit in Collegio Societatis Ieſu cum iuſſu, & mandato Præpoſiti Generalis totius ordinis, in qua multi iuuenes plurimum profecerunt, vinginti vtijs eam dotauit ſingulis annis ſoluendis à Prætore, & Iuratis huius Ciuitatis.

Cathedram ſacrarum legum inſtituit, & dotauit in medietate Zappæ Aquæ, quæ pro ſalario magiſtri ſingulis anni vendi debet, ad maiorem firmitatem bullam à Summo Pontifici Vrbano VIII. impetrauit, eamque in Regno executoriauit anno 1626. Indictione 9. domum Ciuitatis, in qua Conſilia fiunt, vltimam ruinam minantem à fundamentis conſtruxit, ibique gymnaſium pro iure ciuili ædifficauit.

Vias, & Plateas Ciuitatis explanauit, fontem apud monaſterium Carmelitarum fecit.

Tempore peſtis, quæ infectauit Vrbem Panormitanam per duos annos incipiendo ab anno 1624. vſque ad annum 1626. quam ſedauit, & totaliter eſtinxit D. Antonius de Pimentel Marchio Tauaræ, Prorex, & Generalis Capitaneus huius Regni Siciliæ, vir tantæ Prudentiæ, virtutis, & intelligentię, vt ſimiles illi pauci inueniantur, & licèt Ciuitas Montis Regalis diſtet à Panormo per quatuor milliaria, commerciumque intes has Ciuitates ſit magnum, tanta fuit diligentia, induſtria, magnificentia in pauperes, vt per ſeptem mẽſes Ciuitatem à contagione liberraui, & poſtquam, peſtis ingreſſa fuit, ipſe fecit lazaretum, quod magna cura ad

ra ad miniſtrabatur, conſtituit annonam omnibus pauperibus, vt non exirent a ſua domo, Ciuitatem muris muniuit, portas Ciuitatis fecit, eiſque cuſtodes adhibuit, infirmis Sacramenta adminiſtrabantur, medicinæ erogabantur, alimenta eis dabantur, & noſter Prælatus peſtem non fugit, neque officium boni paſtoris reliquit, ita quod intra tres menſes, & quatuordecim dies peſtem exterminauerit, adiutuſque proceſſionibus, orationibus, & Auxilio Sanctiſſimi Crucifixi ſiti in Eccleſia Sanctiſſimi Saluatoris huius Ciuitatis imago magnæ deuotionis à die, quo proceſſionaliter in publicum exiuit, vſque ad præſentem diem hæc Ciuitas incolumis à Deo facta eſt.

Domum Archiepiſcopalem abſentia Prælatorum quaſſatam, portas, & feneſtras dirutas refecit, conductus aquæ fractos de nouo fecit, atrium conſtruxit, plures cameras, & cubicula de nouo adiecit, & in tanta pulchritudine, & perfectione omnia poſuit, vt hodie regium cenſeri debeat habitaculum.

Vltimò veniam ad illud, quod omnia opera alia excedit, Clerici huius Ciuitatis erant quaſi oues, diſperſi ſine Eccleſia, ſine beneficio, Deus miſeratus hanc ſuam plebem, que per tot annos patiebatur hoc detrimentum, miſit hunc paſtorem, qui congregauit gregem diſperſum, & Eccleſiam Collegiatam in Eccleſia Sancti Saluatoris inſtituit cum horis canonicis diurnis, & nocturnis, eis aſſignauit pro diſtributionibus quotidianis, ex ſuis proprijs bonis, & non Archiepiſcopalibus treſcentum, & viginti vnctias redditus ſingulis annis, & alias quinquaginta vntias, quæ ſingulis annis in nouos prouentus applicarentur in augmentum dictarum diſtributionum, prout in fundatione cautum eſt. Vigintiquatuor Canonicos inſtituit, in quibus eſt. Penitentiarius Doctoralis, & magiſtralis, & ita tanquam Canonici ſæculares Collegiatæ Eccleſiæ cum magna animi conſolatione, populi vtilitate, frequentia Sacramentorum quietè, & pacificè viuunt.

Et in his omnibus operibus ex ſuis proprijs bonis expendit, & erogauit triginta duo millia aurea, quaſi voluerit diuitias ſuas Cœlo condere, vbi nec erugo, nec tinea demolitur.

Plures orphanas, & virgines, quæ periculum patiebantur, nupſit eas dotando. Infirmos adſeruauit eleemoſinis, opera charitatis, exercendo, officium boni paſtoris nunquam reliquit, & hoc librum vocatum Examen Epiſcoporum magno ſtudio fecit, vt viris doctis, & in maioribus negotijs occupatis eſſet adiumentum, & viris nondum doctis, eſſet clara, & facilis diſcendi diſciplina, quia in eo continentur omnes difficultates iuris canonici ſumma claritate, magna breuitate.

Tandem, vt vnde mea oratio cepit, reuertatur, tu Illuſtriſſime Princeps omnes anteceſſores tuos in operibus, & beneficijs in hac Ciuitate factis, Archiepiſcopos exceſsiſti, ingenio, & litteris proprijs abundaſti, generis nobilitate fratrum, & maiorum tuorum ornatus es. Nobis reſtat Deum precar, vt tibi donet in hoc mundo longiſsimam vitam, & in alia gloriam æternam. Amen.

A D

AD LECTOREM

SI te cura vigil florenti ornare corona,
Et iuuat æterno cingere flore comas,
Huc ades, hic flores æterno veris honore,
Hic ager Hieronymi ſpargit odore roſas;
Vndiq. collectos fructus, gratoſq. liquores,
His Præſul condit dulcia mella fauis:
Huc ades, haud ſpernas Lector ſtudioſe libellum
Noſcere, qui nexus ſoluere Iuris amas:
Quæq. prius fuerant cæca caligine merſa,
Singula deſcribit ſedulus arte liber,
Hic itidem gazas paruo ſub limine claudit
Immenſas, quantum poſſit ab arte peti;
Ordine perſpicuo ſinuoſa volumina Iuris
Explicat hic Præſul, claudit & hiſce libris;
Sternit iter, tritum redditq. ad culmina iuris,
Atq. ornat ſtudijs, nocte, dieq. ſuis;
Peruigili cura puris de fontibus haurit
Leges, quas vnâ continet ora libri;
Omniaque Hyblæa mellis dulcedine tincta,
Iurares nati tu Iouis eſſe ſtylum:
Si fieri cupias in Iure peritus vtroque,
Alta petens Iuris, voluito Lector opus:
Cunctorum inſtar erit claudens tibi cuncta librorum;
Quique ſuis multas finibus ambit opes.

INDEX CAPITVM

Totius Operis ex ordine diſpoſitus.

Capita Libri Primi.

DE Sacramentis in genere.	Cap. 1.	fol. 1
De Sacramentis non iterandis.	2.	3
De Baptiſmo, & iuſtificatione.	3.	3
De Presbyter. nō baptiz. miniſtr.	4.	5
De Apoſtat. & reiterantib. baptiſ.	5.	6
De Confirmatione.	6.	6
De Pœnitentia.	7.	7
De caſibus reſeruatis.	8.	9
De Euchariſtia.	9.	10
De ſacrificio Miſſæ.	10.	13
De extrema vnctione.	11.	16
De Ordine.	12.	ibid.
De Scrutinio in Ordine faciendo.	13.	20
De temporibus ordinandorum.	14.	22
De ætate, & qualitate ordinandorum.	15.	ibid.
De Dimiſſorijs.	16.	22
De Patrimon. & benef. ad cuius tit. quis ord.	17.	24
De Interſtitijs.	18.	25
De ſeruis non ordinandis, & eor. manumiſſ.	19.	26
De filijs presbyterorum ordinandis, vel non.	20.	ibid.
De obligatis ad ratiocinia ordin. vel non.	21.	27
De corpore vitiatis ordinandi, vel non.	22.	28
De Clericis peregrin. ordinandis, vel non.	23.	ibid.
De Clerico non ordinato miniſtrante.	24.	ibid.
De Clerico excomm. vel depoſito miniſtr.	25.	29
De eo qui furtiuè ordines ſuſcepit.	26.	ibid.
De Clerico per ſaltum promoto.	27.	30
De Clerico malè ordinato.	28.	ibid.
De Schiſmaticis, & ordinatis ab eis.	29.	ibid.
De ordinatis ab Epiſ. qui renunciauit Epatui.	30.	31
De diſpenſationibus in ordine.	31.	ibid.
De Sponſalibus.	32.	32
De diſpenſatione impuberum.	33.	34
De ſponſa duorum.	34.	35
De conditionib. appoſitis in diſpenſatione, &c.	35.	ibid.
De Matrimonio.	36.	36
De Matrimonio clandeſtino.	37.	37
De denuntiationibus in matrimonio.	38.	38
De Parocho in Matrimonio.	39.	ibid.
De vagantibus in Matrimonio.	40.	39
De contrahahentibus Matrimonium.	41.	ibid.
De impedimentis dirimentibus Matrim.	42.	40
De impedimento voti.	43.	ibid.
De impedimento cognationis.	44.	ibid.
De cognatione ſpirituali.	45.	41
De cognatione legali.	46.	42
De crimine impediente Matrimonium.	47.	ibid.
De diſparitate cultus in matrimonio.	48.	ibid.
De vi vel metu imped. Matrimonium.	49.	43
De Ordine impediente Matrimonium.	51.	ibid.
De impedimento publicæ honeſtatis.	52.	44.
De affinitate impediente Matrimonium.	53.	ibid.
De conſanguinitate, & affinitate.	54.	ibid.
De impotentia in matrimonio.	55.	45
De raptu in matrimonio.	56.	ibid.
De diuerſi caſibus Matrimonij.	57.	ibid.
De ſecundis nuptijs.	58.	47
De eo, qui duxit in Matrim. quam, &c.	59.	49
De eo, qui cognoſcit conſanguineā vxoris ſuæ.	60.	ibid.
Qui Clerici, vel vouentes Matr. contraher. poſſ.	61.	50
De coniugio leproſorum.	62.	51
De coniugio ſeruorum.	63.	ibid.
De Matr. contracto cōtra interdictum Eccleſ.	64.	ibid.
De donationibus inter virum, & vxorem.	65.	52
Qui Matrimonium inuehi apud Iudices, vel contra illud teſtificari poſſunt.	66.	53
De conuerſione coniugatorum.	67.	ibid.
De diuortijs, ſeu ſeparatione tori.	68.	55
De diſpenſationibus in Matrimonio.	69.	56.
De adulterijs.	70.	ibid.

Capita Libri Secundi.

DE Excommunicatione.	1.	58
De miniſtro excommunicationis.	2.	59
De ſuſcipiente excommunicationem.	3.	62
De participantibus in excommunicatione.	4.	ibid.
De pœnis excommunicationis.	5.	63
De rebus, quæ excōmunicatis facere non licet.	6.	ibid.
De diuerſis caſibus excommunicationis.	7.	64
De appellatione ab excommunicatione.	8.	65
De abſolutione ab excommunicatione.	9.	ibid.
De excōmunicatione ad finem reuelationis.	10.	66
De abſolutione a iuramento.	11.	68
De ſuſpenſione.	12.	69
De Clericis ſuſpenſis.	13.	ibid.
De ſuſpenſione circa Ordines.	14.	70
De ſuſpenſione circa Epiſcopus.	15.	71
De ſuſpenſione circa Iudices.	16.	ibid.
De ſuſpenſione circa Abbates, & Religioſos.	17.	ibid.
De diſpenſatione ſuſpenſionis.	18.	72
De interdicto.	19.	ibid.
De ceſſatione à diuinis.	20.	73
De ſacrilegio.	21.	74.
De degradatione.	22.	75
De irregularitate.	23.	76
De diſpenſatione irregularitatis.	24.	78
De bigamia.	25.	80
De homicidio voluntario, vel caſuali.	26.	81

Capita Libri Tertij.

DE peccati commiſſis contra decem præcepta Decalogi.	1.	85
De reſtitutione.	2.	89
De reſtitutione honoris.	3.	92
De ieiunio.	4.	94
De voto.	5.	95
De irritatione voti.	6.	96
De commutatione voti.	7.	97
De abſolutione voti.	8.	ibid.
De diſpenſatione voti.	9.	ibid.
De Simonia.	10.	98
De vſuris.	11.	100
De rebus Eccleſiæ non alienandis.	12.	104

Capita Libri Quarti.

DE Sede vacante, & electione Vicarij.	1.	108
Ne Sede vacante aliquid innouetur.	2.	111
De poſtulatione Prælatorum.	3.	112
De electioni, & electi poteſtate.	4.	ibid.
De examine Epiſcopi.	5.	113

De con-

INDEX CAPITVM.

De conſecratione Epiſcopi. Cap. 6. fol. 126
De reſidentia Epiſcopi. 7. 126
De officio Epiſcopi. 8. 128
De officio Archiepiſcopi. 9. 131
De auctoritate, & vſu pallij. 10. 133
De tranſlatione Epiſcopi, vel Electi. 11. 134
De familia Epiſcopi. 12. 135
De Vicario aſſeſſore, & fiſco Epiſcopi. 13. 136
De indulgentiis. 14. 138
De poteſtate Epiſcopi in commutatione vltimarũ voluntatum, & reductione Miſſarum. 15. ibid.
De Imaginibus. 16. 140
De priuilegijs Epiſcoporum. 17. ibid.
De delictis Epiſcoporum, & pœnis. 18. 143
De ſupplenda negligentia Prælatorum. 19. 144
De Prælati vices ſuas, vel Eccleſiæ ſub annuo cenſu concedant. 20. ibid.
De ijs, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu, &c. 21. 145
De ſynodo Prouinciali. 22. 146
De ſynodo Diœceſana. 23. 147
De Iudicibus ſynodalibus. 24. 148
De Examinatoribus ſynodalibus. 25. 149
De viſitatione Epiſcopi in ſua Diœceſi. 26. 151
De viſitat. Canonicor. qui gaudent priuil. &c. 27. 155
De Eccleſia Cathedr. Capitulo, & Dignitatib. 28. 159
De Decano Capituli. 29. 161
De ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli. 30. 163
De Magiſtris, & an aliquid exigatur, vt habeant docendi copiam, & facultatem. 31. 164
De lectione ſacræ Scripturæ. 32. 165
De Canonico Concionatore, & Doctorali. 33. ibid.
De Lectore S. Script. in Cathedralib. & Colleg. 34. 166
De lectione S. Script. in Monaſt. & publ. Stud. 35. 167
De Lectore grammaticæ. 36. ibid.
De Canonico Penitentiario. 37. ibid.
De Canonicis Eccleſ. Cathedr. vel Colleg. 38. 168
De Ordine ſuſcipiendo à Canonicis. 39. 169
De ſeruitio Epiſcopo præſtando. 40. 170
De reſidentia Canonicorum. 41. ibid.
De abſentia Canonicorum. 42. 172
De diſtributionibus quotidianis. 43. 173
De profeſſione fidei facienda Canonicis. 44. 174
De examine, & prouiſione parochialis Eccl. 45. 175
De Parochis, & de Eccleſijs parochialibus. 46. 177
De reſidentia Parochi. 47. 181
De Clericis non reſidentib. in Eccleſ. vel præb. 48. 182
De Clerico ægrotante, vel debilitato. 49. 183
De Vicarijs, & coadiutoribus Parochorum. 50. 184
De Beneficijs. 51. 185
De Capellanijs. 52. 186
De Collationibus. 53. 187
De Alternatiua. 54. 190
De permutationibus. 55. ibid.
De Renunciationibus. 56. 191
De Reſignationibus. 57. ibid.
De publicationibus faciendis. 58. 192
De Vnionibus. 59. 193
De Prædicatoribus in Eccleſijs Cathedralibus, & Parochial. tempore Quadrag. & Aduent. 60. 194

Capita Libri V.

De cauſis Eccleſiaſticis. Cap. 1. fol. 195
De vita, & honeſtate Clericorum. 2. 196
De peculio Epiſcoporum, & Clericorum, & quibus perſonis poſſint bona relinqui per teſtam. 3. 197
De bonis Clericorum. 4. 200
De veſtibus Clericorum. 5. 201
De pœnis Clericorum. 6. ibid.
De armis Clericorum. 7. 202
De Clericis pugnantibus in duello. 8. 203
De Clerico homicida. 9. 204
De Clerico ſimoniaco, vſurario, falſario, &c. 10. ibid.
De cohabitatione Clericorum, & mulier. ex lib. 3. Decretalium. 11. ibid.
De Clerico concubinario, vel fornicatore. 12. 205
De Clerico libidinoſo. 13. 208
De Clerico excommunicato celebrante. 14. 208
De Clerico blaſphemo, & periuro. 15. 209
De Clerico reuelante confeſſiones. 16. ibid.
De Clerico ſolicitante in confeſſione. 17. ibid.
De Clerico luſore. 18. 214
De Clerico ebrio. 19. ibid.
De Clerico, qui aſſiſtit publicis ſpectaculis. 20. ibid.
De Clerico negociatore. 21. ibid.
De Clerico, qui comparet ante Iudicem ſæcul. 22. 215
De Cler. aduocato, tabellione, vel procurat. 23. ibid.
De Clerico aruſpice. 24. 216
De Clerico venatore. 25. ibid.
De Clerico vagante, vel peregrinante. 26. 217
De Clerico non recitante horas canonicas. 27. ibid.
De Clerico frangente carcerem. 28. ibid.
De Clerici domicilio. 29. ibid.
De Cler. cuſtod. Euchariſt. Chriſma, &c. 30. ibid.
De Cler. vagante, peregrinante, vel fugitiuo. 31. 218
De Clericis Græcis. 32. ibid.
De Clericis coniugatis. 34. 219
De Cler. qui gaudet benef. c. Oduard. de ſol. 33. 220

Capita Libri Sexti.

De Laicis. 1. 221
De Confraternitatibus. 2. 222
De Hoſpitalibus. 3. 223
De capellis Monachorum. 4. ibid.
De ſtatu Monachorum, & Canonicorum Regular. & de Capitulis eorum. 5. 224
De Regularibus. 6. 226
De electione Superiorum. 7. 227
De iuriſdictione Epiſcopi in Regulares. 8. ibid.
De Prædicatoribus, & Confeſſoribus Regul. 9. 228
De modo ædificandi Eccleſias à Regularibus. 10. 229
De beneficijs Regularibus vnitis. 11. 230
De ſepultura mortuor. in Eccleſijs Regular. 12. 231
De bonis Regularium. 13. 232
De Ordine à Regularibus ſuſcipiendo. 14. 233
de profeſſione Regularium. 15. 235
de quæſtoribus eleemoſynar. in Regularibus. 16. 237
de Abbatibus exemptis. 17. ibid.
de proceſſionibus Corporis Chriſti. 18. 238
de Conſeruatoribus. 19. 239
de Magnis Magiſtris. 20. 240
de Monialibus. 21. 242
de Clauſura Monialium. 22. 243
de dote Monialium. 23. 245
de reſignatione bonorum Monialium. 24. ibid.
de ſuſceptione habitus, & profeſſ. Monial. 25. 246
de Confeſſore extraordinario Monialium. 26. 247
de beneficijs monialibus vnitis. 27. 248
de electione Abbatiſſæ. 28. ibid.
de educandis. 29. 249
de Seminario. 30. 250
de Reliquijs, Vener. & Canoniz. Sanctor. 31. 252
de dæmoniacis, & oppreſſis à dæmone. 32. 257

de ma-

De maleficis,ſortilegis,& incantationibus. 33. 263
De pœna imponenda magis, ſortilegis,&c. 34. 266

Capita Libri Septimi.

DE Summa Trinitate,& fide Cathol. 1. 269
De conſtitutionibus, & legibus. 2. ibid.
De reſcriptis. 3. 272
De Conſuetudine. 4. 276
De officio Archidiaconi. 5. ibid.
De officio Archipresbyteri. 6. 277
De officio Primicerij. 7. ibid.
De officio Sacriſtæ. 8. ibid.
De officio Cuſtodis. 9. ibid.
De officio Vicarij. 10. 278
De officio Iudicis delegati. 11. ibid.
De officio Legati. 12. 280
De officio Iudicis ordinatij. 13. 281
De officio Iudicis. 14. 282
De maioritate,& obedientia. 15. ibid.
De treguâ, & pace. 16. 283
De pactis. 17. ibid.
De Tranſactionibus. 18. 284
De poſtulando. 19. 286
De Procuratoribus. 20. ibid.
De Sindico. 21. 288
De iis, quæ vi, metusve cauſa fiunt. 22. ibid.
De in integrum reſtitutione. 23. 289
De Arbitris. 24. 290
De alienatione Iudicij mutandi cauſa facta. 25. 291

Capita Libri Octaui.

DE iudicijs, & iuriſdictione. 1. 293
De foro competenti. 2. 296
De priuilegio fori. 3. 299
De libelli oblatione. 4. 301
De mutuis petitionibus. 5. ibid.
De litis conteſtatione. 6. 302
Vt lite non conteſt.non procedatur ad teſt.&c. 7. ibid.
De iuramento calumniæ. 8. 303
De dilationibus. 9. 304
De ferijs, &c. 10. 305
De ordine cognitionum. 11. 306
De pluribus petitionibus. 12. 307
De cauſa poſſeſſionis,& proprietatis. 13. ibid.
De reſtitutione ſpoliatorum. 14. 308
De dolo, & contumacia, &c. 15. 310
De eo,qui mittitur in poſſeſſ.cauſa rei,&c. 16. 312
Vt lite pendente nihil innouetur. 17. ibid.
De ſequeſtratione poſſeſſionis,& fructuum. 18. 313
De confeſſis. 19. ibid.
De Probationibus. 20. 316
De probationibus in delictis occultis, &c. 21. 319
De teſtibus, & atteſtationibus. 22. 324
De teſtibus cogendis. 23. 331
De fide inſtrumentorum. 24. ibid.
De præſumptionibus. 25. 334
De iureiurando. 26. 336
De exceptionibus. 27. 339
De præſcriptionibus. 28. 340
De ſententia, & re iudicata. 29. 343
De appellationibus, &c. 30. 346
De confirmatione vtili vel inutili. 31. 352
De recuſationibus. 32. 353

Capita Libri Noni.

DE præbendis, & dignitatibus. 1. 354
De inſtitutionibus. 2. 357
De conceſſione præbendæ. 3. 358
Vt Eccleſiaſt.beneficia ſine dimin.conferantur. 4. 359
De Precarijs. 5. 360
De commodato. 6. 361
De depoſito. 7. ibid.
De emptione, & venditione. 8. 362
De locato, & conducto. 9. 363
De rerum permutatione. 10. 364
De feudis. 11. ibid.
De pignoribus, & alijs cautionibus. 12. 365
De dote. 13. 367
De fideiuſſoribus. 14. 370
De ſolutionibus. 15. 371
De donationibus. 16. 373
De reuocatione donationis. 17. 374
De teſtamentis, & vltimis voluntatibus. 18. 375
De generibus teſtamentorum. 19. ibid.
De ſolemnitatibus teſtamentorum. 20. 376
De teſtibus in teſtamento neceſſarijs. 21. 377
De tabellione, & executore teſtamenti. 22. 378
De iis,qui non poſſunt condere teſtamentum. 23. ibid.
De inſtitutione, & ſubſtitutione hæredis. 24. 379
De teſtamento rupto. 25. 382
De cauſis exhæredationis. 26. ibid.
De legatis pijs. 27. 383
De aliquibus dubijs in materia teſtamentor. 28. 386
De ſucceſſionibus ab inteſtato. 29. ibid.
De ſepulturis. 30. 387
De decimis. 31. 389
De conuerſione infidelium. 32. 390
De Iure patronatus. 33. ibid.
De conſecratione Eccleſiæ, vel altaris. 34. 396
De conſecrat.Regis, Abbatis,& Abbatiſſæ. 35. 398
De pollutione, & violatione Eccleſiæ. 36. 399
De immunitate Eccleſiæ. 37. ibid.
De purificatione poſt partum. 38. 404
De Eccleſijs ædificandis. 39. ibid.

Capita Libri Decimi.

DE natis ex libero ventre. Cap. 1. fol. 406
De frigidis, & maleficiatis. 2. ibid.
Qui filij ſint legitimi. 3. 408
De Patria poteſtate. 4. 409

Capita Libri Vndecimi.

DE accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus. 1. 413
De calumniatoribus. 2. 416
De Iudæis. 3. ibid.
De Hæreticis. 4. 417
De Neophitis. 5. 420
De iis qui filios occiderunt. 6. 421
De infantibus, & languidis expoſitis. 7. 422
de ſagittarijs. 8. ibid.
de raptoribus,incendiarijs,& violator. Eccleſ. 9. 423
de furtis. 10. 424
de Colluſione detegenda. 11. 425
de delictis puerorum. 12. 426
de noui operis nunciatione. 13. ibid.
de priuilegijs, & exceſſibus Priuilegiatorum. 14. ibid.
de purgatione canonica. 15. 429
de purgatione vulgari. 16. ibid.
de Iniurijs, & damno dato. 17. 430
de Verborum ſignificatione. 18. 431
de regulis iuris. 19. 433

Finis Indicis Capitum.

LIBER

LIBER PRIMVS CONTINENS MATERIAM OMNIVM SACRAMENTORVM

Secundum determinationes Sacri Concilij Tridentini.

CAPVT PRIMVM.

De Sacramentis in genere.

1 QVid eſt Sacramentum?
Reſp. Eſt ſignum ſenſibile, inuiſibilis gratiæ, viſibilis formæ. S.Thom.3.p.q.60.

2 Sacramenta nouæ legis à quo ſunt inſtituta?
℞. A Chriſto Domino Trid.ſynod.ſeſſ.7.Can.1.

3 Quot ſunt Sacramenta nouæ legis?
R. Septem; Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Communio, Eſtrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, Trid.ſynod.ſeſſ.7.can.1.

4 Sacramenta nouæ legis in quo differunt, à Sacramentis veteris legis?
℞. In eo, quod Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato; hoc eſt ex propria virtute communicata ab humanitate Chriſti: inſtrumentaliter, id eſt, vt iſtrumento coniuncto diuinitatis: Sacramenta verò veteris legis ex opere operantis repræſentabant gratiam, quam Deus ad eorum præſentiam conferebat. Trid.ſynod.ſeſſ.7.Can.2.

5 Sacramenta nouæ legis ſunt ſuperflua?
℞. Non: ſed ita ad ſalutem neceſſaria, vt ſine eis in re, vel in voto, quis ſaluari non poſſit. Trid.ſynod. ſeſſ.7. can.4.

6 Fuerunt ne Sacramenta nouæ legis ad ſalutem humani generis neceſſaria?
℞. Neceſſarium eſt duplex: aliud in rigore ſimpliciter, ſine quo res fieri non poteſt, & hoc modo non fuerunt neceſſaria, quia potentia Dei non eſt alligata Sacramentis, poteſt enim Deus alijs medijs iuſtificare homines; aliud eſt neceſſarium ad melius, & conuenientius eſſe, & hoc modo fuerunt neceſſaria, quia ad prouidentiam Dei ſpectabat homines, iuxta eorum naturam ſaluare, vt per corporalia eleuarentur ad cognitionem ſpiritualium, & ſic per Sacramenta, quæ res corporales, & viſibiles in ſe continent, prouidit Deus humani generis ſaluti, & iſto modo fuerunt neceſſaria neceſſitate medij. Suarez in comment. S.Thom.3.p.q.61.art.2.

7 Sacramenta fuerunt ne neceſſaria in ſtatu innocentiæ?
℞. Negatiuè, quia Sacramenta ad duo ſunt neceſſaria, ad purgandam animam à peccato, & ad inſtruendum hominem in ſpiritualibus, & in ſtatu innocentiæ, homo peccatum non habebat, & erat ſufficienter inſtructus. S. Thom.3.p.q.61.art.2.& in 4. diſt.1.q.1.art.2.q.2.

8 Hæc Sacramenta ſunt ne inſtituta propter ſolam fidem nutriendą?
℞. Non ſolum ad hoc; ſed etiam ad ſaluandos homines. Trid.ſynod.ſeſſ.7.can.5.

9 Hæc Sacramenta nouæ legis continent in ſe gratiam, quam ſignificant?
℞. Affirmatiuè. Trid.ſynod.ſeſſ.7.can.6.

10 Hæc Sacramenta dant ne gratiam omnibus ea ritè ſuſcipientibus?
℞. Affirmatiuè quantum eſt ex parte Dei non ponentibus obicem. Trid.ſynod.ſeſſ.7.can.7.

11 Sufficit ne ſola fides ad hanc gratiam conſequendam?
℞. Non ſufficere; ſed ſunt neceſſaria ſacramenta. Trident.ſynod.ſeſſ.7.can.8.

12 Hæc Sacramenta quam gratiam conferunt?
℞. Gratiam iuſtificantem hominem. Trid.ſynod. ſeſſ.7.can.8.

13 Hæc gratia creatur de nouo.
℞. Gratia propriè non cretur, ſed educitur de potentia obedientiali animæ.

14 Sacramenta nouæ legis ſunt ne cauſa gratiæ?

℞. Duplex eſt cauſa: altera principalis, quæ virtute propria producit effectum, & hoc modo ſolus Deus eſt cauſa gratiæ: altera inſtrumentalis, quæ virtute communicata ab alio producit effectum, & hoc modo ſacramenta virtute communicata à Deo, ſunt cauſa gratiæ. S.Thom.3.p.q.62.art.1.Trid.ſyn. ſeſſ.7.can.6.& 8.& ſeſſ.6.c.7.

15 Quomodo continetur gratia in ſacramentis?
℞. Dupliciter: vno modo tamquam in ſigno: alio modo tamquam effectus in cauſa; ſicut calor in igne. S.Thom.q.62.art.3.p.3.

16 In Sacramentis eſt ne aliqua virtus, ad cauſandam iſtam gratiam?
℞. Affirmatiuè, quia omnis cauſa habet aliquam virtutem ad producendum ſuum effectum, & Sacramenta ſunt cauſa gratiæ. S.Thom.3.p.q.62.artic.4. in corpore.

17 Iſta virtus eſt ne principalis, an inſtrumentalis?
℞. Inſtrumentalis.S.Thom.3.p.q.49.art.1.& 4.

18 In quo conſiſtit iſta virtus ſacramentorum?
℞. In hoc, quod ſint inſtrumenta à Deo inſtituta ad iſtam gratiam producendam; illa verò motio diuina, eſt virtus ſacramentorum. S.Thom.vbi ſup.

19 A quo habent hanc virtutem?
℞. A Deo principaliter mediante paſſione Chriſt. S.Thom.3.p.q.49.art.1.& 4.

20 Sacramenta veteris legis cauſabant gratiam?
℞. Cauſabant, propria virtute, ſed Deus ad præſentiam illorum cauſabat gratiam per fidem Paſſionis Chriſti venturi. S.Thom.3.p.q.62.artic.6.in fin. corp.

21 Circumciſio cauſabat gratiam?
℞. Non ex vi propria, ſed intuitu fidei paſſionis Chriſti, cuius erat ſignum circumciſio, Deus conferebat gratiam. S.Thom.vbi ſup.

22 Imprimitur ne character in omnibus ſacramentis?
℞. Non, ſed ſolum in tribus, Baptiſmo, ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, & iterari non poſſunt. Trid.ſynod.ſeſſ.7.can.9.Tollet. in ſum.c.16.art.8.

23 Quid eſt character?
℞. Eſt ſignum indelebile, principiũ alicuius actionis, vel receptionis, ad cultum diuinum. S.Thom.p.3.q.63.art.4.

24 Character vbi imprimitur, in anima, aut in potentijs animæ?
℞. In potentijs animæ immediatè. S. Thom. vbi ſupr.

25 Cui potentiæ imprimitur character?
℞. Potentiæ cognoſcitiuæ; quia per characterem, fit quædam proteſtatio fidei perpetua, quæ pertinet ad intellectum. Suar.diſp.21.ſect.4.§.4.ſent.

26 Character adhæret indelibiliter animæ?
℞. Maximè, quia character eſt quædam participatio Chriſti, quæ eſt æterna. S.Thom.3.p.q.63.art.5. in fin.corp.

27 Sacerdos mortuus, poſt plurimos annos reſurgẽs, debet ne iterum baptizari, confirmari, & ordinari? præcipuè ſi aliud aſſumat corpus?
℞. Minimè, quia character ſacramentorum impreſſus eſt in illa anima. S.Thom.in 4.diſt.38.Tolet. in ſum.lib.2.c.16.art.8.in fin.

28 Si maritus alicuius mulieris reſurgeret, deberet ne iterum ſecundum ritum eccleſiæ, illam ducere?
Reſp. Affirmatiuè, quia vinculum matrimonij ligat vſq; ad mortem, & cum morte ſoluitur. Diuus Paulus in epiſtola 1. ad Corinth.cap.7.

29 Poſſunt ne omitti, ritus ab eccleſia conſueti in celebratione Sacramentorum?
Reſp. Non abſque peccato mortali. Trid.ſynod.ſeſſ. 13.can.13.

30 Quis habet poteſtatem diſpenſandi in ſacramentis, & mutandi, quæ magis expedire videbuntur?
Reſp. Sancta Romana Eccleſia, ſalua tamen ſemper ſacramentorum ſubſtantia. Trid.ſynod.ſeſſ.21.c.2.

31 Quid inuenitur in quolibet ſacramento?
Reſp. Res materiales, & verba. Tolet.in ſum.lib.2.c. 16.art.2.

32 Quæ requiruntur, in quolibet ſacramento?
Reſp. Quinque; materia, forma, intentio miniſtri, intentio ſuſcipientis actualis, vel virtualis, & effectus. Tolet.in ſum.lib.2.c.16.art.2.

33 Quæ eſt materia ſacramentorum?
Reſp. Sunt res viſibiles determinatæ.

34 Quæ eſt forma?
Reſp. Sunt verba determinata. Tolet. in ſum.lib.2.c. 16.art.2.

35 Quare materia ſacramentorum ſunt res determinatæ?
Reſp. Quia, ſicut homo per corporalia Deum reliquerat, amiſerat gratiam, & ſubiecerat ſe Diabolo, ita congruè placuit altiſſimo, vt per eadem corporalia, gratiam recuperaret, & traderet ſe ſuo Creatori. Suarez diſp.2.ſect.1.§.1.

36 Materia ſacramentorum poteſt nè mutari?
Reſp. Non ſecundum ſubſtantiam, quia inſtituta eſt à Chriſto Domino. S.Thom.in 4.diſt.38.

37 Forma ſacramentorum poteſt ne variari?
Reſp. Variatio eſt duplex, prima quoad ſonum vocis: alia quoad ſenſum, primo modo poteſt variari forma, vt in græco, & latino, qui diuerſo idiomate, & diuerſa lingua conferunt ſacramenta, retento tamen vero ſenſu. Secundo modo non poteſt fieri variatio, quia non eſt in poteſtate hominum mutare, quæ ſunt iuris diuini. Tolet.in ſum.lib.2.c.16.artic.2.in fin.D. Thom.3.p.art.8.q.63.& Scot.in 4.diſtinct.3.q.2.

38 Sacerdos qui corruptè verba formæ profert, conficit ne Sacramentum?
Reſp. Si corruptio fuerit notabilis varians ſenſum, nõ conficit: ſi verò ſenſus remanet, & intendit facere quod facit Eccleſia, tunc conficit. Suarez.diſp.2.ſect. 4.§.7.verb. mutatio.

39 Quæ regula datur ad cognoſcẽdam veram formã?
Reſp. Quotieſcumque mutatur ſenſus vocis, & remanet intentio, & verus ſenſus, conficitur Sacramentum, & quotieſcumque dubitatur, an ex prolatione vocis permanſerit verus ſenſus, reinteranda ſunt Sacramenta ſub conditione. S.Thom.3.p.art.8.q.63.

40 In formis Sacramentorum poteſt ne fieri aliqua additio, vel ſubtractio?
Reſp. Si talis additio non deſtruat ſubſtantiam formæ, & non inducat errorem, aut nouum ritum, non inualidat Sacramẽtum. Suarez.diſp.2.ſect.4.§.5.verb. mutatio.

41 Tranſpoſitio verborum formæ, inualidat ne Sacramentum?
Reſp. Si non mutatur ſenſus, non inualidat. Suarez diſp.2.ſect.4.§.3.verb.mutatio.

42 In adminiſtrandis Sacramentis ſunt ne omnes Chriſtiani Miniſtri æqualiter, & habent ne æqualem poteſtatem?

Reſp. Non

Reſp. Non, ſed in ſolo baptiſmo tempore neceſſitatis, ſeruato ordine ab Eccleſia dato; in alijs verò Epiſcopi, & Sacerdotes. Trid. ſynod. ſeſſ. 7. can. 10. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 16. art. 2.

43 Miniſter in peccato mortali conficit ne Sacramentum?

Reſp. Affirmatiuè, ſed ipſe peccat, & malefacit. Trid. ſynod. ſeſſ. 7. can. 12.

44 In Miniſtro requiritur ne intentio?

Reſp. Affirmatiuè actualis, vel virtualis, faciendi quod facit Eccleſia. Trid. ſynod. ſeſſ. 7. can. 7. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 16. art. 2.

45 Quotuplex eſt effectus Sacramentorum nouæ legis?

Reſp. Triplex; confert gratiam omnibus; non ponentibus obicem, roborat in fide, & tria Sacramenta imprimuntur characterem, Suarez. diſp. 2. ſect. 4. §. 3. verb. mutatio.

CAPVT II.

De Sacramentis non iterandis.

1 QVæ ſunt Sacramenta quæ non iterantur?

Reſp. Omnia illa, quæ characterem imprimunt; ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo.

2 Si quis in diaconatus Ordine non habeat manuum impoſitionem, debet ne iterari Ordo?

Reſp. Non, ſed ſuppleri cautè quod negligenter prætermiſſum fuit, c. 1. de ſacram. non iterandis.

3 Si quis vnctus fuit oleo in confirmatione, & non chriſmate, debet ne iterari Sacramentum?

Reſp. Non, ſed ſuppleri quod prætermiſſum fuit, cap. 1. eod.

4 Si quis degradatus auſu temerario celebret cum veſtibus ſacris in altari benedicto, debet ne altare iterum benedici, & veſtes cum quibus celebrauit?

Reſp. Non, quia ex hoc quod quis degradatus eis vtatur non perdunt benedictionem, neque amittunt formam. c. à nobis, eod. tit. de Sacramentis non iterandis.

5 Quam pœnam incurrit ſchiſmaticus?

Reſp. Si ſit incorrigibilis, degradari debet: ſi verò corrigibilis, alia pœna punitur. Abb. c. 2. eod. tit.

6 Si Schiſmaticus conſecret altare, vel exerceat ordines, debet ne tale altare iterum conſecrari, & tales ordinati iterum ordinari?

Reſp. Non, ſed tali altari non poteſt vllus vti abſque diſpenſatione, neque tales ordinati vti ordine abſque diſpenſatione, quia tales perdunt executionem, ſed non ordinem. c. à nobis. eod. tit. de Sacramentis non iterandis.

CAPVT III.

De Baptiſmo, & Iuſtificatione.

1 QVid eſt Baptiſmus?

Reſp. Eſt ablutio corporis exterior facta ſub præſcripta forma verborum. D. Thom. 3. p. q. 66. art. 1. Tolet. in ſum. lib. 2. cap. 18.

2 Quotuplex eſt Baptiſmus?

Reſp. Triplex; flaminis, ſanguinis, & aquæ. Tolet. vbi ſup. c. 22. c. vnico. de præsbyt. non baptizato miniſtrante.

3 Poteſt ne quis ſine Baptiſmo ſaluari?

Reſp. Ex lege ordinaria non: ex lege verò extraordinaria poterit cum fide Chriſti ſecundum illa verba (qui crediderit, & Baptizatus fuerit ſaluabitur, qui verò non crediderit condemnabitur) & non dixit (& non baptizatus fuerit) quia Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti, & non medij. Trid. ſynod. ſeſſ. 7. can. 5.

4 In quo differunt Baptiſmus flaminis, ſanguinis, & aquæ?

Reſp. Primo in eo quod Baptiſmus flaminis, & ſanguinis non imprimunt characterem ſicut Baptiſmus aquæ, & ſic ſi reſuſcitaret aliquis mortuus cum Baptiſmo flaminis, iterum Baptizandus eſſet Baptiſmo aquæ. Secundo, quia Baptiſmo aquæ ſufficit attritio; in Baptiſmo flaminis, contritio. Tertio, quia cum Baptiſmo aquæ remittitur tota culpa & pœna, cum Baptiſmo flaminis, licet remittatur tota culpa, remittitur tamen tota pœna ſecundum proportionem doloris. Syluester. verb. Baptiſm. c. de differentia Baptiſmi. num. 3.

5 In Miniſtro, & ſuſcipiente requiritur ne intentio?

Reſp. Affirmatiuè actualis, vel virtualis faciendi quod facit Eccleſia. Syluest. verb. Baptiſmus.

6 Baptiſmus Ioannis habuit ne eandem vim cum Baptiſmo Chriſti?

Reſp. Non. Trid. ſynod. ſeſſ. 7. can. 1.

7 Quæ inueniuntur in hoc Sacramento?

Reſp. Quinque; Materia, Forma, Miniſter, Suſcipiens, Et effectus. Tolet. in ſum. lib. 2. cap. 18.

8 Quotuplex eſt materia huius Sacramenti?

Reſp. Duplex remota, & proxima; remota eſt aqua elementaris: proxima verò eſt ablutio ſimul cum aqua; ita quod aqua non ſit roſacea, nec ſaliua, neque ſuccus. Trid. ſyno. ſeſſ. 7. can. 2.

9 Quæ eſt forma huius Sacramenti?

Reſp. Sunt verba, quæ ſimul cum ablutione proferuntur. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 19. num. 1.

10 Quotuplex eſt forma?

Reſp. Triplex: vna ſecundum Eccleſiam latinam, vt ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; alia ſecundum græcam, videlicet, Petrus ſeruus Chriſti baptizetur in nomine Patris, &c. Tertia in dubio, ſi non es baptizatus ego te baptizo &c. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 19. num. 1. & 2.

11 Quis eſt verus Miniſter baptiſmi?

Reſp. Epiſcopus. Parrochus, & in tempore neceſſitatis propter nimiam neceſſitatem huius Sacramenti quilibet homo, ſiue mulier, ſiue ſit Chriſtianus, ſiue Maurus etiam non baptizatus, vel hæreticus dùm habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. Trid.ſeſſ.7.can.4.

12 Monachus poteſt eſſe Miniſter Baptiſmi?
Reſp. Non.c.placuit.16.q.1. niſi in Eccleſijs ſibi vnitis vbi per Regulares Sacramenta adminiſtrantur. c. Agapitus. 16.q.1.

13 Monachus poteſt ne lauare infantem de fonte?
Reſp. Non. c.peruenit.16.q.1.ne habeat familiaritatem cùm mulieribus matrinis.

14 Angelus, vel anima ſeparata poteſt eſſe Miniſter Baptiſmi?
Reſp. De lege ordinaria non, quia ſolus homo in carne eſt verus Miniſter. Tolet. in ſum.lib.2.c.20.n.4.

15 Eſt ne expectanda ætas Chriſti, vel vſus rationis ad aliquem baptizandum?
Reſp. Non. Trid.ſyn.ſeſſ.7.can.12.

16 In Adultis requiritur ne expreſſus conſenſus, vel alia diſpoſitio ad recipiendum Baptiſmum?
Reſp. Requiritur actualis, vel virtualis, & fides, & dolor de peccatis, ſed non æqualiter; nam ſi non habeat quis conſenſum non remanet baptizatus: Fides verò, & dolor requiruntur ad recipiendam gratiam: nam ſi quis accederet cum vera intentione, & haberet errorem in aliquo articulo fidei, & voluntatem perſeuerandi in aliquo peccato, reciperet characterem, & Baptiſmum non autem gratiam. Tolet. in ſum.lib. 2. c.21.num.5.

17 Amens, adultus, vel dormiēs poſſūt ne baptizari?
Reſp. Non ſi antea non habuerint intentionem; ſi autem habuerint, poſſunt. Tolet.vbi ſup.num.4.

18 Paruuli, ante vſum rationis ſunt ne baptizandi; & computandi inter fideles, etiam ſi non habeant propriam voluntatem?
Reſp. Affirmatiuè, quia ſufficit illis fides Eccleſiæ. Trid.ſyn.ſeſſ.7.can.13.

19 Quis ſupplet conſenſum paruulorum?
Reſp. Parens, Patrinus, & fides Eccleſiæ. Tol.vbi ſup. in ſum.lib.2.c.21.

20 Cum paruuli veniunt ad vſum rationis ſunt ne interrogandi, an velint eſſe Chriſtiani, & hoc eſt ne relinquendum in ſua propria voluntate?
Reſp. Non ſed cogendi ſunt. Trid.ſyn.ſeſſ.7.can.14.

21 Filius Mauri, inuitis parentibus poteſt ne baptizari?
Reſp. Non debet baptizari; ſed ſi baptizaretur, teneret baptiſmum, ſed ſi parentes non ſunt ſui iuris, ſed ſunt ſub poteſtate Chriſtianorum, debent eorum paruuli baptizari inuitis ipſis parentibus. Tolet.vbi ſup.§.2.lib.2.c.21.

22 Ante Baptiſmum oportet ne aliquam pœnitentiam pro peccatorum ſatisfactione exhibere?
Reſp. Affirmatiuè in adultis. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.6.

23 Qui ſuſcipiunt Baptiſmum debent ne inchoare nouam vitam?
Reſp. Maximè, quia hæc eſt vera diſpoſitio baptiſmi. Trid.ſyno.ſeſſ.6.cap.6.

24 Iuſtus tenetur ne ad præcepta Dei?
Reſp. Tenetur. Trid.ſyn.ſeſſ.6.cap.11.

25 Præcepta Dei ſunt ne impoſſibilia?
Reſp. Negatiuè; imò iugum ſuaue. Trid.ſyno.vbi ſup.

26 Homini ſufficit ne ſola fides?
Reſp. Negatiuè, imò ſine operibus mortua eſt; ideò homo debet cum illa cooperari. Trid.ſyn.vbi ſup.ſeſſ. 6.cap.11.

27 Poſt hanc diſpoſitionem, & præparationem quid conſequitur homo?
Reſp. Iuſtificationem, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed renouatio interior hominis per voluntariam gratiæ ſuſceptionem; & ſic ex inimico fit amicus Dei. Trid.ſyno.ſeſſ.6.c.7.

28 Poteſt homo liberè recipere, & reijcere inſpirationem Spiritus Sancti?
Reſp. Poteſt. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.4.

29 Poteſt homo de ſe ipſo ſine gratia Dei ad iuſtificationem moueri?
Reſp. Non poteſt. Trid.ſyno.ſeſſ.6.c.5.

30 Quādo ergo diſponitur homo ad iuſtificationem?
Reſp. Quando excitatur diuina gratia, & adiutus à Deo concipit fidem ex auditu, & liberè mouetur in Deum. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.5.

31 Quot ſunt cauſæ iuſtificationis?
Reſp. Quatuor, finalis, gloria Dei, & vita æterna; cauſa efficiens eſt miſericordia Dei, quæ gratuitò abluit, & ſantificat hominem; meritoria eſt paſſio Domini noſtri; inſtrumentalis eſt Sacramentum Baptiſmi. Trid.ſyno.ſeſſ.6.c.7.

32 Poteſt quis ſi e paſſione Chriſti iuſtificari?
Reſp. Negatiuè. ſolum igitur cooperando cum illa. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.7.can.10.

33 Quid requiritur ad iuſtificationem?
Reſp. Fides, Spes, & Charitas. Trid.ſyn.vbi ſup.

34 Poteſt iuſtus amplius iuſtificari?
Reſp. Affirmatiuè per bona opera, & obſeruantiam præceptorum Dei. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.10.

35 Poteſt ne quis habere certitudinem remiſſionis ſuorum peccatorum?
Reſp. Omnimodam certitudinem non poteſt; poteſt tamen habere ſpem in paſſione Chriſti, eiuſque meritis. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.9.

36 Poteſt quis certo ſcire ſe eſſe prædeſtinatum?
Reſp. Non poteſt, niſi diuina reuelatio accedat. Trid. ſyn.ſeſſ.6.c.12.

37 Qui à gratia Dei labuntur poſſunt ne eam recuperare?
Reſp. Poſſunt per pœnitentiam. Trid.ſyn.vbi ſup.c.13.

38 Quis eſt auctor bonorum operum?
Reſp. Deus. Trid.vbi ſup.c.15.ſeſſ.6.

39 Poteſt ne homo ex ſuis operibus, abſque diuina gratia per ſolum liberum arbitrium iuſtificari?
Reſp. Negatiuè. Trid.ſynod.vbi ſup.c.16.& can.1.& 2.ſeſſ.6.

40 Quid reddit Deus pro bonis operibus?
Reſp. Vitam æternam. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.16.

41 Quid ergo requiritur, ad iuſtificationem?
Reſp. Gratia præueniens, paſſio Chriſti, & cooperatio hominis. Trid.ſyn.vbi ſup.c.11.ſeſſ.6.

42 Quæ eſt gratia præueniens?
Reſp. Inſpiratio Spiritus Sancti. Trident.ſynod.ſeſſ. 6.cap.3.

43 Gratia iuſtificationis præueniens, datur ne ſolis prædeſtinatis?
Reſp. Non illis ſolis ſed omnibus, qui illa vti voluerint. Trid.vbi ſup.c.17.ſeſſ.6.

44 Liberum arbitrium quomodo operatur in iuſtificatione?
Reſp. Liberè aſſentiendo Deo vocante, & excitante. Trid.

te. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.4.

45 Liberum arbitrium fuit ne extinctum poſt Adæ peccatum ?
Reſp. Negatiuè. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.5.

46 Eſt ne in poteſtate hominis bona, & mala opera facere ?
Reſp. Affirmatiuè. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.6.

47 Requiritur ne ad iuſtificationem neceſſario, vt quis certo ſciat, & credat peccata ſibi eſſe remiſſa a Deo ?
Reſp. Non opus eſſe, ſed poteſt habere fiduciam, & ſpem in Deo. Trid.ſyno.ſeſſ.6.can.3.

48 Eſt ne licita conuerſio per metum gehennæ ignis ?
Reſp. Affirmatiuè. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.8.

49 Omnia opera, quæ fiunt ante iuſtificationem ſunt ne peccata ?
Reſp. Negatiuè. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.7.

50 In Euangelio eſt ne ſola fides præcepta ?
Reſp. Negatiuè, ſed etiam ſunt commendata pręcepta Decalogi. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.19.

51 Ex quocunque peccato mortali amittitur ne fides, & gratia ?
Reſp. Gratia tantum. Trid.ſynod.ſeſſ.6.cap.15.& canon.28.

52 Iuſtus per bona opera quid debet ſpectare ?
Reſp. Vitam æternam. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.26.

53 Iuſtificatus poteſt ne perſeuerare ſine ſpeciali auxilio Dei ?
Reſp. Non poteſt. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.22.

54 Iuſtificatus poteſt amplius peccare, & euitare venialia ?
Reſp. Affirmatiuè, ſed non poteſt in tota vita ſua, euitare omnia venialia, niſi ſit munitus ſpeciali Dei priuilegio, vt de B. Virgine tenet Eccleſia. Trid.ſyno.ſeſſ. 6.can.23.

55 In Baptiſmo quæ peccata remittuntur ?
Reſp. Peccatum originale, & omnia peccata actualia cuiuſcumque generis commiſſa ante baptiſmum, ſed non commiſſa poſt baptiſmum, nec in ipſo baptiſmo. Tolet. in ſum.lib.2.c.22. Trid.ſyno.ſeſſ.5.decr.de peccato orig.

56 Chriſtus Dominus fuit ne ſolus Redemptor ?
Reſp. Affirmatiuè, & etiam legiſlator. Trid.ſyn.ſeſſ. 6.can.21.

57 Quid amiſſit Adam, per peccatum tranſgreſſionis ?
Reſp. Sanctitatem, & iuſtitiam in qua creatus fuerat. Trid.ſyno.ſeſſ.5.decret.de peccat.orig.

58 Amiſſit ne ſibi ſoli ?
Reſp. Non ſolum ſibi, ſed etiam omnibus, ex eo deſcendentibus, in quos peccatum originale tranſmiſit. Trid.ſyn.vbi ſup. decr.de peccato orig.

59 Poſt baptiſmum remanet ne fomes, & concupiſcētia peccati originalis ?
Reſp. Affirmatiuè. Trid.ſynod.vbi ſup.decreto de peccato orig.

60 Quid perdiderunt homines per peccatum primi Parentis ?
Reſp. Innocentiam, & facti ſunt filij iræ, & poſiti ſub poteſtate Diaboli, & mortis. Trident.ſyn.ſeſſ.6. can.1.

61 A quo liberati ſunt ?
Reſp. A Chriſto Domino per merita ſuæ paſſionis. Trid.ſynod.vbi ſup.c.2.ſeſſ.6.

62 Paſſio Chriſti profuit omnibus deſcendentibus ex Ada æqualiter ?
Reſp. Quoad ſufficientiam profuit; ſed quoad effectum ſolum iis, quibus meritum ſuæ paſſionis fuit efficaciter communicatum. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.3.

63 Quid eſt iuſtificatio impij ?
Reſp. Eſt quædam tranſlatio à ſtatu in quo homo naſcitur filius iræ, in ſtatum gratiæ per adoptionem filiorum Dei per Ieſum Chriſtum. Trident. ſynod.ſeſſ. 6.can.3.

64 Quid requiritur ad hunc ſtatum conſequendum ?
Reſp. Baptiſmus. Trid.ſyn.ſeſſ.6.can.4.

65 Hæc iuſtificatio à quo ſumpſit exordium ?
Reſp. A Deo per Chriſtum, gratia præueniente; hoc eſt à vocatione Dei, qui nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, & tales homines liberè aſſentiendo, & cooperando diſponuntur. Trid.ſyn.ſeſſ.6.c.5.

66 Vota facta, & peccata commiſſa poſt baptiſmum remittuntur ne ſola fide, & recordatione baptiſmi ?
Reſp. Non, ſed ſacramentis, & medijs ab Eccleſia ordinatis. Trid.ſyno.ſeſſ.7.can.9.10.

67 Baptizatus ſemel poterit ne ſi velit amittere gratiam ?
Reſp. Poterit, peccando mortaliter. Trid.ſyn.ſeſſ.7. canon.6.

68 Qui ſemel baptizatus negauit fidem, & poſtea conuerſus fuit, eſt ne iterum baptizandus.
Reſp. Non. Trid.ſyn.ſeſſ.7.can.11.

69 Filij Iudæorum, & infidelium poſt ſuſceptum baptiſmum; amittunt ne ſucceſſionem bonorum ſuorum parentum ?
Reſp. Non, quia baptiſmus tollit peccata non iura, & ſic ſi aliquis infidelis habeat filios baptizatos, & infideles, omnes acquirunt hæreditatem ſui Patris pro rata. c. gaudemus de diuortijs. Bulla Pauli III. incipiens. (capientes Iudæos.)

70 Si quis mitteret puerum in puteum, vt ſuffocaret illum, & diceret verba cum intentione baptizandi, teneret ne talis baptiſmus ?
Reſp. Non, quia eſſet ſuffocatio, & non ablutio. Tol. lib.2.c.18.num.9.

71 Monſtrum eſt ne baptizandum ?
Reſp. Si habeat animam rationalem affirmatiuè; ſecus autem ſi non habeat; ſi verò dubitetur occurrendum eſt ad peritos Medicos, & eorum ſententia eſt ſequenda: & ſi ipſi dubitent, ſub conditione baptizandum eſt. Nauar.c.3.de Baptiſmo.

CAPVT IV.

De Presbytero non baptizato miniſtrante.

1 Si quis non ſit baptizatus, & ordinetur, recipit ne characterem etiam ſi ipſe credat, ſe eſſe baptizatum ?
Reſp. Non; quia ad omnia Eccleſiæ Sacramenta Baptiſmus eſt ianua, & quod de iure non exiſtit, pro non facto habetur. cap.1. de Presbyt. non baptiz. & c. fin. eod. tit.

3 Si quis credat, ſe eſſe baptizatum, & realiter non eſt baptizatus, & ſic diſcedat ex hac vita, ſaluabitur ne ?

Reſp. Si diſcedat in ſtatu gratiæ, ſaluabitur; quia communis error facit ius in ijs, quæ ſunt iuriſdictionis, licet non faciat in ijs, quæ ſunt ordinis, cum character realiter non imprimatur, niſi in homine baptizato. c. ad Apoſtolicam eod. tit.

3 Epiſcopus, qui reputatur vt talis, & realiter non eſt Epiſcopus, poterit ne conferre ordines?
Reſp. Non, & ſi de facto contulerit, tales non remanent ordinati, quia communis error, non facit ius in ijs, quæ ſunt ordinis. Abb. in c. ad Apoſtolicam. eod. tit. num. 2.

CAPVT V.

De apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum.

1 QVid eſt Apoſtaſia?
Reſp. Temerarius receſſus à fide Dei, vel religione, in qua prius profeſſus eſt. Hoſtienſ. in ſum. c. Apoſtaſiæ. c. tuæ fraternitati. de Apoſtat.

2 Vnde dicitur Apoſtaſia?
Reſp. A verbo græco (apos) quod eſt retro ſtatus, id eſt retroſtans, quia non eſt aptus regno Dei.

3 Qui dicitur Apoſtata propriè?
Reſp. Ille, qui deſerit fidem, habitum, vel religionem, qua profeſſus eſt vel ille, qui recedit à via iuſta poſt Baptiſmum. Azor. in ſum.

4 Apoſtata qua pœna punitur?
Reſp. Si ſit Apoſtata à fide punitur, vt hæreticus; Abb. c. 1. de Apoſtat. num. 3.

5 Infamatus de Apoſtaſia poteſt cogi ad ſe purgandum?
Reſp. Affirmatiuè ſicut in alijs criminibus, c. tuæ fraternitati. de Apoſt. & ibi Abb. nu. 1.

6 Clericus in minoribus, quando dicitur apoſtatare ſi relinquat habitum?
Reſp. Si habeat beneficium, & ordines minores; ſecus autem ſi habeat tantum ordines minores, & non beneficium. Abb. in c. tuæ fraternitati. de Apoſt.

7 Baptiſmus poteſt ne iterari?
Reſp. Non, quia hoc Sacramentum imprimit characterem. c. 2. de Apoſt.

8 Baptiſmus reiteratus imprimit ne nouum characterem?
Reſp. Non, Abb. c. 2. num. 2. eod. tit.

9 Reiterantes baptiſmum qua pœna puniuntur?
Reſp. Si ſcienter fecerint de iure puniuntur pœna capitali, & morte naturali, l. 2. C. ne Sanct. Baptiſm. iteretur. Et Miniſter, ſi non eſt ordinatus non promouetur: ſi verò eſt in ordinibus ſuſpenditur. Abb. c. 2. num. 2. eod. tit. de Apoſtat.

10 Si quis baptizetur alicuius Sectæ veluti Turca, vel Maurus ad quid compellitur?
Reſp. Si propria voluntate ſuſcepit baptiſmum, compellitur ad ſeruandam fidem, punitur, vt Chriſtianus, quia nemo debet duabus vijs ambulare. c. quidam. eod. tit. de Apoſtat.

CAPVT VI.

De Confirmatione.

1 QVid eſt confirmatio?
Reſp. Roborare milites Chriſti in fide.

2 Quæ inueniuntur in hoc ſacramento?
Reſp. Quinque, materia, forma, miniſter cum intentione, ſuſcipiens, & effectus. Tol. in ſum. lib. 2. c. 24.

3 Poteſt quis ſine confirmatione ſaluari?
Reſp. Poteſt, ſed non debent eam negligenter omittere. Tol. in ſum. lib. 2. c. 19.

4 Confirmatio eſt ne otioſa cerimonia?
Reſp. Non, imo vera, & ſecundum Eccleſiæ Sacramentum. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de confir.

5 Quæ eſt materia in confirmatione?
Reſp. Eſt Chriſma ab Epiſcopo conſecratum factum, ex oleo oliuarum, & balſamo. Tol. in ſum. lib. 2. c. 24.

6 Oleum, & balſamum ſunt ne de neceſſitate ſacramenti?
Reſp. Oleum ex oliuis eſt de neceſſitate ſacramenti; balſamum verò de neceſſitate præcepti, & non ſacramenti; & peccaret Epiſcopus, ſi illud non adderet. Couar. var. reſolut. lib. 1. cap. 10. & Tol. vbi ſupr. tenet oppoſitum nempè quod balſamum eſt de neceſſitate Sacramenti, & declarat. c. paſtoralis, de Sacrament. non iterandis.

7 Oleum non benedictum, oleo benedicto additum, efficitur ne totum benedictum?
Reſp. Si ſit maior quantitas olei benedicti, quam olei non benedicti, totum efficitur benedictum; quia maior quantitas in ſe minorem conuertit; ſecus verò ſi oleum benedictum ſit minor quantitas, tunc enim totum efficitur non benedictum, ſicut ſi maior quantitas aquæ mitteretur in Calice, quam vini, non conſacraretur, quia aqua non eſt materia conſecrationis. Syluelt. verb. aqua. num. 3.

8 Quæ eſt forma huius Sacramenti?
Reſp. Signo te ſigno Crucis, confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cerem. Roman. de confirmat.

9 Quis eſt Miniſter huius Sacramenti?
Reſp. Solus epiſcopus. Trid. ſyn. ſeſſ. 7. de confir. can. 3.

10 Poterit ne ſimplex Sacerdos eſſe Miniſter confirmationis?
Reſp. Poterit de priuilegio Apoſtolico. Tol. vbi ſupr. lib. 2. c. 24.

11 Quid debet Epiſcopus ante confirmationem facere?
Reſp. Per ſe, vel per Parochum, vel Prædicatorem facere concionem ad populum de excellentia huius Sacramenti, & aduertere cognationem ſpiritualem, quæ in eo contrahitur ne errore, vel ignorantia Pater teneat filium, & admonere Patrinos teneri docere doctrinam Chriſtianam ſuos filios.

12 Quis eſt effectus huius Sacramenti, & quam virtutem habet?
Reſp. Signare militem Chriſti, roborare, & confirmare, & imprimere characterem. Trid. ſyn. ſeſſ. 7. can. 2. de confirm.

13 In

13 In qua ætate poteſt ſuſcipi hoc Sacramentum?
℞. Ex conſuetudine in ſeptimo anno, vel ſupra; & ſi antea ſuſcipiatur tenet. Tol.vbi ſup.

14 Quam diſpoſitionem debet habere, qui confirmatur.
℞. De Neceſſitate debent eſſe baptizatus, aliàs Sacramentum non teneret: de decentia debet eſſe confeſſus, & ieiunus, vel ſaltem contritus, non ex communicatus, neq; interdictus. Tol.vbi ſup.

15 Confirmatio debet ne præcedere ordinem Sacerdotalem?
℞. Affirmatiuè, ſed ſi ordinetur ante confirmationem, tenet ordo. Tol. vbi ſup.

16 Si Patrinus non ſit confirmatus contrahit ne cognationem ſpiritualem cum confirmato?
℞. Affirmatiuè; quia eſt diuerſa ratio quam in baptiſmo, quia non baptizatus, non eſt capax effectus alicuius Sacramenti. Nau.conſ.2.& 3. de cogn.ſpir.

17 Cognatio ſpiritualis contrahitur ne ab omnibus, ſi plures duobus tetigerint eum, qui confirmatur?
℞. Non, niſi ab vno, vel duobus mare, & fœmina, qui principaliter confirmatum tenent; quia Triden. ſyn. ſeſſ.24.c.2. dicit, quod ſi alij vltra deſtinatos baptizatum tetigerint, nullo pacto contrahant; & idem eſt in confirmatione, non obſtantibus conſtitutionibus in contrarium facientibus: vbi irritatur.c.quamuis. de cogn.ſpir.in 6.

18 Si Pater teneat in confirmatione filium, contrahit ne cognationem ſpiritualem cum eo, & cum ſua vxore, ita vt non poſſit ab ea petere debitum?
℞. Affirmatiuè, & non poteſt petere debitum, niſi cum diſpenſatione Epiſcopi. Nauar.conſ.5.de cogn. ſpirit.

19 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt duo, vel duæ ſint Patrini in ſantis?
℞. Non, neq; facere, vt vir ſuppleat officium mulieris, vel è contra; quia tantum poſſunt eſſe vnus vir, vel vna mulier, vel ad ſummum Vir, & mulier ſicut in baptiſmo. Trid. ſyn.ſeſſ.24.cap.2.

20 Procurator in confirmatione contrahit ne cognationem ſpiritualem cum confirmato?
℞. Non, ſed qui mandatum dat; quia Procurator agit nomine alieno. Trid.ſynod.vbi ſup.

21 Monachus poteſt eſſe patrinus in confirmatione?
℞. Non, ſicut neque in baptiſmo, c.peruenit 22.q.1.

22 Qui tenet in brachijs infantem ſi non ſit Patrinus contrahit ne cognationem ſpiritualem?
℞. Non quia perinde eſt, ac ſi nõ teneret, nam talis, facit nudum miniſterium. Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.2.

CAPVT VII.

De Pœnitentia.

1 QVid eſt pœnitentia, & confeſſio.
Reſp. Pœnitentia eſt ſecunda tabula, poſt naufragium, vel eſt dolor de peccati cũ propoſito amplius non peccandi, confeſſio eſt actus hominis exterior manifeſtatiuus propriorum peccatorum cum ſui accuſatione ſecreto in foro ſpirituali. Tolet. in ſum.lib.3.c.4.Trid.ſyn.ſeſſ.14.can.2.

2 A quo fuit inſtitutum hoc Sacramentum?
Reſp. A Chriſto Domino, poſt eius reſurrectionem, quando dixit (accipitè Spiritum Sanctum, quorum remiſſeritis peccata remittuntur eis) Trid. ſyn. ſeſſ. 14.c.1.& can.3.

3 Ante Aduentum Chriſti pęnitentia fuit nẽ Sacrũ.
Reſp. Non, ſed poſt reſurrectionem Chriſti, quandó dixit accipitè Spiritũ Sanctum, &c. Trid.ſyn.vbi ſup.c.1.

4 Pœnitentia in quo differt a Baptiſmo?
Reſp. Primò, quia in pœnitentia Sacerdos habet ſe velut Iudex; in baptiſmo velut Miniſter. Secundo fructus baptiſmi eſt remittere omnia peccata, fructus verò pœnitentię eſt remmittere peccata poſt baptiſmum commiſſa. Tertio baptiſmus non reiteratur; pęnitentia verò toties quoties. Quarto baptiſmus eſt neceſſarius non regeneratis: pęnitentia verò poſt baptiſmum lapſis. Trid.ſyn.ſeſſ.14.c.2.

5 Quæ inueniuntur in hoc Sacramento?
Reſp. Quinque materia, forma, miniſter, ſuſcipiens, & effectus. Tolet. in ſum. lib.3.c.1.

6 Quæ eſt materia huius Sacramenti?
Reſp. Materia eſt duplex; remota, & propinqua: remota ſunt peccata; propinqua ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio. Tol.vbi ſup. Tri.ſy.ſeſſ.14.can.4.

7 Quid eſt peccatum?
Reſp. Eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, vel eſt receſſus voluntarius à lege diuina. Tolet.vbi ſup.

8 Quotuplex eſt peccatum?
Reſp. Duplex: mortale, & veniale. Tolet.vbi ſupr. c.2.Trid.ſyn.ſeſſ.14.cap.5.

9 Eſt ne ſufficiẽs materia cõfitẽdi peccatũ veniale?
Reſp. Affirmatiuè, & poteſt taceri, alijſque remedijs expiari. Trid.vbi ſup.ſeſſ.14.c.5.

10 Eſt ne neceſſarius ſingulorũ peccatorũ numerus?
Reſp. Nõ, ſi non recordetur facta diligẽtia, ſed ſufficit dicere tempus, conſuetudinem, vel ſtatum vitæ; videlicet quod ſit meretrix. Tri.ſy.vbi ſup.ſeſſ.14.c.5

11 Eſt ne impoſſibilis confeſſio omnium peccatorũ?
Reſp. Quam Eccleſia ſeruat, non. Tri.ſy.ſeſſ.14.c.8

12 Quid eſt peccatum mortale?
Reſp. Eſt receſſus voluntarius à regula diuina. Tolet. in ſum.lib.3.c.1.§.2.

13 Quid incurritur per peccatum mortale, & quæ eſt eius pœna?
Reſp. Per peccatum mortale priuatur homo gratia diuina, & habet reatum ad pęnam æternam. Trid. ſyn.ſeſſ.14.can.1.Tol.in ſum.lib.3.c.1.& 2.

14 Quotuplex eſt pęna peccati?
Reſp. Duplex: damni, vt non videre Deum, & ſenſus gehennæ ignis. Tolet in ſum. lib. 3.c.3.

15 Ex qua cauſa prouenit peccatum?
Reſp. Ex commiſſione, omiſſione, & cogitatione. Tol.vbi ſup.c.2. lib.3.

16 Quid eſt peccatum ex commiſſione?
Reſp. Quando quis agit aliquid contra præcepta Dei negatiua. Tolet. vbi ſup.

17 Quid eſt peccatum ommiſſionis?
Reſp. Quando quis non operatur, quod præcipit Deus; & cum Deum non amamus, vel non reſpondemus eius inſpirationi. Tol.vt ſup.lib.3.c.2.

18 Quod eſt peccatum ex cogitatione?
Reſp. Quando quis deliberate cogitat rem turpem vel

vel inhoneſtam. Tol. vbi ſup. lib. 3. c. 2.

19 Quę eſt forma huius Sacramenti?
Reſp. Ego te abſoluo ab omnibus peccatis tuis; precationes vero non ſunt neceſſariæ, ſed ad bene eſſe, Tol. vbi ſup. & Trident. ſynod. ſeſſ. 14. c. 3.

20 Abſolutio poteſt ne fieri ſub conditione?
Reſp. Abſolutio debet eſſe ſine conditione; ſed ſi quis abſolueret cum conditione de præſenti, & de præterito teneret abſolutio; de futuro vero non. Tol. in ſumm. lib. 3. c. 13.

21 Quis eſt miniſter huius Sacramenti?
Reſp. Sacerdos, qui habet poteſtatem clauium, & habet ſe velut Iudex. Trident. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. & 6. cano. 10. & ſeſſ. 23. 15

22 Quotuplex eſt iuriſdictio ad abſoluendum?
Reſp. Triplex; ordinaria, quam habet Epiſcopus. Secunda delegata, quam habent aliqui Sacerdotes. Tertia a iure conceſſa, quam habẽt omnes Sacerdotes tempore neceſſitatis, & in articulo mortis. Trid. ſynod. ſeſſ. 14. c. 6.

23 Quid requiritur in Miniſtro?
Reſp. Quod ſit ordinatus, poteſtas, quæ datur in conſecratione Sacerdoti, proprietas ouium, ſcientia, & facultas. Trident. ſyn. ſeſſ. 14. c. 7. & Tolet. in ſum. lib. 3. cap. 13.

24 Papa, & Epiſcopi poſſunt ſibi reſeruare aliquos caſus?
Reſp. Poſſunt; ſed in articulo mortis nulla eſt reſeruatio; imo quilibet Sacerdos, etiam reprobatus, eſt verus Miniſter tempore neceſſitatis. Triden. ſyn. ſeſſ. 14. cap. 6

25 Papa poteſt dare facultatem laico abſoluendi à peccatis?
Reſp. Non, quia eſt poteſtas data ſolum Sacerdotibus. Abb. in c. fures. de furtis nu. 4.

26 Poteſt quis confiteri peccata laico tempore neceſſitatis?
℟. Laicus non poteſt abſoluere, & ita talis confeſſio non debet fieri, niſi ex ea conſequatur maior peccatorum dolor, & talis confeſſio eſt quaſi actus mortificationis, & ſignum contritionis. Sylueſt. verb. confeſſio, & Abb. vbi ſup. cap. paſtoralis, de offic. ordin. verb. propter quam.

27 Sacerdos in peccato mortali, poteſt ne abſoluere?
Reſp. Poteſt, licet quoad ſe ſit extra Eccleſiã, quoad alios non, & ſic tenet eius abſolutio, & male facit adminiſtrando Sacramentum confeſſionis in peccato mortali. Abb. c. 1. de ſchiſmaticis. Trid. ſynod. ſeſſ. 14. can. 9.

28 Si aliquis clericus abiuret de vehementi, eſt ne iterum admittendus ad audiendas confeſſiones?
Reſp. Non, licet faciat pœnitentiam, ſecus vero ſi abiuret de leui. Nauarrus conſilio 16. de hæreticis.

29 Poteſt confeſſor ligare ſicut abſoluere?
Reſp. Poteſt. Trid. ſyn. vbi ſup. can. 3. & 5. ſeſſ. 14.

30 Parochus poteſt abſoluere mulierem, cum qua peccauit carnaliter, vel fuit ſocia alicuius furti?
Reſp. Poteſt; ſed melius, eſt vt ad alium confeſſorẽ eam remmittat. Sylueſt. verb. confeſſ. 1. q. 14.

31 Quando tenetur qui confiteri peccata?
Reſp. In anno ſemel, in periculo mortis, & tempeſtatis, & ante celebrationem miſſæ. Tolet. in ſum. lib. 3. c. 20. & Trident. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5.

32 Confeſſio publica eſt ne prohibita ab Eccleſia?
Reſp. Non, ſed ſecreta, ſacramentalis eſt approbata Trident. ſynod. ſeſſ. 14. cap. 5.

33 Qui labuntur à gratia baptiſmali poſſunt ne eam recuperare?
Reſp. Poſſunt per pœnitentiã, quæ vocatur ſecũda tabula poſt naufragium, & hæc ſaltem in voto eſt neceſſaria. Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 14.

34 Quis eſt effectus Sacramenti penitentiæ?
Reſp. Reconciliare hominem cum Deo, pax ſerenitas conſcientiæ, & conſolatio ſpiritus. Trident. ſynod. ſeſſ. 14. cap. 3.

35 Remittitur ne tota pœna cum culpa?
Reſp. Aliquando ſic, aliquando, non, & ſic ſatisfactio, & pęnitentia à confeſſore impoſita, quæ ſecundum grauitatem criminis debet eſſe; eſt valde vtilis, & neceſſaria. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 9.

36 Poſſumus ne ſatisfacere cum noſtris bonis operibus per Ieſum Chriſtum?
Reſp. Poſſumus mediante paſſione Chriſti. Trident. ſynod. vbi ſup.

37 Per peccatum mortale ammittitur ne gratia, & fides?
Reſp. Gratia tantum; fides vero non, niſi per peccatum ei oppoſitum. Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 15.

38 Quæ ſunt partes confeſſionis, & pęnitentiæ?
Reſp. Oris confeſſio, cordis contritio, & operi ſatiſfactio. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. can. 4.

39 Quid eſt confeſſio?
Reſp. Actus hominis exterior propriorũ peccatorũ cum ſui accuſatione in foro ſpirituali, & ſecreto. Tol. in ſum. lib. 3. c. 1.

40 Quid eſt contritio?
Reſp. Eſt deteſtatio voluntaria ſuper omnibus pręteritis peccatis propter Deum ſumme dilectum, cũ propoſito vitandi futura, & commiſſa confitendi. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. cap. 4.

41 Qualis debet eſse dolor contritionis?
Reſp. Super omni deteſtabili, licet non ſit tã intenſus, & affectuoſus ſicut dolor pro morte Parentum. Tolet. in ſum. lib. 3. c. 3.

42 Quid eſt attritio?
Reſp. Eſt dolor de peccatis propter metum gehennæ ignis, vel turpitudinis peccati, quæ ſimul cũ confeſſione conſequitur veniam peccatorum, & gratiã. Trid. ſyn. 14. c. 4.

43 In quo differunt attritio, & contritio?
Reſp. In eo, quod contritio eſt dolor propter Deum ſumme dilectum, & ipſa ſola cum propoſitio confitendi ſufficit ad veniam peccatorum, & ad conſeruandam gratiam; attritio vero eſt dolor propter ignem, vel turpitudinem peccati. Triden. ſyn. ſeſs. 14. cap. 4.

44 Eſt ne neceſsaria contritio, & confeſſio ſingulorum peccatorum?
Reſp. Non, ſed ſufficit deteſtatio generalis, & facta ſufficienti diligentia confiteri, quæ in memoriam veniunt cum circunſtantijs, quæ mutant ſpeciem. Trident. ſyn. ſeſs. 14. c. 5.

45 Quid eſt ſatisfactio?
Reſp. Recompenſatio offenſæ præteritæ quoad pęnam. Trid. ſyn. ſeſs. 14. 3.

46 Peccatum punitum in hoc ſæculo punitur ne amplius in alia vita?
Reſp. Si peccatum fuit condignè punitum in hac vita & pęnitentia patienter ſuſcepta, non punitur amplius in alia vita, ratio eſt, quia ad diuinam iuſtitiam perti-

pertinet, vt de eodem peccato ne quis bis puniatur, ſicut qui integrè ſoluit debitum, iterum ſoluere non tenetur. tenet Abb. in cap. ſuper eo de raptoribus, num. 5.

47 Eſt ne de neceſſitate Sacramenti, ita quod ſine ſatisfactione non ſit Sacramentum?
℞. Non, quia poteſt quis in purgatorio ſatisfacere pro peccatis. Tol. in ſum. lib. 3. c. 4.

48 Quæ ſunt partes confeſſionis?
℞. Quatuor; integra, fidelis, diligens, & obediens. Tol. in ſum. lib. 5. c. 7.

49 Sufficit ne ſola fides in confeſſione?
℞. Non. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. can. 9.

50 Satisfactio, quæ pro peccatis debetur, per quæ opera datur?
Reſp. Per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia opera pia. Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 14.

51 Hæc ſatisfactio, eſt ne pro pęna æterna?
℞. Non, ſed pro temporalis; quia per Sacramentum Baptiſmi, & pœnitentiæ, pœna æterna remittitur. Trid. ſyn. vbi ſup.

52 Quando confeſſio non integra, erit Valida?
℞. In quinque caſibus. Primo, quando poſt ſufficientem diligentiam obliuiſcimur peccata. Secundo, in articulo mortis vbi ſigna ſufficiunt. Tertio, in muto, qui per ſigna poteſt confiteri. Quarto, quando quis habet peccatū reſeruatū pōt omittere illud, & cætera confiteri. Quinto, quando venit damnum notabile confeſſori, pœnitenti, vel tertiæ perſonæ. Tol. in ſum. lib. 3. c. 8.

53 Signa in moriente coram teſtibus, licet non ſit præſens confeſſor, ſufficiunt ne ad abſolutionem?
Reſp. Affirmatiue, quando infirmus perdidit ſenſū, c. qui infirm. 26. q. 6.

54 In quibus caſibus debet repeti confeſſio?
Reſp. In Octo. Primo, ſi excomunicatus confiteatur ante abſolutionem. Secundo quando defuit dolor. Tertio, quando non habuit propoſitum vitandi peccata. Quarto quando ſcienter occultauit peccatum mortale. Quinto, quando confeſſor non habuit iuriſdictionem. Sexto, quando eſt publicè excommunicatus. Septimo, quando eſt ita ignarus, vt non diſtinguat inter veniale, & mortale. Octauo, cum non facit, vel neſcit formam abſolutionis. Tolet. in ſum. lib. 3. c. 10.

55 In quo caſu cōfeſſor poterit reuelare confeſſionē?
Reſp. Solum quando ex vrgenti cauſa, pœnitens dat ei licentiam in ſcriptis, & coram teſtibus, cap. omnes. de pœnit. & Abb. in cap. ſignificaſti de adulter. num. 5.

56 Si quis inueniret hominem morientem ſine ſenſu poterit eū abſoluere conditionaliter, & dicere ſi habuiſti ſigna cōtritionis, & ſufficiētem diſpenſionem ego te abſoluo ſicut fit in ſacramento baptiſmi?
Reſp. Magna eſt DD. controuerſia, & partem affirmatiuam eſſe magis piam opinionem puto; ſed negatiuam tenent fere omnes DD. Suarez, & Medina, cap. de confeſſion. Sot. & alij grauiſſimi Auctores.

CAPVT VIII.

De Caſibus Reſeruatis.

1 Quare dicitur caſus reſeruatus?
Reſp. Quia quis cadit a gratia Dei; & dicitur reſeruatus, quia abſolutio non eſt communis cuilibet confeſſori, ſed reſeruata certæ perſonæ.

2 Quis poteſt reſeruare caſus?
Reſp. Summus Pontifex, Epiſcopus, Prelati religionum, videlicet Prouinciales, Cōſilium Generale, & Prouinciale. Abb. in c. fin. de offic. delegat.

3 Quibus modis reſeruantur caſus?
Reſp. Per conſtitutionem, vel Synodum, & tunc ſēper durat reſeruatio, aut per epiſtolam, vel litteras, & talis riſeruatio ſpirat morte mandantis. Abb. vbi ſupra. l. leges. C. de legib.

4 Quod ſunt caſus Epiſcopo reſeruati?
Reſp. De iure quinque. Primus percuſſio Clerici leuis, quia percuſſio grauis reſeruata eſt Papæ. Secundo peccatū per quod incurritur irregularitas occulta. Tertio qui incendūt agros. Quartus peccatum blaſphemię publicum, & notorium. Quintus omne peccatum notorium, & ſcandaloſum per quod imponi debet pœnitentia. Marcell. in ſuo exami. confeſſorum de caſib. reſeruat.

5 De conſuetudine quot ſunt caſus Epiſcopo reſeruati?
Reſp. Quinque. Primo, homicidium voluntarium, vel realis membri aſciſſio. Secundo, peccatum falſarij. Tertio, violatio immunitatis Eccl. Quarto, omne ſacrilegium. Quinto peccata retinēdi certa aliena. Marcell. vbi ſup.

6 Quæ peccata debet Epiſcopus reſeruare?
Reſp. Pauca, & quæ contineat grauiſſimum peccatum mortale cum magna conſideratione, aduertendo quod talis reſeruatio vtilis ſit ſubditis adhoc, vt non paſſim talia peccata committant. Quarant. in ſum. bull. verb. caſus reſeruatus. pag. 144.

7 Quis poteſt caſus reſeruatos abſoluere?
Reſp. Qui eos reſeruauit, Succeſſor, & Superior, & quilibet Sacerdos tempore neceſſitatis. c. penul. de pœnit. lib. 6.

8 Epiſcopus poteſt ne abſoluere ſubditos ſuos à quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis?
Reſp. Poteſt in foro conſcientiæ, ſolum gratis abſoluere per ſe ipſum, vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, impoſita pœnitentia ſalutari. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6.

9 Si quis in articulo mortis abſoluatur à caſibus reſeruatis per ſimplicem Sacerdotem, & poſtea viuat, tenebitur ne adire Superiorē pro alia abſolutione?
Reſp. Non, quia peccatum quod ſemel legitimè cōfeſſum eſt iterum quis confiteri non tenetur. Nauar. in man. cap. 26. num. 76.

10 Si qui tenetur neceſſario celebrare, & non poſſit adire Superiorem, poterit ne abſolui de aliquo caſu reſeruato à ſimplici Sacerdote?

℞. Non.

℟. Non, ſed talis debet habere contritionem ſicut ille, qui copiam confeſſoris non habet, & poterit celebrare, & poſtea cum potuerit debet adire Superiorem. Nauar. vbi ſup.

11 Confeſſores ordinarij approbati vigore Iubilei, poſſunt abſq; alia licẽtia abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo.

℟. Poſſunt; quia hæc facultas datur illis in Iubileo.

12 Confeſſores Ordinarij virtute priuilegiorum regularium, vel confraternitatum, poſſunt abſoluere a caſibus Epiſcopo reſeruatis?

℟. Non, quia talia priuilegia ſunt derogata; quoad talem facultatem.

13 Licentia abſoluendi à reſeruatis debet ne dari in ſcriptis?

℟. Debet, ſed ſufficit, vt detur oretenus ex decret. congreg. Epiſc. & regul. dat. Romæ die 9. Ianuar j anno 1601.

14 Qui habent priuilegium abſoluendi à caſibus reſeruatis in quibus caſibus illo vti non poſſunt?

℟. Primo, ſi caſus ſit reſeruatus in bulla Cęnæ Domini. Secundo, quando immunitas Eccleſię eſt violata. Tertio, quando clauſura monialium eſt violata ad malum finem. Quarto, quando pugnatum eſt in duelo. Quinto, quando inijciuntur manus violẽtæ in Clericos. Sexto, quando ſimonia realis ſcienter contracta eſt. Septimo, quando ſimonia confidentialis beneficiorum contracta eſt, c. eos de ſent. excom. lib. 6.

15 Si quis ante reſeruationem cõmittit aliquod peccatum reſeruatum tenebitur ne poſt reſeruationem confiteri reſeruati.

℟. Non, ſed poteſt ordinarius confeſſarius illum abſoluere, quia conſtitutio intelligitur pro faciendis non pro factis, & facultas Parochi non eſt ſublata in præteritis peccatis, Couarru. lib. 2. var. reſol. c. 6.

17 Si quis tranſiens per vnam ciuitatẽ committit homicidium, & in illa Diœceſi talis caſus non eſt reſeruatus, poterit ne abſolui a quolibet confeſſario?

℟. Poterit quia talis reſeruatio ſuæ Diœceſis non extenditur ad delicta commiſſa in aliena Diœceſi. Couarr. lib. 2. var. reſol. c. 8.

18 Qui committit caſum reſeruatum in aliena Diœceſi, ſi in ſua propria Diœceſi talis caſus non ſit reſeruatus, & confiteatur peccata ſua in ſua propria Diœceſi, poterit ne abſolui a ſimplici Sacerdote?

℟. Non, quia forum interius obligat hominem in quacunq; Diœceſi in qua aſſiſtit, & committit delictum. Abb. in c. omnis de penit. & remiſſ.

19 Archiepiſcopus poteſt abſoluere ſuffraganeos ſuos à quibuſcunq; delictis occultis, & irregularitatibus contentis in c. 6. ſeſſ. 24.

℟. Poterit abſoluere Epiſcopos ſuffraganeos, ſed nõ ſubditos eorum, cum ſibi non ſit ſubditi. Abb. in c. paſtoralis de offic. & poteſta. Archiepiſc.

20 Quam pœnam incurrit Confeſſor, qui abſoluit aliquem a peccatis reſeruatis ſine licentia Epiſcopi?

℟. Abſolutio eſt nulla, & confeſſor ipſo facto eſt excommunicatus, & priuatus officij, & beneficijs. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 7.

21 Qualis Confeſſor liberatur ab ijs pœnis, etiam ſi abſoluat a caſibus reſeruatis?

℟. Primo, qui ignorat eſſe caſum reſeruatum. Secundo, quia abſoluit per obliuionem, aut inconſiderationem. Tertio, confeſſarius in vrbe Romæ. Quarto, confeſſarius extra Italiam, quia tales pœnæ poſitæ ſunt in dicto decreto ſolum, Confeſſarij intra Italiam, quæ merito extendi non debent ad alia regna. Quarant. in ſum. bull. verb. caſus reſeruatis pag. 144.

CAPVT IX.

De Euchariſtia.

1 QVid eſt Euchariſtia?

℟. Sunt ſpecies ſenſibiles panis, & vini, corpus, & ſanguinem Chriſti ſignificantes, & realiter continentes, Tolet. in ſum. lib. 6. cap. 12.

2 Quis inſtituit hoc Sacramentum?

℟. Chriſtus Dominus in cæna vltima quando dixit (hoc eſt corpus meum &c.) Trident. ſynod. ſeſſ. 13. capit. 1.

3 Ad quid inſtituit Chriſtus hoc Sacramentum?

℟. In ſui memoriam, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & præſeruemur à mortalibus, tanquam cibum animarum, & pignus futuræ gloriæ. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. c. 2.

4 Quo cultu adoratur hoc Sacramentum?

℟. Latriæ, quæ vero Deo debetur. Trid. ſynod. vbi ſup. c. 5.

5 Eſt nè dignius alijs Sacramentis?

℟. Affirmatiuè, quia eſt in eo ſanctitatis auctor. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. cap. 3.

6 Quæ conſiderantur in hoc Sacramento?

℟. Quinque: materia, forma, miniſter cum intentione, ſuſcipiens, & effectus. Trid. ſyn. vbi ſup. & Tol. in ſum. lib. 2. a c. 25. vſq; ad finem.

7 Quæ eſt materia huius Sacramenti?

℟. Eſt panis triticeus, & vinum ex vite, cui ante cõſecrationem admiſceri debet aqua pauciſſima.

8 Sicut ſunt duę materię panis, & vini, ſunt ne duo Sacramenta an vnum?

℟. Eſt vnum, idemq; Sacramentum, tùm propter vnitatem totius corporis, & ſanguinis Chriſti vna cum anima, & diuinitate, quę continentur ſub ſpecie panis, & vini: tùm quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum vnius conuiuij, in quo debet eſſe cibus, & potus, & vtrumq; eſt in illo; caro, quę verè eſt cibus, & ſanguis, qui verè eſt potus; tùm quia ſignificat vnitatem effectus, vna enim gratia communicatur, in communione vtriuſque ſpeciei, tum quia habent vnitatem finis, vnionem nempè Eccleſiæ; qui autem ſumit hoſtiam ſolam, ſumit totum Chriſtum, & ſi quis ſumit ſanguinem ſimiliter ſumit totum Chriſtum. Tol. in ſum. lib. 2. c. 25.

9 Materia debet ne eſſe præſens?

℟. Debet, quia pronomen, hoc, &, hic, petunt præſentiam, & aliter non eſt verum dicere hoc eſt corpus meum, Tolet. vbi ſup.

10 Si quis habuit intentionem conſecrandi decem formulas, & poſtea inuenit duodecim, quæ earum erunt conſecratæ?

℟. Nulla, ſed ſi quis habet intetionem conſecrandi omnes

di omnes formulas ſibi præſentes, etiam ſi neſciat numerum, omnes conſecrata; quia intentio eſt ad omnes, determinat. Tolet. vbi ſup.

11 quæ eſt forma conſecrationis panis, quæ vè conſecrationis vini?

℞ Forma cônſecrationis panis eſt; hoc eſt enim corpus meum; forma vero conſecrationis vini eſt; hic eſt enim Calix &c.

12 Omnia verba vtriuſq; formę tũ cõſecrationis hoſtię, tùm calicis, ſunt ne de neceſſitate Sacramenti?

℞ Omnia verba conſecrationis panis ſunt de neceſſitate Sacramenti excepto (enim) quę particula eſt de neceſſitatè præcepti; de conſecratione autem calicis dico eſſe controuerſiam inter DD. D.Th.3.p.q.78.art.3. excepto voluit.n. omnia verba eſſe de neceſſitate Sacramenti. Alij verò antiq. ores negãt eſſe de eſſentia, & neceſſitate Sacri illa verba, noui & ęterni &c. ſed tutior eſt prima opinio Conſule Suarez in art.3. S.Tho.Tol. in ſum.lib.2.c.26.

13 Quare in forma ſanguinis, dicitur pro multis, & non pro omnibus?

℞ Quia, quoad ſufficientiã, effuſio ſanguinis Chriſti Domni fuit pro omnibus; quoad efficaciam verò pro multis, per hæc autem verba declaratur efficacia. Trid.ſynod.ſeſſ.13. can. 1. Palud. Richar. & alij vide Catechiſm. Pij V.

14 Sacerdos ſolus ſine miniſtro poteſt ne Miſſam celebrare?

℞. De iure riquiruntur ad minus duo, de conſuetudine verò cum vno celebrare poteſt ſed non ſolus, quia qui miniſtrat celebranti repræſentat totum populum.c. ho. quoq; de conſecr. diſt.1.

15 Quis eſt Miniſter huius Sacramenti?

℞. Sacerdos ritè ordinatus.

16 Si Sacerdos vrgenti neceſſitate copiam Confeſſore non haberet, poterit ne celebrare?

℞ Affirmatiuè, ſi ad celebrandum ſit aſtrictus cum contritione, & propoſito, vt quam primum confiteatur. Trid.ſyn.ſeſſ.13.c.7.

17 Quotuplex eſt ſucipiens hoc Sacramentum?

℞. Duplex; Sacerdos, qui conſecrat, & ſuſcipit corpus, & ſanguinem, & fidelis, qui ſub ſpecie panis tantum ſuſcipit Sacramentum.

18 Paruuli vſu rationis carentes tenentur ne communicare?

℞. Non quia per baptiſmum adepti ſunt gratiam, & in ea ætate eam ammittere non poſſunt. Trid. ſyn.ſeſſ.21.c.4.

19 Quo tempore debent Chriſti fideles ſuſcipere hoc Sacramentum?

℞. Cum ad annos diſcretionis peruenerit quotannis in paſcate Reſurrectionis ex præcepto, tenentur etiam in mortis articulo. Trid. ſynod.ſeſſ.13.can.9. Tolet.lib.6.c.18.

20 Quas ergo præparationes debet quis habere ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum?

℞. Primo, debet eſſe adultus. Secundò, habere vſum rationis. Tertiò debet eſſe ieiunus. Quartò ritè confeſſus. Quintò, ſine peccato mortali: imò ſine veniali, quamquam hoc non impediat habitualem effectum Sacramenti. Tolet.in ſum.lib.2.c.28.Trid. ſyno.ſeſſ.c.7.

21 Sufficit ne ſola fides ad ſuſcipiendum dignè hoc Sacramentum?

℞ Non, ſed neceſſaria eſt cõtritio, & confeſſio. Trident.ſyno. ſeſſ.13.can.11.

22 Quis eſt Miniſter proprius huius Sacramentis, vt illud adminiſtret ſanis, & infirmis.

℞. Epiſcopus, Parochus in ſua parochia.

23 Quando debet dari infirmis, & à quo?

℞. Si detur per viaticum, debet dari infirmi qui, & ſunt proximi ad mortem, vel illis, cuius vita is, ſpes vitæ eſt deſperata a medicis, & debet adminiſtrari a proprio Parocho, vel ab alio presbytero approbato de licentia Parochi; ratio eſt, quia cum adminiſtratur pro viatico eſt actus iuriſdictionalis, & petit proprium Paſtorem?

24 Poteſt hoc Sacramentum dari infirmis, qui non ſunt in periculo ſed propter eorum deuotionem?

℞. Hæc regula eſt obſeruãda ſi infirmus poteſt ſurgere, ſine periculo de lecto, & perſonaliter ire ad Eccleſiam, debet ire, & ibi ſumere Sanctum Sacramentum; ſi verò non poſſit hoc fieri ſine damno ſalutis, poteſt pro deuotione communicare in ſua domo: ratio eſt, quia ſi famulus poteſt ire ad Dominum Dei, iuſtũ eſt, vt non permittat, quod Dominus omnium vadat ad domum ſuã, ſi verò non põt, Chriſtus dominus eſt ita miſericors, & piùs, quod vult ire ad domum ſerui.

25 Si quis pro viatico ſuſcipiat Euchariſtiam, & non moriatur, ſed conualeſcat, & poſtea aggrauetur infirmitate intra ꝙ tẽpus poteſt iterũ ſumere viaticũ?

℞. Hoc non eſt limitatũ in iure, licet, varię ſint opiniones; ſed relinquitur arbitrio prudẽtis cõfeſſoris.

26 In terris, & prouincijs, vbi eſt conſuetudo, vt Sãctũ Sacramẽtum deferatur infirmis, qui non poſſunt illud ſumere, ſolum ad illud adorandum, hæc conſuetudo debet ne ſeruari?

℞. Si infirmus ex aliqua infirmitate, vel vomitu, nõ poteſt ſumere Euchariſtiam pro viatico, non debet Sanctum Sacramentum deferri ad domum, ſolum ad adorandum, ratio eſt, quia cauſa quare Eccleſia permittit, vt deferatur infirmis ad domos, eſt propter effectum, vtilitatem, & gratiam, qua confert digna ſuſceptio huius Sancti Sacramenti, & hęc eſt neceſſitas præciſa, & iſtæ fortiſſimæ cauſæ non apparent in ſola adoratione, ideò hæc conſuetudo ſublata fuit à Pio V. & non eſt amplius ſeruanda.

27 Euchariſtia eſt ne danda damnatis, ad mortem, & in quo loco, & quando?

℞ Sancta Euchariſtia danda eſt omnibus Chriſtianis, qui in fide, & gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ moriuntur, tàm infirmis, quàm condemnatis per iuſtitiã ad mortẽ, & hic Ordo eſt ſeruandus, notificata ſententia mortis; debent portari in cappellam, vbi celebratur Miſſa in carcere, & ibi communicari die anteriori, ante executionem mortis, ita vt ſit ſpatiu viginti quatuor horarũ: licet Nauar. de pęnitentijs, & remiſſ. dicat quod in neceſſitate poterit dari Euchariſtia condemnatis, & poſt vnam hora ſuſpendi ſed ſolemnitas ſupra poſità ſeruatur, vt communicent ieiunij, quia tunc ſani ſunt, & diſpenſationes non debent fieri, niſi quando neceſſitas poſtulat, vt in infirmis.

28 Euchariſtia in qua hora, cum quo ornatu, & cum qua veſte, debet infirmis miniſtrari?

℞. In quacumque hora, ſiue die, ſiue nocte põt infirmis periclitantibus miniſtrari, ſiue ieiunis ſiue non ieiunis: ratio eſt, quia neceſſitas caret lege, ſe mane, & veſpere horis competẽtibus, debent Parochi, con

municare

municare infirmos, quos habent in periculo; & parochus cum apparatu, lumine, & baldachino ſeu pallio. Veſtitus ſcilicet, ſuper pelliceo, & ſtola, veſte ſerica in modo mozatæ, tintinnabuloque paruo præcedente, accenſis luminaribus, ſubtus baldachinum, magno comitatu, recitans Pſalmos Dauid, cum alio Clerico, vel Sacriſta, alternantes verſus, & cum magna deuotione, oculis fixis in Sanctum Sacramentum, quod in manibus portat, coopertum velo ſerico; ſic debet ire vſq; ad domum infirmi, & in cubiculo infirmi debet eſſe altare paratum, cum imaginibus, & luminaribus, & ibi debet reponere Sanctiſſimum Sacramentum: & videre, an infirmus velit confiteri aliquod peccatum oblitum, & poſtea legere alta voce, quæ continentur in ceremoniali, & ſic miniſtrare Sanctum Sacramentum.

29 Tempore peſtis, vel belli, vel ſi ſit timor hæreticorum potentium, quomodo debet deferri Sanctiſſimum Sacramentum infirmis?

℟. Hoc relinquitur arbitrio Epiſcopi, an ſit deferẽdum occultè, vel publicè; an ſit melius facere altare in agro, vel in domo infirmi ad euadenda pericula; quæ poſſunt accidere ex multitudine comitantium Sanctum Sacramentum; peniato periculo, tempore occaſione, debetq. Epiſcopus prouidere, vt magis viderit in domino expedire.

30 In quibus Eccleſiis debet ſeruari Santa Euchariſtia in Sacrario?

℟. Neceſſe debet aſſeruari in Eccleſijs cathedralibus, collegiatis, & Parochialibus, & in monaſterijs fratrum regularium, & monialium, vbi viget regularis obſeruantia, quia hoc eſt præceptum in Sacris Canonibus, & neceſſarium, ex antiqua conſuetudine in Eccleſia Dei.

31 In Capellis Eremiticis, vel in Sacellis priuatarum domorum poteſt ſeruari Euchariſtia?

℟. In iſto caſu ſolus Summus Pontifex poſt dare hanc licentiam, quæ datur Regibus, & magis Principibus, qui habent Sacella ampla, & ita ornata, & cum tantis Capellanis ſicut Eccleſia cathredales: ſed in capellis Eremiticis ſi ibi ſit multitudo fidelium pro recollectione fructuum tempore Auguſti, vel Vindemiæ, & ſit periculum, quòd aliquis moriatur, ſine Euchariſtia, & terra, vel Eccleſia Parochialis ſi longe ab illo loco, poterit Epiſcopus ex facultate data a Concilio in hoc diſpenſare.

32 In Hoſpitalibus debet eſſe Sanctum Sacramentũ, & cum qua licentia?

℟. In Hoſpitalibus eſt neceſſarium, vt ſit Sancta Euchariſtia recondita propter periculum infirmorum, nocte, & die, ſed debet poni cum licentia Epiſcopi inſcriptis, & in Capella, & loco decenter ornato, qui pateat omnibus, qui videre velint rẽ Sacram.

33 In Eccleſijs, quę ſunt in ciuitate, & non ſunt Parochiales, ſed constructæ ab aliqua confraternitate, vel pio homine, poteſt poni Sanctiſſimum Sacramẽtum, & cum qua licentia?

℟. In iſtis Eccleſijs poteſt poni cum licentia Epiſcopi; & Epiſcopus debet conſiderare quando confert hanc licentiam. Primò ſi talis Eccleſia eſt ſufficienter dotata. Secundo, ſi ſit magna, & bene ædificata. Tertio, ſi habet Capellanos, vel Cappellanum, & Sachriſtam, cum congrua ſuſtentatione. Quartò, ſi talis Eccleſia habet fabricam. Quintò, ſi ſit ſufficiẽter ornata, & habet Calices, capſulas, palia, & ornamẽta ex omnibus coloribus, quibus Eccleſia vtitur. Sexto ſi ibi mortui ſepeliuntur. Septimò, ſi eſt Eccleſia benedicta, vel conſecrata. Octauo, ſi ibi quotidie celebretur Miſſa. Nonò, ſi ibi concurrat multitudo populi, quia cæteræ Eccleſiæ diſtant. Decimò, ſi hæc Eccleſia eſt impedimẽto alicui Eccleſiæ Parochiali; his omnibus conſideratis Epiſcopus poterit dare licentiam, vt habeant Sanctum Sacramentum, ſemper cum lampade accenſam.

34 Quando debet renouari Sancta Euchariſtia, & à quo?

℟. Regula non eſt certa, ſed benè erit, vt bis in hebdomada renouetur à Parocho, vel ab alio Sacerdote de licentia Parochi, ne ſpecies corrumpantur.

35 Sacrarium vbi debet eſſe Sanctum Sacramentum quomodo debet fieri, & quid debet habere in ſe?

℟. Debet fieri in modum tabernaculi, & debet eſſe depictũ, vel deauratum, vel legitimè ornatum clauſum clauè, & intus debet eſſe pixis ſaltem argentea cooperta; & ſubtus debent eſſe corporalia munda, & ſupra pixidem debet eſſe velum ſericum, & omnia cum pretioſo ornatu ſecundum facultatem Eccleſiæ, quia ibi reconditur Dominus dominantium.

36 Quis eſt effectus huius Sacramenti?

℟. Dat gratiam, confortat, præſeruat, & alios mirabiles effectus facit.

37 Datur ne vna gratia ex ſumptione corporis Chriſti, & alia ſed ſumptione ſanguinis?

℟. Non, ſed tantum vna eademque gratia. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 28.

38 Quot ſunt modi recipiendi hoc Sacramentum?

℟. Quatuor: primo in figurà ſicut Patres antiqui in Manna. Secundò, ſpiritualiter, per fidem, & ardens deſiderium in contemplatione. Tertiò, Sacramẽtaliter tantum cum quis ob peccatum mortale ponit obicem, & non accipit effectum. Quartò, quando recepit Sacramentum, & gratiam. Trid. ſyno. ſeſſ. 13. can. 8. Tolet. in ſum. lib. 2. c. 28.

39 Cuius iuris eſt ſub vtraque ſpecie conſecrare?

℟. Diuerſa eſt DD. opinio; ſed verius eſt eſſe de iure diuino: conficere ſub vtraq; ſpecie, & vtraque conſumare eos, qui conficiunt: vt apertè colligitur, ex Trid. ſyno. ſeſſ. 21. c. 1. & ſeſſ. 22. initio: & qui vero communicat in ſola hoſtia ſumit integrum Sacramentum. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. can. 3.

40 Laici, Clerici cõmunicantes ſunt ne obligati præcepto Chriſti ad cõmunicandum ſub vtraque ſpecie?

℟. Non, immo ex ſacris litteris colligitur, quod cõmunio ſub ſola ſpecie panis ad ſalutem ſufficit. Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 1.

41 Quis approbauit, & quaſi pro lege poſuit conſuetudinem communicandi ſub vna ſpecie?

℟. Sancta Romana Eccleſia, & declarauit in eã Chriſtum integrum verumque Sacramentum ſumi. Trident. ſynod. ſeſſ. 21. cap. 3. & can. 3.

42 Quomodo aſſiſtit Chriſtus integer in Sacramento, & in Cælo?

℟. In Cœlo iuxta modo aſſiſtendi naturalem; in Sacramento verò Sacramentaliter totus in toto, & totus in qualibet particula hoſtiæ, aut vini coſecrati. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. cap. 1.

43 Poſt conſecrationem exiſtit Chriſti ſub ſpecie panis, & vini?

℟. Sub ſpecie panis exiſtit corpus Chriſti virtute verborum, & per concomitantiam exiſtit ſanguis, anima,

anima, diuinitas, & etiam tota Trinitas, & ſimiliter ſub ſpecie vini ſanguis venit ex vi verborum, corpus verò, & reliqua per concomitantiam, itaque poſt conſecrationem exiſtit Chriſtus in Sacramẽto verus Deus & homo realiter, & ſubſtantialiter. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. c. 1. & 3. & can. 3.

44 Si in illo triduo, in quo Chriſtus fuit in ſepulchro aliquis Apoſtolorum celebraſſet, & conſecraſſet panem, ſub ſpecie panis, veniſſet ne ſanguis per concomitantiam, & ſub ſpecie vini, veniſſet ne corpus per concomitantiam?
Reſp. Non, ſed in hoſtia eſſet corpus, & in Calice eſſet ſanguis; vtrumque tamen diuinitati admirabili modo vnitum. Tol. in ſum. lib. 2. c. 27.

45 Poſt conſecrationem manet ne ſubſtantia panis, & vini?
Reſp. Negatiuè, ſed ſolum accidentia; quia ſubſtantia panis, & vini tranſit in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti Domini. Trident. ſynod. ſeſſione 13. cap. 4.

46 Quæ ſunt hæc accidentia, & quomodo exiſtunt ſine ſubſtantia?
Reſp. Sunt quantitas, color, ſapor, & odor, &c. quæ vocantur accidentia, & non ſunt affixa corpori Chriſti, ſed miraculosè exiſtunt ſine ſubiecto, & ſub illis corpus Chriſti exiſtit. Trid. ſynod. ſeſſ. 13. c. 3. Suarez diſtinct. 51.

47 Si ſub ſpeciebus non eſt vlla ſubſtantia, præter ſubſtantiam corporis Chriſti cum quis manducaret hoc Sacramentum ſuſtentaretur ne?
Reſp. In iſto caſu fieri nutritionem, quia Deus ponit quamdam materiam præſentem, qua nutritio fiat, de qua re, vide Suar. 3. p. q. 77. a. 8. diſt. 57.

48 Quare hoc Sacramentum ſeruatur in Sacrario?
Reſp. Vt detur viaticum infirmis. Trid. ſyn. ſeſſ. 13. c. 6. & can. 7.

CAPVT X.

De Sacrificio Miſſæ.

1 QVis inſtituit Miſſam?
Reſp. Chriſtus Dominus in Cęna nouiſſima. Trid. ſynod. c. 1. ſeſſ. 22.

2 Quis ordinauit Apoſtolos Sacerdotes?
Reſp. Chriſtus Dominus in Cœna vltima quando dixit, hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis. Trid. ſyn. vbi ſup.

3 Sacrificium Miſſæ eſt ne propitiatorium?
Reſp. Eſt propitiatorium, ita vt ſi recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno vt docet Concilium Trid. ſeſſ. 22. c. 2.

4 Pro quibus offertur?
Reſp. Pro Viuis, & Defunctis. Trid. ſyn. vbi ſup.

5 Quibus prodeſt?
Reſp. Viuis, & Defunctis nondum integrè purgatis. Trid. ſyn. vbi ſup.

6 Sacrificium Miſſæ poteſt ne offerri ſanctis?
Reſp. Negatiuè, ſed ſoli Deo, qui eos coronauit; tamen in memoriam, & honorem eorum interdum Eccleſia celebrat. Trident. ſynod. ſeſſione 22. capit. 3.

7 Quis inſtituit ſacrum Canonem?
Reſp. Sancta Eccleſia ab omni quidem errore purum. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 4.

8 Quare Eccleſia inſtituit, vt in Miſſa quædam dicerentur ſubmiſſa voce, quædam verò clariori, item quare adhibet veſtes peculiares, ſacraſq; cęrimonias, & luminaria in hoc peragendo ſacrificio?
Reſp. Vt mentes hominum eleuet ad meditationem rerum diuinarum, & vt maieſtas tanti ſacrificij commendetur, quod ritè factum eſt ex apoſtolica traditione. Trid. ſyn. ſeſſ. cap. 5.

9 Miſſæ in quibus populus non communicat, ſed ſolum Sacerdos, ſunt ne reprobandæ; & vt illicitæ damnandæ?
Reſp. Negatiuè; atque commendandas eſſe, tùm quia fideles tunc communicant ſpiritualiter, tùm quia Sacerdos publicus Miniſter offert pro ſe, & pro populo, ac Miſſæ huiuſmodi verè communes cenſeri debent. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 6.

10 Quare miſcetur pauciſſima aqua cum vino?
Reſp. Hanc mixtionem fieri tùm quia creditur eam feciſſe Chriſtum Dominum, tùm quia per eam recolitur Sacramentum ſanguinis, & aquæ fluentium de latere Chriſti Domini, tùm denique quia repræſentatur vnio populi fidelis cum ſuo capite Chriſto. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 7.

11 In qua lingua debet celebrari Miſſa?
Reſp. Seruandam eſſe conſuetudinem antiquam cuiuſque Eccleſiæ à Sancta Romana Eccleſia approbatam; ſed iuſtis de cauſis non debet paſſim celebrari in lingua vulgari; & in medio Miſſæ prædicandum eſt Euangelium diebus feſtiuis. Trident. ſynod. ſeſſione 22. cap. 8.

12 In Miſſa offertur ne Deo verum ſacrificium?
Reſp. Affirmatiuè. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 1.

13 Quando Chriſtus dixit (hoc facite in meam commemorationem) quid præcepit?
Reſp. Inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, atq; ordinaſſe, vt illi, & alij Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. can. 2.

14 Sacrificium Miſſæ eſt ne laudis tantum?
Reſp. Eſſe nõ ſolum laudis, ſed etiam propitiatorium. Trid. ſyn. vbi ſup. can. 3.

15 Quando celebratur Miſſa in honorem Sanctorum quid intendit Eccleſia?
Reſp. Interceſſionem eorum obtinere apud Deum. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. can. 5.

16 Poteſt ne aliquid pretij pro Miſſa dari?
Reſp. Negatiuè quia eſt ineſtimabilis pretij. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. decret. de euitand. & obſeruand. in celebrat. Miſſæ.

17 Quando datur ſtipendium celebrantibus Miſſam quo modo largitio illa pecuniæ, &c. licitè ne fieri poteſt?
Reſp. Licitè fieri eam largitionem, quia tunc merces non datur pro Miſſa, cum Miſſa ſit ineſtimabilis pretij; ſed datur ad congruam ſuſtentationem celebrantis naturali lege ipſi debitam; vnde non excluditur pactio de ſtipendio pro Miſſa debito, iuxta illud non alligabis os boui trituranti. hæc Doctr. ſumitur ex D. Auguſtino lib. de paſtoribus, capitulo ſecundo.

Dari verò ſecundum conſuetudinem loci,& ſecundum taxas poſitas in Concilijs Prouincialibus.

18 Sacerdotes diuites; puta Canonici, & Dignitates Eccleſiarum Cathedralium, poſſunt ne recipere eleemoſynas pro miſſis dicendis, ſicut faciunt alij Clerici indigentes?

℞. Siue Sacerdos ſit diues, ſiue pauper poteſt recipere eleemoſynas pro Miſſis dicendis, ratio eſt, quia dignus eſt operarius mercede ſua, quam Sacerdos acquirit ex eo, quod celebrans pro alio ſibi ab illo naturali lege debetur alimentum, vt dictum eſt; & diuitiæ, vel paupertas non tollunt hoc ius, quo debita eſt ſubſtentatio celebrantis; Verum conſultius eſt, vt Sacerdos diues det illam eleemoſynam pauperibus, vt habeat duplex meritum ob celebrationem, & ob eleemoſynam. Illud autem eſt aduertendum, quod Sacerdotes, qui ex obligatione ſui Beneficij Capellaniæ, aut aliorum redituum Eccleſiaſticorum tenentur Miſſam pro aliquo dicere, non poſſunt pro eadem dicenda ſtipendium ab alio accipere, Conſule. Suarez. in 3. parte quæſtione 83. articulo 4. diſput. 86. ſect. 3.

19 Laicus poterit dare rem temporalem Eccleſiæ, ſicut agrum, &c. ea conditione, vel pacto, vt illi dicantur tot Miſſæ?

℞. Poterit licitè abſque ſimonia, quia ipſe non emit rem ſpiritualem, ſed ſoluit alimentum, & ſuſtentationem alicuius celebrantis; iſque poteſt licitè recipere, quia dignus eſt operarius mercede ſua; tenet Abbas in capitulo quoniam ne prælati vices ſuas, numero 4.

20 Quid debent prohibere Epiſcopi in Eccleſia dum Miſſæ celebrantur, & horæ cantantur?

Reſp. Deambulationes, ſtrepitus, colloquia vana, vociferationes, & quòd in muſica non miſceantur cantus prophani. Nauar. in man. c. 21. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. de de reformat.

21 Parochi inter Miſſarum ſolemnia quid debent agere?

Reſp. Explicare myſteria Miſſæ, & Euangelij. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 8.

22 Poteſt Epiſcopus ſub cenſura præcipere, vt Sacerdos non impeditus celebret feſtiuis diebus?

Reſp. Non, ſed id debet facere monitionibus.

23 Quando tenetur Parochus celebrare?

Reſp. Parochum tam frequenter teneri, vt ſuo muneri ſatisfaciat. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 14. cap. ſignificaſti. de præbend.

24 In Miſſis nouis presbyterorum quid prohiberi debet ab Epiſcopis?

Reſp. Omnino prohibere debent cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro miſſis nouis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius quam poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſitu non longè abſunt. Trident. ſynod. ſeſſion. 22. de euitand. & obſeruand. in celebrat. Miſſ. Per hæc autem non prohibentur iuſta prò miſſis ſtipendia.

25 Qui Miſſam nouam cantat, quid debet agere?

Reſp. In medio altaris ſe vertere ad populum, eleemoſynas ſponte oblatas recipere, ſed non circuire Eccleſiam ad euitandum tumultum. Zerol. in prax. Epiſc. p. 2. verb. Miſſa. verſ. 3.

26 Conſuetudo, vt Sacerdos per Eccleſiam pacem det, & eleemoſynam quærat eſt ne ſeruanda?

℞. Negatiuè: imò tollenda. Zerol. in prax. Epiſcop. par. 2. verb. Miſſa. verſ. 3.

27 Poteſt ne Epiſcopus facultatem concedere, vt in domibus priuatis Miſſa celebretur?

℞. Negatiuè, ſed ſolus Summus Pontifex. Trid. ſyn. ſeſſ. 22. cap. de euitandis, & obſeruandis in celebratione Miſſæ.

28 Poteſt Epiſcopus dare licentiam celebrandi in Capellis Eremiticis, aut alijs, & cuiuſuis parentibus?

℞. Poteſt. Tridentina Synodus in eodem decreto.

29 Quando celebratur feſtum alicuius Sancti à populo, poſſunt ne poſt Miſſam conuiuia fieri?

℞. In hoc ſeruandam eſſe conſuetudinem, dummodo fiant extra Eccleſiam. Piaceſius in prax. Epiſcop. p. 2. c. 3. nu. 23.

30 In quo loco Miſſæ celebrandæ ſunt?

℞. In Eccleſijs, Oratorijs, & Capellis Eremiticis. Nauarr. in manual. capitulo 21. cap. ſicut. diſtinctio. prima. Tridentin. ſynod. ſeſſione 22. decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſsæ.

31 Licet nè ante diem celebrare?

℞. Negatiuè, ſed in ortu auroræ; excepta nocte natiuitatis Domini. Ledeſma in ſum. tomo 1. capit. 19. concluſion. 9. & Nunez. 3. part. tomo 1. quæſt. 25. artic. 2.

32 Qui veſpertino tempore celebrat, quam pœnam incurrit?

℞. Eſt perpetuò ſuſpenſus per bull. Pij V.

33 Quis tenetur audire Miſſam diebus feſtiuis, & dominicis?

℞. Quilibet Chriſtianus doli capax ceſſante legitimo impedimento. c. Miſſas, c. omnis fidelis, de conſecr. diſtinct. 1.

34 Epiſcopus, Monacus, & Clericus tenentur ne ſub peccato diebus non feſtiuis, vel ieiunij intereſſe ſacro?

℞. Negatiuè. Nauar. in man. c. 21. & Abb. c. 1. de vita, & honeſt. Cler. nu. 9. & 20.

35 Poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt diebus feſtiuis opera ſeruilia fiant?

℞. Poteſt præſertim tempore vindemiæ, vel recollectionis tritici. Reginald. in prax. tom. 2. lib. 9. c. 3.

36 Tenentur ne Chriſtiani de præcepto audire vllas horas, vel plures Miſsas?

Reſp. Negatiuè, neque in die natiuitatis Domini, in quo poſſunt dici tres Miſſæ. Nauar. in man c. 21.

37 Quid eſt audire Miſſam?

Reſp. Eſt corpore adeſſe, & mente attendere. Tol. lib. 6. de inſtruct. Sacerd. c. 6.

38 Sacerdos celebrans quam præparationem debet habere?

Reſp. Debet eſſe ieiunus, confiteri peccata, & præparare ſe meditatione, & oratione ad tantum myſterium peragendum, c. Sacramenta. diſt. 1. c. liquido. diſt. 2. de conſecr. 1. ad Corinth. c. 11. vbi habetur: probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.

39 Quoties licet in die celebrare?

Reſp. Semel tantum excepto die Natalis Domini, in quo tres Miſſæ celebrari poſſunt à quolibet Sacerdote, continuato, vel diſtincto tempore, dummodo non purificet ante expletam tertiam Miſſam. c. conſuluiſti. de celebr. Miſſar.

40 Sacerdos ſi celebrat in pane fermentato, vel calice ligneo, vel ſine aqua, qua pœna punitur?

Reſp. Si ſe-

Reſp. Si fecerit ex aperta malitia, officio, & beneficio perpetuo priuatur. c.fi. de celebr.Miſſ.

41 Sacerdos, qui reliquit Miſſam inceptam, qua pena punitur?

Reſp. Excommunicationis; niſi ex morbo neceſſario id fecerit, tunc enim ab alio Sacerdote eſt finienda.c. liquido. de conſecr. diſt.2.

42 Sacerdos, qui celebrans ſumit corpus, & non ſanguinem, qua pena punitur?

Reſp. Debet priuari celebratione Miſſæ. cap.comperimus. de conſecr.diſt.2.

43 Sacerdos celebrans, & non communicans, neque corpus, neque ſanguinem Domini, qua pena punitur?

Reſp. Per annum priuatur celebratione Miſſæ, ſi id faciat ex obliuione; cap. relatum de conſecratione diſtinct.2.ſi id faciat vt hæreticus punitur pœna hæreticorum.

44 Sacerdos celebrans quibus veſtibus debet eſſe indutus?

Reſp. Sacris veſtibus ab Eccleſia ordinatis; nempe amictu, alba, cingulo, manipulo, ſtola, ſeu Orario, & caſula, ſeu planeta, & habetur in rit.Roman.& numerantur in Concil. Rhem.cap.4. apud Burch. lib.2. capit.50.

45 Qui ſunt colores quibus Eccleſia vtitur in ornamentis?

Reſp. Sumuntur ſecundum diuerſitatem Sanctorum, de quibus eſt ſolemnitas, temporumq; varietatem, ſcilicet in feſto Sanctorum martyrum, vtitur colore rubeo, vt ſignificet ſanguinem, quem pro Chriſto effuderunt; in feſto Virginum, & Confeſſorum vtitur candido colore, vt ſignificet eorum vitam candidam, & immaculatam; pro defunctis vtitur colore nigro, vt ſignificet triſtitiam: Tempore Aduentus vtitur colore violaceo: per annum vtitur viridi colore; & vltra hos colores Eccleſia alijs non vtitur. vt habetur in cærem. Roman.

46 Quid ſignificat Sacerdos ſacris veſtibus indutus?

Reſp. Summum Sacerdotem repreſentat.

47 Si Sacerdos celebraret ſine ſacris veſtibus, & quis audiret eius Miſſam, talis audiens ſatisfaceret ne præcepto Eccleſiæ?

Reſp. Affirmatiuè: ſed Sacerdos grauiter peccaret, ita Palud.Soto in 4.diſt.13.Sylueſter verbo Miſſa.1.& alij apud Suar. tom.3.in 3.par.diſputat.82. quæſtione 83.ſect.3.

48 Quæ dicitur notabilis pars Miſſæ?

Reſp. Adhuc non eſt in iure determinatum, ſed relictum arbitrio prudentis, ſed dè conſuetudine à principio Euangelij auditur integrâ Miſſa. Nauar.in man. cap.21.n.2.

49 Quam partem Miſſæ prætermittendo peccat?

Reſp. Notabilem partem Miſſæ. Nauar.vbi ſup.

50 Si quis eſt adeò diſtans, vt nō poſſit audire Miſſam, vel claudit oculos in contemplatione, vel eſt ſurdus, vel cæcus ſatisfacit ne præcepto?

Reſp. Affirmatiuè, dum adſit corpore, & mente. Tol. l.6.c.6.de inſtruct. Sacerd.

51 Si quis pingeret, ſcriberet, vel faceret affectatim aliquam rem per notabilem partem Miſſæ audiret ne Miſſam?

Reſp. Negatiuè; quia affectatim non adeſt mente.

52 Qui audit dimidiam Miſſam ab vno Sacerdote, & aliam dimidiam ab alio continuatim, vel diſiunctim ſatisfacit ne præcepto?

Reſp. Nauarr.& plurimi DD.tenent partem affirmatiuam. ſed Tolet.in inſtruct. Sacerd. tenet negatiuam, & dicit non eſſe vnam Miſſam, ſed partes duarum Miſſarum.

53 Si aliquis ſpatio, quo aliqua pars notabilis Miſſæ peragitur cogitationibus abſtraheretur ſatisfaceret ne præcepto?

Reſp. Affirmatiuè, ſi id non faciat affectatim, & voluntariè dummodo adſit corpore, & intentione. Tol. lib.6.c.6.

54 In Miſſa requiritur ne aliquis actus hominis, vt audire, videre, vel intelligere?

Reſp. Sufficere tantum corpore adeſſe, & mente attendere: volens adimplere præceptum Eccleſiæ.Tolet. vbi ſupr.

55 Quare dicitur, audire Miſſam, cum nullus actus requiratur?

Reſp. Quia ſicut ad auditum, requiritur proportionata præſentia, ita, & in Miſſa requiritur eadem præſentia, vt quis dicatur adeſſe corpore, & mente.

56 Miniſter, qui vt ferat thus, vinum, vel prunas dimittit aliquā partem Miſſæ, tenetur ne audire aliam?

Reſp. Minimè, quia cum ſeruiat neceſſarijs rebus altaris habetur pro præſenti. Sanct. Antonin. 2.par.tit.9. c.10.verb.Miſſ.§.1.

57 Qui pergit ad Eccleſiam animo videndi mulierem, vel loquendi, ſatisfacit ne præcepto?

Reſp. Affirmatiuè: quia poteſt quis malo fine ad Eccleſiam pergere, & benè, ac ritè Miſſam audire. Nauar.in man.c.21.

58 Si quis audit Miſſam, & ſimul recitat horas ex obligatione, ſatisfacit ne præcepto?

Reſp. Cum diſtinctione: ſi ex recitatione non habet neceſſariam attentionem Miſſæ, non ſatisfacit: ſi verò habet neceſſariam attentionem vtrique rei; (licet hoc difficilè ſit,) ſatisfacit. Angel. verbo. Feriæ.§.42.

59 Qui non tenentur audire Miſſam diebus Dominicis, & feſtiuis?

Reſp. Qui impediti ſunt aliquo damno graui corporis, honoris, bonorum; vt infirmus, eius Miniſter, Nutrices, Iudices, Cuſtodes arcium, eorum Conſiliarij impediti graui negotio, pauperes non habentes veſtes, vt è domo honeſtè egredi poſſint. Nauar. in manual. c.21.

60 Excommunicati peccant ne nouum peccatum non audiendo Miſſam, præcipuè, ſi diligentiam non faciant, vt abſoluantur?

Reſp. Minimè, quia iure prohibiti ſunt; licet peccent peccatum negligentiæ non faciendo debitam inſtantiam, vt abſoluantur. Nauar.vbi ſup.

61 Viduæ, quæ iuxta regionis conſuetudinem è domo non exeunt per annum integrum, vel per ſex menſes, tenentur ne audire Miſſam diebus Dominicis?

Reſp. Minimè, licet talis cōſuetudo debeat ab Epiſcopo concionibus, & exhortationibus expelli. Tolet. & Nauar. vbi ſup.

62 Clericus vagans debet ne admitti ad celebrandum?

Reſp. Negatiuè, ſicuti nec criminoſus notoriè. Tridentino ſynod. ſeſſione 22. decret. de obſeruand. &

euitand. in celebratione Miſſæ.

63 In miſſis eſt ne licitum ob deuotionem alicuius nouos ritus, aut preces pias adhibere?
Reſp. Negatiuè, ſed ſolum illas, quas Eccleſia Catholica approbauit. Trid. ſyn. vbi ſup.

64 Certus numerus Miſſarum, & candelarum eſt ne permittendus?
Reſp. Si tales ritus redolent ſuperſtitionem, abolendi omnino ſunt, vt docet. Trident. ſynod. ſeſſion. 22. decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſæ.

CAPVT XI.

De extrema vnctione.

1 QVid eſt extrema vnctio?
Reſp. Eſt confirmatio in via. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. de Extrema Vnctione.

2 Hoc Sacramentum à quonam fuit inſtitutum?
Reſp. A Chriſto Domino apud D. Marcum. c. 6. infirmatur quis in vobis inducat presbyteros, orent pro eo, & vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & confortabit eum Dominus; & ſi in peccatis eſt dimittentur ei. Trid. ſynod. ſeſſ. 14. c. 1.

3 Ad quid inſtitutum fuit hoc Sacramentum?
Reſp. Primariò fuiſſe inſtitutum ad confortandos, iuuandoſque animos infirmorum contra Diaboli tentationes, & difficultates illis occurrentes in articulo mortis. Trid. ſynod. ſeſſ. 14. de Extrema vnctione.

4 Quæ inueniuntur in hoc Sacramento?
Reſp. Inueniri materiam, formam, Miniſtrum cum intentione, ſuſcipientem, & effectum. Tolet. in ſum. lib. 7. c. 1.

5 Quotuplex eſt materia?
Reſp. Duplicem eſſe; remotam, & proximam: remota eſt oleum oliuarum ab Epiſcopo, in die Cœnæ Domini ſolemniter conſecratum: proxima verò eſt vnctio. Trid. ſynod. ſeſſ. 14. c. 1.

6 Quæ eſt forma?
Reſp. Hanc eſſe videlicet; per iſtam ſanctam Vnctionem, & per ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid dereliquiſti per viſum, & auditum, &c. Trid. ſyn. vbi ſup.

7 Poteſt hæc forma mutari ab Eccleſia?
Reſp. Non poſſe ſi mutetur ſenſus. Trid. ſyn. vbi ſup. Tolet. in ſum. lib. 7. cap. 1.

8 Eſt ne de neceſſitate formæ, in nomine Patris, &c.
Reſp. Non eſſe, & quamuis non ſint de eſſentia formę ſingula illa verba, tamen omitti non debent, nec poſſunt ſine peccato, cum habeamus Eccleſię præceptum & longiſſimam conſuetudinem, quam ſequendam eſſe in hoc negotio, docent Tolet. vbi ſup. & Bellar. lib. 1. c. 7. de Extrem. vnct.

9 Quare hæc forma eſt deprecatiua, cum reliquorum Sacramentorum ſit imperatiua?
Reſp. Quia ita oportuit, cum infirmus non reputetur de hoc mundo, ſed de alio, & ideò Sacerdos deprecatur, & non iubet. Nauar. c. 22. nu. 15.

10 Quis eſt Miniſter huius Sacramenti?
Reſp. Eſſe Epiſcopum, Parochum, vel Sacerdotem de eius conſenſu, & non ſeniores, neque Primates: ſed ſi non accederet conſenſus Parochi expreſſus, vel coniecturalis, Sacramentum teneret, ſed Sacerdos maneret excommunicatus. Trid. ſyn. ſeſs. 14. c. 4.

11 Chriſma, & oleum ſanctum, quo die, & à quo debent fieri?
Reſp. Fieri debere ſingulis annis, die Cœnæ Domini, ſeruatis cęremonijs conſuetis, & ab Epiſcopo; & antiqua comburi debet. c. quoniam. de ſent. excom. lib. 6.

12 Si Epiſcopus ſit infirmus, vel abſens; vel ſedes vacet, quid agendus?
Reſp. Neceſſe eſſe Epiſcopum proximiorem adire, & ab eo petere conſecrationem olei Sancti, c. ſi Epiſcopus. de ſuppl. negligent. Prælator.

13 Poteſt ne fieri in Eccleſia interdicta?
Reſp. Poteſt. DD. in cap. quoniam. de ſent. excomm. lib. 6. & gl. in c. 1. de reliq. & vener. Sanctor. verb. conſecratio.

14 Quibus datur?
Reſp. Adultis morti propinquis, videlicèt morbo, partu, vel ſenectute, & non pueris, perpetuò amentibus, & ſuſpendendis. Tol. lib. 7. c. 3.

15 In quibus partibus vngitur infirmus?
Reſp. In viſu, auribus, ore, naribus, palma, & corpore, vt indulgeat illi Deus, quidquid peccauit per quinque ſenſus: & Sacerdotibus non vnguntur palmæ, ſed aduerſus palmas, & in qualibet vnctione crematur ſtupa: & cęcis non vnguntur oculi.

16 Vnctio datur ne ſub dubio?
Reſp. Dari ſi non eſt mortuus. Tol. vbi ſup.

17 Si infirmus conualeſcat, poteſt ne aliam recipere vnctionem?
Reſp. Poteſt. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. Modo infirmitas interrumpatur per aliquam diuturnam moram, ita vt ſtatus illi ęgritudinis ſecundum communem conſuetudinem diuerſi cenſeantur, ita Suar. diſp. 40. ſect. 4. §. 7. tom. de pœn.

18 Quis eſt effectus huius Sacramenti?
Reſp. Remittere peccata oblita, & quæ non potuit confiteri, dat ſanitatem animæ, & confortat contra tentationes Diaboli in articulo mortis, & ad corporis ſanitatem plurimum confert. Trident. ſynod. ſeſſ. 14. canon. 2.

CAPVT XII.

De Ordine.

1 QVid eſt Ordo?
Reſp. Eſt ſignaculum quodam Eccleſiaſticum quo ſpiritualis poteſtas ordinato conceditur. Fornar. in addit. Tol. c. 1. de ord.

2 A quo fuit inſtitutum hoc Sacramentum?
Reſp. Fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, & eſt verè, & propriè Sacramentum, & data fuit poteſtas Apoſtolis, & eorum Succeſſoribus conſecrandi Sacerdotes, qui habeant poteſtatem peccata remittendi, & retinendi. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 1.

3 Quis inſtituit ordines maiores, & minores?
Reſp. Inſtituiſſe Chriſtũ Dominũ. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 2

Ad quid

5 Ad quid ſunt inſtituti ordines minores?
Reſp. Vt per eos veluti per gradus aſcendatur ad Sacerdotium. Trid.ſyn.ſeſſ.23.can.2.& 6.

6 Prima tonſura eſt ne Ordo?
Reſp. Non eſſe ordinem, ſed diſpoſitionem ad ordines. Tol.in ſum.vbi ſup.

7 Quot ſunt ordines?
Reſp. Secundum Theologos ſeptem eſſe; ſecundum Canoniſtas, octo, quia faciunt Epiſcopatum ordinem diſtinctum; videlicet, Oſtiarium, Lectorem, Exorciſtam, Accolitum, Subdiaconum, Diaconum Sacerdotem. Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.3.Tol.in ſum.

8 Quæ inueniuntur in hoc Sacramento?
Reſp. Materia, forma, miniſter, ſuſcipiens, & effectus. Tolet.in ſum.

9 Quæ eſt materia huius Sacramenti?
Reſp. Eſt traditio inſtrumentorum, quibus ſignificatur poteſtas, quæ in ſingulis ordinibus datur. Tol. vbi ſup. Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.1.

10 Quæ eſt forma?
Reſp. Verba quæ dicuntur cum traditione inſtrumentorum. Tolet.in ſum.

11 Quando traditur poteſtas, & imprimitur character ordinato?
Reſp. Quando tangit inſtrumentum ſui ordinis ſimul cum prolatione verborum: in Oſtiario, tangendo claues: in Lectore, librum: in Exorciſta, exorciſmum: in Accollito, ampullas, & candelabrum cum cereo: in Subdiacono, calicem, & patenam ſine hoſtia, & vino: in Diacono, Euangelia: in Presbytero; calicem cum vino; & patenam cum hoſtia: in Epiſcopo, quando imponitur ei manus ſuper caput ſimul cum libro. Bellarminus de ordin.c.9. SyIueſtr.verbo. Ordo.2.numero 4.

12 Eſt ne neceſſarius tactus inſtrumentorum ad ordinem?
Reſp. Affirmatiuè ſimul cum prolatione verborum. S. Thom.q.34.art.3.ad 5. quæ verba proferenda ſunt ab Epiſcopo, & ab ordinato ſimul.

13 Quare quando traditur Subdiacono calix vacuus, & patena, Epiſcopus non profert aliqua verba?
Reſp. Quia ſolum datur illi vſus tangendi ſacra vaſa. Fornar.vbi ſup.

14 Imprimitur character in quolibet ordine maiori, & minori?
Reſp. Affirmatiuè, & de ordinibus maioribus apertè loqui Trid.ſyn.ſeſſ.23.can.4.tenent omnes: de minoribus verò fatetur communis opinio Valentia tom. 4. diſp.9.q.2. Henriq.lib.10.c.2.Sylu. de ord.§.4. quæritur, maior diſt.7. Palud.Alber. Tabiena Ordo §.5. diſcrepat. Nauarr.d.2.nu.18.aitq; quatuor ordines minores, & primam tonſuram eſſe potius Sacramentalia. Fornar.loc.cit.

15 Quando accipit Sacerdos poteſtatem abſoluendi, & quando poteſt illa vti?
Reſp. In ordine Presbyteratus, & non poteſt vti illa vſquequo Epiſcopus det illi facultatem poſt examen etiam ſi ſit regularis. Tridentin. ſynod.ſeſſion.23.capit.15.

16 Ad Sacerdotium requiritur neceſſariò Miſſa?
Reſp. Affirmatiuè. Sylueſt.verbo Ordo.

17 Sacra vnctio, & cæremoniæ, quæ fiunt ſunt ne contemnendæ?
Reſp. Non imò amplectendæ, & venerandæ. Trident. ſynod.ſeſſ.23.can.5.

18 Si aliquid prætermittatur in ordinatione, eſt ne iterandus Ordo?
Reſp. Si ſit de ſubſtantia ordinis iterari debet; ſi verò non ſit, ſuppleri debet ſicut ſi quis non vngatur, poterit poſtea vngi. Sylueſtr.verb.Ordo.& Fornar. vbi ſupra.

19 Quis eſt Miniſter Ordinis?
Reſp. Epiſcopus, qui per ſe ipſum ſi non ſit ægritudine impeditus debet ordinare ſubditus ſuos, aliter debet eos mittere examinatos, & approbatos ad alium Epiſcopum ordinandos, Trident.ſyno. ſeſſion.23.c.3. ſed de licentia Papæ, ſimplex Sacerdos poteſt conferre ordines minores; maiores verò non, neq; Summus Pontifex poteſt diſpenſare.Fornar.vbi ſup.& ibi quam plurimi DD.

20 Qui ſunt Superiores in Eccleſia?
Reſp. Papa, & Epiſcopi. Trid.ſyn.ſeſſ.23.can.7.

21 Quam poteſtatem habent?
Reſp. Confirmandi, ordinandi, conſecrandi Eccleſias, & altaria, audiendi confeſſiones abſque conſenſu populi, vel poteſtate ſæculari. Trident.ſynod.ſeſſion.23. canon.7.

22 A quo debet quis ordinari?
Reſp. A proprio Epiſcopo. Trid.ſeſſ.23.c.8.

23 Quid requiritur, vt Epiſcopus ſit legitimus?
Reſp. Vt aſſumatur auctoritate Summi Pontificis, & ſit conſecratus. Trid.ſyn.ſeſſ.23.can.8.

24 Si Epiſcopus reſignet dignitatem, & locum, quos ordines poteſt conferre?
Reſp. Minores. Sylueſtr.verb.Ordo.

25 Si reſignaret tantum Epiſcopatum, & non dignitatem?
Reſp. Tunc maiores, & minores. Sylueſtr.verb.Ordo. ſed de licentia illius Epiſcopi, in cuius Diœceſi fiunt Ordines.

26 Ordo collatus ab Epiſcopo excommunicato valet ne?
Reſp. Affirmatiuè, quia talis Epiſcopus non perdidit poteſtatem per excommunicationem. Durand.q.2. Enriq.lib.10.c.21.

27 Ordinatus ab Epiſcopo excommunicato quam pœnam incurrit?
Reſp. Si ad notitiam ordinati peruenit excommunicatio Epiſcopi, incurrit ſuſpenſionis pęnam, quoad vſq; proprio Epiſcopo bene viſum fuerit. Enriquez vbi ſupra.Tol.in add.ad ſum.c.5. num.3.

28 Epiſcopus titularis quem vocant de anulo, poteſt conferre ordines minores familiari ſuo ſine licentia proprij Epiſcopi?
Reſp. Non ſub pęna ſuſpenſionis. Trident. ſynod.ſeſſ. 14.cap.2.

29 Qui ordinaretur à Summo Pontifice de aliquo ordine poſſet ne à proprio Epiſcopo ordinari de Superiori Ordine?
Reſp. Non ſine licentia Papæ, quia vbi Summus Pontifex incipit inferior non debet finire. c. cum in diſtribuendis.de tempor.ordin. Abb.in c.poſtulaſti.n.10.de Cler. excom. celebr.

30 Qui dicitur proprius Epiſcopus, & quibus modis quis efficitur ſubditus talis Epiſcopi?
Reſp. Tribus modis: ratione domicilij, beneficij ſimplicis, vel curati, & originis, dummodo in tali ciuitate habitet mater eius. c. cum nullus. de tempor. ordin.in 6.

31 In Diœceſi, in qua natus eſt pater, filius ratione ori-

originis poteſt ne ordinari ?
Reſp. Poteſt, ſed non in Diœceſi, in qua natus eſt auus, quia priuilegium originis non extenditur ad Auos. c. nullus de tempore ordin. & ibi DD. & Quaranta in verb. Ordo. fol. 350.

32 Si filius alicuius ſit naturalis poterit ordinari in Diœceſi in qua natus eſt Pater ?
Reſp. Non, ſed in Diçceſi in qua mater eius nata eſt, tunc enim à matre ſumit originem cum Pater eius non habeat tantam certitudinem, l. 1. & l. eius qui. ff. de municip.

33 Si quis naſcitur in mari, vel itinere à quo Epiſcopo debet ordinari ?
Reſp, Ab Epiſcopo in cuius Diœceſi Pater eius natus eſt. DD. in c. Rodulphus. de reſcript.

34 Libertus à quo Epiſcopo debet ordinari ?
Reſp. Ab Epiſcopo illius Diçceſis, in qua Dominus eius natus eſt; quia à Domino originem, & libertatis beneficium ſumit. l. aſſumptio. ff. eod.

35 Domicilium quoto tempore acquiritur ?
Reſp. Statim cum quis transfert habitationem cum animo ibi perpetuo viuendi; itaque momento temporis domicilium contrahitur, l. ciues. C. de incol. lib. 10. c. in nullis. de temp. ordin. Nauar. conſ. 2. eod. tit.

36 Si quis extra ſuam Diçceſim per decem annos in aliqua vrbe habitauerit ; à quo Epiſcopo debet ordinari ?
Reſp. Ab Epiſcopo in cuius Diœceſi per decem annos habitauit; quia per decennium factus eſt illi ſubditus. Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 8.

37 Poteſt Epiſcopus ordinare ſeruum ſuum ratione domicilij ?
Reſp. Poteſt, niſi talis prius acceperit aliquos ordines ab Epiſcopo ſuæ originis, vel ab Epiſcopo in cuius Diçceſi habet beneficium, vel ſi ordinatus fuerit ad titulum patrimonij, tunc neceſſario requiritur expreſſa licentia illius Epiſcopi. Quarant. verb. Ordo. folio 351.

38 Poteſt Epiſcopus ordinare familiarem ſuum non ſubditum ?
Reſp. Poteſt ſi per triennium cum eo fuerit, & det illi ſtatim beneficium. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 9.

39 Hoc triennium reputatur ante Epiſcopatum, vel poſt ?
Reſp. Ante, & poſt.

40 Talis familiaris quo titulo poteſt ordinari ?
Reſp. Tituli patrimonij, penſionis, vel beneficij, & poteſt illi dare dimiſſorias, dummodo alieni Eccleſiæ adſcribatur. Fornar. de ſacr. ord. c. 5. nu. 11. qui citat Nauar. Suar. & Enriq.

41 Qui habitat per triennium in Vrbe Romana in domo alicuius Cardinalis, vel Epiſcopi à quo debet ordinari ?
Reſp. A Vicario Sanctiſſimi de licentia ſui Domini.

42 Si quis habeat beneficium in aliqua Diœceſi, & habeat domicilium, vel originem in alia, poterit ne ordinari in illa, in qua habet beneficium ?
Reſp. Poterit etiam ſi beneficium ſimplex, curatum, vel præſtimoniale, vel præſtimonialis portio, dummodo beneficium congruum ſit ad ſuſtentationem, gloſ. in c. cum nullus. de tempor. ord.

43 Si tale beneficium ſolum habeat Subdiaconatum annexum poterit ne ſuſcipere reliquos ordines ab illo Epiſcopo in cuius Diœceſi habet beneficium an ab Epiſcopo ſuæ originis ?
Reſp. Ab Epiſcopo in cuius Diçceſi habet beneficium cum maiorem ſubiectionem, & reſidentiam habeat ratione beneficij, quam ratione originis. Quaranta verb. Ordo. fol. 350.

44 Si quis habeat penſionem ſuper beneficio ſito in vna Diœceſi, & habeat originem in alia ; poterit ne ordinari ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi exiſtit talis penſio ?
Reſp. Non; quia ratione penſionis non efficitur quis ſubditus cum verè non ſit titulus canonici, vel beneficium. Vgolin. lib. 2. de offic. & poteſt. c. vigeſimoquinto, §. 3.

45 Si quis habeat patrimonium in vna Diœceſi, & in alia domicilium, vel originem, à quo Epiſcopo debet ordinari ?
Reſp. Ab Epiſcopo originis vel domicilij; quia ratione patrimonij, vel redituum quis non efficitur ſubditus. Vgolin. lib. 2. de offic. & poteſt. Epiſcop. cap. 25. §. tertio.

46 Poteſt Epiſcopus ordinare alienum ſubditum ?
Reſp. Negatiuè, quod ſi faciat, manet ſuſpenſus per annum, ordinatus autem ſuſpenditur quoad vſque ſuo proprio Epiſcopo videbitur. Trident. ſynod. ſeſſ. 23. cap. 8.

47 Si aliquis Epiſcopus ordinet aliquem alterius Diçceſis in fide ſuorum parentum, quia dixerunt, & affirmarunt illum natum eſſe in tali Diœceſi, incidit ne Epiſcopus in aliquam pœnam ?
Reſp. Negatiuè. ita Bonacina. de ſacram. diſput. 8. quæſtione vnica. punctual. quinto. numero decimotertio.

48 Poteſt Epiſcopus in aliena Diœceſi conferre ordines abſque licentia ordinarij loci ?
Reſp. Negatiuè. Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 5. de reform.

49 Poteſt Epiſcopus de licentia Ordinarij loci exempti celebrare ordinationes in loco exempto ?
Reſp. Non ſine licentia Epiſcopi in cuius Diœceſi cõſiſtit talis locus exemptus. Bonacin. de Sacram. diſp. 8. q. vnica. puncto 4. nu. 18.

50 Epiſcopus exercens pontificalia in aliena Diçceſi de licentia Ordinarij illius loci, poterit ne ordinare ſuos ſubditos, & familiares ?
Reſp. Affirmatiuè, iam enim habet licẽtiam ordinandi. ita Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 5. de reformatione.

51 Epiſcopus in aliena Diœceſi ordinationes faciens de licentia proprij Epiſcopi, poterit ne ordinare venientes ad ſe cum dimiſſorijs, ſine licentia expreſſa illius proprij Epiſcopi in cuius Diçceſi ordinationes facit ?
Reſp. Poterit, quia nullum eſt inconueniens, & ſufficit generalis licentia, quæ data eſt illi exercendi ordines. Fornar. de ſacram. ord. c. 5. numer. 5. & Bonacina vbi ſup.

52 Græci poſſunt ne ordinari ab Epiſcopo latino, aut è contra ?
Reſp. Non ſecundum regul. c. 2. de temp. ord. ſed græci ſubiecti Epiſcopo latino non poſſunt ordinari ab Epiſcopo græco, ſine licentia proprij Epiſcopi. c. quoad translationem. de temp. ordin.

53 Presbyteri græci ſi ordinentur ante matrimonium, poſſunt ne poſt ordines ſumere vxorem ?
Reſp. Negatiuè, ſi loquamur de Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus ordinibus; ſi verò loquamur de ordinibus minoribus, nihil refert; Vxoratus poteſt ordinari, quòd ſi moriatur eius vxor nõ poterit trãſire ad

re ad ſecunda nuptias, nec mulier mortuo marito. S. Th. in add. ad 3.p.q.52.art.4.Azor.p.1.inſt. moral, lib. 13.c.14.Syno.S.Mart.Epiſc.Brac. Græci.nu. 29.

54 Quibus debet dari facultas, vt ordinentur à quocunque Epiſcopo.
Reſp. Habentibus legitimam cauſam, ob quam non poſſint ordinari à proprio. & eam expreſſam in litteris. Trid.ſyn. ſeſſ.7.c.11.de reform.

55 Si Epiſcopus dicat nō accedat ad ordines, qui non eſt approbatus, & non declarat expreſsè ſe non habere intentionem ordinandi illos, & nihilominus accederet aliquis ex non approbatis, talis remaneret ne ordinatus?
Reſp. Affirmatiuè, quia Eccleſia præſumit Epiſcopum tamquam perſonam publicam habere intētionem ordinandi. In hac ſententia eſt Henriq.

56 Si Epiſcopus dicat publicè ante ordinationē non habeo intentionem ordinandi reprobatos, nec non illos, qui, dimiſſorias proprij Epiſcopi non habent, & nihilominus haberet intentionem actualem, vel habitualem ordinandi omnes illos, quos de facto ordinat, vt in c.1.de eo qui furt.ord.ſuſcep.& vnus, vel reprobatus, vel non habens dimiſſorias proprij Epiſcopi ſe intromittat cum alijs, & cum alij accipiat ordines, erit ne iſte talis ordinatus?
Reſp. Affirmatiuè, quia vera intentio Epiſcopi attendenda eſt?

57 Si faciente Epiſcopo ordinationes, quis ſe intromittat inſcio ipſo Epiſcopo non habens dimiſſorias, vel non approbatus, ipſe Epiſcopus ordinans illum, incidit ne in aliquam pœnam?
℞. Negatiuè, quia ad pœnam aliquam incurrendā requiritur voluntas, & intentio operantis. Molfeſ. in ſum.tom.1.tract.2.c.2.num.13.

58 Talis ordinatus quam pœnam incurrit?
Reſp. Suſpenſionis, ſi Epiſcopus nihil declarauit. Quarant.in ſum.bullar.verb.Ordo.& Auila de cēſur. p.3.diſp.3.dub.7.

59 Quis dicitur proprius Diœceſanus regularium?
℞. Epiſcopus proximior monaſterio, non Diœceſi & hoc, propter vtilitatem regularium, & hoc intelligitur in monaſterijs nullius Diœceſi, ſed non in monaſterijs ſitis intra Diœceſim. Bull. Clem. VIII. dat.Romæ dei 15. Martij 1596.

60 Si quis eſt profeſſus in aliqua religione, & dimittat habitum a quo Epiſcopo debet ordinari?
Reſp. Ab Epiſcopo ſui originis. Nauar.conſil. 104. de regul.

61 Abbates Benedicti poſſunt ne conferre ordines minores ſuis ſubditis?
Reſp. Poſſunt tantum ſuis ſubditis regularibus, non autem ſecularibus. Trid.ſyn.ſeſſ. 23.c.10.

62 Abbates, qui habent mitram, & baculum facientes ordines in ſua, vel in aliena iuriſdictione de licentia Epiſcopi poſſunt ne conferre primam tonſuram & ordines minorem ſecularibus, dimiſſorias afferentibus.
℞. Poſſunt ſi in dimiſſorijs fiat ſingularis mentio, vt talis ordinetur à tali Abbate: itaq; non ſufficit habere dimiſſorias generales. Fornar. de ſacram.ord.c. 5.num.8.& Vaſquez 3.p.tom.3.diſp.243.n.33.

63 Dicti Abbates poſſunt conferre ordines minores religioſis alterius religionis?
℞ Poſſunt, ſi ferant dimiſſorias ſui Superioris, & habeant, ſpecialem licentiam Epiſcopi illius loci, in quo ordines adminiſtrandi ſunt. Azor. p.2.lib.3.cap. 48.q.15.& Quaranta verb.Ordo, §.Abbatibus.

64 In ſuſcipiente ordines, requiritur ne proprius cōſenſus?
℞. Affirmatiuè, ſi ſit adultus. Trid. ſynod.ſeſſ.23. cap.11.

65 Ordinatus per vim valet ne Ordo?
℞ Non valet, cum requiratur proprius conſenſus; ſed per metum non cadentem in conſtantem virum tenet, Soto diſt. 25.q.1.art.2.

66 Dormiens poteſt ne ordinari?
Reſp. Si antea habuit voluntatem ſuſcipiendi ordines, tenent, itidemq; imprimitur character; ſi verò non habuit, contrarium aſſerendum eſt, quia requiritur voluntas actualis, vel habitualis. Fornar. in addit.Tolet.c.3.de ord.Sylueſt.verb.Ordo.

67 Si puer ante vſum rationis ordinaretur, teneret ne Ordo?
Reſp. Teneret.D.Th.in addit.ad 3.p.q.3.art.2.Fornar. in add.Tol.c.3.de ord.Valenz.q.4.p.1. Sotus 4. diſt.25.

68 Quare in infante nondum aucto, ante vſum rationis, non requiritur etiam actualis voluntas.
Reſp. Quia intentio Eccleſię in hac re ſufficit pro illo, ſicut, & in Baptiſmo. Fornar.vbi ſup.c.3.

69 Talis puer ordinatus poſt vſum rationis obligaretur ne ad votum caſtitatis?
Reſp. Negatiuè, niſi poſt vſum rationis ratificet cognita voti obligatione, quia ad votum, voluntas deliberata requiritur. D.Th.in addit.ad.3.p.q.3. Azor. li.13.c.14.q.9.Henriq.li.10.c.14.§.3.Palud. 4.ſent. diſt.25.q.3.Sotus eandem diſt.q.1.art.2.

70 Si puer ante vſum rationis conſecraretur in Epiſcopum, eſſet ne Epiſcopus?
Reſp. Partem negatiuam, tenet D.Th.ſuper. quæſt. 39.art.2. Enriquez.lib.10.de ordin.cap.14.§.3.quia Epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ, & ad ſponſalia requiritur proprius cōſenſus, ſed partem affirm.tenet Tolet. in ſumm.lib.1.& ibi dicit eſſe communem opinion. fundatur in hoc, quia character Epiſcopatus non eſt diſtinctus, à charactere Sacerdotis. Sed extenditur in Epiſcopo per additionem nouæ poteſtatis. idem ſentit Reginald.cap.1. num.5. & Caninik, dubio 2.in fine.

71 Qui metu ſuſcipit ordinem ſacrum tenetur ſeruare votum caſtitatis?
Reſp. Negando, quia votum ſolemne metu factum non obligat. Nauar.conſ.1.& 3. de ijs, quæ vi metus ve cauſa fiunt.

72 Qui ſemel eſt Sacerdos poteſt ne rurſus fieri laicus, & nubere?
Reſp. Poteſt ex cauſa, cum diſpenſatione Papæ. Trident.ſynod.ſeſſion.21.cap.2.&ſeſſion.23.cap.3.ſeſſ. 35.c.vltim.de reformat.

74 Si excommunicatus faciat ſe promoueri quid eſt agendum?
Reſp. Si ſcienter fecerit, & ſit ſæcularis à ſuſceptis ordinibus eſt ſuſpendēdus; ſi eſt religioſus, ab executione ordinis, & officij: ſi autem neſciebat ſe eſſe excommunicatum, à ſuo Superiori abſoluitur.c.illorū. de ſent.excom.

75 Si quis exerceat ordinem, quem non habet, quam pœnam incurrit?
Reſp. Per Bull.Clem.VIII.debet tradi Curiæ ſeculari; ſi ſit laicus, debet excommunicari, & numquam eſt or-

eſt ordinandus, ſi Clericus, eſt deponendus, & ab ordine, quem debet, perpetuò ſuſpendendus. Silueſtr. verb. Ordo. 5. num. 8.

76 Poteſt Epiſcopus excommunicare illum, cui præcepit, vt celebraret dominicis, vel certis diebus?
Reſp. Negatiuè, ſed monitionibus, & exortationibus agere debet.

77 Si quis ſuſpenditur à celebratione Miſſarum, quibus teſtibus vti debet ad ſuam liberationem?
Reſp. Teſtibus idoneis. Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 13.

78 qualis eſt effectus ordinis ſacri, & quid datur per ordinationem?
Reſp. Datur poteſtas conſecrandi, & abſoluendi, & datur Spiritus Sanctus, & imprimitur character Tri. ſyn. ſeſſ. 23. can. 4.

79 Poteſt Epiſcopus, vel eius Secretarius pro titulo, vel pro ordine faciendo accipere aliquid.
Reſp. Negatiuè, Secretarius verò ſi non habeat ſalarium poterit accipere, decimam partem aurei, Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 9.

CAPVT XIII.

De Scrutinio in Ordine Faciendo.

1 QVando Clericus accedit ad maiores Ordines quam cognitionem debet habere Archidiaconus, vt tuta conſcientia poſſit reſpondere eſſe dignum?
Reſp. Sufficit, vt non habeat ſcientia in contrarium ex regula generali quod quilibet præſumitur bonus, niſi in contrarium probetur malus c. 1. de ſcrutin. in ordin. faciendo.

2 Epiſcopus ordinans aliquem ſubditum quid debet examinare?
Reſp. Primò, quòd ſit de legitimo matrimonio. Secundò patrimonium, vel beneficium ad cuius titulū quis ordinatur. Tertiò ſcientiam neceſſariam. Quarto temporum interſtitia. tam in minoribus, quam in maioribus ordinibus. Quinto virtutem, & bonam famam vitę. Sexto teſtimonium ſui Parochi, vel Magiſtri, fidem faciens quod in præcedenti ordine laudabiliter ſe geſſit Septimò, quòd non ſit excommunicatus, nec bigamus, nec obligatus ad ratiocinia. Octauo litteras teſtimoniales præcedentium ordinum, quæ omnia iubentur. in Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 4. 5. 6. 11. 12. 13. & 14. & DD. dec. 54. c. de Cler. peregrin. & Innoc. ibi. c. primatus. diſt. 71. c. legum. 2. q. 2.

3 Quando Epiſcopus vult ordines conferre quid agendum?
Reſp. Omnes ordinandi debent accedere ad Epiſcopum Færia quarta ante ordinationem, qui adhibitis ſibi viris doctis eos examinet, approbet, vel reprobet. Trid. ſyn. ſeſſion. 23. cap. 7. de reformat.

4 Qui debent eligi, & ordinari?
Reſ. Qui iudicio ſui Epiſcopi fuerint vtiles, & neceſſarij Eccleſiæ. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 16.

5 Si aliquis ſit notoriè virtuoſus, & doctus poterit ſine examine promoueri ad ſacros ordines?
Reſp. Affirmatiuè, quia notorietas eſt ſufficiens examen, & teſtimonium. Abb. in c. Fraternitati. de cler. non reſident. num. 4.

6 Quæ qualitates requiruntur in ordinandis?
Reſp. Debent eſſe ex legitimo matrimonio, & habere teſtimonium baptiſmi, & confirmationis, ſciētiam, ætatem, beneficium, vel patrimonium, ſcire legere, & ſcribere, fidei rudimenta, teſtimonium à Magiſtro ſcholæ, vel Parocho de bona vita, & fama, & debet ſe exhibuiſſe vtilem Eccleſiæ, & verſatū in ſuo ordine per annum. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 11. 4. & 5.

7 Ad primam tonſuram quid requiritur?
Reſp. Quod ſit confirmatus, & ſciat legere, & ſcribere, & ſit probabilis coniectura quod non fugiat iudicium ſæculare, ſed quod velit Deo ſeruire. Trid. ſynod. ſeſs. 23. cap. 4. & quod ſciat doctrinam Chriſtianam.

8 Cui debent conferri ordines minore.
Reſp. Pueris bonę indolis qui intelligunt linguam latinam, & in animo habeant ſeruiendi Eccleſiæ. Trident. ſyn. ſeſs. 23. c. 11.

9 Vt quis promoueatur ad maiores ordines quid requiritur?
Reſp. Vt ante menſem adeat Epiſcopo, qui committet cui voluerit, vt publicè in Eccleſia nomina ordinandorum, & deſideria publicentur, & diligenter inquiratur de natalibus, ętate, vita, & moribus, & litteras teſtimoniales ad eum reportent. Trident. ſynod. ſeſs. 23. c. 5.

10 Si Epiſcopus ordinet Clericū non ſubditum, quid debet examinare?
Reſp. Cum ipſe eum non cognoſcat, debet examinare eius dimiſſorias, & ſequi earum tenorē: & ſi fuerit approbatus de ſcientia à ſuo Epiſcopo, non tenetur illum examinare; ſed ſi vult, poterit, & debet etiam cognoſcere litteras teſtimoniales præcedentium ordinum, ne quis promoueatur per ſaltum; namque in litteris non Clerico præſtanda eſſe fides; cætera vero requiſita pertinent ad proprium Epiſcopum, cap. 1. de Cleric. peregrinat. & Innocent. ibid. capit. nullum. capit. primatus. diſtinct. 71. cap. legū. 2. quæſt. 1.

11 Si dimiſſoriæ faciant fidem de ſcientia, & idoneitate, & reliquis requiſitis, tenetur ne Epiſcopus ordinas illos examinare?
Reſp. Negatiuè: poteſt tamen ſi velit dummodo ſint ſæculares: ſi verò regulares, tenentur illos examinare, quia Trid. ſyn. hoc expreſsè iubet. Quarant a in ſumm. bullar. verb. Ordo. & verb. obligatio Epiſcoporum.

12 Si aliquis habeat beneficium curatum indiget ne noua approbatione ad ordines?
Reſp. Negando cum Trident. ſyn. ſeſs. 23. cap. 15.

13. Qui approbatus eſt ad Dignitatem debet ne ad ſuſcipiendos ordines ſacros de nouo examinari?
Reſp. Debet niſi ſimul, & ſemel ſuſcipiat Ordinē, & Dignitatē: tunc enim vnū examen ſufficit de vtrōq;

14 Poteſt Epiſcopus prohibere habentem beneficiū curatum, vt non ordinetur?
Reſp. Poteſt ex cauſa. Trident. ſyn. ſeſs. 22. cap. 4. & ſeſs. 14. cap. 3.

15 Poſt reprobationem examinatorum datur appellatio?
Reſp. Datur ad effectum tantum deuolutiuum.

16 Si quis habeat facultatē à Sede Apoſtolica, vt ordinetur à quocunque Antiſtite debet ne examinari de moribus, ſcientia, & vita, & a quo?

℞. Affirmatiuè, & à proprio Epiſcopo, vel ab illo, a quo ſuſcipit ordines, niſi hæc omnia in reſcripto Sūmi Pont. ei ſuppleantur. Bonacin. de Sacram. diſp. 8. q. vnica. punct. 4. num. 37.

17 Si talis per longum tempus abſuit à ſua Diœceſi, a quo debent fieri approbationes?

℞. De ſcientia, à ſuo ordinario: de moribus, & vita, ab Epiſcopo in cuius Diœceſi per longum tempus cōmoratus eſt. Molfeſ. in ſum. to. 1. tract. 2. c. 2. n. 20.

18 Poteſt Epiſcopus examinare promotos a ſuo Anteceſſore?

℞. Niſi noua cauſa interuenerit non poteſt. cap. accepimus. de ætate, & qualit. ord.

19 Diaconus, qui caret ſcientia, ſi eſt penuria Sacerdotum in illa Prouincia, vel ciuitate, poteſt ne promoueri ad Sacerdotium?

℞. Nunquam ignarus promouendus eſt ad Sacerdotium, licèt iam promoto poſſit conferri Parochialis Eccleſia, ſi magis peritus non poſſit inueniri.

20 Si Epiſcopus ordinat aliquem minus idoneum, Quid agendum?

℞. Ipſe debet eum ſuſpendere.

21 Clerici pauperes, qui ſuo labore tenentur quærere victum quam ſcientiam debent habere ad beneficium ſimplex?

℞. Sufficit ſcire ſicut ſimplices laici, cum minor ſciētia requiritur, quam in alijs, qui non ſunt pauperes, vt tenet Innoc. in cap. 1. de ſum. Trinit. & fid. Cathol.

22 Ordinatus, a quo tenetur recipere litteras ſuorum ordinum?

℞. Siue ordinetur de maioribus, ſiue de minoribus ordinibus, ab epiſcopo ordinante in ſcriptis ſigillatas ſuo ſigillo, ſubſcriptas ſua manu, referendatas à ſuo Secretario in papyro, & eas ſeruare vſque ad mortem. in c. legum 2. q. 1. & DD. ibi, & ratio eſt, quia ſententia, quæ ſine ſcriptis profertur non meretur nomen ſententiæ.

23 Si aliquis habeat litteras ordinis Diaconatus, & non habeat litteras aliorum ordinum, ſufficiunt ne vt promoueatur ad Sacerdotium?

℞. Siue talis ſit Clericus, ſiue Regularis, non poterit Epiſcopus ſecura conſcientia eum ordinare, & in cæremon. Clem. VIII. dicitur; examinentur de ordine in quo ſunt conſtituti, & id ſine teſtibus fieri non poteſt, quia talis præſumitur ordinatus per ſaltum; neque creditur ei aſſerenti eſſe ordinatum, quia in decretal. lib. 5. titul. 29. & 30. de Cleric. per ſalt. prom. & de eo, qui furt. ordin. ſuſcepit. Epiſcopo ordines celebranti iubetur, ne hoc faciat; & ideo ad eū pertinet examinare litteras præcedentium ordinum. capit. 1. de Cleric. peregrin. innocent. ibi. cap. primatus. capit. nullum. diſtinct. 71. capit. legum. quæſt. 1. capit. 1. de cler. per ſalt. prom. DD. ibi & Hoſtienſ. in ſumm. de cleric. peregrin. num. 4. de hac materia latè dixi lib. 6. c. 14.

27 Si aliquis amittat litteras ordinis inferioris, vel caſu fortuito eas non habeat, vel ex ignorantia eas reliquit domi, quomodo debet facere, vt promoueatur?

℞. Per media Iuris in caſibus, in quibus res non apparet; nempè per teſtes, per publicam famam facto proceſſu, quem debet ſeruare cum ſua dimiſſoria, & titulo ordinis, quem de præſenti ſuſcipit, vt ſeruiat loco prædictarum litterarum. Nauar. de præſentat. conſ. 4. & de ſucceſſionib. ab inteſt. conſ. 5. Boer. dec. 171. num. 23.

28 In iſto caſu ſufficit ne iuramentum ipſius, qui debet ordinari?

℞. Si talis Vir bonus ſit, & ſit publica fama, quòd eſt ordinatus, & quòd miniſtrauit in illo ordine, ſufficiet eius iuramentum; quia in iis in quibus non agitur de præiudicio alterius, poteſt probari per iuramentum, & nihilominus tale iuramentum ſolemne in manibus Iudici debet ſeruari loco litterarum prędictarum. Felyn. in cap. ſuper iis. de accuſ. num. 18. Boetius deciſion. 171. num. 23. Couarruu. practicar. quæſtio. capit. 33. num. 3. Zerol. verb. bull. ſed rarò, & cum perſona graui, & nimis nota, & hoc remedio vtendum eſt propter magnum periculum ne per ſaltum ordinentur.

29 Si Epiſcopus ſciat per confeſſionem, vel aliàs occultum aliquod impedimentum, poteſt ne prohibere ne quis ordinetur?

℞. Non, ſed poteſt monere; quia crimina occulta vindictam exteriorem non habent. c. ex tenore. de tempor. ordin.

30 Quare in aliquib. Eccleſijs Cathedralibus obſeruatur, quòd nemo recipiatur ex illis, qui deſcendunt à Iudæis, vel a parentibus de nouo conuerſis?

℞. Quia ex peculiari cauſa habent ſtatuta confirmata a Sede Apoſtolica, & antiquiſſimis conſuetudinibus, & ſic illud obſeruandum eſt.

31 Si quis ergo deſcendat ab origine Iudæorum, & eius parentes in gremio Eccleſiæ facta pœnitentia mortui ſint, debet ne excludi ab ordinibus ſacris ſuſcipiendis?

℞. Negatiuè; præcipuè ſi talis omnia requiſita in Bulla Bon. fac. ij VIII. contenta habeat; quæ incipit (ſtatum:) licèt ſtatuta Eccleſiarum confirmata à Summo Pontifice obſeruanda ſint.

32 Qui ſunt incapaces Ordinis?

℞. Non baptizatus, mulier, hermofrodità, niſi ſuperet ſexus virilis, puer, illegitimus, ignarus, excommunicatus, Iudæus, Hæreticus, Irregularis, Vſurarius, peccator publicus, vxoratus: & licet in pluribus iſtorum Ordo de facto teneat, tamen admitti nō debent. Syl ueſtr. verb. Ordo, num. 4. Tol. lib. 1. c. 48. num. 4. c. 64. num. 7.

33 Quæ ſunt crimina impedientia promotionem ad Superiores Ordines, etiam poſt penitentiam factam?

℞. Solus homicidia, qui remanet irregularis; quia adulteri, & periuri, & alij criminoſi, vt latrones poſt pœnitentiam factam poſſunt promoueri ad ſacros Ordines, & in ſuſceptis miniſtrare. cap. Miniſter. de tempor. ordin.

34 Quibus in caſibus poteſt ordinari, qui matrimonium duxit?

℞. Pluribus. Primo, ſi matrimonium non conſumauit, & caſtitatem in religione profiteatur, & tunc matrimonium eſt ſolutum. Rebellius ſect. 2. q. 4. & Fornar. in addit. Tolet. lib. 7. cap. 9. eſtq; communis ſententia fundata c. 1. c. ex publico de conuerſ. coniugat. Secundo, ſi conſumato matrimonio mulier aliquam religionem profiteatur de conſenſu Viri. Glo. in extrau. antiqua. de voto. Tertiò, ſi vxor adulterium commiſerit in foro interno, & preterea in exter-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

externo requiritur, vt adulterium ſit publicum, vel declaratum per ſententiam Iudicis. Nauar. conſ.40. de conuerſ.coniugator. Sanchez. lib. 10.diſp.11. numero 10.& 11.

35 Quam pœnam incurrit, qui poſt contractum matrimonium de præſenti ante copulam fecit ſe ad ſacros Ordines promoueri abſq; ingreſſu religionis? ℞. Eſt ſuſpenſus, & mortua vxore non poterit ad alios promoueri, neque in ſuſceptis miniſtra, neque obtinere beneficia. Syluestr. verb.Ordo.5.num. 7. ſed Sanchez.lib. 7.diſt. 28. num.3. tenet tantum peccare mortaliter.

CAPVT XIV.

De temporibus ordinandorum.

1 Prima tonſura, quo tempore conferri debet? ℞. Quacumque die, quacumq; hora ſiue mane ſiue veſpere ſiue Epiſcopus ſit ieiunus, ſiue poſt prandium, vt habetur in Ceremoniale Romano.

2 Prima tonſura poteſt ne conferri vno die ſimul cũ quatuor minoribus ordinibus?
℞. Non eſt licitum id facere, vt tenet Syluest.verbo Ordo 2. quæſt. 7.§.3. Enriquez lib.10.cap.11. in fine, & Toletus.c.8. de ordine nu.3.verbo nota. Ratio eſt, quia cum non ſit Ordo, ſed diſpoſitio ad ordines congruum eſt requiri tempus intermedium, vt cogitet de electione noui ſtatus, ſed in hoc Epiſcopus poteſt diſpenſare, nam Concil. Trident. ſeſſio.23.c. 11.de reformation. id arbitrio Epiſcopi relinquit, verum perrarò, & cum magna cauſa id eſt faciendum ab Epiſcopis, vt tenet Suarez diſput.31.ſeſſ. 1. num. 43.

3 Minores ordines quo tempore conferri debent? ℞. Diebus Dominicis, & feſtiuis duplicibus, etiam ſi non ſint de præcepto in Miſſa, vel extra Miſſam, & Epiſcopus debet eſſe ieiunus, vt tenet c. de eo de temporibus Ordinandorum; & cæremoniale Rom.

4 Duo minores ordines poſſunt ne vna die ſimul conferri eidem perſonæ?
℞. Non poſſe ſine diſpenſatione Epiſcopi quã debet concedere cum cauſa, conſiderando ætatem, ſcientiam, & perſonam, & id in Diœceſi vbi conſuetudinem fuerit. tenet Sà verbo Ordo num.17.

5 Maiores ordiues quo tempore conferri debent? ℞. Solum in quatuor anni temporibus, & Sabbato Sancto, in Miſſa in Eccleſia Catedrale publicè, præſentibusq; Canonicis, & ſi Epiſcopus per ſuam Diœceſim vagetur, præſtare debet munus ſuam, in Eccleſia Parochiale, vel Monachorum, vel Monialium præſentibus Clericis, pontificio ornatu indutus, vt tenet c. de eo de temp. ordinandorum Trident. ſyn. ſeſſ.13.c.8.

6 Si ordines conferantur poſt prandium tenent ne? ℞. Minores tenet, licet dari non debeant: de maioribus dubitat. Syluestr. verbo Ordo 2.q.6. quia ad maiores requiritur Miſſa.

CAPVT XV.

De Aetate, & qualitate Ordinandorum.

1 Prima tonſura qua ætate poſt concedi? ℞. In ſeptimo anno completo. c. in ſingulis. diſt.77. c. nullus de tempor.ordin. in 6. Trid. ſynod. ſeſſ. 23.c.11. licet videatur in his capitulis hoc relictum eſſe arbitrio Epiſcopi.

2 Ad minores ordines quæ ætas requiritur? ℞. Septem annorum. Trid.ſynod. ſeſſ.23.c.6.

3 Ad ſacros Ordines quæ ætas requiritur?
℞. Ad Subdiaconatum, vigeſimus ſecundus annus; ad Diaconatum vigeſimus tertius; ad Presbyteratũ Vigeſimus quintus quod ſufficit ſolum attigiſſe. Trident.ſyn.ſeſſ.23.cap.12.

CAPVT XVI.

De Dimiſſorijs.

1 Si quis ordinetur ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſorijs, etiam vigore alicuius reſcripti, vel priuilegij, quam pœnam incurrit?
℞. Suſpenditur quoad vſq; ſuo proprio Epiſcopo videbitur, & ſi celebrat manet irregularis, & Epiſcopus ordinans ſuſpenſus eſt à collatione ordinum per annum. Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.8.de reform.

2 Epiſcopus quid præſtare debet antequam det dimiſſorias?
℞. Debet examinare ſubditum de vita, moribus, ſcientia, patrimonio, & ætate. Trid. ſyn.ſeſſ.23.c.3. de reform.

3 Litteræ dimiſſoriæ à quo peti poſſunt?
℞. Ab Epiſcopo Diœceſano, & ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi quis habet beneficium. Reginald. in prax. tom.2.lib.30.tract.1.c.5.num.23.

4 Epiſcopus, qui eſt in Italia poteſt ordinare Vltramontanum, Gallum, vel Hiſpanum, cum dimiſſorijs proprij Ordinarij?
℞. Neque primam tonſuram poſſe ſine licẽtia Summ. Pont. niſi in dimiſſorijs proprius Epiſcopus declaret talem venire in Italiam, aut eſſe ob talem cauſam, quia tunc tolleretur omnis ſcrupulus. c.1. de temp. ord.lib.6.& Gloſ.ibi.

5 Si Epiſcopus ordinet talem vltramontanum ſine dictis dimiſſorijs qua pœna punitur?
℞. Clericus eſt ſuſpenſus, & debet abſolui à Summo Pontifice, vel à proprio Epiſcopo; Epiſcopus verò ordinans, punitur pœna condigna, ſed arbitraria. c.ſæpè de tempor. ordin. in 7.

6 Poteſt Epicopus ordinare homines Regionis Hyllyricæ, ideſt Dalmatiæ, vel Sclauoniæ, qui ſunt Chriſtiani, licet neſciant linguam latinam?

H Reſp. Po-

Reſp. Poteſt ſi ſciant linguam Hylliricam, vel Grecam, & habeant cætera requiſita, & more latino miniſtrent,

7 Epiſcopus dans dimiſſorias, qui debet in eius declarare?
Reſp. Se eſſe impeditum abſentia, ægritudine, vel alia legitima cauſa. Zerol. in prax. Epiſc. p. 1. verb. dimiſſoriæ, num. 5.

8 Epiſcopus exiſtens in aliena Diœceſi poteſt ne dare dimiſſorias ſuo ſubdito?
Reſp. Poteſt exiſtẽdo in propria, & aliena Diœceſi.

9 Epiſcopus dans dimiſſorias ſuo ſubdito abſenti, poterit ne committere examen Epiſcopo ordinanti, vel alteri perſonæ.
Reſp. Poterit, ſi propter diſtantiam itineris talis ordinandus non poſſit commodè adire ad ſubijciendũ ſe examini ſui ordinarij. Reginald. in prax. tom. 2. lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 34.

10 Si dimiſſoriæ fidem faciant de ſcientia, & idoneitate; & reliquis requiſitis, Epiſcopus ordinans tenetur ne illos examinare?
Reſp. Negatiuè, ſi ſit ſæcularis; quod ſi velit, poterit: ſi verò ſit regularis, tenetur illos examinare; quia Trid. ſyn. hoc expreſsè iubet. Quarant. in ſum. bull. verb. Ordo, verb. obligatio Epiſcopor.

11 Si quis ordinetur ſine dimiſſorijs, à quo poterit abſolui.
Reſp. Ab Epiſcopo proprio, vel Superiore, ad quem pertinebat dare dimiſſorias, Molſeſ. in ſum. tom. 1. c. 18. num. 1 &.

12 Si Vicarius habeat generale mandatum, & Epiſcopus ſit abſens, poterit ne dare dimiſſorias, & diſpenſare interſtitia?
Reſp. Poterit; Menoch. tract. 2. lib. 2. de arbit. iudicib. caſ. 222. num. 9.

13 Dimiſſoriæ Epiſcopi Vltramontani quid debent continere?
Reſp. Debent dicere talem ſubditum eſſe in Italia ob talem cauſam, vt tollatur omnis ſuſpicio. c. 1. de temp. ordin. in 6.

14 Abbates etiamſi ſint exempti poſſunt ne concedere dimiſſorias ſæcularibus?
Reſp. Non, niſi habeant priuilegium Apoſtolicum. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 6. & 10.

15 Priores ordinis Hieroſolymitani poſſunt ne dare dimiſſorias ſuis ſubditis ſecularibus, & regularibus?
Reſp. Non ex decret. Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 10. ſed ſolum profeſſis ſui ordinis.

16 Capitulum ſede vacante poteſt ne dare dimiſſorias ſuis ſubditis?
Reſp. Non niſi tranſacto anno à morte Epiſcopi, Trident. ſyn. ſeſs. c. 13.

17 Si Capitulum ante annum dederit litteras dimiſſorias quam pœnam incurrit?
Reſp. Remanet interdictum, & Vicarius, qui ſcripſit litteras priuatur officio, & beneficio per annum: & ordinatus, ſi ſit in minoribus, perdit priuilegium clericale; ſi ſit in maioribus, ſuſpenditur. Trid. ſyn. ſeſs. 23. c. 10. & ſeſs. 7. c. 10.

18 Si omnes Canonici Capituli ſint diſperſi, vel hæretici, & vnus reſideat ſede vacante, quis debet dare dimiſsorias?
Reſp. In iſto caſu vnus facit totum Capitulum, & poterit dare dimiſsorias.

19 Litteræ dimiſsoriæ datæ à Capitulo Sede vacante, vel à Vicario Epiſcopi ſpirant ne adueniente nouo Epiſcopo, vel nouo Vicario?
Reſp. Si Capitulum legitimè eas conceſſit poſt finitum annum à morte Epiſcopi, non ſpirant; quia eadem militat ratio, cum ſint litteræ gratioſę datę à facultatem habente; ſed ad euitandas fraudes, & ob debitam reuerentiam, Epiſcopus celebrans ordines non debet eas executionis mãdare ſine ſcientia noui Epiſcopi; quia aliud eſt, quod de iure iubetur, aliud, quod vrbanitate debet fieri, Reboſſus, Salzedo, Ledeſma, & Gutierrez. qq. can. lib. 2. c. 17. num. 2. text. in c. 3. de tempor. ordin. in 6.

20 Si omnes Canonici ſint diſperſi, & Epiſcopus ſit hæreticus, Subditi poſſunt adire Metropolitanum pro dimiſſorijs?
Reſp. Non, ſed debent recurrere ad Summum Pontificem, quia nullibi data eſt hæc facultas Metropolitano?

21 Dimiſſoriæ datæ ab Epiſcopo ſui ſubditis ſpirant ne morte mandantis?
Reſp. Negando, ratio eſt, quia ſunt litteræ in fauorem cum contineant licentiam ad promouendos tales ſubditos ad ordines, & ſic iſta gratia nõ ſpirat, in qua ſolum defuit executio, & vſus illius. Cardin. in Clement. fin. nu. 9. quæſt. 5. de electjon. & ibi Imola num. 3. Rebuff. in prax. benefic. in form. litterar. dimiſſorial. n. 43. Villa Diego tractat. de legat. q. 16. numero 25. Nauarr. lib. 10. conſil. quinto, de reſcript. & capit. placuit diſtinct. 6. de pœnit. Perez lib. 2. ordina. tom. 2. Salzed. in addit. ad prax. Bernar. Diaz c. 20. Guttierez quæſt. practicar. lib. 2. queſtio. 75. num. 3. Enriquez lib. 7. de indulg. cap. 21. num. 6. & lib. 10. de Sacram. ordin. cap. 22. Suarez de pœnit. 20. ſect. 4. diſt. 3. num. 8. Emanuel Sà in ſum. verb. dimiſſoriæ, num. 1. Ledeſma de ſacr. ord. c. 8. difficult. 2. colum. 6. concl. 4. Henriq. lib. 10. caſ. 22. in fine, & lib. 12. c. 3. num. 10.

22 Si quis habuit veras dimiſſorias, & eas in itinere perdidit, & alias falſas fecerit, erit ne ſuſpenſus?
Reſp. Non, quia iam habuit veras dimiſſorias, ſed habebit pœnam falſarij, idem dicendo de eo, qui fecit, vel falſificauit titulum ordinis, quem verè ſuſcepit. Nauar. de tempor. ordinandor.

23 Fratres Carthuſiani, & cæteri regulares, vt ordinentur ab alieno Epiſcopo tenẽtur ne habere dimiſſorias proprijs Epiſcopi?
Reſp. Non, ſed ſufficit habere dimiſſorias ſuorum Superiorum, & Epiſcopus ordinans poterit diſpenſare eorum interſtitia. Vaſquez 3. p. tom. 3. diſp. 246. c. 6. num. 55.

24 Si Epiſcopus dans dimiſſorias, relinquit Epiſcopatum ob promotionem ad maiorem, vel illum renũtiando, dimiſſoriæ ab illo conceſſæ erunt ne validæ?
Reſp. Affirmatiuè, cum eodem modo pereat poteſtas per mortem, ac per renunciationem; aduertendum tamen eſt ab Epiſcopo promouente ad ordines, quòd ſi multum temporis elapſum fuerit, videlicet vnius, vel duorum annorum ſpatium, poſt quam tales dimiſſoriæ conceſſæ fuerint; vel ſi nouus Epiſcopus iam occupauit Epiſcopatus, eas executioni nõ mandare, ſine noui Epiſcopi ſcientia, & approbatione, ne lateat anguis in herba; ſcilicet ne fortaſſis talis ordinandus factus ſit minus idoneus, vel contraxerit poſtea aliquod impedimentum, vel crimen, ob

quod

quod ordinari non debeat. Nauarr. lib. 1. conſ. 5. nu. vnico Enriq. lib. 10. de ſacr. ord. c. 22.

25 Dimiſſoriæ datæ à Prouincialibus, Abbatibus, & alijs Superioribus habentibus talem facultatem ex priuilegio, ſpirant ne morte, depoſitione, vel finito officio dantis?

Reſp. Negatiuè, ſed illis vti poteſt abſq; noua licentia ſucceſſoris (hoc eſt de iure) de vrbanitate verò, & maiori obedientia Superiorum, eſſet conueniens eas oſtendere nouo Superiori, vel eum certiorē facere. Sanchez tom. 3. lib. 8. diſp. 28. de diſpenſat.

26 Si Epiſcopus, vel Superior de nouo intrans reuocet omnes gratis, & dimiſſorias a capitulo, vel anteceſſore conceſſas, dimiſſoriæ erunt ne validæ, ſi ſuum effectum non ſint conſequutæ?

Reſp. Negatiuè, neq; obtinentibus licebit illis vti; & ſi poſt notitiam reuocationis, quis eis vtatur committit delictum, ac ſi ſine dimiſſorijs ordinaretur, puniendus eſt, ratio eſt, quia reuocans habuit eandem facultatem quam ille, qui eas conceſſit. Abb. cap. fi. num. 9. de offic. legati. Card. clem. final. num. 9. q. 5. de elect. Imol. num. 2. Syluest. q. 5. diſt. 7. nu. 16. Nauarr. in Leuitic. notabil. 31. num. 37.

CAPVT XXII.

De Patrimonio, & Beneficio ad cuius tit. quis ordinatur.

1 POteſt quis ordinari ſine aliquo titulo?

Reſp. Negatiuè; debet enim habere patrimonium, beneficium ſimplex, vel curatum ſufficiens ad honeſtæ vitæ ſuſtentationem. Reginald. in prax. for. pœnit. tom. 2. lib. 30. tractat. 1. c. 6. num. 34.

2 Eſt ne taxata quantitas patrimonij, vel beneficij?

Reſp. Negatiuè, ſed relicta arbitrio Epiſcopi conſideratis locis, & prouincijs, perſonis, & penuria rerum. Garcia. de benefic. tom. 1. part. 2. cap. 5. nu. 112.

3 Patrimonium qualem qualitatem debet habere?

Reſp. Debet eſſe ſufficiens ad victum, habita ratione loci, & perſonæ, in re immobili ſituatum, vel in certis redditibus, & alienari non poteſt, antequam habeat, vnde ſe ſubſtentare poſſit, & tunc ad alienationem requiritur neceſſariò licentia Epiſcopi; & hæ ſolemnitates in ſcriptura non poſſunt remitti. Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 2. de reform. Vgolin. de offic. & poteſtat. Epiſcop. fol. 19. §. 10. & 11.

4 Poteſt ne quis ordinari per ſufficientiam, præcipuè ſi ſit graduatus?

Reſp. Non niſi concurrentibus aliquibus requiſitis.

5 Si quis ſit Muſicus, Pictor, vel Scultor, vel habeat aliam nobilē artem, ita vt de ſuo labore poſſit commodè ſuſtentari; poterit ne ad talem titulum ordinari?

Reſp. Negatiuè, quia non eſt certa ſubſtentatio. Garcia de benefic. tom. 1. p. 2. c. 5. num. 125.

6 Ob titulum beneficij ſeminario adiuncti, poterit quis ordinari?

Reſp. Poterit, ſi beneficium ſit ſufficiens ad ſuſtentationem Clerici, & duret donec ſibi alia via prouideatur. Garcian. de benefic. tom. 1. part. 2. cap. 5. numero 101.

7 Poteſt Epiſcopus ordinare aliquem ad titulum donationis bonorum immobilium factæ tali ordinando?

Reſp. Affirmatiuè, ſi tamen Epiſcopus conſiderauerit tria. Primò donationem non eſſe fraudulentam. Secundo redditus eſſe ſufficientes ad ſubſtentationem. Tertio illum eſſe vtilem alicui Eccleſiæ. Molfeſ. in ſum. tom. 1. tract. 2. c. 15. num. 5.

8 Ad ordines ſuſcipiendos ſufficit ne habere beneficium ſimplex in aliena Diœceſi?

Rꝫ. Sufficit dummodo ſit ſufficiens ad ſuſtentationē.

9 Si quis habeat patrimonium, vel beneficium tenue, & coniunctum cum ſtipendio, & eleemoſina Miſſæ ſit ſufficiens ſuſtentatio, poterit ne ordinari tali titulo?

Reſp. Negatiuè, quia eleemoſina pluribus ex cauſis poteſt deficere, videlicet ex infirmitate, vel ex penuria fidelium. Quarant. in ſum. bullar. verb. Ordo verſ. 2. extende.

10 Si quis habeat patrimonium tenue, vel beneficiū ſed iunctum ſit ſufficiens ſuſtentatio, poterit ne hoc titulo ordinari?

Reſp. Poterit. Quarant. in ſum. bullar. verb. Ordo. verſic. 2.

11 Vt quis ordinetur ad titulum penſionis, quid requiritur?

Reſp. Primò, quòd verè obtineat penſionem. Secūdò quòd ſit ſufficiens ad eius ſubſtentationem. Tertiò, quod eam non extinguat, neque tollat, donec habeat vnde aliunde viuere poſſit. Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſc. fol. 20.

12 Poterit quis alienare patrimonium, vel beneficiū ad cuius titulum eſt ordinatus?

Reſp. Non poſſe, niſi habeat aliunde vnde cōmodè viuere poſſit. Reginald. in prax. to. 2. lib. 3. tract. 1. c. 6. num. 34.

13 Si ordinarius acceptat reſignationem beneficij, ad cuius titulū quis ordinatus, eſt ad quid obligatur?

Reſp. Ad ſubſtentandum talem Clericum, & debet illi dare, quod congruum, & ita vt Epiſcopo mortuo poſſit ſubſtentari. Garcia de benef. tom. 1. p. 2. c. 5.

14 Si Epiſcopus ſciat Clericum non habere beneficium, neq; patrimonium, & illum ordinet, quam pœnam incurrit?

Reſp. Tenetur ex proprijs conferre illi beneficium, vel patrimonium neceſſarium, ita vt, illo mortuo, talis Clericus poſſit ſubſtentari. cap. 2. de præbend. vide Suar. diſp. 31. ſect. 1. num. 33.

15 Si Epiſcopus ſolemniter dicit, & faci obligationem ſe daturum alimenta alicui, poterit ne talis ordinari?

Reſp. Non poſſe, quia patrimonium debet eſſe in re certa, & fructifera, & non debet dependere à futuro euentu. Garcia vbi ſup.

16 Regulares ad cuius titulum ordinantur?

Reſp. Ad titulum paupertatis ex eorum priuilegio. ita Henriq. lib. 13. c. 33. & Suarez. diſp. 31. ſect. 1. n. 35

17 Si aliquis regularis ordinetur ad titulum paupertatis de Subdiacono, & poſtea relinquat religionem de iuſſu ſuorum Superiorum, poterit ne ad titulum eiuſdem paupertatis ſumere reliquos ordines?

Reſp. Non poſſe ſed ad titulum patrimonij.

18 Si aliquis regularis ante profeſſionem ſuſcipiat

ordines ad titulum paupertatis quam pœnam incurrit?
Reſp. Eſt ſuſpenſus, & ſi exerceat ordinem, efficitur irregularis. Bull. Pij V. quæ incipit. Romanus Pontifex. publicata ann. 1568.

19 Qui non habet beneficium, vel patrimonium, & ordinatur, quam pœnam incurrit?
Reſp. Si ipſe nihil dicat, neque faciat fraudem, nullam pœnam incurrit, quia de iure adhuc talis pœna non eſt impoſita: at verò ſi dicat ſe habere patrimonium in ſcriptura, & faciat fraudem, amittit executionem ordinis. *cap. 1. cap. fin. diſt. 70. Nauar. conſil. 14. de tempor. ordinandor.*

20 Quare Clericus ordinatus ſine patrimonio non incurrit pœnam, & regularis ordinatus ante profeſſionem eſt ſuſpenſus?
Reſp. Quia pœna Clerici imponitur Epiſcopo, qui illũ ordinauit; & pœna regularis imponitur ipſi, vt arceatur à tali delicto, quia fallit Epiſcopum, & Superiorem ſuum.

21 Clericus, qui ordinatur cum pacto non petendi victum ab Epiſcopo, vel alimenta ab eo, qui ei patrimonium donauit, quam pœnam incurrit?
Reſp. Eſt ſuſpenſus, & à Papa abſolui debet, quia fecit fraudem, *ex c. pen. de ſimon. Fornar. de ordine capit. 8. in additionibus: Tolet. & Nauar. in manuali capitul. 27.*

22 Clerici Societatis Ieſu poſſunt ne ordinari ante profeſſionem ad titulum paupertatis?
Reſp. Poſſunt, quia non ſunt comprehenſi in Bulla Pij V. imò habet priuilegium Gregor. XIII. vt notat *Henriquez lib. ſupra cit. c. 37. §. 1. & Suarez loco itidem citato, num. 38.*

CAPVT XXIII.

De Interſtitijs.

1 EPiſcopus, qui non eſt Sacerdos poteſt conferre ordines?
Reſp. Non poteſt, quia eſt actus ordinis, quem qui non habet, conferre non poteſt: *ita Syluestr. Ordo 2. §. 1. & Ordo 3. quæſt. 1.*

2 Debent ne reuocari in Eccleſia functiones, & exercitia minorum ordinum ſicut olim?
Reſp. Affirmatiuè ſi commodè fieri poteſt; & Epiſcopus in Cathedralibus, & Parochialibus, vbi populus fuerit frequens, poterit aſſignare ſtipendia aliqua. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 11.*

3 Quæ ſunt Interſtitia?
Reſp. Tempus, quod debet intercedere à ſuſceptione vnius ordinis, vſque ad ſuſceptionem alterius. iuxta *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. c. 6.*

4 Quantum temporis aſſignari ſolet è ſuſceptione vnius ordinis ad alterius ſuſceptionem, ſiue ſit Ordo maior, ſiue minor?
Reſp. Annus integer, & hoc conſtitutum fuit, vt quiſque in illo ordine melius exerceretur, & magis peritus ad Superiorem ordinem faceret. *Trident. ſynod. ſeſſ. 23. c. 11.*

5 In computando tempore interſtitiorum, eſt ne attendendus circulus integer, vnius anni ſolaris completi, vel ſolum numerus quatuor interſtitiorum, qui ſolet eſſe minor?
Reſp. Solum numerus quatuor interſtitiorum. *Molfeſ. in ſum. tom. 1. tractat. 2. c. 14. numer. 8. Fornar. de ſacram. ordin. cap. 3. num. 6. & Sixtus V. ex ſententia Congregationis declarauit.*

6 Quanto tempore debet quis exerceri in ordine ſuſcepto?
Reſp. Per annum, & Epiſcopus facilem ſe exhibere nõ debent in diſpenſando; oportet enim, vt quilibet in ordine, in quo eſt, prius ritè inſtruatur, antequam aſcendat ad ſuperiorem ordinem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 11.*

7 Ex prima tonſura, vſque ad hoſtiariatus ordinem, debent ne ſeruari interſtitia vnius anni?
Reſp. Nullibi poſita eſt hæc lex, neq; in Iure Can. neq; in Concil. Trid.

8 Quatuor minores ordines poſſunt ne vno die conferri?
Reſp. Affirmatiuè ſi ſit conſuetudo illius loci, quod non poteſt fieri in maioribus, licet interſtitia in vtroque caſu, poſſint diſpenſari ab Epiſcopo. *Gl. in c. cum. Helator præſentium. de eo, qui furtiuè ord. ſuſcepit. & cap. vlt. eod.*

9 In minoribus conferendi debent ne ſeruari ſolita interſtitia?
Reſp. Affirmatiuè, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videretur, vt eò accuratiùs quantum ſit huius diſciplinæ pondus, Clerici poſſint edoceri. *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. cap. 11. c. in ſingulis gradibus. diſt. 73. gloſſ. in cap. vlt. de eo, qui furtiuè ordin. ſuſcepit.*

10 Duo minores ordines poſſunt ne ſimul vno die cõferri eidem perſonæ?
Reſp. Negatiuè niſi cum diſpẽſatione interſtitiorum, & in Diœceſi vbi ſit conſuetudo. *Sà verb. Ordo n. 17.*

11 Duo ordines maiores poſſunt ne vno die conferri?
Reſp. Negatiuè; imò ſi Epiſcopus id fecerit, manet ſuſpenſus, cap. litteras. de temp. ordin. Trid. ſyno. ſeſſ. 22. cap. 13.

12 Quatuor minores ordines, & Subdiaconatus poſſunt ne vno die dari?
Reſp. Negãdo, quia prohibitum eſt per Cerem. Rom. Clem. VIII. in rubr. de ord. maior. ſed *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. c. 11.* ait non; niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum, ad ſacros ordines promoueantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud expoſcat.

13 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt quatuor minores ordines, & Subdiaconatus eodem die conferantur eidem perſonæ ſicut diſpenſat in interſtitijs?
Reſp. Negatiuè, quia hoc à Sum. Pont. in cerem. eſt expreſsè prohibitum: & Epiſcopus id non poteſt tranſgredi: *licet Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 11.* propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiæ id concedat, vt ſupradictum eſt, in interſtitijs verò ideò diſpenſat, quia per Trid. ſyn. eſt hoc illi cõmiſſum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13. & 14.*

14 In interſtitijs maiorum ordinum, debent nè facilè diſpenſari?
Reſp. Negatiuè, niſi cum euidenti Eccleſiæ vtilitate, vel neceſſitate? quia *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 13. & 14.* maximè commendat, vt per annum integrum in quolibet ordine exerceantur, propter magnam Sacerdotij dignitatem.

15 Quibus ex cauſis debet Epiſcopus diſpenſare interſtitia ordinum minorum?

 Reſp. Ex ne-

Reſp. Ex neceſſitate Eccleſiæ, vel ipſius ordinantis, & cum Monachis facilius, quam cum alijs. *cap. Monachus, diſt. 28.*

15 Si aliquis habeat cauſas vnde recipere poſſit ordines intra annum, quis debet examinare, an ſit ſufficiēs, Epiſcopus ne proprius ordinati, an Epiſcopus, ad quē mittitur cum dimiſſorijs ?

Reſp. Proprius Epiſcopus, quia eſt actus iuriſdictionis, & illum exercet in ſuum ſubditum.

17 Cum regularibus, quis debet diſpenſare interſtitia? Epiſcopus ordinans, vel Epiſcopus Diœceſanus, in cuius Diœceſi talis regularis commoratur?

Reſp. Epiſcopus ordinans, ſed regularis debet ſecum ferre litteras ſui Superioris, quibus talem diſpenſationem (exprimendo etiam cauſas) expoſtulare videatur, & tunc Epiſcopus liberè poterit diſpenſare, ſi propoſitæ cauſæ ſibi viſę fuerint ſufficientes, & faciliùs eſt diſpenſandum cum regularibus, quam cum Clericis ſæcularibus.

18 Quis dicitur promotus per ſaltum?

Reſp. Qui omittens vnum ordinem minorem, aſcendit ad maiorem. *Ricius in prax. Epiſcop. part. 1. capit. 1. num. 50.*

CAPVT XIX.

De Seruis non Ordinandis, & eorum Manumiſsione.

1 Seruus quando debet ordinari?

Reſp. Poſt plenam manumiſſionem, & non antea. *c. 1. de ſeru. non ordin.*

2 Quid eſt manumiſſio?

Reſp. Eſt conceſſio libertatis. *inſtit. de libertinis. l. adeò. ff. de acquir. rer. dominio. §. cum quis.*

3 Quare dicitur manumiſſio?

Reſp. Quia quando quis eſt ſeruus, eſt ſub manus, vel poteſtate alterius, & cum liberatur, quaſi à manu, & poteſtate eximitur. *inſtitut. de libertinis. §. manumiſſio.*

4 Quomodo fit manumiſſio?

Reſp. De Iure ciuili pluribus modis. Primò, Dominus manu tenens ſeruum ante Prætorem, manumittit, & ſic eſt liber. Secundò per ſcripturam. Tertiò per teſtamentum. Quartò ſi ſeruus liberet a morte corporali Dominum cum proprio periculo. *l. adeò. ff. acquir. rer. domin.*

5 Si Seruus ordinetur abſque licentia Domini, quid agendum?

Reſp. Si Dominus contradicat, deponitur, & reſtituitur ipſi; ſi vero Dominus eſt ſciens, & tacens remanet liber. *Abb. in capit. de ſeruorum. de Seruis non ordin.*

6 Si Seruus ordine ſacro Sacerdotij initiatus ſit, Domino contradicente, quid faciendum?

Reſp. Licet diuerſę ſint opiniones, verius eſt, quòd Epiſcopus, qui eum ordinauit det Domino alium ſeruum, vel pretium, & ordinatus remanet liber propter magnam dignitatem. *Abb. vbi ſup.*

7 Si Seruus ſit alicuius Eccleſię ordinetur, bona eius poſt ſuam mortem ad quem pertinent?

Reſp. Ad Eccleſiam; quia ſi dedit ei libertatem, quod eſt maius, ipſe tenetur dare ei bona, quod eſt minus. *cap. de famulis Eccleſiæ, eod. tit.*

8 Spurius poteſt ordinari?

Reſp. Negatiuè, ſic tenet. *Tolet. lib. 1. cap. 58. Suar. diſp. 50. ſect. 3. Sylueſt. verbo illegitimus colligitur ex c. conſuluit. eod. tit.*

9 Si Eccleſia manumittit ſeruum, vt ordinetur cum conditione, vt ei perpetuò ſeruiat, poteſt ne talis alteri Eccleſiæ ſeruire?

Reſp. Negatiuè, quia conditio adimpleri debet: ſed ſi abſolutè fuit manumiſſus, poterit alteri deſeruire Eccleſiæ; quia liberalitas debet ampliari. *cap. eò libentiùs, eod. tit.*

10 Si quis naſcatur ex patre ſeruo, & matre libera, poterit ne promoueri?

Reſp. Affirmatiuè, quia talis eſt liber, cum partus ſequatur ventrem. *c. dilectus filius. eod. tit.*

CAPVT XX.

De Filijs Presbyterorum Ordinandis, vel non.

1 Qui dicuntur naturales?

Reſp. Qui nati ſunt ex ſoluto & ſoluta, & legitimantur per ſubſequens matrimonium.

2 Illegitimi, qui dicuntur?

Reſp. Qui non ſunt nati ex legitimo matrimonio.

3 Quis dicitur natus ex ſacrilego concubitu, vel inceſtuoſo?

Reſp. Qui natus eſt ex parentibus ordinem ſacrum habentibus, vel votum caſtitatis, vel profeſſionem in aliqua religione; vel coniunctus in tertio gradu affinitatis, vel conſanguinitatis.

4 In probatione legitimitatis qualis teſtis eſt magis idoneus?

Reſp. Mater, etiam ſi ſit vxorata. *l. neque profeſſio. C. de teſtib. c. per tuas de probat.*

5 Si quis voluerit probare, aliquem eſſe filium Clerici, quando natus eſt ex vxorata, cuinam incumbit probatio?

Reſp. Opponenti, quia ipſe pro ſe habet præſumptionem Iuris, vel de Iure. *Iaſon. conſil. 125. vol. 4.*

6 Filius natus ex vxorata, de qua probetur habuiſſe rem cum alio viro, erit ne reputandus, vt illegitimus?

Reſp. Negatiuè, ſed ſemper præſumitur legitimus, *text. in l. miles, l. ſi vicinis, C. de nupt. cap. per tuas. de probationib.*

7 Filius illegitimus poteſt ordinari?

Reſp. Negatiuè, ſi loquamur de iure communi. tollitur autem hoc impedimētum ob ingreſſum in religionem) ſed ad Prælaturas promoueri minimè poterit. *c. 1. de fil. Presbyt.*

8 Illegitimus poteſt habere dignitates?

Reſp. Negatiuè, ſi de Eccleſiaſticis ſit ſermo, ſi de ſæcularibus affirmatiuè, ita *Abb. in c. 1. eod. tit.*

9 Illegitimus promotus per ignorantiam recipit ne characterem?

Reſp. Affir-

Reſp. Affirmatiuè. *Abb. vbi ſup.*

10 Filij illegitimi Clericorum prohibentur ne habitare in eadem domo cum Patribus?
Reſp. Negatiuè, quia cum ſint patres naturales, tenentur eos alere, & bene educare. *vt habetur. cap. 1. & per totum titulum. de filijs Presbyter. ordin. vel non.*

11 Pater, & filius illegitimus poſſunt ne in eadem Eccleſia celebrare Miſſam?
Reſp. Poſſunt pro ſua deuotione, & recipere eleemoſinam Miſſæ.

12 Reciprocæ reſignationes factæ à Clericis, in fauorem filiorum illegitimorum ſuorum beneficiorum diuerſarum Eccleſiarum, ſunt ne validæ?
Reſp. Negatiuè; imo collationes ſequutæ, ipſis non ſuffragantur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 15.*

13 Filij illegitimi non poſſunt ne habere beneficium in eadem Eccleſia, in qua pater?
Reſp. Negatiuè. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

14 Filius poteſt eſſe mediatè in Eccleſia in qua pater?
Reſp. Licet de iure in cap. conſtitutus. *eod. tit.* poterat tamen per *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 15.* neque mediatè, neque immediatè.

15 In quo caſu filius illegitimus poterit obtinere beneficium Patris?
Reſp. Si ordinetur, & illi conferatur beneficium Patris defuncti, poterit licitè illud obtinere quadam diſpenſatione Iuris, donec ei prouideatur de alio beneficio. *Abb. c. veniens. eod. tit. Io. Andr. dicto c.*

16 In Eccleſia, quæ ſoror eſt alterius Eccleſiæ, poterit filius illegitimus obtinere vnum beneficium, ſi Pater in alia Eccleſia habet Canonicatum?
Reſp. Negatiuè, quia illæ duæ Eccleſiæ pro vna reputantur, neque in Eccleſia, quę habet alternatiuam reſidentiam poterit filius obtinere vnum beneficium, & Pater alterum.

17 Si Pater fuerit Muſicus, Oeconomus, vel officialis alicuius Eccleſiæ filius eius illegitimus poterit ne in eadem Eccleſia eſſe Canonicus, vel obtinere beneficium?
Reſp. Negatiuè, quia Concil. Trident. dicit (quo quomodo miniſtrauerint) poterit tamen obtinere capellaniam, habetur enim pro ſalario, non autem pro beneficio: At verò in Eccleſia, quę habet alternatiuam reſidentiam, non poterit filius vnam obtinere, & Pater alteram.

18 Filij illegitimi poſſunt ne admitti ad concurſum beneficij, quod obtinuit Pater?
Reſp. Immediatè poſt Patrem minimè, vt tollatur ab Eccleſia hæreditaria ſucceſſio, ſed nepos poteſt admitti ad beneficium, quod obtinuit Auus. *c. ad extirpandas de fil. Presbyt. ord. vel non.*

19 Filius legitimus Epiſcopi poſſũt admitti ad cõcurſum in eadem Diœceſi, in qua Pater eius eſt Epiſcopus?
Reſp. Poteſt. *c. ad extirpandas. eod. tit.*

20 Filius Epiſcopi legitimè natus poſſunt promoueri?
Reſp. Poteſt; & in eadem Eccleſia ſimul cum Patre Canonicatum habere. *c. ad hæc eo.* At illud ipſum beneficium, quod obtinuit Pater, habere non poteſt. *Abb. c. 1. eo. nu. 3.*

21 Nepos legitimus ex filio legitimo poterit ne obtinere Canonicatũ in Eccleſia, in qua Auus eius obtinuit?
Reſp. Affirmatiuè.

22 Concil. Trid. *ſeſſ 25. c. 15.* in quo limitauit, & correxit Ius commune in ordine ad filios Presbyterorum?
Reſp. Primò non ſolum ratione ſucceſſionis ſicut prohibitum erat de Iure communi, ſed etiam ob incontinentiæ memoriam inualuit hæc prohibitio. Secundò non ſolum prohibetur ſucceſſio in eod. beneficio, prout erat de iure cõmuni, ſed etiam diſſimile in eadem Eccleſia contra ius cõmune. *Abb. c. ad abolendam. eod. tit.* Tertiò prohibetur etiam miniſtrare in eadem Eccleſia quod de Iure cõmuni Patri ſolũ erat prohibitum. *Abb. in c. cum decorem. eod. tit.* Quartò prohibentur habere penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quos Patres habuerunt, quod de Iure communi nõ erat prohibitũ.

23 Si vir, & vxor legit. matr. coniuncti vouerint caſtitatem; poſtea verò habeãt filiũ, talis erit ne illegitimus?
Reſp. Pro tali (quoad ordines ſuſcipiendos) reputatur. *cap. litteras. vbi ſup.*

24 Illegitimi nati ex inceſtuoſo, vel ſacrilego coitu, quorum parentes in tertio gradu conſanguinitatis coniuncti ſint, vel quorum alter parens caſtitatem vouit, poſſunt ne ingredi religionem?
Reſp. Negatiuè etiam ſi ſint legitimati à principio. Bull. Sixti V. in *num. 73.*

25 Si talis de facto fecerit profeſſionem valebit ne?
Reſp. Negatiuè, imò Superior excommunicatur excommunicatione Summo Pontifici reſeruata. Bulla Sixti V. *num. 73.*

26 Tales poſſunt ne eſſe ſerui in monaſterijs?
Reſp. Poſſunt, & habere habitum conuerſorum; & in eo habitu profeſſionem facere. Bull. ſupradicta.

27 Quis poteſt diſpenſare, vt filius ſuccedat in Eccleſijs Patris?
Reſp. Solus Papa. *cap. dilectus filius eod. tit. capit. nimis. eodem tit.*

28 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illegitimis?
Reſp. Poterit tantum quoad minores ordines, & vnum beneficium ſimplex, ſed ad curatum, dignitatem, & ordines ſacros ſolus Papa. *Abb. c. fin. eod. tit. Trid. ſynod. ſeſſ. 22. c. 1.*

29 Si quis fuerit natus ex liberis parentibus, & poſtea legitimatur per ſubſequens matrimonium, poteſt ne ingredi religionem?
Reſp. Poteſt, quia non comprehenditur in Bulla Sixti Quinti ſupradicta.

30 Quæ eſt cauſa propter quam poſſit diſpenſari cum illegitimis?
Reſp. Vtilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ. *Abb. vbi ſup.*

31 Filius illegitimus ad obtinendam penſionem indiget ne diſpenſatione?
Reſp. Negatiuè. *Paliotus. de natis ſpur. q. 58.*

32 Diſpenſatus ad ſacros ordines, poteſt abſque alia diſpenſatione obtinere beneficium?
Reſp. Affirmatiuè; quia ordinatus carere beneficio non debet. *c. propoſuit. de filijs Presbyt.*

CAPVT XXI.

De obligatis ad ratiocinia Ordinandis, vel non.

1 QVid eſt ratiocinium, de quo hic agitur?
Reſp. Eſt ratio, quam quis tenetur reddere de alienis

alienis bonis ſibi commiſſis.

2 Adminiſtrator alterius, & obligatus ad reddendam rationem debet ne ordinari?

Reſp. Negatiuè, niſi depoſita adminiſtratione, & ratione reddita, quia talis reputatur, vt ſeruus alterius, *c. vnico. eod. tit.*

CAPVT XXII.

De corpore vitiatis Ordinandis, vel non.

1 QVis dicitur vitiatus corpore?

Reſp. Ille, qui in ſuo corpore habet notabile vitium, vt quando ei deficit aliquod membrum, vel habet plura membra, quam alij.

2 Si quis amiſit digitum in duello, & erat ordinatus, poterit ne celebrare?

Reſp. Negatiuè, abſque diſpenſatione ſui Epiſcopi. *c. 1. eod. tit.*

3 Quando impedit deformitas promotionem ad ordines?

Reſp. Quando eſt talis, quod impediat exercitium ordinis illius, vel aliorum oculis notabilem deformitatem præſeferat, quia ſicut Sponſa Chriſti debet eſſe ſine macula, & ruga, ſic Sacerdos, qui eam repræſentat debet eſſe abſq; deformitate. *Abb. in c. eod. tit.*

4 Eunuchus poteſt ordinari?

Reſp. Cum diſtinctione: ſi natus ſit Eunuchus, non repellitur; Si verò ſit caſtratus à ſe ipſo repellitur, & indiget diſpenſatione; quia ſibi illam deformitatem acquiſiuit ex ſua voluntate, vel vtilitate. *Abb. in c. ex parte, eod. tit.*

5 Si quis ſit caſtratus ex infirmitate, vel voluntate, debet ne ſeruare virilia, vt ordinetur?

Reſp. Non eſt neceſſarium, quia hoc eſt figmentum ignorantiam. *Abb. vbi ſup. num. 6.*

6 Si quis, ex infirmitate fecit ſibi virilia amputari vel caſu ei ſucceſſit, ſi ſit Sacerdos indiget ne diſpenſatione?

Reſp. Si iam erat Sacerdos, nō eget: & cum ille in hoc caſu non habeat culpam, non debet habere pœnam. *c. ex parte, eod. tit.*

7 Carens vnguibus in pollice, poteſt ne promoueri?

Reſp. Si ſit fortis in pollice, poteſt licitè abſque diſpenſatione, quia non eſt notabilis deformitas. *c. fin. eodem tit.*

CAPVT XXIII.

De Clericis Peregrinis Ordinandis, vel non.

1 QVis dicitur Peregrinus?

Reſp. In Italia, Hiſpanus, in Hiſpania, Italus; tandem ille, qui in remota Prouincia eſt ortus.

2 Ille talis, qui vltra mare ortus eſt, quas litteras debet habere, vt poſſit ordinari?

Reſp. De Iure authenticas litteras quinque Epiſcoporum, & ſigillatas eorumdem quinque ſigillis, ſed de conſuetudine ſufficit, vt in litteris dimiſſorijs Epiſcopus proprius expoſcat cauſam, ob quam ille peregrinatur, vel det rationem, quare moratur in Italia cum ſit Hiſpanus, *c. 1. eod. tit.*

3 Ad probandum, quod quis eſt ordinatus ſufficit ne eius Iuramentum?

Reſp. Non ſufficere, ſed neceſſarium eſt vt illud probet ex litteris Epiſcopi illum ordinatus. *cap. inter quatuor, eod. tit. & Abb. ibid. num. 1.*

4 Clericus Peregrinus poterit celebrare ſine licentia Diœceſani?

Reſp. Non poſſe neque admittendus eſt niſi prius litteras dimiſſoriales oſtendat, *capit. te nobis proponente eodem tit.*

CAPVT XXIX.

De Clerico non Ordinato miniſtrante.

1 QVæ Sacramenta poſſunt exerceri ab ijs, qui non ſunt ordinati?

Reſp. Baptiſmus tantum, tempore neceſſitatis. *c. 1. de Cler. non ordin. miniſtr.*

2 Si aliquis Clericus nō ordinatus miniſtret ordinem, quem non habet, quam pœna incurrit?

Reſp. Deponitur ab ordine ſuſcepto, & amplius non eſt ordinandus, & per Bull. Clem. VIII. ſi celebrat Miſſam vel audit cōfeſſiones, traditur curię ſeculari propter idolatriam, & magnum animarum periculum, ſed hæc bulla, licet fuerit recepta in Hiſpania, tamen poſt eius publicationem multi mitius puniti ſunt ſcilicet; ſolum apud triremes. *c. 1. eod. tit.* verum doctrina vniuerſalis eſt exercentem ordinem quem non habet, eſſe irregularem, *ex c. 1. de cler. non ordin. miniſtran.* intellige ſi exercent ſolemniter, vt *Nauar. c. 23. nu. 242. Tol. lib. 1. c. 27. Suarez diſp. 42. ſect. 4. & 5.* apud quem multos videre potes.

3 Si Diaconus celebret Miſſam, qua pœna punitur?

Reſp. Nunquam promouetur ad Sacerdotium, & à Diaconatus ordine ſuſpenditur ad tempus. *capit. 2. eod. titul.*

4 Cum Clerico non ordinato miniſtrante, poterit Epiſcopus diſpenſare?

Reſp. Peracta pœnitentia, poterit quoad ordines ſuſceptos, & beneficium quod habebat; ſed quoad ordines ſuſcipiendos, non poteſt. *Abb. in cap. ex litteris, num. 3. eod. tit. & Innocent. in capitul. dilectus, de tempor. ordinandor.*

CAPVT

CAPVT XXV.

De Clerico Excommunicato, vel depoſito miniſtrante.

1 CLericus depoſitus celebrans, quam pœnam incurrit?
Reſp. Excommunicatur, & incarceratur: & ſi perſiſtat, damnatur exilio; *c.1.eod.tit.*

2 Sacerdos depoſitus, & degradatus poteſt ne conſecrare?
Reſp. Negatiuè, ſed ſi conſecrat, conficit Sacramentum: quia non ob id amittit caracterem. *Abb. cap. de Cler.excom. celeb.n.2.*

3 Si aliquis Sacerdos damnetur ad comburendum, debet ne fieri degradatio tãtum ab ordine ſacerdotali, an etiam ab alijs?
Reſp. Ab omnibus ordinibus maioribus, & minoribus incipiendo à prima tonſura vſq; ad Sacerdotium, *Abb.in c.ſi quis Præsbyter.eod.tit.n.1.*

4 Sacerdos depoſitus degradatus, ſuſpenſus, vel excommunicatus tenetur ne recitare officium diuinum?
Reſp. Affirmatiuè, aliàs mortaliter peccaret. *Abb.vbi ſup.num.8.*

5 Si Excommunicatus celebret, incurrit ne irregularitatem ante monitionem?
Reſp. Affirmatiuè, quia irregularitas eſt pęna Iuris, quę incurritur ipſo facto, & ſic non indiget monitione, cum ſequatur peccatum celebrationis in excommunicato, ſicut vmbra ſequitur corpus. *cap. Clerici. eodem tit.*

6 In irregularitate contracta ab excommunicato celebrante poteſt ne diſpenſari ab Epiſcopo?
Reſp. Licet aliquæ ſint opiniones DD. tenentes partem affirmatiuam, tutius eſt tenere, quod ſolus Papa poſſit diſpenſare in hac irregularitate, vt habetur in *c.1.de ſent.excom. in 6.*

7 Clericus depoſitus ab Epiſcopo poterit ne ab eodem reſtitui poſtquam fuerit emendatus?
Reſp. Si depoſitus fuit ob contumaciam, & poſtea ſit obediens, poterit reſtitui: ſi verò depoſitus fuit ob crimen ſacrilegij, incendij, aſſaſinij, hæreſis, vel ſimilium, non niſi à ſolo Papa. *gloſ.fin.in c.ſi quis Presbyter.7.q.1. c.contumaces. diſt.50.*

8 Si quamplurimi Clerici ſint excommunicati, & omnes celebrent, ſunt ne deponendi omnes?
Reſp. Negatiuè, quia multitudini parcendum eſt, & euitandum ſcandalum; & tunc pœna erit arbitraria, & minor. *c.latores.de Cler.excom. celebr.*

9 Si excommunicatus, vel interdictus celebret, quid requiritur, vt deponatur?
Reſp. Si deponatur propter contumaciam requiritur neceſſario monitio, nam ſemper monitio præcedit vindictam: ſi verò deponatur propter delictum hæreſis: aſſaſinij, vel ſimilium, non requiritur monitio. *Abb.in capitul. Clerici. & in capitul. latores, eod. titul.*

10 Si aliquis per famam ſciat ſe eſſe excommunicatum, & celebret, qua pœna punitur?
Reſp. Licet illi non ſit intimata excommunicatio, debet ſe abſtinere per ſolam famam; ſi ſecus fecerit, de rigore Iuris poterit deponi, & puniri ſecundum qualitatem perſonæ. *c. illud eod.tit.*

11 Si quis faciat collationem excommunicato, quam pœnam incurrit?
Reſp. Si ſciat talem eſſe excommunicatum priuatur collatione, quia punitur in eo, in quo peccauit, & excommunicatus perdit beneficium, niſi diſpenſetur à Papa. *c.poſtulaſtis. eod.tit.*

12 Sacerdos ſi ſcienter celebrat in Eccleſia interdicta, quam pœnam incurrit?
Reſp. Priuatur beneficijs, fit irregularis, & per ſolum Papam diſpenſatur. *Abb.c.poſtulaſtis, num.1.*

13 Si quis exiſtens in excommunicatione prouideatur de aliquo beneficio, & tempore collationis abſoluatur, valebit ne tali collatio?
Reſp. Affirmatiuè, quia ex vna parte iſte cum abſoluitur fit capax, ex alia parte per collationem homo conſtituitur in iure talis beneficij: collatio enim dat verum ius. *c. propoſuit. eod.tit.*

14 Si quis ſuſpenſus, vel excommunicatus ignoranter celebret, quam pęnam incurrit?
Reſp. Si ſit excommunicatus minori excommunicatione peccat mortaliter; ſi maiori, & ignorantia non fuit craſſa, & ſupina, non incurrit irregularitatem, neque in ea indiget diſpenſationem. *capit. Apoſtolicæ, eod.titul.*

15 Quæ eſt ignorantia craſſa, & ſupina, & quare dicitur ſupina?
Reſp. Quando aliquis ſcire ſe eſſe excommunicatum facile potuiſſet, attamen negligenter ſe habuit, dicitur autem ſupina, ad ſimilitudinem hominis iacentis in terra ſupinus, quia facile poteſt videre, quæ ſunt iuxta pedes ſuos, & ea non videt. *Abb. in c.Apoſtolicæ, num.3.eod.tit.*

CAPVT XXVI.

De eo, qui furtiuè Ordinem ſuſcepit.

1 QVis dicitur furtiuè ordines ſuſcipere?
Reſp. Ille, qui ſine licentia Superioris, examine, vel approbatione, ingerit ſe cum multitudine ordinandorum ignorante Epiſcopo ordinante, *cap.1.de eo, qui furtiuè ord.ſuſcep. & Abb.ibi.*

2 Qui furtiuè ordinem ſuſcepit, qua pęna punitur?
Reſp. Cum diſtinctione: ſi ſuper hoc excommunicatio ſit lata; talis ſine Papæ diſpenſatione, neque poteſt miniſtrare in illo ordine, neque ad altiorem promoueri: ſi verò non ſit lata ſuper hoc, ad vtrumque ſufficit Epiſcopi diſpenſatio. *c.1.eod.tit.*

CAPVT XXVII.

De Clerico per Saltum promoto.

1 SI quis per ſaltum promoueatur de Subdiacono in Presbyterum, qua pęna punitur?
Reſp. Si ignoranter id fecerit poſt pęnitentiam factã, ordinatur in Diaconum, & poſtea diſpenſatur ad Sacerdotium, *c. 1. de Cler. per ſalt. prom.* ſi verò id ſcienter fecerit ſuſpenſus eſt, etiam ſi omiſſis minoribus ordinetur, vt patet *ex cap. 1. de Cler. per ſaltum.* pro ita declarat *Nauar. c. 27. n. 242. Tol. lib. 1. c. 71. n. 7. Hoſtienſ. Syluest.* immò addit Nauarrus talem clericum ordinem prætermiſſum ſuſcipere non poſſe ſine diſpenſatione: adde quòd qui prima tonſura omiſſa ordinatur, eſt etiam irregularis ex ſententia ſacræ Congregationis Concilij Trid. ſuper *c. 14. de reform. in fin. ſeſſio. 23.* quamuis, & ſententia Theologorum dicentiũ primam tonſuram non eſſe ordinem, oppoſitum non colligi debet, quod non ſit Ordo plurimi doctores docent in 4. diſtinct. 24. præterea. Sylueſt. verbo Ordo 2. *q. 4. §. 4. Henriq. lib. 10. c. 9. Tabiena Aſſen.*

2 Quis dicitur per ſaltum promotus?
Reſp. Ille, qui prætermiſſo ordine inferiori, ſuſcipit ordinem maiorem, ſiue id ſciat, ſiue id ignoret. *c. 1. de* clerico per ſaltum promoto.

3 Si quis ſuſciperet ſacerdotium antequam minores ordines, teneret ne?
Reſp. Teneret; Primò, quia minores ordines non ſunt de neceſſitate maiorum, ſed de congruentia, & præcepto Eccleſiæ. Secundò, quia iam aliqui tenent minores ordines non eſſe ſacramenta, quæ dant gratiam, & characterem imprimant; inter quos eſt Sotus. *Michael Medin. lib. 1. de ſacram.* ſed ſolum diſpoſitiones, ideoq; Magiſter ab Eccleſia inſtitutos fuiſſe opinatus eſt. Tertiò, quia poteſtates maiorum; & minorum ordinum non ſunt diſtinctæ. *S. Thom. in 4. ſent. q. 23. artic. 5. Abb. in c. vnico de Cler. per ſalt. prom.* ſed non ob id debet miniſtrare Sacerdotium, niſi prius ſuſcipiat minores: ſententiam iſtam docent præter citatos Doctores *Archi. Gloſſa, & Pan. c. 1. de cler. per ſalt. prom. Bonauent. 4. ſent. diſt. 24. quæſt. 3.*

4 Si quis non ſit Sacerdos, & conſecretur in Epiſcopum, tenebit ne Ordo Epiſcopatus?
Reſp. Secundum ſententiã eorum, qui tenet Epiſcopatu non eſſe diſtinctum ordinem à Sacerdotio, putant non poſſe conferri non ſacerdoti, nec infanti, qui non eſt capax, vt ſit paſtor, habeatq; curam animarum, tenet *S. Thom. q. 39 art. 2. Sylueſt. Ordo 2. §. 1. Archid. Richard. Durand. Henriquez lib. 10. c. 14.* Ego verò cum teneam Epiſcopatum eſſe diſtinctum ordinem ſequor ſententiam oppoſitam cum *Panor. in c. vnico de cler. per ſaltum prom.* & probabilem aſſerit *Tol. lib. 1. c. 71.* tenet, & *gloſ. in cap. ſolicitudo diſt. 52.* ratio eſt, quia præpoſteratio ordinis non vitiat ordinem ſuſceptum, licet impediat executionem, donec reſumatur Ordo præteritus. *Abb. vbi ſup. num. 5.*

5 Si quis ignoret Diaconatus ordinem ſucceſſiuè, qualiter debet ordinari?
Reſp. Sub conditione: vt ſi non es ordinatus ego te ordino, vt caueatur iteratio ordinum. *Abb. vbi ſupra in cap. vnico de clerico per ſaltum promoto.*

CAPVT XXVIII.

De Clerico malè Ordinato.

1 CLericus, qui alieno Epiſcopo ordinis ſuſcipit, qua pœna punitur?
Reſp. Eſt ſuſpenſus, quoadvſque proprio Epiſcopo bene viſum fuerit. *Clem. IV. de tempor. ordin.*

2 Clericus ſuſcipiens ordines ab Epiſcopo, quem credit eſſe ſimoniacum, qua pœna punitur?
Reſp. Ab ordine ſuſcepto ſuſpenditur, & ad alios non poteſt promoueri. *c. per tuas de ſim. c. quibuſdam. 1. q. 1.*

3 Clericus ordinatus ante legitimam ætatem, qua pœna punitur?
Reſp. Suſpenditur ab exercitio, vſque ad legitimam ætatem, *c. vel non eſt de tempor. ord.*

4 Ordinatus ſimoniace, qua pœna punitur?
Reſp. Eſt ſuſpenſus ab ordine. cap. ſi quis Epiſcopus. *1. quæſt. 1.*

CAPVT XXIX.

De Schiſmaticis, & Ordinatis ab Eis.

1 QVid eſt Schiſma?
Reſp. Eſt illicitus deceſſus ab vnitate Eccleſiæ. *Goffred. in ſum.*

2 Vnde dicitur Schiſma?
Reſp. A ſciſſura, quia per Schiſma, ſcinditur vnitas Eccleſiæ. *c. ſciſſura. 24. q. 1.*

3 In quo differt Schiſma ab hęreſi?
Reſp. Differunt ſicut genus, & ſpecies; nam omnis hęreticus, eſt ſchiſmaticus, ſed non è conuerſo, licet ſchiſma ab vnitate, & obedientia Papæ ſeparet homines, & ſit ſpecies hæreſis. *c. hæreſis. 24. q. 3.*

4 Facta per ſchiſmaticos quam validitatem habent?
Reſp. Nullam; imò collationes factæ, alienationes, & ordinationes irritæ, & nullæ ſunt, & omnes ſuſpenduntur tanquam res factæ à non habente poteſtatem. *c. 1. de ſchiſm.*

5 In quibus caſibus geſta à ſchiſmaticis valent?
Reſp. In ſacramentis, quæ conferunt communem effectum gratiæ Sacramentalis, vt eſt Pœnitentia, Euchariſtia, & Baptiſmus, & licet iſti ſint ſuſpenſi quoad ſe, non verò quoad alios, vt in *c. veſtra de cohabit. Cler. & mulier. & Abb. c. 1. de ſchiſm. num. 4.*

6 Si ſchiſmaticus conferat ordines, imprimitur character?
Reſp. Si ſit Epiſcopus, & ſeruata forma Eccleſiæ

cōferat ordines, imprimitur character, ſed talis manet ſuſpenſus, & indiget diſpenſatione Apoſtolica. *c. detrahit.* 1.*q.*1.*& Abb.c.*1.*nu.*4.*de Schiſmat.*

7 Schiſmaticus quam pœnam incurrit?
Reſp. Excommunicationis, & ſuſpenſionis, & aliquando pœna capitali punitur.*c.* 1.*eod.tit.*

8 Ordinatus à Schiſmatico, quam pœnam incurrit?
Reſp. Si id ſciens fecit, eſt excommunicatus, & ſuſpenſus, & priuatur officio, & beneficio, niſi cum illo diſpenſetur.*c.*2.*eod.tit.*

9 Quis poterit diſpenſare, cum Schiſmaticis, & ordinatis ab eis?
Reſp. Solus Papa. *Abb.c.fin.nu.*7.*eod.tit.*

10 Si Epiſcopus dicat, ſe diſpenſare cum aliquo, creditur ne ei?
Reſp. Propter periculum, & rei grauitatem, debet moſtrare diſpenſationem. vt in *gloſſ.cap.* ſi qui ſunt. *diſtinction.* 81. *& Abb.titul.de Schiſmat.& ordinat.* ab eis.

CAPVT XXX.

De Ordinatis ab Epiſcopo, qui reſignauit, ſeu renunciauit Epiſcopatui.

1 EPiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, poteſt ne conferre Ordines?
Reſp. Si loco tantum renunciauit, & non dignitati, rogatus ab Epiſcopo aliquo poteſt conferre maiores, & minores ordines, nec qui ſuſcipit eſt irregularis. *ita Tolet.lib.*1.*c.*71.*patet ex c.*1.*de ordinat.ab Epiſcop.qui reſignat.epiſcop.*

2 Epiſcopus, qui renunciauit dignitati poteſt ne conferre ordines?
Reſp. Diſtinguendo: aut agitur de minoribus, & tunc poteſt: aut de maioribus, & tunc non poteſt. *ita Tol. ibi.* & ordinatus maiori ordine ſcienter, irregularis eſt, nec miniſtrare in ſuſceptis nec aſcendere ad vlteriores ante diſpenſationem poteſt; *c.*1. *de ordin. qui renunc.epiſc.* ſi verò ignoranter, (niſi craſſa, & ſupina fuerit ignorantia) poterit cum illo diſpenſare proprius Epiſcopus.*c.*1.*eod.tit.& Abb.ibid.*

3 Epiſcopus in dubio renuncians Epiſcopatui, cenſetur ne renunciare loco tantum, aut dignitati, & loco.
Reſp. Loco tantum; quia qui renunciat dignitati, præſumitur hoc facere propter crimen. *c.poſt tranſlationem.de renunc.& Abb.c.*1.*eod.tit.*

4 Ordinatus ab Epiſcopo excommunicato recipit ne characterem?
Reſp. Recipit, ſed nō executionem. *Abb.c.*2.*de ord. ab Epiſc.qui renunc.Epiſc.* ſicuti validus eſt Ordo ſi collatus eſſet ab Epiſcopo interdicto, ſuſpenſo, vel ſimoniaco, ratio eſt, quia talis poteſtatem ordinis non amittit; argumento *c.non nocet.*1.*q.*1.*&c.* Baptiſmus de conſecratione. *diſt.*4.*ita.S.Thom.quæſt.*38.*artic.* 2. *Sot.diſt.* 25.*q.* 1.*art.*1.*Palud.q.*2. *Durand.q.*1. *Henriq. lib.*10.*c.*21.& alij communiter.

5 Quis diſpenſat in tali executione, vt iſte poſſit celebrare?
Reſp. Si ordinatus fuit ſcienter, ſolus Papa: ſi ignoranter, proprius Epiſcopus.*cap.fin.eod.titul.& Abbas ibid.num.*1.

6 Excommunicatus poteſt ne alium excommunicare?
Reſp. Negatiuè, quia cum ſit extra Eccleſiam, non poteſt alium extra eccleſiā mittere, *cap.* audiuimus, 24.*quæſt.*1.

CAPVT XXXI.

De Diſpenſationibus in Ordine.

1 QVid eſt diſpenſatio circa ordine
℞. Vt quis poſſit legitimè ordinari vel miniſtrare in ordine ſuſcepto.

2 Poteſt Epiſcopus diſpenſare circa ætatem ordinandorum, vel circa ætatem obtinendi beneficium, vel canonicatum?
Reſp. Negatiuè, ſed Summus Pontifex. *Sà verb.diſpenſatio.n.*18.*Trid.ſeſs.*22.*c.*1.

3 Ordinatus ante ætatem, ſi miniſtrat ante diſpenſationem, eſt ne irregularis?
Reſp. Negatiuè, ſed peccat mortaliter. *Silueſtr.verb.* irregularitas,*nu.*13.*&* 14.

4 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in publicationibus, & ſolemnitatibus cum aliquo?
Reſp. Poteſt, ſed hoc non debet facere. *Trid.ſynod. ſeſſ.*24.*cap.*1.

5 Diſpenſationes in ordine ad ætatem, à quod debent examinari?
Reſp. Ab Epiſcopo tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato. *Trid.ſyn.ſeſſ.*25.*c.*24.

6 Quis poteſt diſpenſare, vt quis ſuſcipiat omnes ordines extra tēpora, non obſeruatis interſtitijs, tribus Dominicis, vel feſtiuis diebus?
Reſp. Summus Pontifex de conſenſu ordinarij, propter eminentiam doctrinæ. *Rodriguez. tom.*3. *q.regular.q.*27.*art.*5.

7 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt publicatione fiāt diebus feriatis?
Reſp. Negatiuè ſicuti etiam in matrimonio. *Trid. ſyn.ſeſs.*24.*c.*1.*de reform.*

8 Regolares debent ne facere publicationes, ſicut ſæculares?
Reſp. Negatiuè, ſed debent teſtimonium ſuorum Superiorum afferre, & hoc cenſetur dictis publicationibus ſupplere, Miranda in *man.Prælator.part.*1. *quæſt.*38.*artic.*7.*&* 8.*Molfej tom.*1.*tract.* 2.*cap.*1. *numer.* 56.

9 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in interſtitijs ordini num minorum?
Reſp. Poteſt.*Trid.ſyn ſeſs.*23.*c.*11.

10 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in interſtitis ordinū maiorum?
Reſp. Poteſt ex legitima cauſa. *Bonacin.de ſacramen. ordin.diſp.*8.*q.vnica.punct.*5.*nu.*34.*Trid.ſynod.ſeſs.*23. *cap.*14.

11 Quæ ſunt cauſæ expreſſæ in iure, quæ mouere poſſunt

poſſunt Epiſcopum diſpeſare in interſtitijs ordinum maiorum?

Reſp. Vtilitas, & neceſſitas Eccleſiæ. *Trid. ſyn. ſeſs.* 23.*cap.*14.

12 Quomodo intelligitur hæc vtilitas Eccleſiæ?

Reſp. Si quis ſit ita doctus, vel ſanctus, vel ita in muſica peritus, vt probabiliter intelligatur illum fore Eccleſiæ vtilem, in vniuerſali, vel particulari?

13 Quomodo intelligitur neceſſitas Eccleſiæ ſumpta largo modo?

Reſp. Quia ſcilicet meliùs gubernatur Eccleſia pluribus Miniſtris, quàm paucioribus.

14 Quis poteſt diſpenſare, cum regularibus venientibus ad ordines in interſtitijs, Epiſcopus ordinans, vel Epiſcopus proprius, in cuius Diœceſi domicilium habet?

Reſp. Epiſcopus ordinans. Quaranta in *ſumm. bullar. verb. Ordo, verb. quæritur*, & *Vaſquez in 3. p. tom. 3. diſp.* 146.*c.*6.*nu.*58.

15 Quomodo poterit Epiſcopus cognoſcere cauſas vtilitatis, & neceſſitatis in Eccleſijs regularium?

Reſp. In hac re credere debet literis, & teſtimonijs ſuperiorum talis regularis, qui ordinatur. Bonacina. *de ſacram. diſput.* 8.*q. vnica punct.* 3.

16 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum bigamo, ad vnũ beneficium ſimplex, & primam tonſuram?

Reſp. Negatiuè, & ſi fecerit, manet ſuſpenſus à collatione ordinum, & promotus ab executione, & amittit beneficium, fructuſq; perceptos nõ facit ſuos: ratio eſt, quia ſi in dicto *c. Concil. Trid.* prohibentur Bigami miniſtrari munera ordinum minorum, licèt ante bigamiam ſuſceperint ordines, à fortiori attendendum eſt, multò magis prohibere poſt bigamiam & hæc diſpenſatio *à Summ. Pont. peti debet. Quarant. de ord. Valentia tom.* 4.*diſput.*7.*q.*19.*punct.*3. & *Nauarr. in manual. c.*27.*nu.*197.*c. vnico. de bigam. in* 6. & *lib.* 2.*c.*25.*infr. de bigam. ibid. vide.*

17 Qui poſſunt ſuſcipere ordines intra annum abſq; diſpenſatione?

Reſp. Canonici, & dignitates Eccleſiarum, quibus annexa ſunt onera dicendi Miſſas, Euangelium, & Epiſtolas, & habentes beneficia curata. *Triden. ſyn. ſeſs.*22.*c.*4.

18 Papa poteſt diſpenſare, vt Clericus, qui ſuſcepit ordinem ſacrum, fiat laicus, & ducat vxorem?

Reſp. Poteſt de plenitudine poteſtatis, verum ex graui cauſa, ne ſcilicet amittatur ſucceſſio, & nomen alicuius inſignis, & præclari Viri. Secundò ad componendas, ſedandaſq; controuerſias inter magnos principes. Tertiò ſi in aliquo Regno, vel ſtatu Iure hæreditatis ſuccederet aliquis Sacerdos, Epiſcopus, vel Cardinalis, alijſq; ex cauſis huiuſmodi: & ratio eſt, quia poteſt diſpenſare in omnibus decretis. *Conſil. Trid.* & in omnibus impedimentis matrimonijs, & vnum ex illis eſt Ordo Sacerdotalis. *Abb. in c. cum olim. de cler. coniungat. num.* 5. & *Trid. ſyn. ſeſs.* 21.*c.*2. & *ſeſs.*24.*c.*3. & *ſeſs.*25.*c. vlt.*

19 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt quis habeat duo beneficia?

Reſp. Poteſt ſi quodlibet per ſe non ſufficiens ad ſuſtentationem talis Clerici; verùm iſti redditus ſunt menſurandi iuxta miniſtri qualitatem. ita Tol. lib. 5. capit. 81.

20 Inueſtigare defectum ſcientiæ cui committitur, & quando poteſt in eo diſpenſari?

Reſp. Soli Epiſcopo: tunc verò quando eſt penuria aliorum Sacerdotum, neq; eſt ſpes inueniendi ſapientiores, tunc poterit diſpenſari in defectu ſcientiæ: ſed debet curare, & maximopere eniti, vt promoti diſcant; neceſſitas enim lege non clauditur, quæ tunc maximè cenſeri debet, quando Eccleſia eſt prouidenda de miniſtro.

21 Quis poteſt diſpẽſare cum illegitimo ad ordines?

Reſp. Ad minores, & vnum beneficium non curatũ, Epiſcopus: ad cætera vero Summus Pontifex, & debet declarare diſpenſationem Epiſcopi ſi maiorem petat. *c.*1. de filijs Presbyterorum.

22 Quis poteſt diſpenſare cum promoto per ſaltum?

Reſp. Epiſcopus ex legitima cauſa. *Trident. ſyn. ſeſs.* 13.*cap.*14.

CAPVT XXXII.

De Sponſalibus.

1 QVid ſunt ſponſalia?

℞. Eſt mutua promiſſio futuri matrimonij. *Tolet. in ſum. lib.* 7.*c.*5.

2 In ſponſalitijs mutauit ne aliquid. *Concil. Trid. ſeſs.* 24.*c.*6.*de reform.*

Reſp. Non mutauit, ſed reliquit ea in terminis iuris communis.

3 Quomodo contrahuntur ſponſalia?

Reſp. Verbis, re, literis conſenſu, & ſigno. *Sanchez. li.* 1.*de ſponſalib.*

4 Quomodo contrahuntur ſponſalia verbis?

Reſp. Per verba prolata ab ipſis contrahentibus, dicentibus: ego recipiam te in vxorem, tali tempore, & reſpondente muliere, ego recipiam te in virum eodem tempore. *tenet Sanchez lib.* 1.*de ſponſalibus.*

5 Sponſalia quomodo contrahuntur re?

Reſp. Per anuli miſſionem factam mulieri à viro, & è contra, vel per traditionem alicuius rei, ſecundum conſuetudinem prouinciæ in ſignum diſponſationis futuræ. *tenet Abb. in c.* finali de impuberum deſponſatione.

6 Quomodo contrahuntur ſponſalia ſigno?

Reſp. Si mulier vbi interrogatur, an velit deſponſari tali viro inclinet caput, vel faciat aliquod aliud ſignum in conteſtationem conſenſus interioris. Tunc enim illud ſignum æquiualet verbis, & conſenſui exteriori. tenet Abb. loco citato.

7 Sponſalia quomodo contrahuntur literis?

Reſp. Dando mandatum ſpeciale, vt quis contrahat pro illo cum tali perſona, vel mittendo nuntium cũ dicto mandato ſpeciali, *c. fin.* de ſponſalibus.

8 Quæ ætas requiritur, vt procurator poſſit contrahere ſponſalia de præſenti, vel de futuro, cum aliqua muliere nomine alterius?

Reſp. Sufficit, vt procurator habeat vſum rationis, & ſpeciale mandatum, ratio eſt, quia ætas, & omnia requiſita ad verum matrimonium non requiruntur in procuratore, ſed in dãte mandatũ, quippè qui ipſe eſt contrahens, & ipſe ſe obligat. *c. fin. de ſponſalib.*

9 Procurator ad contrahenda ſponſalia poteſt ne alium ſuſtituere?

℞. Nega-

℞. Negatiuè, ſi ſpectetur virtus clauſulę generalis poſita in ſpeciali mandato; ſi vero ſpecialiter apposi tum fuerit in mandato quòd poſſit ſuſtituere, Titiũ verbi gratia, Reſpondendum eſt affirmatiuè, & ratio eſt, quia in materia ſacramenti Matrimonij non ſufficiunt verba generalia, ſed neceſſario apponenda ſunt verba ſpecialia, necnon, & particulares perſonæ, *Abb. in c. fin. de ſponſalibus*.

10 Si quis poſtea quam miſit nuntium ad ſponſalia contrahenda de præſenti pœniteat ſe, & reuocet mandatum antequam puella conſentiat, erunt ne ſponſalia, vel matrimonium?

Reſp. Si mandans, mãdatum reuocet coram Notario, & teſtibus, ante quam puella conſentiat, licet non notificetur talis reuocatio nuntio, non erit matrimonium, neq; ſponſalia tenebunt, licet procurator contrahat cum puella cum effectu, & ad hoc eſt attendenda data reuocationis, & dies deſponſationis, ratio eſt, quia matrimonium pendet ex libero conſenſu, & voluntate contrahentis, & non attenditur voluntas futura, ſed præſens, & nemo poteſt obligari vt ſemper retineat eandem voluntatem, cum etiam in ipſo actu matrimonij, poteſt qui diſſentire, & nolle illud, quòd prius voluit, tenet Hoſtienſis in ſum. de ſponſalibus, §. qualiter, & omnes DD. in hoc articulo conſentiunt. c. procurator de procuratoribus in 6. hoc expreſsè decidit.

11 Spõſalia de præſenti facta per legitimum procuratorem debent ne iterum ratificari proprio ore per ſponſum, & ſponſam cum perſonaliter coniunguntur?

Reſp. Negatiuè, ſed ſolum recipere Eccleſiæ benedictiones; ratio eſt, quia illa ſponſalia habent eandem vim, quam habet matrimonium per verba de præſenti inter ſponſum, & ſponſam. *cap. final.* de ſponſalibus.

12 Pater poteſt contrahere de præſenti, vel de futuro pro filio?

Reſp. Pro filio impubere poterit contrahere de futuro, non autem pro pubere, ſine eius expreſſo mandato at vero pro filio impubere de præſenti non poterit. *c. 1. de impub. deſponſat.*

13 Cum puer peruenirit ad annos diſcretionis, tenebitur ne adimplere ſponſalia à Patre promiſſa?

Reſp. Negatiuè: & pater poterit perſuadere filium, non autem cogere. *c. 1. de impub. deſponſat.*

14 Qui dicuntur impuberes?

Reſp. Qui generare, vel concipere non poſſunt, licet ſecurius ſit ſpectare ætatem poſitã à *Concil. Trid.*

15 Si vnus pubes, & alter impubes ſit, poteſt Iudex dare licentiam, vt cohabitent ſimul?

Reſp. Poteſt aliquando pro bono pacis. *c. 2. eod. tit.*

16 Quæ ætas requiritur de Iure ad ſponſalia de futuro vt ſint valida?

Reſp. Ætas ſeptem annorum, & ſponſalia antea cõtracta nulla ſunt, niſi poſt ſeptennium conſenſu conualeſcant. *c. literas. eod tit.*

17 Si malitia ſuperat ætatem ſponſalia erunt ne valida?

Reſp. Erunt, quia in matrimonio, & ſponſalitijs attenditur potentia, & conſenſus. *cap. tuæ nobis. eod. titulo.*

18 Si impuberes contraxerint per verba de præſenti, erunt ne ſponſalia, aut matrimonium?

R. Erunt ſponſalia. *cap. 1. de ſponſ.* §. idem quoque

19 Si impuberes contraxerint ſponſalia, poſſunt ne ſtatim diſſolui per mutuum conſenſum?

Reſp. Eſt expectanda pubertas. *c. de illis. de ſponſalib.*

20 Si adſit iuramentum in ſponſalitijs de futuro, quid agendum?

Reſp. Sunt compellendi, donec videatur ſi perſiſtãt animo indurato, quia tunc ſunt diſſoluendi. *c. præterea. de ſponſal.*

21 Si virgo rapta conſentiat ſponſalibus cum raptore valent ne talia ſponſalia, dum eſt in ſua poteſtate?

Reſp. Negatiuè, quia ſponſalia dent fieri libero cõſenſu. *Trident. ſynod. ſeſſione 24. capitul. 6. de reformat.*

22 Si mulier impubes nupta alicui de futuro petat licentiam contrahendi cum alio de præſenti, & iam habeat legitimam ætatem, & Vir eius iuret eam in pubertate cognouiſſe, quid agendum?

Reſp. Talis mulier non auditur, quia in fauorem matrimonij plus creditur Viro. *capitul. continebatur. ſponſalib.*

23 Sponſalia de futuro per realem copulã, tranſeũt ne in matrimonium?

Reſp. Si loquamur in iure antiquo vt colligitur, ex c. adoleſcens de ſponſalib. tranſibat in matrimonium quia copula habebatur loco conſenſus de præſenti, vt optimè. *Tolet. lib. 7. c. 21.* noſtra verò tempeſtate, poſt Concilium Tridentinum (vt loquar cum Paludano, & Toleto ibid.) eſt hoc annullatum, ab eodem Concilio *ſeſs. 24. c. 1.* & ratio, eſt, quia ad rationem matrimonij pertinent etiã teſtes, & Parochus, alioquin eſſet clandeſtinum, & ſic duo poſſent ſponſalia clandeſtina contrahere, & ſtatim copulam conſumare, & tunc deberet eſſe validum matrimonium clandeſtinum, quod tamen eſt contra concilium.

24 Si ſponſalibus contractis appoſita ſit pœna, poterit ne exigi?

Reſp. Negatiuè, quia in matrimonio requiritur ſũma libertas; & pœna dicit metum. *c. gẽmæ. eod. titul.*

25 Si loco pœnæ fiat aliqua donatio Eccleſiæ, non impleta conditione erit ne valida?

℞. Affirmatiuè. *c. verum de conditionib. appoſit.*

26 In ſponſalitij ſufficit ne dubius conſenſus?

℞. Negatiuè, ſed clara approbatio. *cap. per tuas. eodem titulo.*

27 Poteſt ne quis dare pignus mulieri, promittendo illam ducere in vxorem, ita tamen, vt ſi eam non ducat, amittat pignus?

℞. Negatiuè, quia tales pignus eſt quaſi pœna.

28 Quibus modis diſſoluuntur ſponſalia de futuro?

℞. Per matrimonium de præſenti cum altera, ita *Nauar. c. 22. nu. 25. Tolet. lib. 7. c. 21.* ſed puniendus eſt. c. ex literis *de matr. præterea. de ſponſ.* Secundo per votum caſtitatis ſolemne. Tertio per maioris ordinis ſuſceptionem. *Tolet. vbi ſup. & Conink diſput. 25. dubio 3.* Quartò cum alter ingreditur Religionem, vt habetur c. ex publico de *conuerſ. coniug. & Silueſtr.* verbo ſponſalia, *quæſt. 12.* dicit, quòd ſtatim ſoluuntur per ingreſſum ante profeſſionem. Quod non ſufficit ad ſolutionem matrimonij rati. Quintò, cum vnus illorum incidit in fornicationem, ſi alter ſit frigidus. *ConinK. lib. 7. loco cit.* Sextò, ſi poſt ſponſalia alter illorum ſit hæreticus, aut infidelis. *can. non ſolum 28. quæſt. 1.* Septimò, ſi ſuperuenit inimicitia notabilis, tunc poteſt vnus petere ſolutionem, ſecundum Hoſtienſ. in ſumma verbo ſponſalia, §. *fin.* & demum per

lepram

lepram, per morbum Gallicum ſuperuenientem, vel deformitatem notabilem, per dotem promiſſam nō ſolutam, per amiſſionem membrorum. *Hoſtienſ. in ſumm. de ſponſa.§. qualiter diſſoluuntur*.

27 Illicitus coitus ſoluit ne ſponſalia de futuro?
℞. Affirmatiuè. *Enriq.lib.2.cap.14.nu.6. & Couarr. in epiſt.de ſponſ.lib.par.1.c.5.nu.2.*

28 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt quis habuit illicitum coitum cum vna contrahat cum alia?
℞. Poteſt.

29 Sponſalia de præſenti, ante ætatem vnius, ſequta carnali copula tranſeunt in matrimonium?
℞. Negatiuè, *cum Sanchez. tom.1.lib.3. de matrim. diſp.40.num.3. Reginald.in prax.tom.2.lib.31.cap.23. num.23.*

30 Sponſalia per verba de futuro contracta, ſi ſoluātur mutuo conſenſu, vel per matrimonium per verba de præſenti, inducunt ne aliquod impedimentum?
Reſp. Seſe habere, quaſi facta non fuiſſent. Sà, *verb. matrimonium.nu.12. Rebellus par.2.lib.3.quæ.14. numero 2.*

31 Matrimonium, & ſponſalia per verba de præſenti poſſunt ne celebrari temporibus, quibus ab Eccleſia clauduntur nuptiæ?
Reſp. Quocumque tempore poteſt matrimonium celebrari coram Parocho, & teſtibus, quia per Concil.Trid. prohibentur ſolum nuptiarum ſolemnitates conuiuia, traductio ad domum, & carnalis copula. Poſſeuinus. *de offic.Curati.c.10.nu.25.*

32 Sponſus ſtuprans ſponſam, qua pœna punitur?
Reſp. Pœna graui arbitraria, quia poſt Concil.Trid. ſponſalia de futuro copula ſubſequta non tranſeunt in matrimonium. Ledeſma in *ſumm. tom.1.tract. de matrim.c.6.concl.* 8.

CAPVT XXXIII.

De Deſponſatione impuberum.

1 QVis dicitur impubes?
Reſp. Ille, qui ex habitu corporis ſui, in pubertate oſtendit, quòd neque generare, neque concipere poteſt, neque ad id habet naturalem potentiā, & vim. inſtit. quibus modis tutela finitur. in principio.

2 In qua ætate dicitur quis eſſe pubes?
Reſp. Vir in ætate 14. annorum, mulier in ætate 12. completorum: in minori ætate ex regula medicorū ius iudicat communiter muliere non poſſe concipere, neque Virum generare. *inſtituit. quibus mod.tutel. final.*

3 Poteſt ne aliqua mulier concipere in minori ætate?
Reſp. Poteſt, naturà anticipante, ſi forſan dederit maiorem virtutem alicui ante illud tempus, ſed leges ponunt regulam generalem, ſecundum quā quotidie contingit.

4 Si quis poſſit generare ante prædictam ætatem, poteſt ne matrimonium contrahere?
Reſp. Affirmatiuè, quod idem dicendum eſt de muliere; quia vera pubertas non conſiſtit in annis, ſed in potentia generandi. *capit. puberes. de deſponſ. impuber. Abb. in c. continebatur. eod. tit. nu.3.*

5 Si quis habeat ætatem 14. annorum, & non habeat potentiam cœundi, poterit ne licitè contrahere?
Reſp. Licitè poteſt contrahere: eſt enim ætas à lege conſtituta; poſſe autem generare, vel non poſſe experientia tantum comprobatur, licet melius faceret, ſi expectaret talem potentiam. *ex Abb. in capit. pubes num.4. de deſponſ. impub. capit. laudabilem. de frigid. & maleficiat.*

6 Per quæ ſigna cognoſci poteſt pubertas, vt Iudex poſſit determinare, an aliquis ante ętatem poſſit cōtrahere matrimonium?
Reſp. Per ſigna exteriora inſpiciendo perſonā, mēbra robuſta, agilitatem, & formam. *Bartol. in l. de ætate. ff. de minorib. Abb. c. puberes. nu. 4. de deſponſ. impub.*

7 In qua ætate poterit quis contrahere ſponſalia de futuro?
℞. Poſt ſeptimum completum, & non antea. *Abbas. c. literas. eod. tit. nu. 3.*

8 Si maiores ſeptennio contrahunt ſponſalia poſſunt ne reſilire?
Reſp. Non ante pubertatem: & ſi aliquis eorum primum fuit pubes, debet alterum ſpectare. c. de illis. eodem titul.

9 Si vnus factus pubes, & alter in ſeptennio ſe deſponſauerit, cum ille peruenerint ad ætatem pubertatis, quis eorum poterit reſilire?
Reſp. Ille, qui erat in ſeptennio, non autem pubes, & ratio eſt, quia tempore deſponſationis iam habebat iudicium requiſitum ad contrahendum. *capit. de illis eodem titul.*

10 Minores obligantur in matrimonium?
Reſp. Affirmatiuè, niſi tempore contractus fuerit illis facta violenta. *capit. de illis. capit. ex literis eodem titulo.*

11 Ad matrimonium requiritur ne potentia cœundi, & proximitas ætatis ſimul, vel ſeparatim?
Reſp. Neceſſariò requiritur potentia cœundi; quia in conſiſtit validitas matrimonij: at verò proximitas ætatis ſine potentia nihil valet. *Abb. c. de illis nu. 4. eod. tit.*

12 Si quis nitatur habere carnalem copulam etiam intra vas, ſi illam non habeat, conſumat ne matrimonium?
Reſp. Negatiuè, quia non tactu, ſed reali copula conſumatur matrimonium. *cap. atteſtationes. eod. tit. lege Sanchez. de matrim.*

13 Si quis deſponſetur de futuro, & poſtea habeat rē illicitam cum ſorore, vel matre ſuæ ſponſæ, diſſoluūtur ne per hoc ſponſalia?
Reſp. Affirmatiuè. *c. literis eod. tit.*

14 Si quis deſponſetur de futuro, abſque conſenſu, & ſponſalia ex defectu conſenſus diſſoluantur, oritur ex hoc impedimentum publicæ honeſtatis?
Reſp. Negatiuè, quia ex defectu conſenſus nunquā fuerunt ſponſalia: ſi verò ſoluantur ex alia iuſta cauſa ſemper oritur impedimentum publicæ honeſtatis *c. acceſſit. eod. tit.*

15 Si aliqua mulier impubes deſponſata poſtquam peruenit ad pubertatem petat licentiam nubendi a viro, debent ne ei dari?
Reſp. Si Vir eius iuret carnaliter eam cognouiſſe etiā proximam pubertati, neganda eſt talis licētia. c. con-

continebatur eodem titulo.

16 In cauſa matrimoniali, cui creditur, Viro an mulieri?
Reſp. Diſtinguendo; Viro, ſi iuret in fauorem matrimonij; ſi verò iuret ad diſſoluendum matrimonium, vel ſponſalia, creditur mulieri iuranti in fauorem matrimonij, *c. continebatur. eod.*

17 Si aliqua puella poſt ſeptemniũ fuit apta ad concipiendum, & fuit cognita à Viro carnaliter, conſumatur ne matrimonium?
Reſp. Cum diſtinctione: ſi puella cognita fuit ante ſeptemnium, non fuit conſumatum matrimonium: ſi verò cognita fuit poſt ſeptemnium; conſumatur, præcipuè ſi erat proxima pubertati, videlicet circa annum decimum, & tunc cognoſcenda res erit, ab obſtetricibus, & peritis mulieribus: & ſi dixerunt cũ iuramento potuiſſe cõcipere, erit conſumatum. *Abbas in cap. continebatur. eod. tit. nu. 6. capit. ſi quis vxorem. 23. quæſt. prima, capit. ſi. de eo, qui cognoſ. conſag. Vxor. ſuæ.*

18 Poteſt ne aliqua puella deflorari à Viro, & non concipere, neque eſſe apta ad concipiendum?
Reſp. Poteſt. *Abb. vbi ſup.*

19 Si quis contrahat per verba de præſenti cum puella ante pubertatem, videlicet in vndecimo anno, erit ne validum matrimonium?
Reſp. Si in puella malitia non ſupplet ætatem, erũt ſponſalia de futuro, & non matrimonium, licet Vir eam ſubarrhauerit, dando anulum: ratio eſt, quia ad matrimonium requiritur in vtroque conſenſu verus, quem non præſumitur habere puellam, ante duodecimum annum, niſi malitia ſuppleat ætatem, & cognoſcat id quod facit. *Ledeſma q. 45. Couar. Nauar. c. ſi. eod. tit.*

CAPVT XXXIV.

De ſponſalia duorum.

1 QVis dicitur ſponſus duarum mulierum?
Reſp. Ille, qui contraxit cum duabus, ſiue cõtraxerit cum prima per verba de præſenti, & cum ſecunda per verba de futuro: ſiuè contra. *cap. 1. de ſponſa duor.*

2 Quam pœnam incurrit, qui contrahit cum duabus mulieribus, vel mulier cum duobus viris?
Reſp. Eſt infamis, & à S. Inquiſitione punitur, vt ſuſpectus in fide; quia non bene ſentit de Sacramento matrimonij. *l. 1. ff. de his qui notantur infamia.*

3 Quibus modis contrahuntur ſponſalia de futuro?
Reſp. Quatuor modis: Primò, per verba de futuro. *vt c. pen. eod.* Secundò, per verba de præſenti, quando vterq; vel alter eſt impubes, tunc enim ex interpretatione iuris conuertuntur in ſponſalia de futuro. *vt c. fin. de deſpon. impub. & c. vnico, eod. lib. 6.* Tertiò, per traditionem arrharum ſi præceſſerunt verba, vel ſigna. *leg. arrhis. C. de ſponſal.* Quartò, per ſubtractionem anuli a digito ſi etiam præceſſerunt verba, vel ſigna. *cap. ſi quis deſponſauerit. 27. quæſt. 1.*

4 Ad quem iudicem ſpectat punitio Viri, vel mulieris, q p verba de præſẽti cõtrahunt cũ duab. mulierib.
Reſp. Ad Tribunal S. Inquiſitionis ſolet præterea Iudex ſæcularis, vel Eccleſiaſticus cognoſcere hoc delictum, & ille Iudex, qui præuenit cauſam, alijs anteferturi, debet tamen ſententiam vltimatè definire.

5 Si quis contrahat ſponſalia per verba de præſenti & poſtea celebret matrimonium cum alia de præſenti, & conſumet, diſſoluuntur ne prima ſponſalia?
Reſp. Negatiuè, ratio eſt, quia fides poſterior data in præiudicium prioris fidei irrita eſt. *ſic Nauar. ſumma latina cap. 22. nu. 26. Bar. à Ledeſ. de matrimonio dub. 13. Ludouic. Lopez 2. p. inſtructorij de matrimonio c. 38. Henriq. lib. 11. de matrim. c. 13.* adde quod ſecundũ matrimonium ſtante primo non fuit matrimonium, & copula non dedit firmitatem, ſed addidit pœnam tali delicto. *c. licet de ſponſa duor.*

6 Carnalis copula, & iuramentum addunt ne maius vinculum in matrimonio?
Reſp. Reſpectu eſſentiæ matrimonij iuramentũ nõ addit aliquid intrinſecè pertinens ad illud, ſed ex alio titulo magis obligat, carnalis copula efficit indiſſolubile matrimonium, quia nõ ſoluitur per ingreſſum religionis, ſicut ſoluebatur quando erat ſolum ratũ. *vide Sanch. & Abb. in c. licet. num. 4. eod. tit. & c. duas eodem titul.*

7 Si quis contraxit cum vna per verba de futuro, & poſtea cum alia per verba de præſenti, cui debet adhærere?
Reſp. Illi, cum quia contraxit per verba de præſenti, tũc enim factum fuit matrimonium. *Abb. c. 5. eo. ti.*

8 Qui non ſeruat ſponſalia quam pœnam incurrit?
Reſp. Peccat mortaliter licet non ſint iurata, & obligatur per Iudices ad obſeruandam fidem. *Abb. c. 1. eod. num. 2.*

9 Quam pœnam incurrit, qui ſponſam alterius duxit in vxorem?
Reſp. Si illa per verba de præſenti fuit nupta primo viro, tunc ſecundus nunquam poſt eam ducere in vxorem, & punitur pœna poſita. *in Tridentin. ſynod. ſeſſ. 24. c. 1. c. accepiſti. eod. tit.*

10 Si ſit lis de aliquo matrimonio, Iudex quid debet præcipere litigantibus?
Reſp. Debet ponere pœnam ne lite pendente cum alio contrahent, & ſi contraxerit de facto, debet eos ſeparare, & punire. *c. tua. eod. tit.*

CAPVT XXXV.

De Conditionibus appoſitis In deſponſatione, & alijs Contractibus.

1 MAtrimonium ſpirituale, vt electio alicuius in ordine ad aliquam Eccleſiam, poteſt fieri ſub conditione: vt eligo Petrum, tali conditione, vt ſit doctus?
Reſp. Negatiuè, quia electio debet eſſe determinata, & certa, & ſuffragium purum. *c. 2. de elect. lib. 6.*

2 Contrahens matrimonium ſub conditione licita, & non reprobata: tenetur ne (non impleta conditione)

tione) conſumate matrimonium?

3 Negatiuè.*c.ſuper.de condit.appoſit.*

Reſp. Matrimonium de præſenti ſub conditione honeſta contractum, habet ne effectum de præſenti, vel de futuro?

Reſp. Si cõditio honeſta eſt de præterito, vel de præſenti, vt contraho tecum ſi es diues, tunc ſtante conditione eſt matrimonium, non ſtante non eſt matrimonium. At vero ſi conditio eſt de futuro, vt tecum contraho ſi tua mater dederit mihi centum aureos, tunc perdurante voluntate coniungum, quando implebitur conditio, tunc fiet matrimonium, lege *Toletum lib.7.c.17.& Abb.c.ſuper eod.tit.*

4 Si aliquis ſub conditione contrahat matrimoniũ, & ante tempus, in quo debet impleri conditio, cognóſcat carnaliter vxorem, poterit ne (ſi ſuo tempore conditio non adimpleatur) recedere à matrimonio?

Reſp. Non poſſe, quia per copulam intelligitur recedere à conditione, & purè contrahere, & ſic ſtatim obligator, adeóq; ob honorem matrimonij illam tenetur ducere in vxorem. *c.per tuas.eod.tit.*

5 Si quis deſpenſetur ſub conditine ad certum tempus, & tranſacto iſto tẽpore, & conditione non adimpleta; quis habeat copulam, tenebitur ne ratione ne copulæ ad matrimonium?

Reſp. Negatiuè, quia tranſacto tempore, & non adimpleta conditione, ſponſalia cõditionalia euanuerunt; verũ in hoc caſu talis homo, debet probare habuiſſe copulam poſt illud temporis, quando conditio debuiſſet iam eſſe adimpleta, & de facto non fuit, vnde talis copula nõ poteſt velamine talis matrimonij eſſe facta. *Abb.c.per tuas nu.3.eod.tit.*

6 Si quis iurauit recipere vxorem ea conditione, vt prius donentur illi centum aurei tenetur abſq; receptione aureorum eam recipere?

℞. Negatiuè, quia conditio fuit iuſta, & debet prius adimpleri. *c.illis eod.tit.& ſupra etiam tetigi.*

7 Conditio turpis poſita in matrimonio, vitiat ne tale matrimonium?

℞. Si conditio non ſit contra ſubſtantiam, & bonum matrimonij (quod ad triplex genus reduci poteſt, ad fidem, prolem, & indiſſolubilitatem,) quatumcumq; turpis ſit, nõ vitiat matrimonium: ſicut ſi quis dicat, ſumo te in vxorem per verba de præſenti ea conditione, vt futeris, vel interficias tuum patrem, in iſto caſu conditio non debet adimpleri, & matrimonium *tenet.c.1.eod.tit.*

8 Conditio turpis contra ſubſtantiam matrimonij, ſcilicet, duco te vxorem ea conditione, vt ſumas potiones ad hoc vt ſterilis euadas: & ſi fortè cõceperis, vt ſumas potum ad abortum faciendum, vitiat ne matrimonium?

℞. Vitiat, & illud reddit nullum, quia eſt contra bonum matrimonij nempè prolem hoc enim videtur verbis, & non opere contrahere cum ſit contra ſubſtantiam, & finem matrimonij. *c.ſi.eod.tit.*

9 Si ponatur in matrimono conditio impoſſibilis, vt nubo tecum ſi tetigerit cœlum manu, vel volaueris, talis conditio vitiat ne matrimonium?

℞ Negatiuè, quia talis conditio habetur pro non appoſita. *cap.fin.eod.tit.*

10 Si ponatur conditio in matrimonio, quę non pendet ex voluntate adimplentis, ex hoc vitiaretur ne matrimonium: vt ſi quis dicat nubo tecum ſi hodie coram Rege ſermonem habebis?

Reſp. Facta ex ſua parte ſufficiente diligentia, matrimonium tenet etiam non impleta conditione. *c.ſin.eod.tit.l.Tol.lib.7.c.17.§.tertia conditio.*

11 Matrimonium contractum cum Iudeo, vel Pagano, erit ne validum?

Reſp. Siue ſciat, ſiue neſciat eſſe Iudæum, vel Paganum, matrimonium non erit validum; quia ad firmitatem matrimonij oportet, vt ſit eiuſdem fidei. ita Franciſc. à Vittoria de matrimonio, *n.294. citatque Concilium Tol.4.c.62.& Agatenſe 67.c.caue.& c. non oportet.28.quæſt.1.idem dicendum eſt ſi alter coniungum ſit cathecumenus, & fidem habeat. lege Tolet.lib.7. capitul.11.*

12 Matrimonium contractum cum Heretico tenet ne?

Reſp. Communiter tenet DD. validum eſſe matrimonium, quia Hæreticus eſt baptizatus, & de gremio Eccleſiæ. *Abb.c.ſi.eod.tit.nu.5.& 6. & ita Gloſſa communiter recepta,c.non opor.28.q.1.lege Cou. num.4. Nauar.nu.49.Sanch.diſp.72.*

13 Si aliquis donet Eccleſiæ agrum cum conditione quod ſingulis diebus dicantur pro eo, duæ Miſſæ, vel aliquod ſuffragium; non impleta conditione, poterit donatarius reuocare talem donationem?

℞. Negatiuè, niſi in ea expreſsè fuerit poſita clauſula quod non impleta conditione poſſit reuocari talis donatio, hoc deciditur in fauorem Eccleſiæ, ſed poterit talis donatarius, vel eius hæres petere, vt conditio adimpleatur. *c.verum.eod.tit.*

14 Quando quis donat Eccleſiæ ſub conditione, præſumitur ne quòd cauſa finalis conditionis fuit conditionalis, vel non?

Reſp. Negatiuè, niſi id exprimatur; quia maior perfectio eſt quòd quis donet purè, quàm quòd donet ſub conditione. *Abb.cap.verum.eod tit.*

15 Conditio poſita in conſecratione Eccleſię, nempè quòd non ſit ſubiecta Epiſcopo, valebit ne?

Reſp. Negatiuè, & Eccleſia remanet cõſecrata. *Abb. c.ſi.eod.tit.nu.8.*

CAPVT XXXXI.

De Matrimonio.

1 QVid eſt matrimonium?

℞. Eſt mutuus conſenſus Viri, & mulieris conſuetudinem indiuiduã vitæ promittentium. *Armil.in ſum.c.5.n.1.de matr.c.cum loc.de ſponſalib. Abb. in capitulo final.de conuerſ.infidel.numero ſecundo.*

2 Vnde dicitur matrimonium?

Reſp. A matre, & munio: quia proprium eſt matris parere filium, educare, & alere; ſimiliter patrimoniũ dicitur à patre, & munio, quaſi proprium munus, & officium Patris ſit, quærere bona filio, vt ſubſtentetur. *Tolet. in ſum.c.27.q.1.de matrim. & extr. de conuerſ.coniung.c.ex literis.eod.tit.*

3 Quando inſtitutum fuit matrimonium?

Reſp. Si habeatur reſpectus ad prolem, ante lapſum Adæ, tunc enim quãdo Deus dixit: Creſcite, & multiplicamini,

plicamini. At verò tempore legis naturæ fuit inſtitutum in remedium contra vulnus peccati. Quod verò pertinet ad certas, & determinatas perſonas habuit matrimonium ex noua lege, ſecundum quam ratione eſt verum Sacramentum. 32.*q.*2.*c.*15.*de diu. c.gaudemus.eo.tit.* D.Tho.*lib.*4.*ſent.diſt.*26.

4 Quis inſtituit Matrimonium?
Reſp. Chriſtus Dominus, quando dixit, quod Deus coniunxit homo non ſeparet. *Trid.ſynod.ſeſſ.*24.*c.*1. *de reform.*

5 Quotuplex eſt fides in Matrimonio?
Reſp. Duplex: pactionis, & conſenſus: pactionis eſt, quando quis promittit de futuro cum aliqua purè, vel ſub conditione: conſenſus, quando duo mutuo conſenſu ad inuicem de præſenti ſe ſuſcipiunt in vxorem, & virum. *c.duobus.de ſponſ. duor.*

6 In quo conſiſtit validitas, & vis Matrimonij?
Reſp. In ſolo conſenſu verbis expreſſo, & ſi mutuus fuerit, ſufficit ſignis. *Trid.ſyn.ſeſſ.*24.*c.*10.

7 In interdicto generali, quæ Sacramenta excipiuntur de Iure?
Reſp. Baptiſmus paruulorum, *c.non ex vobis. de ſpõſ. pænitentia morientium.eod.tit.*

8 Quid operatur copula, & iuramentum in Matrimonio?
Reſp. Iuramentum maiorem firmitatem, at copula ita confirmat conſumationem Matrimonij, vt etiam per ingreſſum religionis, quis non poſſit ſeparari à ſua coniuge, niſi ambo conſentiant, & voueant caſtitatem. *Syluest.verb.Matrimonium, & dixi lib.*1.*c.*34. *num.*4.

9 Quæ inueniuntur in hoc Sacramento?
Reſp. Materia, forma, miniſter, ſuſcipiens, & effectus *Tol.in ſum.lib.*7.*c.*5.

10 Quæ eſt materia, & forma huius Sacramenti?
Reſp. Eſt mutuus conſenſus Viri, & mulieris diuerſo modo conſideratus: videlicet conſenſus viri, vt determinat conſenſum mulieris, eſt forma, & conſenſus mulieris eſt materia: è contra verò conſenſus mulieris, vt determinat conſenſum viri, eſt forma, & tunc conſenſus viri eſt materia. *Richar.in* 4. *diſtinct.*26.*artic.*4.*q.*2. *& Bartacin.c.tua nos. de ſponſ.*

11 Matrimonium quomodo debet fieri, & quæ forma eſt ſeruanda?
Reſp. Libero conſenſu cum legitima ætate, cum publicationibus in facie Eccleſiæ interrogante proprio Parocho, cum duobus, vel tribus teſtibus, & contrahentibus ore proprio reſpondentibus cum benedictione, & confeſſione peccatorum, & ſumptione Euchariſtiæ, confeſſio autem peccatorum, & Euchariſtia non ſunt eſſentialia huic Sacramento. *Trid.ſyn. ſeſſ.*24.*c.*1.*de reform.*

12 Poteſt ne Papa diſpenſare cum religioſo, vt contrahat Matrimonium?
Reſp. Poteſt ex magna cauſa; ſcilicet ſucceſſione alicuius Regni, vel ſtatus, vt dixi lib. 1.c.g 1.*nu.* 58. *Abb. c.per venerabilem, qui fil.ſint legit.*

13 Papa poteſt ne diſpenſare, vt quis contrahat matrimonium in gradibus diuina lege prohibitis?
Reſp. Licet Papa maiorẽ poteſtatẽ habeat diſpẽſãdi in gradibus humana lege prohibitis, tamen ex magna cauſa reſpiciendo pacem, & vtilitatem Eccleſiæ, & alicuius Regni Chriſtianorum poteſt diſpenſare, vt aliquis cõtrahat in gradibus diuina lege prohibitis. *DD.in c.litteras, de reſt.ſpoliat. & expreſsè Abb.in c. per venerabilem, qui filij ſint legitimi, num.*21.

14 Quis poteſt inſtituere gradus in quibus nõ poſſit contrahi, & in illis diſpenſare.
Reſp. Sancta Romana Eccleſia. *Trident.ſynod.ſeſſ.*24. *canon.* 3.

15 Quis poteſt inſtituere gradus, impedientes, & dirimentes Matrimonium?
Reſp. Summus Pontifex. *Trid.ſeſſ.*24.*can.*4.

CAPVT XXXVII.

De Matrimonio clãdeſtino.

1 Matrimonium clandeſtinum ante Conc. Trid. erat ne verum Sacramentum?
Reſp. Erat, poſt Concil.Trid. verò tale Matrimoniũ irritum fuit; vnde qui aliter contraxerint ad ſic contrahendum Sancta ſynod. *Trid.ſeſſ.*24.*c.*1. *inhabiles reddidit.*

2 Quomodo intelliguntur talia verba (ad ſic contrahendum Sancta ſynodus inhabiles reddit?
Reſp. Quod inhabiles reddit ad ſic contrahendum, ſcilicet clandeſtinè, quia hos contractus nullos, atque irritos eſſe decernit, ſed non redduntur inhabiles iſti tales ad contrahendum poſtea, ſeruata forma Concilij Tridentini, cum licentia Iudicis Eccleſiaſtici.

3 Si aliquis contraxerit clandeſtinè, & poſtea velint contrahere ſeruata formã Concilij Trident. indigent ne diſpenſatione?
Reſp. Negatiuè, ſed ſolùm debent petere facultatem à Iudice ordinario Eccleſiaſtico?

4 Qui contraxerunt clandeſtinè, ſi iterũ velint contrahere ſeruata forma S.Conc.Trid. quid dẽt agere?
Reſp. Poſt ſententiam Iudicis declarantis nullitatem Matrimonij clandeſtini, facultatem petere debent ab ipſo Iudice, & contrahere coram Parocho, & teſtibus, & ſi aliter faciant, iterum grauiter puniẽtur. *Bonacin.de matrim. queſt.*3.*nu.*18. *Sanch. lib.*6. *diſput.* 70.*nu.*13. *& lib.*1.*diſp.*20.*nu.*13.

5 Contrahentes clandeſtinè, adiuuantes, conſentiẽtes, Notarij, & Teſtes qua pœna puniuntur?
Reſp. Pœna graui arbitraria, & pecuniaria ſecũdum qualitatem, & quãtitatem perſonarum, & ferè ſemper eſt pœna pecuniaria, vel aliqua reclusio, vel pœnitentia publica. *Sanchez de matrim.tom.*1.*lib.*3. *diſp.* 46. *num.*8.

6 Inter hæreticos matrimonium clandeſtinum eſt ne verum?
Reſp. Si in Diœceſi, vel Prouincia eorum publicatum, & acceptatum fuit Concilium, non valet tale matrimonium, quando conuerterentur ad fidem, poterit Vir cum ipſa, vel alia ſeruata forma Concilij, iterum contrahere. *Trid.ſyn.ſeſſ.*24.*c.*1.*de reform.*

7 Sacramentum Matrimonij poteſt ne mutari?
Reſp. Non poſſe in iis, quæ de eſſentia talis Sacramẽti ſunt, quia ſunt de Iure diuin. *Conc. Trid.ſyn.*24.*c.*1. *de reformat.* quod ſi Concilium Trid. inualidum eſſe Matrimonium clandeſtinum declarauit, cum tamẽ prius fuerit validum, non mutauit materiam, quia materia Sacramẽti Matrimonij ſemper fuit eadem, nempè contractus humanus validus, qui poteſt reci-

pere hanc variationem, ex præſcripto Concilij, vt fiat cum his, vel illis ſolemnitatibus, nam habent ius poteſtas humana in contractum humanum vti hoc, vel illo modo fiat, vt ſit contractus validus: affirmo tamen valida eſſe ſponſalia clandeſtina. *c. cum in initio. de clandeſt. ſponſ. & Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2. Sanch. lib. 3. de conſen ſen. clandeſt. diſp. 4.*

8 Poteſt ne Eccleſia diſpenſare in ius diuinum?
Negatiuè. *Trident. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1.*

9 Matrimonium clandeſtinum ſine Parocho, conuertitur ne in ſponſalia de futuro, ita vt poſtea aliquis eorum, poſſit cogi ad promiſſionem ſeruandã, præcipuè ſi interuenit copula propter honorẽ Virginis?
℞. In negatiuam partem inclino, ratio eſt, quia tale matrimonium, eſt contractus omnino nullus, & irritus per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de reform.*

10 Virgo, quæ amiſit virginitatem, ſub prætextu Matrimonij, & fortaſſis ignorans, quòd tale Matrimonium ſit clandeſtinum, quam actionem poteſt intentare contra eum, qui eam defflorauit?
Reſp. Non actionem Matrimonij, ſed fraudis, damni, & amiſſæ virginitatis, & forſan violentiæ; quia matrimonium fuit irritum.

11 Iudex Eccleſiaſticus in ſua ſententia debet ne vti verbis quibus videatur, irritare Matrimonium?
Reſp. Negatiuè, ſed declarare tale Matrimonium fuiſſe clandeſtinum inter Petrum, & Mariam, & irritum eſſe, quia *Concil. Trident. illud irritauit. ſeſſio. 24. c. 1. de reform.*

12 Prohibitio nuptiarum ſolemniũ eſt ne licita certis temporibus?
Reſp. Eſt, quam Eccleſia iuſtis de cauſis inſtituit. *Trid. ſynod. 24. canon. 11.*

13 Matrimonium, & ſponſalia, quo tempore, & qua hora poſſunt contrahi?
Reſp. Quocumque tempore, vel hora, ſiue diei, ſiue noctis: quia per *Conc. Trident.* ſolùm prohibetur certis temporibus conuiuia, traductio ad domum, carnalis copula, ſolemnitates nuptiarum, non autem Sacramentum. *Molfeſ. in ſum. tom. 1. tract. 4. c. 8. nu. 64. & Poſeuin. de offic. Curati. c. 10. num. 25.*

CAPVT XXXVIII.

De denuntiationibus in matrimonio.

1 QVæ ſolemnitates requiruntur ad verum matrimonium contrahendum?
Reſp. Tres denunciationes factæ à proprio Parocho tribus diebus feſtiuis, vel Dominicis in Miſſis maioribus, & præſentia ipſius Parochi, vel alterius Sacerdotis, de licentia ipſius Parochi, vel Ordinarij, & duorum, vel trium teſtimonium, & cum mutuo conſenſu liberè contrahentiũ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. de ref.*

2 Quis poteſt diſpenſare in denunciationibus, & eas in totum, vel in partem remittere?
Reſp. Epiſcopus ex rationabili cauſa, & curet, vt ante conſumationem fiant. *Trident. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1 de reformat.*

3 Quæ ſunt cauſæ, ob quas Epiſcopus poteſt remittere denunciationes in Matrimonio?
Reſp. Plures. Prima periculum impediendi Matrimonium. Secunda inæqualitas contrahentium, vt ſi nobilis ducat ignobilem, diues pauperem. Tertia periculum mortis. Quarta timor parentum, ne impediatur Matrimonium. Quinta quando virgo eſt ſub tutela iniqui Tutoris, & dubitatur ne eam tradat viro ignobili. Sexta quando vir fœminam deflorauit, & reparat damnum amiſſæ Virginitatis, & eſt periculum in mora. Septima, quando nuptiæ ſunt prohibitæ, & adeſt periculum Virginitatis. *Palud. in 4. diſt. 28. q. 2. artic. 3. Nauar. in man. cap. 22. nu. 70.*

4 Cum remittuntur denunciationes quid debet facere Epiſcopus?
Reſp. Sumere iuramẽtum partis, & duorum teſtium deponentium nullum eſſe impedimentum.

5 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt diebus feriatis denunciationes fiant?
Reſp. Negatiuè, quia cum *Concil. Trid. dicat* (diebus Dominicis,) Epiſcopus non poteſt diſpenſare in expreſſis à Concilio. *Segura in director. Iudic. part. 2. c. 16. n. 17. & Riccius in prax. for. Eccleſ. p. 1. reſolu. 224. n. 3. & Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſc. c. 15. §. 11. num. 4. Sanch. de matrimonio diſp. 7. lib. 2. num. 6.*

6 Si omittant denunciationes, erit ne irritum Matrimonium?
Reſp. Negatiuè, quia ſunt de ſolennitate, non autem de neceſſitate. *Nauar. c. 22. num. 7. Coninch. de Sacram. diſp. 27. dub. 5. n. 49.*

7 Aqua pœna puniendi ſunt, qui ante denunciationes Matrimonium conſumunt?
Reſp. Pœna ſtupri, quæ in aliquibus locis eſt taxata in aliqua pœna pecuniaria. *Ricc. in prax. for. Eccleſ. p. 1. reſolut. 224. num. 2.*

8 Factis denunciationibus, quot menſes debent trãſire ad Matrimonium contrahendum, ita vt illis trãſactis iterum debeant fieri denunciationes?
Reſp. Quatuor. *Poſſeuin. de offic. Curati. cap. 10. nu. 13. & Rebell. de obligat. iuſt. par. 2. lib. 4. ſection. 2. num. 8. in addit.*

9 Si duo contrahant ex diuerſis Parochijs, vel Ciuitatibus debent ne in ambabus Parochijs fieri denunciationes?
Reſp. Negatiuè, ſed ſufficit, vt fiant in Parochia, vbi habitant contrahentes: licet Iudex (ſi commodè fieri poteſt) curet, vt in ambabus Parochijs fiant *c. Bonac. de matr. quæſt. 2. punct. 6. nu. 21. & Coninch. de Sacram. diſput. 27. dub. 5. num. 50.*

10 Quis eſt Miniſter huius Sacramenti?
Reſp. Ipſi contrahentes ad inuicem, Parochus verò habet ſe velut teſti neceſſarius. *Trident. ſynod. ſeſſion. 24. cap. 1. de reform.*

CAPVT XXXIX.

De Parocho in matrimonio.

1 QVid requiritur in Parocho ad ſeruandam formam Concil. Trident. in matrimonio?
℞. Solum præſentia, & intelligentia, & quòd ſit proprius Parochus Viri, aut mulieris. *Triden. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 1.*

c.1.de reform.§.Parochus.

2 Sunt ne de neceſſitate matrimonij aliqua verba, vel conſenſus Parochi?

Reſp. Negatiuè. *Reginal.l.d.to.2.c.23.n.175.*

3 Si Parochus repugnet,& ſit ligatus,& claudat aures, valet ne matrimonium?

Reſp. Valet,quia ſolum requiritur præſentia, & intelligentia non autem actio.

4 Si Parochus dormiat, valet ne matrimonium?

Reſp. Negatiuè, quia dormiens non eſt præſens intellectu, ſed corpore, veluti ſi eſſet mortuus.

5 Si quis in præſentia Parochi occultè contrahat,& Parochus nihil intelligat, quia dixerunt verba ſecretè,vel adeò longè, vt intelligere non poſſet, valet ne matrimonium?

Reſp. Negatiuè, quia requiritur præſentia Parochi cum intelligentia rei.

6 Parochus, vt aſſiſtat matrimonio debet ne eſſe Sacerdos?

Reſp. Affirmatiuè,vnde ſi quis contraheret corā Vicario Epiſcopi non Sacerdote,vel Parocho,item non Sacerdote nullum eſſet matrimonium. *Trid.ſyn.ſeſſ. 24.c.1.de ref.Nau.conſ.6.de cland.matrimonio?*

7 Matrimonium coram ſubſtituto Parochi in adminiſtrandis Sacramentis contractum, valet ne?

Reſp. Affirmatiuè?

8 Sufficit nè vt licentia Parochi erga ſubſtitutum ſit tacita?

Reſp. Negatiuè,ſed debet eſſe expreſſa,& in ſcriptis ad adminiſtranda omnia Sacramenta?

9 Parochus debet eſſe proprius Viri, aut mulieris.

Reſp. Sufficit, vt ſit Viri, aut mulieris. *Sanch. de matrimonio.*

10 Si parochi Viri,& mulieris inter ſe diſputēt, quis eorum debet benedicere contrahentes? quid agēdū?

Reſp.Si Vir accedat ad domū mulieris ad cōtrahendum,proprius parochus erit mulieris,vel è contrà.

11 Si parochus det licentiam alicui Sacerdoti, vt aſſiſtat Matrimonio,quomodo debet dari talis licētia?

Reſp. Inſcriptis,præcipuè, ſi non ſit eius ſubſtitutus, qui cum licentia generali adminiſtrat omnia Sacramenta.

12 Quam pęnam incurrit parochus aſſiſtens matrimonio eorum, qui non ſunt de ſua parochia?

Reſp.Eſt ſuſpenſus arbitrio Epiſcopi illius parochię, ad cuius iuriſdictionem pertinebant contrahentes. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.1.de reform.*

13 Quis debet habere librum contrahentium?

Reſp. Quilibet Parochus tenetur ſcribere nomina,& cognomina coniugum, teſtium,diem,& locum cōtracti Matrimonij. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.1.de refor.*

14 Si conſuetudo ſit, vt contrahentes dent aliquid Epiſcopo, eſt ne licita talis conſuetudo?

Reſp. Affirmatiuè, quia non datur ratione benedictionis, ſed ad ſubſtentationem dignitatis.

15 Conſuetudo introducta,quod detur aliquid parocho libera voluntate, quando nupti benedicuntur, debet ne obſeruari?

Reſp. Debet,dummodo nihil accipiatur, etiam ſi libere offeratur ante factam benedictionem, nec ratione benedictioni, ſed ſubſtentationis.

CAPVT XL.

De vagantibus in matrimonio.

1 VAgantes non habentes proprium parochum ſi velint nubere, quis erit talis parochus?

Reſp. Quilibet, ſicuti & Confeſſarius, ſed debet iſte parochus curare, vt de expreſſa licentia Epiſcopi eos coniungat. *Trid.ſy.ſeſſ.24.c.7.*

2 Per quot tempus dicitur, quis nōn eſſe vagans?

℞. Si per octo annos in aliqua Ciuitate habitauerit.

3 Si duo, vel alter, ex contrahentibus ſit alienigena, & ad breue tempus habitauerit in aliqua parochia, quis erit proprius parochus?

Reſp.Ille,in cuius parochia alter contrahentium habitauerit, ſed ſi nullus eorum habuerit fixam habitationem, proprius parochus erit ille, qui diligētias fecerit de cognitione, vita, & moribus contrahentiū & receperit teſtes,& in eius parochia debent contrahere,vel parochus, cui Epiſcopus hanc examinationem,& matrimonium commiſſerit. *Triden.ſynod.ſeſſ. 24.c.7. & ibi DD.*

CAPVT XLI.

De Contrahentibus Matrimonium.

1 QVid debent facere coniuges ante conſummationem Matrimonij?

Reſp.De conſilio confiteri ſua peccata,& communicare,non autem de præcepto. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.1.*

2 Quæ ętas requiritur in Viro ad contrahendum Matrimonium?

℞. Quatuordecim annorum,& in fœmina duodecim annorum completorum,ſuppono in vtriſque potentiam coeundi, vt alias dicam. *Suarez lib.6.diſp.28.nu. 2. Sà verb.Matrimonium. nu.7.*

3 Matrimonium, & ſponſalia poſſunt contrahi per Procuratorem?

Reſp. poſſunt. *Sà verb.Matrimonium.nu.12.Foruar.in addit.Tol.lib.7.c.5.Coninch.diſput.24.de Matr.dub.9.*

4 Procurator contrahit ſibi cognationem, an mandanti?

Reſp. Mandanti. *Sà vbi ſup.*

5 Quam ætatem debet habere procurator ad Matrimonium contrahendum?

Reſp. Sufficit habere vſum rationis,& ſpeciale mandatum,cum expreſſione nominis,& cognominis mulieris. *Sà verb.Matrimonium.*

6 Mutus, & ſurdus poſſunt contrahere matrimonium?

℞. Poſſunt,quia Matrimoniū cōſiſtit in conſenſu,ſiue ſit per verba,ſiue per alia ſigna externa,expreſſa.

c. cum apud ſedem de ſponſ. & matr.

7 Furioſus poteſt contrahere matrimonium?
℞. Non poſſe, dum eſt in furore: ex defectu conſenſus requiſiti, *c. dilectus, de ſponſ. & matr.*

8 Si ſolo conſenſu contrahitur matrimonium, ad quid requiruntur verba exteriora, vel æquiualentia?
℞. Quia ad rationem Sacramenti requiritur ſenſibilitas, quæ habetur per illa ſigna exteriora: vnde mutus, per ſigna exteriora, eius internum cõſenſum exprimentia, optimè contrahit matrimonium: Puer verò ante ætatem requiſitam non cenſetur habere conſenſum, atq; adeò nec contrahere *c. tua, eod. tit.*

9 Si duo Catholici ſint in loco hæreticorum, vbi non eſt Parochus, & contraxerint ſine præſentia Parochi, erit ne matrimonium?
Reſp. Mihi videri inſtabile, quòd contrahant, dummodo habeant voluntatem exequendi totum id, quod circa hoc iubet Eccleſia quando commoditas præſtulerit, & ratio eſt, quia *Trid. ſyn. in caſu impoſſibili non obligat. ſeſſ. 24. c. 1.*

10 Puella, quæ clandeſtinè contraxit, & conſumauit, poterit ne religionem ingredi, & profiteri?
Reſp. Poterit, ſed cenſeo virum expectare debere, quouſque illa in religione profeſſionem edat, vt Iudex declaret illum liberè cum alia poſſe contrahere.

11 Quis eſt effectus huius Sacramenti?
Reſp. Dat gratiam, facit licitam cohabitationem, & prolem legitimam, *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. & 2.*

12 Quis eſt perfectior ſtatus cælibatus, an coniungatus?
Reſp. Cœlibatus, & virginitatis. *Trid. ſyno. ſeſſ. 24. canon. 10.*

CAPVT XLII.

De impedimentis Dirimentibus Matrimonium.

1 QVæ ſunt impedimẽta dirimentia matrimoniũ? Reſp. His verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis
Si ſponſam rapis, ſi clandeſtinus inibis
Hæc celebranda vetant, & connubia facta retractant.
Tol. in ſum. lib. 7. c. 7. n. 1.

DE ERRORE, ET CONDITIONE.

2 Quotuplex eſt error in matrimonio?
Reſp. Duplex: primus in ſubſtantia perſonæ, & hic diſſoluit matrimonium, vt ſi promittatur Maria, & detur Ioanna: ſecundus error in qualitate perſonæ, & hic non diſſoluit, vt ſi promittatur Virgo, diues, formoſa, & nobilis, & non ſit, lege Toletum in ſumma libro ſeptimo, capitulo ſeptimo, numero 3. Nauarr. cap. 22, nu. 35. Ledeſma addit. 3. p. quæſtione 50. Couarru. in cap. 3. §. 7. Coninch. diſputat. 31.

3 Si ſeruus nubat ſerua putans eſſe liberam tenet ne matrimonium?
Reſp. Tenere, quia non fit deterior conditio errãtis eſt ſententia communis. *cum S. Tho. 4. diſt. 36. l. Tolet. lib. 7. c. 7. §.* ſecunda propoſitio. idem dicendum ſi ſerua nubat ſeruo, putans eſſe liberum.

4 Si ſeruus ducit liberam putans eſſe ſeruam, vel è contra tenet ne matrimonium?
Reſp. Tenere propter oppoſitam rationem, quia nõ fit deterior conditio errantis, imò melioratur, *cap. ſi quis liber. 29. q. 2. & idem docet S. Th. 4. diſt. 36. ar. 1. & Nauar. c. 22. nu. 33.*

5 Si liber ducit ſeruam, putans eſſe liberam, aut è contra, eſt matrimonium?
Reſp. Non eſſe, duco ab oppoſita ratione, quia fit deterior conditio errantis habetur *c. proponitur, & cap. ad noſtram de coniug. ſeruor. d. q. 2. ſed limitant iſtam propoſitionem Richard. 4. diſt. 39. qu. 1. artic. 1. & Nauar. c. 22. n. 33.* niſi qui contrahat, eſt paratus illam ducere cognita conditione.

6 Si liber ſciat impedimentum conditionis poſt cõtractum, adhuc tamen vult poſtea contrahere, eſt ne validum matrimonium?
Reſp. Non valere, niſi accedat vtriuſq; coniugis nouus conſenſus, *ita Nauar. c. 22. n. 33. Tol. lib. 7. c. 7.*

CAPVT XLIII.

De impedimento voti.

1 QVotuplex eſt votum?
Reſp. Duplex: ſimplex, & ſolẽne, *c. meminimus, qui Cler. vel vou. matr. contrah. poſſunt.*

2 Quod eſt votum ſimplex?
Reſp. Quod caret ſolemnitate, & tale votũ impedit matrimonium contrahendum, ſed non contractum *c. meminimus, eod. tit. c. inſinuante, eod. tit.* quia matrimonium fortius vinculum eſt, voto ſimplici.

3 Quod eſt votum ſolemne?
Reſp. Votũ emiſſum in aliqua religione approbata, in manibus Superioris, qui habeat poteſtatem, & talem votum dirimit matrimonium: cõtrahẽs verò eſt excommunicatus. *clem. 1. de conſang. & affinit. Tol. in ſum. lib. 7. c. 8. nu. 1. & 3.* aſſerit non ſolum dirimere, votum ſolemne expreſſum, ſed etiam tacitum, quòd fit in religione poſt annum probationis, quãdo quis actum profeſſi facit, ac ſe, vt profeſſum gerit.

CAPVT XLIV.

De impedimento Cognationis.

1 QVotuplex eſt cognatio?
Reſp. Triplex: ſpiritualis, legalis, & naturalis. *Tol. in ſum. lib. 7. c. 8. n. 3. 4. 5. & 6.*

2 Quæ eſt cognatio ſpiritualis?
℞. Quæ contrahitur in baptiſmo, & confirmatione ſolum,

ılum, inter baptizatum, & baptizantem,& inter pa-
:ntes eius,& Patrinum. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.2.de reform.* *ſtuit tria.* Primo abſtulit cognationes confraternita-
is ſpiritualis. Secundò,ſi ſint plures patrini, voluit,vt
:ontrahatur hæc cognatio, ſolùm cum vna,& vno,qui
ıſcribuntur in libro. Tertiò,cum vxoribus Patrinorum
ıoluit vt contrahatur cognatio ſpiritualis. *Tolet.lib.7.* *.9.num.3.*

3 Quæ eſt cognatio legalis?
Reſp. Quando quis adoptat, & recipit alienum filium
ı ſuum; tunc enim eſt cognatio inter adoptatum, &
doptantem,& filios,& nepotes adoptati,& adoptan-
is,& inter vxores adoptati,& adoptantis: ſed filij cum
ıon ſunt ſub patria poteſtate, ſed extra, non habent
hoc impedimentum. *c.1.de cognat.legali.Franciſc.à Vit-* *toria de matrim.num.301.*

4 Quæ eſt cognatio naturalis?
Reſp. Eſt vinculum ab vna ſtirpe,& ſanguine per gra-
dus deſcendentium. *Tol.in ſum.lib.7.c.9.n.1.*

5 Quotuplex eſt cognatio naturalis?
Reſp. Duplex: altera procedit ex linea recta; altera
verò ex tranſuerſali. *Tol.vbi ſup.n.4.& 5.*

6 Hæc cognatio vſq; ad quem gradum impedit, & di-
rimit matrimonium?
Reſp. Vſq; ad quartum gradum incluſiuè. *Tol.vbi ſup.* *numer. 6.*

7 Si Puer fuerit baptizatus domi, & poſtea ductus ad
Eccleſiam,vt Chriſma ei imponatur, & ſolemnitates
fiant; Patrini,qui his ſolemnitatibus aſſiſtunt, contra-
hunt ne aliquam cognationem?
Reſp. Non contrahere, quia cognatio non contrahi-
tur ex chriſmate, & ſolemnitatibus, ſed ex baptiſmo;
& ſic contraxerunt cognationem ſolùm illi Patrini,
qui aſtiterunt,quando talis puer domi fuit baptizatus
ſiue ſit baptizatus à laico,ſiue à muliere,ſiue à Sacer-
dote.

8 Si plures ſuſcipiant vnum de fonte,nullo deſignato,
neque ſcripto in libro à Parocho, contrahunt ne om-
nes,qui confuſè, & ſine electione eum tenuerunt?
Reſp. Contrahunt, quia non fuit facta electio quis eo-
rum contraxit. *Nauar.in man.c.22.nu.24.c. quamuis de* *cognat.ſpirit.in 6.*

9 Poteſt Epiſcopus concedere licentiam, vt duo Vi-
ri, vel mulieres aliquem baptizatum de baptiſmo ſu-
ſcipiant?
Reſp. Eſſe prohibitum per *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.1.*

10 Cognatio ſpiritualis cõtracta in baptiſmo, ad quos
gradus extenditur, vt impediat matrimonium?
Reſp. Solum inter baptizatum, & baptizantem, & v-
num,vel vnam ſuſcipientem de fonte, & inter Patrem,
& matrem baptizati, & ideò Parochus diligenter in-
terrogare debet,quiſnam ſuſcepturus erit baptizatum
de fonte,eiuſque nomen in libro adnotare; cæterorum
verò Patrinorum nomina non adnotabit, vnde hi non
contrahunt cognationem aliquam, ſed ſolum ſunt Pa-
trini ad ſolemnitatem.

11 In confirmatione, quæ cognatio contrahitur impe-
diens matrimonium?
Reſp. Solum inter confirmatum, & confirmantem, &
Patrem, & matrem confirmati, & vnum Patrinum te-
nentem confirmatum. *Trid.ſyn. vbi ſup.*

12 Cognatio publicæ honeſtatis, vſque ad quem gra-
dum impedit matrimonium?
Reſp. Non excedit primum gradũ. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.3.*

13 Impedimentũ affinitatis quod prouenit ex copula
carnali, vſq; ad quem gradum dirimit matrimonium?
Reſp. Vſque ad primum, & ſecundum gradum. *Trid.* *ſyn.ſeſſ.24.c.4.*

CAPVT XLX.

De cognatione Spirituali.

1 QVid eſt cognatio Spiritualis?
Reſp. Eſt propinquitas, quæ prouenit ex Sa-
cramenti datione,vel ex atteſtatione,vel retentione in
ſacro recipiendo ſicut patrinus, qui tenet aliquem ad
fontem baptiſmalẽ,vel cõfirmationem, *30.q.3.per tot.*

2 Parentes carnales debent ne ſuſcipere filios de ſacro
fonte?
Reſp. Negatiuè, ne oriatur cognatio inter ipſos. *Abb.* *c.1.de cognat.ſpirit.n.2.*

3 Quæ propinquitates naſcuntur ex cognatione ſpi-
rituali, quæ contrahitur in baptiſmo?
Reſp. Prima, filiatio inter baptizatũ,& baptizantem.
Secunda, compaternitas inter Sacerdotem, & patrem
baptizati. Tertia,commaternitas inter Sacerdotem,&
matrem baptizati. Quarta, inter filios Sacerdotis, &
baptizati. Quinta, filiatio inter baptizatum, & ſuſci-
pientem. Sexta, filiatio inter baptizatum, & vxorem
ſuſcipientis. Septima fraternitas inter baptizatum, &
filios ſuſcipientis. Octaua, compaternitas inter ſuſci-
pientem, & patrem baptizati. Nona, commaternitas
inter ſuſcipientem, & matrem baptizati. *30.q.1.c.ho-* *mines.30.q.3.per tot.2.q.3.cap. ita diligere ſed per Concil.* *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.2.de reform.* ſunt,vt vnus,vel vna tan-
tum teneant baptizatum; & inter eos ſolos, & inter
baptizatum, & baptizantem, & Patrem, & matrem
baptizati cognatio ſpiritualis oriatur,neq;extendatur
ad alios gradus iuſtis de cauſis, & ita totus titulus de
cognat.ſpirit.regulari debet per d.c.2.ſeſſ.24.Conc.Trid.

4 Si quis teneat filium ſuum in fonte baptiſmatis,de-
bet ne ſeparari à ſua propria vxore ratione cogn. ſpir.
Reſp. Negatiuè:ſi id ignoranter fecerit,quia ignoran-
tia illos excuſat: ſi vero ſcienter fecerit non debet re-
portare commodum ex ſua malitia. *c.ſi vir,vel mulier.* *de cognat.ſpir.*

5 Si pater, vel mater tenuerunt proprium filium in
fonte,per talem cognationem diſſoluitur ne matrimo-
nium inter ipſos?
Reſp. Negatiuè,& vterque poteſt petere, & reddere;
quia non eſt de impedimentis à iure expreſſis. *Abb.in* *c.2.de cogn.ſpir.nu.5.*

6 Si Ioannes in fonte baptiſmi tenuit filium Petri,Pe-
trus poterit ne tenere filium Ioannis?
Reſp. Poterit, quia non eſt prohibitum in iure. *c.ſuper* *eod.de cogn.ſpir.& Abb.ibi nu.2.*

7 Si pater alicuius baptizati cognoſcat vxorem illius,
qui in baptiſmo ſuſcepit filiã ſuam,nõ ſuſcipiẽte ſimul,
& illa ſi deinde mortuo ſuſcipiẽte vxor eius vidua nu-
bat patre baptizati, erit ne validum tale matrimoniũ?
Reſp. Eſſe validum ratio eſt,quia illa non cõtraxit co-
gnationem ſpiritualem,nam cognatio ſpiritualis, per
Trident. contrahitur ſolum inter ſuſcipientes baptiza-
tum, ac ipſum baptizatum iſtiuſque patrem, & ma-
trem;

trem; rurſus inter baptizantem, & baptizatum huiuſq; parentes; cum igitur illa non ſuſceperit, impedimentum non habet. *Conc. Trid. ſeſs. 24. c. 2. de reform.*

8 Inter Patrem baptizati & tenentem in fonte, quæ cognatio contrahitur?
Reſp. Cognatio ſufficiens ad dirimendum matrimonium contractum. *c. veniens. eod. tit.*

9 Compaternitas contracta per Cathechiſmum dirimit ne matrimonium contractum?
Reſp. Negatiuè, ſed impedit contrahendum. *c. contrac. de cognat. ſpirit.*

CAPVT XLVI.

De Cognatione Legali.

1 QVid eſt cognatio legalis?
Reſp. Quando adoptat, & recipit alienum filium in ſuum. *c. 1. de cognat. legali.*

2 Quid eſt adoptio?
Reſp. Eſt gratuita quædam electio, qua quis aliquem ſibi eligit in filium, & talis dicitur adoptiuus. *Inſtit. de adopt. in princip. lege Sot. diſt. 42. q. 2. art. 1. Ledeſma q. 57 Rebell. q. 7.*

3 Qui debet eſſe maior adoptatus, vel adoptans?
Reſp. Adoptans debet præcedere adoptatum in plenā pubertate, alias adoptio nulla erit. *inſtit. de adopt. §. minorem.*

4 Caſtratus, vel ſpado poteſt adoptare?
Reſp. Negatiuè, quia adoptio imitatur cognationem naturalem, & quia non poſſunt generare, ideò non poſſunt adoptare, quia eſt actus viri potentis. *inſtit. de adopt. §. illud.*

5 Sacerdos poteſt ne adoptare?
Reſp. Affirmatiuè: quia eſt actus charitatis; & ſicut poteſt generare, ſic poteſt adoptare. *Abb. in c. vnica de cognat. leg. nu. 4. l. ſi Pater. ff. de adoptionibus.*

6 Senex poterit ne adoptare in nimia ſenectute?
Reſp. Poterit; licet probabiliter ob ſenectutem non poſſit generare, vt habeat ſolatium in ſua infirmitate. *l. ſi Pater. ff. eod. tit.*

7 Quam cognationem contrahunt adoptatus, & filij adoptantis?
Reſp. Confraternitatis: ad hoc, vt matrimonium non poſſit contrahi inter ipſos durante adoptione, & dirimatur cōtractu. *c. vnico. de cogn. leg. & Ab. ibi n. 6.*

8 Illegitimus poteſt contrahere cum filia ſpirituali Patris ſui?
Reſp. Negatiuè. *Abb. vbi ſup. nu. 7.*

CAPVT XLVII.

De Crimine impediente Matrimonio.

1 QVod eſt crimen dirimens matrimonium?
Reſp. Homicidij, & adulterij: videlicet cum quis propria vxore viuente, habet copulam carnalem cu alia, & promittit quòd mortua propria vxore duc illam, vel occidat vxorem ad contrahendum cum ali hæc duo crimina dirimunt matrimonium contractum. *Tol. in ſum. lib. 7. c. 10.*

2 Adulter, qui viuente propria vxore, cognoſcit aliai carnaliter, mortua propria Vxore, poterit ne cum alia contrahere?
Reſp. Poterit, niſi viuente propria ſpoponderit cum e contrahere. c. veniens. de eo, qui duxit in matr.

3 Matrimonium dirimitur, ne propter ſolum adulterium alterius coniugis?
Reſp. Non. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. can. 7.*

4 Si quis viuente vxore, per verba de præſenti contrahat cum Maria, & eam neque poſt, neque ante cognoſcat, ſed ſolum promittat per verba de præſenti; prima vxore mortua, poterit ne cum dicta Mariā contrahere?
Reſp. Poterit, dando nouum conſenſum, quia contractus non facit impedimentum, ſed copula, adulterium, & homicidium. *c. ſi quis. de eo, qui dux. in matr. &c.*

5 Si quis viuente vxore ipſa inſcia nubat cum Maria, & Maria neſciat illum eſſe vxoratū, & eam cognoſcat, mortua prima vxore tale matrimonium erit validum?
Reſp. Ad petitionem Viri non eſſe, quia non debet res in commodum ponentis fraudem cedere; benè tamen ad petitionem mulieris. *c. propoſitum. de eo, qui dux. in matrim. &c.*

6 Qui dimiſit adulteram tenetur ne facta pœnitentia illam iterum recipere in ſuam domum?
Reſp. Negatiuè, bene tamen tenetur alere.

7 Si alter coniugum infidelium venerit ad fidem, poterit ſibi ſumere vxorem fidelem?
Reſp. Poterit habitare cū infideli ſi infidelis voluerit; ſi vero voluerit recedere à fideli, vel habitare cum cōtumelia Dei, & eſt periculum animæ, poterit ab ea ſeparari, & ducere vxorem fidelem. *Nauar. c. 2. num. 49. in man. Sa verb. matrim. nu. 8.*

8 Per hæreſim alterius coniugis diſſoluitur ne matrimonium?
Reſp. Negatiuè. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. can. 5.*

9 Matrimonium ratum, & non conſumatum dirimitur ne per profeſſionem religionis?
Reſp. Dirimitur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. can. 6.*

CAPVT XLVIII.

De diſparitate cultus in Matrimonio.

1 QVid eſt diſparitas cultus?
Reſp. Quādo baptizatus nubit cum non baptizata, talis diſparitas dirimit matrimoniū, quia baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorū. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. c. non oportet. 28. q. 1. & ibi gl. Tolet. in ſum. lib. 7. can. 11.*

2 Si duo coniuges Mauri ſint, & vnus conuertatur, & & baptizetur, & alter non, poterunt ne manere in tali matrimonio?
Reſp. Poterit baptizatus manere, ſi non ſit periculum animæ. *Tolet. in ſumm. lib. ſeptimo, capit. 11. numer. 3.*

& tunc

& tunc erit baptizato Sacramentum.

3 Filij nati ex non baptizato, & baptizata, quam conditionem ſequuntur?
Reſp. Conditionem Patris: ſi verò ambo ſint Iudæi, & fęmina, conuertatur ſequentur conditionem matris: idem de mancipij Chriſtianorum. *Tolet. in ſum. lib.7.cap.11.num.4.*

4 Natus ex matrimonio clandeſtino, vel nullo, erit ne legitimus ſi poſtea matrimoniũ validum fiat?
Reſp. Affirmatiuè, quia legitimatur per ſubſequens matrimonium. *capitul. quod nobis. de clandeſt. deſponſ.*

5 Si quis in gradu prohibito ſciens, vel ignorans cõtraxerit, filius natus erit ne legitimus?
Reſp. Negatiuè, quia ignorantia, vel bona fides in matrimonio non excuſat. *cap. cum inhibitio. §. ſi quis verò. eodem titul.*

CAPVT XLIX.

De vi, vel Metu impediente Matrimonium.

1 QVotuplex eſt vis, vel metus in matrimonio?
℞. Duplex: primus eſt metus reuerentialis, & ordinarius non amittendi, ſcilicet, amicitiam, vel fauorem alicuius: Secundus eſt metus cadens in conſtantem virum; hoc eſt quando graue aliquod malum timetur in matrimonio; nempè metus mortis propriæ, filiorum, verberum, famæ, honoris, carceris perpetui, & aliorum ſimilium; lege *Nauar. conſ. 10. de ijs, quæ vi Gloſſam in c. præſens clericus 20. quæſt. 3 Val. quæſt. 3. part. 2. Couar. §. 6. num. 3. Tolet. lib. 7. caput. 12.*

2 Qualis metus dirimit matrimonium contractum?
Reſp. Metus cadens in conſtantem virum: ſed aduerte, quòd ſi poſt metum aliquando conſenſerit, tale matrimonium non poſſe diſſolui. *capit. veniens. de ſponſal.*

3 Si aliqua mulier per vim contrahat matrimonium, & poſtea ſpontè cohabitet cum viro, quid agendum?
Reſp. Liceat à principio tale matrimoniũ nõ fuerit validum, poſtea verò taciturnitate, & cohabitatione fit verum. *c. ad id. de ſponſal.*

4 Pœna poſita Magiſtratibus, Primatibus, qui per vim inducũt mulieres diuites ad matrimonium contrahendum; extenditur ne ad priuatos homines.
Reſp. Negatiuè, ſed ſolum comprehendit Magiſtratus, & Primates, qui habent aliquam poteſtatem, & iuriſdictionem, cum qua faciunt, vt dictæ mulieres nubant, & ea abutuntur in damnum libertatis matrimonij.

CAPVT L.

De Ordine impediente Matrimonium.

1 QVis Ordo dirimit matrimonium?
℞. Ordo ſacer; & maior. *Tolet. in ſum. lib. 7. cap. 12. nu. 3.*

2 Quis poteſt diſpenſare, vt clericus in ſacris nubat?
Reſp. Dixi. *lib. 1. c. 31. num. 18.*

3 Eſt ne idem in Gręcis vxorem habentibus?
Reſ. Affirmatiuè; Græci enim ob hanc cauſã prius vxorem ducunt; ac proinde nec poſſunt tranſire ad ſecundas nuptias.

4 Si Diaconus de facto ordinetur, & cõtraxerit matrimonium, quis poterit cum eo diſpenſare, cumque promouere?
Reſp. Epiſcopus; facta pœnitẽtia. *capit. ex litteris. qui Cler. vel vou.*

5 Clerici in ſacris, & regulares, qui emiſerunt votum ſolemne caſtitatis, poſſunt ne contrahere matrimonium?
Reſp. Negatiuè; ſi contraxerit, non erit validum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. can. 9.*

6 Per ingreſſum religionis, dirimitur ne matrimonium contractum de præſenti ratum, & non conſumatum?
Reſp. Affirmatiuè ſequuta profeſſionem; attamen poſt emiſſam profeſſionem, tunc enim etiam inuito altero coniuge ſolutũ eſt matrimonium. *c. promiſſum de ſponſalibus*, quòd ſi verò fuerit ſequuta copula carnalis. Reſp. Negatiuè, quia matrimonium ratum, & conſumatum ſola morte alterius diſſoluitur. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. cano. 6.*

7 Per matrimonium ammittuntur ne beneficia, & penſiones?
Reſp. Affirmatiuè; etiam ſi matrimonium non fuerit conſumatum, etiam ſi vxor ingrediatur religionem. Sa verb. Matrimonium. *num. 31.*

8 Poteſt ne vxoratus aſſumi ad ſacros ordines, ſi eius vxor ingrediatur religionem?
Reſp. Poteſt, ſi voueat domino continentia. *c. coniugatus. de conuerſ. coniugator.*

CAPVT LI.

De Ligamine Impediente Matrimonium.

1 QVod eſt ligamen impediens, & dirimens matrimonium?
Reſp. Quando quis contraxit per verba de præſenti cum Maria, & non conſumauit; eſt ligatus, vt non poſſit contrahere cum alia: ſed ſi de facto contraxerit, &

xerit, &

xc...,& conſumauerit, debet primam ſumere, Tolet. *in ſum.lib.7.cap.* 13.*num.*1. *c.tuas.de ſponſal.c. inter virum.eod.tit.*

CAPVT LII.

De impedimento publicæ Honeſtatis.

1 QVando inſurgit hoc impedimentum publicæ honeſtatis?

Reſp. Quando aliquis cum aliqua ſpondit, non poteſt cum conſanguinea ipſius, ſiue ipſa mortua, ſiue viuẽte; nec ipſa mulier cum cõſanguineis ſponſi vſq; ad quartum gradum, vt aſſerit Panor. *in c.ſponſ. de ſponſalibus* inſurgit hoc impedimentum; tùm ex ſponſalibus, tùm ex matrimonio rato, etiam ſi nulla copula carnalis interceſſerit. Ledeſma *art.1.concluſ.3. dub.2.Rebell. q.14. Couar.§. 7.num.3. Sanchez. lib.7.de matri.diſp.70.*

2 Concilium Tridentinum, vſq; ad quem gradum voluit induci hoc impedimentum in ſponſalibus?

Reſp. Ne excederent primum gradum. *Trident. ſyn. ſeſſ.24.cap.3.*

CAPVT LIII.

De affinitate impediente Matrimonium.

1 QVod eſt impedimentum affinitatis?

℟. Eſt quædam cognatio, quæ oritur ex copula carnali, ex qua procedit impedimentum, vt quis non poſſit contrahere cum conſanguinea talis mulieris. *Tolet.in ſum.lib. 7.c.15.num.*1

2 Vſque ad quem gradum extenditur tale impedimentum?

Reſp. Poſt *Conc.Trid.* non excedit primum, & ſecundum gradum. *Trid.ſynod.ſeſſ.24.c.4.*

3 Sufficit ne ad hoc impedimentum, vt quis conetur coire cum muliere etiam ſi non poſſit, emittere ſemen, vel ſi effũdat, emittat illud extra vas naturale?

Reſp. Non, quia tale impedimentum oritur ex cõmixtione ſeminis viri, & mulieris intra vas naturale. *Tolet. in ſum.lib.7. capit.15.nu.1.& 2.cap. is qui cap. adoleſcens. de ſponſ. & matrim. & cap.extraordinarium 35.quæſt.3.lege Sanchez diſput.64.num.8.Rebell.queſt. 15.num.2.Sotus diſtin.41.artic.2. Nauarr num.43.capit.22.*

CAPVT LIV.

De conſanguinitate, & affinitate.

1 QVid eſt affinitas?

℟. Eſt propinquitas perſonarum proueniẽs ſiue ex coitu licito, ſiue illicito. *Groffred. in ſum.cap. quod ſuper de conſang.& affinit.*

2 Quare dicuntur affines?

Reſp. Quaſi ad alterius finem accedentes; quia duæ cognationes, quę inter ſe diuerſæ ſunt, propter coitũ coniunguntur.

3 Quique modis contrahitur affinitas?

Reſp. Primò, per matrimonium conſumatum. Secundò per coitum illicitum cum libera, vel vxorata. Tertiò per inceſtum. Quartò, per ſacrilegum coitũ cum monacha, *c.inceſto.33.q.3.c. diſcretioni.c.tuæ de o qui cognouit conſanguin. vxor. ſuæ,cap.neq; eam.35. quæſt.2.*

4 Vſq; ad quem gradum impedit affinitas matrimonium contrahendum, & dirimit contractum?

Reſp. ad quartum gradum, videlicet ſi vidua nubat alicui, qui eſt in quarto gradu cum ſuo primo marito tale matrimonium non tenet abſque diſpenſatione Apoſtolica. *c.1.de conſang.& affinit.*

5 Diſtans ſtipite in quarto gradu, poteſt ne ſine diſpenſatione Apoſtolica contrahere cum diſtante ab eodem ſtipite in quinto gradu?

Reſp. Poteſt, quia cõputatio fit in fauorem matrimonij à gradu remotiori; & cum vnus ſit in quinto gradu, iam eſt conſtitutus vltra fines diſpenſationis. *c.fin.eod.tit.*

6 Quot ſunt gradus?

Reſp. Tot, quot ſunt perſonæ accendẽte, ita vt quęlibet perſona faciat ſuum gradum, *Abb.in c.fin.de conſang.& affin.num.4.*

7 In lineis tranſuerſalibus, & collateralibus, quomodo fit computatio?

Reſp. A remotiori gradu, & quælibet perſona conſtituit vnum gradum aſcendẽdo vſq; ad Patrem communem, vbi iuguntur illæ duæ linæ; vt ſi fiat computatio linearum duorum fratrum, aſcenditur vſq; ad Patrem, & matrem illorum duorum, vbi lineæ coniunguntur, & ex illa deriuantur tanquam ex vno fonte. *Abb.vbi ſup.n.3.*

8 Quid ſunt ſponſalia de futuro?

Reſp. Futurarum nuptiarum expreſſo conſenſu certa promiſſio. *Abb.c.ſuper eo.eod.tit.nu.4.*

9 Affinitas ſuperueniens ſoluit ne ſponſolia de futuro?

Reſp. Affirmatiuè, etiam ſi probetur ſolum per famam.c.ſuper eo.eod.tit.

10 Conſanguineus mariti poteſt contrahere cum cõſanguinea Vxoris ſuæ, licèt vel indigant diſpenſatione?

Reſp. Poteſt licitè abſq; diſpenſatione, quia linæ ſũt diuerſæ, & nulla oritur affinitas, inter conſanguineos vxoris, & mariti. *Abb.in.c.quod ſuper eod.titul. num.2.3.& 4.*

Infideles coniuncti in gradu prohibito, poſt baptiſmum

mum debent ne ſeparari?

Reſp. Si gradus prohibitus illius generis ſit, in quo ſolet Eccleſia diſpenſare, non debent ſeparari. *Abb. in c. de infidelib. eod tit.*

12 Eſt ne matrimonium apud Iudeos?

Reſp. Eſt, quia omnes in ſuo rito habent matrimonium, ſed ſolus Chriſtianus baptizatus celebrat verũ Eccleſiæ Sacramentum. *Abb. vbi ſupra nu. 4.*

13 Quis diſpenſat in gradibus prohibitis?

Reſp. Solus Papa. *Abb. in capit. cum dilectio. eodem, titul. numero 5.*

14 Diſpenſatio data à Summo Pontifice, valet ne, ſi eſt cum cauſa falſa conceſſa?

Reſp. Negatiuè, præſumitur enim Papa dediſſe talem diſponſationem reſpectu illius cauſæ, quam vtiq; non dediſſet, niſi interpoſita eſſet talis cauſa. *Abb. in c. quia circa, eod. tit.*

15 Teſtes in cauſa conſanguinitatis, quomodo ſunt examinandi?

Reſp. Debent interrogari ab ipſa ſtirpè, vt clarius appareat affinitas de gradu in gradum. *c. tua nos. eod. tit. & in hoc caſu maxima eſt adhibenda cura.*

CAPVT LV.

De impotentia in matrimonio.

1 QVod eſt impedimentum oriens ex impotẽtia?

Reſp. Quando quis non poteſt emittere ſemen vel quando mulier habet vas ita arctatum, vt non poſſit recipere ſemen, vel quando quis habet virilia abſciſſa ex infirmitate, vel alia ex cauſa, tunc tale impedimentum dirimit matrimonium. *Tolet. in ſum. lib. 7. capit. 16. num. 1. Rebell. lib. 3. quaſt. 16. Egidus de Coninch. quaſt. 31. dub. 7. Nauar. num. 59.*

2 Si tale impedimentum eſt eſt aliqua infirmitate, poſt matrimonium contractum, quid agendum?

Reſp. Non dirimit tunc matrimonium. *Tolet. in ſum. lib. 7. capit. 16.*

3 Si ambo contrahentes ſciant eſſe tale impedimentum, & poſtea contrahant, valebit ne matrimonium?

Reſp. Licet diuerſæ ſint opiniones, ſecurior tamen eſt quod dirimitur matrimonium, cum iſta impedimenta ſint contra prolem, ſubſtantiam, & fidem matrimonij. *capit. conſulta. de ſponſ. ita Panorm. Hoſtienſ. Nauar. num. 60.*

4 Eunuchus emittens ſemen, ſed non ita calidum, & temperatum, vt poſſit generare, poterit ne nubere ſcientie, & conſentiente coniunge?

Reſp. Licet olim Eunuchi habuerint vxorẽ in facie Eccleſiæ; Sixtus Quintus per ſuam bullam vetuit, vt tales amplius nubant, ea ductus ratione, quia tale matrimonium non videtur eſſe ad prolem, ſed ad delectationem, & ſocietatem. *vide Rebell. libro 3. ſectio. 3.*

CAPVT LVI.

De raptu In matrimonio.

1 QVod eſt impedimentum ex raptu proueniens, & quid eſt raptus?

Reſp. Quãdo quis rapit fœminam non conſentientem, vel contradicentẽ a domo parentũ, vel inuitis ijs, ſub quorũ cura ipſa eſt; tũc.n. talis raptus eſt impedimẽtũ dirimens matrimonium. *Tri. ſy. ſeſs. 24. c. 6.*

2 Si fœmina ſua voluntate, & abſq; conſenſu Viri fugiat ad domum Iudicis, & ibi nubat Viro, erit ne tale impedimentum dirimens matrimonium?

Reſp. Negatiuè, quia pœna rapti imponitur rapiẽti per *Concil. Trid.* & non mulieri fugienti, & pęna extendi non debet. *Tolet. in ſum. lib. 7. c. 17. nu. 4. Rebell. q. 11. nu. 7. Egidius de Coninch. diſput. 37. de matrimonio, dubio 4.*

3 Quando quis rapit mulierem, quid agendum?

Reſp. Iudex debeat eam ponere in loco tuto, & libero & ſi ibi conſenſerit, poterit de nouo contrahere. *Tolet. in ſum. lib. 7. cap. 17.*

4 Qua pena punitur raptores, & eorum adiutores?

℞. Raptores etiam ſi non nubant, tenentur dotare mulierem, ipſi auditores verò ſunt excommunicato ipſo iure, infames, incapaces dignitatum, ſi clerici, ſunt irregulares, & conſiliarij eadem pœna puniuntur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6. Tol. in ſum. lib. 7. c. 17. n. 4.*

5 Hæc pœna raptorum, quantum durat?

℞. Quantum durat raptus, & infamia fœminæ; ſed poſtea ſi contraxit cum illa, infamia extinguitur, & opponi amplius non poteſt. *Tolet. vbi ſupra.*

6 Excommunicatio Concil. *Tri. poſita in c. 6. ſeſſ.* 24. raptoribus fęminarum comprehendit ne eos, qui rapiunt fęminas non animo nubendi, ſed animo cõuerſandi cum eius?

℞. Negatiuè ratio eſt, quia iſta lex penalis, poſita eſt in honorem, & fauorem matrimonij, cõtra raptores fęminarũ animo nubendi, & ideò extendi nõ debet ad eos, quia appetitu libidinis rapiunt fęminas, non animo nubendi, neque celebrandi matrimonium, ſed ſolũ animo cum eis inhoneſtè conuerſandi, quod eſt diſtinctum genus peccati, ſic tenent Doctores ſupra, dictum. *cap. Concil. Trid.*

7 Si quis contrahat cum rapta, eſt ne validum matrimonium?

℞. Negatiuè, ſed tũc erit validũ quando ipſa erit in ſua libertate, & illũ liberè eligat. *Trid. ſyn. ſeſs. c. 6.*

CAPVT LVII.

De diuerſis caſibus Matrimonij.

1 HAbere ſolum vnam vxorem eſt de iure diuino, vel de iure naturali, vel de iure poſitiuo?

℞. Quod

Reſp. Quod ius diuinum ex duplex, alterum naturale, quod nobis ſuadet ratio, & natura; alterū quod vocatur diuinum poſitiuum, hoc eſt, quando aperit Deus nobis ſuam voluntatem, ſiue per opera, ſiue per dicta ad dirigendam rationem noſtram, & vitam vt notat. *Abulenſ. tom. 5. in cap. 19. ſuper Matth. q. 31.* his præmiſſis dico habere ſolum vnam vxorem in lege Euangelica eſt de Iure diuino poſitiuo. I. quia Deus dixit Adæ relinquit homo Patrē, & matrem, & adherebit vxori ſuæ, & D.P. prima ad Corinth. 7. Præcipio non ego, ſed Dominus his, qui matrimonio iuncti ſunt vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, præcipio manere inuptam, aut viro ſuo reconcilliari. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. can. 2.* Dicit, ſi quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege eſſe prohibitum anathema ſit.

2 Quare ergo in vetere lege Sancti Patres, Abraham Iacob, & Dauid habuerunt plures vxores, & plures concubinas abſq; peccato?

Reſp. Hoc fuit illis à Deo permiſſum propter prolē propagandam, & non ad delectationem carnis, tenet Auguſtinus lib. 16. *de ciuitate Dei, cap. 38.*

3 Summus Pontifex, & Eccleſia poteſt diſpenſare in pluralitatem vxorem?

Reſp. Bellarminius controuerſia 3. *de matr. lib. 1. c. 11.* tenet partem negatiuam; ſcilicet quòd neque generaliter; neque ſpecialiter Eccleſia poteſt diſpenſare, circa pluralitatem vxorum, niſi reuelatione diuina hoc concenſſum fuerit, colligitur ab Alexandro 6. c. gaudemus de diuortijs, & ibi gloſ.

4 Gradus aſcendentium, & deſcendentiū per lineam rectam ſunt ne perpetuò prohibiti?

Reſp. Tutior, & verior eſt pars affirmatiua, quòd ſint perpetuo prohibiti; ita quòd ſi Adam hodie viueret nullam poſſet ducere vxorem tenet. *Contr. ſecunda p. cap. 6. §. 10. Palud. in 4. diſtinct. 40. quæſt. 1. artic. 3. gloſ.* in arbore conſanguinitatis, & ibi præpoſitus *Abb. cap.* non debet de conſanguinitate, & affinitate.

5 Matrimonium, & ſponſalia poſſunt ne fieri ſub conditione?

Reſp. Poſſunt ſi conditio ſit iuſta, vt contraho tecum ſi Pater tuus dederit mihi centum aureos, & matrimonium tunc non valebit, niſi impleta conditione; niſi forte eam cognoſcat. *capitul. duobus modis de ſponſ. duor.*

6 Quot ſunt conditiones?

Reſp. Multæ; impoſſibilis, turpis, iniuſta, indifferens, iuſta, & rationabilis in conſenſu, vel prole cōtra ſubſtantiam matrimonij; in quibus omnibus hæc regula eſt ſeruanda: ſi conditio ſit contra ſubſtantiā matrimonij, vt duco te dummodo vites prolem, vel ſi te tradideris adulterandam, vel donec inueniam ditiorem te; tunc matrimonium vitiatur: reliquæ vero conditiones, vt duco te ſi ſurcris, vel volaueris, habentur pro non appoſitis, *cap. ſi conditiones, de conditione appoſ.* conditiones vero iuſte poſſunt apponi.

7 Si quis coram Parocho, & teſtibus contrahat ſub conditione cum Maria, verbis de præſenti, dicens, (ſi placuerit fratribus meis) & non impleta conditione habeat copulā carnalem affectu maritali, erit ne verum matrimonium?

Reſp. Erit, neque requiritur, vt iterum contrahant, de conditionibus dixi. *lib. 1. cap. 35.* latiſſime per totum.

8 Cauſæ matrimoniales poſſunt ne tractari coram Decano, & Archidiacono viſitante?

Reſp. Negatiuè, quia ſunt maiores, ſed ſolum corā Epiſcopo, vel eius Vicario. Tridēt. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2.

8 Si in cauſa matrimoniali pars probat paupertatē tenebitur in ſecunda, vel tertia inſtantia extra prouinciam litigare?

Reſp. Negatiuè, niſi altera pars expenſas litis velit miniſtrare.

10 Si quis iurauerit contrahere cum aliqua muliere, poterit ne poſtea ingredi religionem?

Reſp. Primum debet contrahere, ante copulam ſtāte matrimonio ratio poterit ingredi religionē, quia iuramentum ſemper eſt ſeruandum, dummodo ſine peccato, & periculo animæ fieri valet. *cap. commiſſum de ſponſ.*

11 Si quis contrahat cū Maria per verba de futuro, abſque iuramento, poſtea verò contrahat cum Anaſtaſia per verba de futuro, firmetque hunc ſecundū contractum iuramento, quæ ſponſalia erunt valida?

Reſp. Priora, ratio eſt, quia iuramentū fuit in præiudicium tertij, quo caſu nullo modo obligat. *Sanchez lib. 1. de ſponſal. diſp. 10. nu. 2. Enriquez lib. 11. de matrimonio. c. 3. num. 3.*

12 Si quis contrahat cum Maria per verba de futuro & conſumauit, & non iurauit poſtea verò contraxit cum Catharina per verba de futuro, & iurauit, ac conſumauit, quæ ſponſalia erum valida?

Reſp. Priora, quia iuramentum fuit de re iniqua, & cum iniuria tertij, immò priora erunt valida, etiam non ſequuta copula, quamuis in poſteriori, caſu ſequuta fuerit. *Sanch. lib. 2. de ſponſal. diſp. 49. Vaſq. lib. 11. de matrimonio c. 13. num. 3.*

13 Si quis contraxit cū Maria per verba de futuro, & iurauit, ac conſumauit; & poſtea contraxit cum Ioanna per verba de præſenti, & non iurauit, neque conſumauit, quale matrimonium valebit?

Reſp. Poſterius, quia conſenſus de præſenti diſſoluit priora ſponſalia de futuro; tamen aduerte, virum eſſe obligatum ſi Virginem violauit, vel viduam bonæ famæ cognouit diſſoluto primo matrimonio illam ducere, ſi ipſa voluerit, quia illam fefellit ſpe futuri matrimonij, *capit. ſi inter. de ſponſal. Sanchez lib. 1. eò diſput. 48. nu. 1. Vaſquez lib. 2. de matrimonio, capit. 13. num. 3. reſponſ. ad cap. veniens. de ſponſal.*

14 Si infidelis Turca conuertatur, & ſuſcipiat baptiſmum, & habeat plures vxores, quam poterit retinere?

℞. Primam, cum qua in infidelitate contraxit, quia matrimonium etiam eſt vinculum naturale. *c. gaudemus de diuort.*

15 Si prima cū eò nō voluerit permanere poterit ne ſumere ſecundam, vel aliam?

℞. Negatiuè, niſi talis conuertatur, & tum ea de nouo contrahat ſecundum ritum Chriſtianorū; quia quia cum reliquis Vxoribus (excepta prima) non contraxit vinculum naturale. *c. gaudemus de diuortijs, & non oportet 2. 8. q. 1.*

16 In articulo mortis poteſt quis contrahere matrimonium?

℞. Dum habet animam in corpore, poterit cōtrahere matrimonium, ratio eſt, quia eſt Sacramentum Eccleſiæ, & dignè ſuſceptum confert gratiam. Secundò, quia ne modum habet animam in corpore eſt ita deſperatus, quòd non poſſit viuere, cum Deus ſit dominus vitæ, & mortis, & hoc Sacramentum

eſt viuo-

eſt viuorum. *Abb. in capit. 2. de coniugio Leproſorum. num. 5.*

17 Senex nimia ſenectute confectus poterit ne contrahere matrimonium per verba de præſenti?

℟. In quacumque ætate, & ſenectute homo poteſt contrahere matrimonium, ſed aduertendū, eſt quod ſi talis ſenex tempore, in quo contraxit matrimonium erat impotens ad emittendum ſemen, ſiue hęc impotentia prouenerit ex infirmitate, ſiue ſenectute. Tunc enim tale matrimonium erit irritum, non quidem ratione ætatis, ſed ratione impotētię, enim eſt vnum ex impedimentis dirimens matrimonium contractū, vt dixi *cap. 5 3. & tenet Tol. in ſum. lib. 7. capit. 15.*

18 Maritus poteſt ne abeſſe ab vxore?

℟. Poterit, dummodo diutius, non ſit abſens. tenet *Abb. in c.* perueniens de coniungo leproſorum.

19 Eſt ne determinatum tempus, in quo licitè maritus ſine vno conſcientiæ ſcrupulo abeſſe poſſet ab vxore?

℟. Hæc regula ſemper eſt obſeruanda, nempè illa dicitur diuturna abſentia mariti, vel vxoris, quando alter eorum conqueritur de abſentia, ſiue abſentia ſit per menſes, vel per annos, ratio eſt, quia effectus Sacramenti matrimonij eſt habere prolem, & conſortium vitæ. Cum per Sacramentum fiant vir, & mulier vna caro, & conſequi non poteſt, abſentia longi temporis. *tenet Abb. in c.* perueniens de coniugo leproſorum.

20 Si vir abſit a muliere in principio cum voluntate mulieris veluti ſi quis ex Hiſpania pergat, Italia, & poſt aliquos menſes, mulier conqueratur de abſentia, eumq; vocet. Tenetur ne talis vir ſi ſit infirmus, vel periculo vitæ; vel paupertate magna iter facere, ad habitandum cum ſua vxore?

Reſp. Talis vir cum periculo vitæ ex infirmitate, vel ex mari, vel ex bello non tenebitur facere iter in Hiſpania ad habitandum cum ſua vxore, ratio eſt, quia quod a principio fuit voluntarium, poſt factum ex cauſa accidentali interueniente fit neceſſarium. Secundo, quia ex impedimento legitimo excuſatur à culpa, quando quidem cum periculo vitæ, vel cum infirmitate, quis non tenetur iter facere commorandi cauſa cum vxore, tenetur tamen ſi mediocrem habet commoditatem: hęc autem commoditas arbitrio pruentis, & docti Confeſſarij iudicanda eſt. *tenet Abb. & DD. in capit.* perueniens coniugo leproſorum.

21 Si mulier, & maritus conueniant inter ſe, vnus habitet in Hiſpania, & alter in Italia ratione mercātiæ, vel militiæ, vel alia ex cauſa: per quot annos poteſt licitè vnus abeſſe ab alio?

Reſp. Vſque dum durat pactum, & concordia, dummodo in vno, vel in altero non ſit periculum in continentiæ, & adulterij, quia tunc quilibet eorum debet alteri ſuccurrere ex præcepto Sacramenti matrimonij, ratio eſt, quia ſicut maritus, & vxor poſſunt habitando in vna domo ſeruare continentiam, immò poſſunt eam vouere ex voluntate vtriuſque, ſic ambo poſſunt conſentire, vt vnus habitet in vna Regione, & alter in altera; præcipuè ſi ſit aliqua cauſa vtilitatis *tenet DD. d. c. perueniens.*

22 Ad quem ſpectat prouidere, ne maritus, & vxor ſeparatim viuant, ſed potius vitam ducant maritalē?

Reſp. Iudex Eccleſiaſticus, poteſt enim ille ob periculum adulterij vti cenſuri, & compellere virum, vt cohabitet cum ſua vxore; & ratio eſt, quia laicus per matrimonium ſubijcitur Eccleſiaſticæ poteſtati; Iudex etiam laicus poteſt punire virum nō habitātē cum ſua vxore, propter ſcandalū reipublicæ; & confeſſores tenentur in foro pœnitentiali non abſoluere viros, qui non habitant cum ſuis vxoribus; cum ſit magnū peccatum. tenent DD. ſupra loco allegato.

23 Si duo contrahant cum intentionē nunquam coeundi, ſed cum intentioni ſeruandi perpetuo caſtitatem valebit ne tale matrimonium?

Reſp. Si contrahant ritè, per verba de præſenti tale matrimonium amplius diſſolui non poteſt licet habeant intentionem, non conſequendi finem, ad quem inuentum fuerit matrimonium; nempè ad generationem filiorum; ratio eſt, quia ius, & ſubſtantia matrimonij conſiſtit in mutuo conſenſu; non in fine generationis, vt in *c. ſufficit. c. Beata Maria 27. q. 2. l. nuptias. ff. de regulis iuris.*

24 Si quis liber contrahat cū ſerua, erit ne tale matrimonium validum?

Reſp. Licet de iure ciuili. l. cū ancillis. C. de inceſtis nuptijs, prohibitum ſit matrimonium inter liberum, & ancillam, tamen de iure Canonico ſi liber ſciat eſſe ancillam, valet matrimonium, *c. 1. c. 2.* de coniugio ſeruorum.

25 Si infidelis habeat vxorem cōſanguineam in gradu prohibito, poterit ne poſt baptiſmum eam retinere?

Reſp. Cum diſtinctione: aut gradus eſt prohibitus iure diuino, veluti inter aſcendentes, & deſcendentes, & tunc eā non poterit retinere, quia tale matrimonium nunquam fuit validum: aut gradus eſt prohibitus lege poſitiua, & tūnc eam poterit retinere, quia ante baptiſmum non erat obligatus ad mandata Pontificia: *capit. gaudeamus. de diuort. l. nemo. de Iudæis.*

26 Si quis fornicatus fuerit cum aliqua muliere, & ſororem eius ducat in Vxorem abſq; diſpenſatione, valet ne matrimonium?

℟. Non valere ſi contrahatur ante diſpenſationem, *lege Tolet. lib. 7. cap. 15.* §. primum eſt. Adde quod filij nati ante talem diſpenſationem erunt illegitimi, & ad eos legitimandos requiritur expreſſa mentio in diſpenſatione.

27 Qui ante diſpenſationē cognouit carnaliter mulierem, tenetur ne id exprimere Summo Pontifici?

Reſp. Tenetur, vnde ſi non expreſſerit, nulla erit diſpenſatio.

28 Iudæi contrahunt ne legitimas nuptias?

Reſp. Affirmatiuè, & ideò habent filio ſub poteſtate ſua, & gaudent hoc priuilegio, quia ſunt ſub poteſtate imperatoris Romani. *caput gaudemus. de diuort. & Abb. c. fin. de conuerſ. infidel. num. 3.*

CAPVT LVIII.

De Secundis Nuptijs.

1 QVid ſunt ſecundę nuptiæ?

℟. Quādo quis habuit vxorem primā, & illa mortua

mortua duxit aliam. *c. 1, de ſecund. nuptijs.*

2 Quare matrimonium mortua vxore iterari poteſt, & non poteſt iterari baptiſmus?

Reſp. Quia licèt vtrumque ſit Sacramentum Eccleſiæ: baptiſmus imprimit characterem, ac matrimonium non eſt ex illo genere Sacramentorum characterem imprimentium, ſed tantũ conſiſtit in mutuo conſenſu contrahentium, & ſoluitur morte vnius. ex D. Paulo mortua eſt mulier, ſolutus eſt ab vxore, & nubat, cum qua vult.

3 Quomodo ſoluitur matrimonium, vt poſſit ſecundo contrahere?

Reſp. Matrimonium ratum, & conſumatum ſola morte ſoluitur, & non captiuitate, carcere, vel abſentia, *Abb. in. c. dominus eod. tit.*

4 Mulier, vel vir ſi intra annum nubant incurrunt ne aliquam pœnam?

Reſp. Licèt dedecet nubere, tamen ſi intra annum nubet, nullam incurrit pęnam, quia à momento obitus, libera eſt à poteſtate viri, etiam ſi miraculosè reſurgeret. *Abb. in c. ſuper illa eod. tit. num. 2.*

5 In ſecundis nuptijs debent ne fieri benedictiones?

Reſp. Negatiuè, & Clericus qui benedixerit ſecũdò nubentes, ſuſpenditur ab officio, & beneficio, ex tex. in c. 5. & 2. de ſecundis nuptijs, hoc verò tempore, pœna arbitrio Epiſcopi eſt imponenda, quia caſus illius texti fuit ſpecialis. *Abb. in d. cap. 1 num. 5.*

6 Quare ſecundæ nuptiæ non benedicuntur?

Reſp. Quia in primis nuptijs fuerunt factæ benedictiones, quæ licèt non ſint Sacramentum, ſunt tamen ſolemnitates requiſitæ, quæ ex conſuetudine Eccleſiæ non iterantur: ſufficit igitur, vt matrimonium primum hac ſolemnitate celebretur, cum in eo non contrahatur bigamia, ſicut in ſecundo, *Abb. vbi ſup. num. 6.*

7 Si adoleſcens nubat cum vidua, vel è contra ſunt benedicendi?

Reſp. Bigamus dicitur non ſolum vir, ſed vxor, & ſic licèt nubat cum Virgine in ſecundis nuptijs, nullus eorum eſt benedicendus, quia benedictio iterari non debet *c. cum autem, eodem titulo, & Abb. ibi n. 3.*

8 Dubitans de morte coniungis poteſt ne cõtrahere

Reſp. Negatiuè niſi prius certus omnino ſit de eius morte. *c. Dominus, eodem tit.*

9 Si quis dubitans de morte coniungis, & non adhuc certus contrahat; debet ne ſtatim dimittere vxorẽ?

Reſp. Debet eam retinere, ſed non petere debitum, donec ſciat aliam viuere; tunc enim ſtatim debet eã dimittere, aliàs incurrit adulterij crimen, *cap. Dominus eodem tit.*

10 Quomodo probatur mors primi mariti, vt quis ſecurè tranſire poſſit ad ſecundas nuptias?

Reſp. Pluribus modis. Primo modo per euidentiam; & notorietatẽ facti. Secundo, per teſtamentum. Tertio per librum mortuorum. Quarto per duos teſtes, licèt vnus tantum fuerit oculatus. Quinto, per litteras tempore belli prolatas, ex quibus exploratum habemus quam plurimos occubuiſſe, inter quos inſtabile cenſeatur illum extitiſſe, cum in acie dimicauerit. Sexto, per diuturnam abſentiam, ſcilicèt decem annorum, alijs circunſtantijs adiunctis, nempè quòd erat ſenex, vel infirmus. Septimo, ſi nauigauit, & nauis per longum tẽpus non apparuit, nec de illa aliqua notiati habeatur. Octauò, per famam cum vno teſte, licèt aliqui DD. velint ſolam famam ſufficere: *vt Abb. in c. in præſentia. de ſponſ. nu. 6. & in c. Dominus. de ſecund. nuptijs. & Bona Gloſſ. in c. quoniam. §. ſin autem. vt lite non conteſt. verb. præſumitur. vbi ponuntur tres modi probandi mortem. Gloſs. in l. ſi quidem. C. ſolut. matrim. vult per ſolam famam mortem. probari poſſe.*

11 quare in probanda morte primi mariti requiritur tam leuis probatio cum in *l. ſi. C. de ſacroſanct. Eccl. & Abb. in c. in præſentia de ſponſal. nu. & Gloſ.* 1 in fine dicatur, quòd quilibet præſumitur poſſe viuere centũ annos?

Reſp. Primò, quia loquitur Gloſſ. de potentia, quæ ſecundò Philoſophum, eſt res ampla; ſed de facto in *lib. Iob. cap.* 14. dicitur homo natus de mulieri breui viuens tempore repletur multis miſerijs, qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit uelut umbra. Secundò, quia cum ex una parte, quos abſens moriatur, ſic caſus difficillimæ probationis, ex alia uerò urgeat periculum humanæ incontinentiæ, de qua Paulus dicit melius eſt nubere, quam uri, ideò non requiritur, tàm grauis, difficiliſque probatio ad ſecundas nuptias.

12 Si aliqua mulier credat ſuum primum Virũ mortuum eſſe, & nulla certitudine habita neque diligentis neceſſarijs coram Iudice Eccleſiaſtico adhibitis contrahat ſecundo, debet ne ab eo ſeparari?

Reſp. Non debere propter conſcientiam dubiam, donec ſciatur, an primus maritus uiuat. *Gloſs. in verb. nullatenus. & Abb. in cap. Dominus codem tit. num.* 1.

13 in dicto caſu, quòd mulier ſit dubia de morte primi Viri, & ſecundo nubat, quis tenetur reddere, & non petere debitum?

Reſp. Ille, qui habent dubium.

14 Quænã dici debet propriè dubia in caſu prædicto.

Reſp. Illa, quæ pro comperto non habet ſuum uirũ mortuum eſſe, aut uiuere, ſed credit mortuum eſſe, eo quòd per longum tempus non apparuerit.

15 Si aliqua mulier iuſta de cauſa ſit dubia de morte ſui primi Viri, & nubat ſecundo, hæc dubitatio debet interpretari in fauore primi matrimonij, ad hoc ut ſeparetur ſtatim à ſecundo Viro, uel in fauorem ſecundi, ut cohabitare queat cum ſecundo, donec certò ſciat de uita primi?

Reſp. In fauorem ſecundi. Primo propter incontinentiam amborum. Secundò propter periculum ne ſecundus Vir eam derelinquat. Tertiò, quia in dubijs interpretandum eſt pro re minus dubia, & magis fauorabili reo, ut habetur. *l. fauorabiliores. ff. de reg. iur. & tex. in c. dominus. de ſecund. nuptijs,* ubi Papa non iudicauit illos, qui dubij erant, ſeparandos, ſed quò ad durant dubio, cohabitarent ſimul, & redderent, ſed non peterent. *Gloſſ. in d. c. dominus, & cap. iuuenes. de ſponſal. & cap.* 1. *de matr. contracto contra interdict. Eccl. l. in ambiguis. ff. de iure dotium. cap. ſi Virgo. 34. quæſtion.* 1. & expreſsè dicit, quòd ſi Virgo nupſerit, neſciens, nunquam ex hoc erit adultera; ſi verò ſciat; erit.

16 Quot modis, quis dici poteſt abſens?

Reſp. Primò ille, qui præſens, non eſt eo in loco vbi *petit. l. abſentem, ff. de verb. ſignif.* Secundo, qui alium audire, vel intelligere non *poteſt, inſtit. de inutili ſtipulat. §. item verborum.* Tertiò, qui abeſt. cum *teſtes producuntur. l. ſi quando. C. de teſtib.* Quarto ille, qui non eſt in domo, *l. de pupillo. § ſi quis, ff. de noui oper. nunciat.* Quinto ille, qui eſt extra prouinciam, vel

ciam, vel de quo nulla habetur notitia, an ſit mortuus, vel viuus. *l. final.§.vlt. Cod.de bonis auctor iudic. poſſidend.*

17 Quantum temporis ad illam abſentiã requiritur, quæ iuſtum dubium parere poſſit ad hoc, vt verè ad ſecũdas nuptias trãſiẽs dicatur dubius, & poſſit perſeuerare in matrimonio abſque periculo adulterij, vt habetur *in cap.Dominus. de ſecund.nuptijs?*
Reſp. Quando quis tempore decem annorum eſt abſens, & de illo nulla notitia habetur per litteras, vel famam: iſte enim magis reputatur mortuus, quàm viuus; quia longa, & diuturna abſentia pro morte reputatur. *vt in l.fin.§.vltim.vt ſup.*

18 Hæc abſentia longiſſimi temporis, iuncta cum illa ignorantia, an fuerit viuus vir, ſufficit ne ad probationem, vt quis poſſit tranſire ad ſecundas nuptias?
Reſp. Sola abſentia non eſt ſufficiens probatio, vt quis tranſeat ad ſecundas nuptias; ſed eſt ſufficiens, vt ſi quis ad eas tranſiuit, non ſeparetur à marito, donec certò ſciat, primum maritum viuere, quia talis magis poteſt reputari mortuus, quàm viuus; & de hac dubitatione agit. *text. in cap. Dominus.de ſecund. nupt.& in cap.ſi Virgo 34.quæſt.1.*

CAPVT LIX.

De eo, qui duxit in Matrimonium, quam pulluerat per adulterium.

1 SI quis viuente propria vxore, cõſcius de vita eiuſdem, ducat aliam, & habeat copulam, mortua prima poterit contrahere cum ſecunda; poſito quod vterque coniux ſit conſcius criminis, ſcilicèt quod alter erat coniugatus?
Reſp. Non poſſe; quia ſecundum non tenuit, & adulterium fecit eum inhabilem ad contrahendum cum ſecunda. *c. ideò. de eo, qui duxit in matrim.& c. & c.propoſitum, & c.veniens de eò, qui duxit quam polluerat per adulterium.*

2 Si quis viuente prima vxore contrahit cum ſecunda, inſcia quòd talis vir ſit vxoratus ſi prima moriatur, & vir declaret ſuum delictum, & petat ſeparari, quid debet determinare Iudex eccleſiaſticus?
Reſp. Ad petitionem viri non debet facere ſeparationem bene tamen ad petitionem mulieris; ne quis ex ſua fraude, atq; delicto commodum ferat; immò debet virum pœnis coercere, eumq; compellere, vt nouũ conſenſum ferat. *c.1.eod.& c.veniens.eod.tit.ibi.*

3 Si quis viuente prima vxore contraxit cum ſecũda, & commiſit adulterium, mortua prima poterit contrahere cum ſecunda?
Reſp. Si commiſit adulterium conſcia ſecunda, non poterit: ſi verò inſcia; ipſa volente compelletur contrahere, ne defraudetur. *Abba.in c.propoſitum. eod.tit. num.1.& 2.*

4 Si quis viuente propria vxore contraxit cum alia, & non conſumauit; mortua prima poterit cum ſecunda contrahere?
Reſp. Poterit, quia duo requiruntur ſimul adhoc, vt non poſſit contrahere; adulterium ſcilicèt & matrimonium ſecundum. *Abb.in c.propoſitum.num.2.eod.*

5 Si quis viuente propria vxore fornicatur cum aliqua muliere, & non contrahit matrimonium; mortua prima poterit ne cum ea contrahere?
Reſp. Affirmatiuè: quia ad impedimentum non ſufficit adulterium, ſed adulterium & matrimonium. *Abb.vbi ſup.c.ſuper.& c.cum haberet. eod.*

6 Si quis viuente prima vxore dat fidem alteri de futuro, dicens mortua mea vxore nubam tecum, poterit ne poſtea contrahere matrimonium cum tali muliere?
Reſp. Poterit, & nullum eſt impedimentum iure. *Abb.vbi ſup.c.ſignificaſti. eod.tit.*

7 Si mulier machinetur mortem Viri, vt nubat cum alio; ſequuta morte mariti poterit ne illi nubere?
Reſp. Non, ne detur occaſio ad tantum facinus. *Abb. vbi ſup. num.3.*

8 Si aliqua mulier propter adulterium ſit ſeparata auctoritate Iudicis à ſuo Virgo, & ingrediatur religionem: poterit ne eius Vir aliam ducere vxorem?
Reſp. Non; dum viuit prima: quòd ſi de facto duxerit debet ſeparari etiam interueniente morte primæ vxoris, & ratio eſt quia viuente prima vxore, cum ſecunda commiſit adulterium: bene tamen poterit mortua prima, aliam extraneam ducere: ratio eſt, quia crimen adulterij non dirimit matrimonium contractum, licet habeat pœnam capitalem. *text. in cap.ex literarum.de eo, qui duxit in matrimon. quam polluerat per adulter.*

CAPVT LX.

De eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ?

1 QVid eſt affinitas?
Reſp. Eſt propinquitas ex nuptijs proueniens. *Abb.in c.diſcretionẽ.n.10.de eo, qui cogn.conſang.vxor. ſuæ.*

2 Affinitas ſuperueniẽs ex illicito coitu quid operatur.
Reſp. Diſſoluit ſponſalia de futuro, & facultatem tollit contrahendi. *c.ex litteris, & c.venien. eod.tit.*

3 Affinitas ſuperueniens ſolit ne ſponſalia de præſenti?
Reſp. Si ſint de præſenti cum impubere, ſoluit; quia ex interpretatione Iuris, talia ſponſalia non dicũtur matrimonium, ſed ſponſalia de futuro: ſi verò ſponſalia de præſenti ſint cum pubere, & adulto, non ſoluuntur. *Abb.in c.ex litteris.num.3.eod.tit.*

4 Ex dicto vnius deponentis affinitatem, ſeparatur ne matrimonium contractum?
Reſp. Negatiuè; quia iam eſt Sacramentum celebratum, & ſunt in poſſeſſione: & vt tollatur, requiritur maior probatio. *de illo. eod.tit.*

5 Si quis cognouit carnaliter conſanguineã Vxoris ſuę, vel ſponſę, ex hoc diſſoluitur ne matr. cõtractũ?
℞. Non; quia Sacramentum ante illam copulam iam erat cõſumatum: ſed talis eſt inceſtuoſus, & punitur

graui pęna,& non poteſt petere, bene tamen reddere, indiget enim diſpenſatione. *c.1. eod.tit.*

6 Si quis habeat copulam cum ſorore vxoris ſuæ, vel affine in gradu prohibito,& ignoret affinitatem, qua pœna punitur?

Reſp. Nulla,quia ignorantia excuſat eum, & poteſt petere,& reddere debitum. *Abb.c.1.n.3.eod.tit.*

7 Inceſtus impedit ne matrimonium contrahendũ.

Reſp. Impedit. *Abb. vbi ſup.*

8 Si inceſtuoſus de facto contrahat,tenet matrimonium?

℟. Tenet,ſed peccat,& punitur,& non poteſt petere debitum,bene tamen reddere. *c.tranſmiſſæ.eod.tit.*

9 Inceſtuoſus ſi de facto contrahat matrimonium, erit ne validum?

Reſp. Si ſit inceſtuoſus cum extraneis,erit validum: ſi vero ſit cum propinquis propter affinitatem cum matre,vel filia,non tenet. *c.ex tranſmiſſa,& c.ex litteris.eod.tit. Abb.ibi. num.3.*

10 Si mulier contrahat ſponſalia de præſenti,& nondum cognita à viro ſuo, cognoſcat alienum, quod crimen committit?

Reſp. Adulterij; quia frangit fidem viro proprio. *Abb.in c.diſcretionem.nu.5.eod.tit.*

11 Si quis carnaliter cognoſcat puellam ſeptem annorum,& eam defloret,& poſtea contrahat cum ſorore prædictæ puellæ tale matrimonium erit ne validum.

Reſp. Non,immo dirimendum; quia prius per coitũ etiam illicitum factus eſt vna caro cum ſorore ſuæ ſponſæ. *c.fraternitati. eod.tit.*

12 Affinitas ſuperueniens ſoluit ſponſalia de preſẽti?

Reſp. Non. *c.diſcretioni. eod.tit.*

13 Quibus in caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare cum inceſtuoſo,vt poſſit contrahere, & ſi contraxit, vt poſſit petere debitum, & reddere?

℟. In duobus. Primo,ſi non cognouit affinẽ,ſed conſanguineã vxoris ſuæ; tunc enim propriè non eſt inceſtus. Secundo,propter iuuẽtutem,& ignorantiam. *c.ſup.eo.in fi.35.q.6.c.2.eo.tit.& Abb.ibi & c.1.nu.4.*

14 Poterit Epiſcopus diſpenſare cum eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, vt petat debitum?

Reſp. A fortiori poterit exiſtente cauſa iuuentutis, vel ignorantiæ; nam ſi poteſt diſpenſare ad contrahendum, multò magis poterit ad petendum debitũ. *Abb.in c.tranſmiſſa. nu.5. eod.tit.*

15 Si coniuges confiteantur affinitatem,& ſimul ſit rumor vicinorum,debet ne iudex eos ſeparare?

Reſp. Non; bene tamen debent ſeparari ſi ſit fama, vel aliquæ rationes probabile. *c.ſuper.eo. eod.tit.*

16 Quænã eſt differentia inter rumorem,& famam?

Reſp. Rumor eſt quando aliqua pars vicinorum de aliqua re loquitur cum dubio, & ſub nebula, & abſque probabili fundamento: fama verò eſt quando tota ciuitas, vel maior pars aliquid aſſerunt, vt certum. *c.inquiſitiones.de accuſat. Abb. in c.ſuper eo. vbi ſup. num. tertio.*

17 Fornicatio cum eſt notoria poterit Iudex ſententiam ferre ſuper illa ſine teſtibus?

Reſp. Poterit. *Abb.in c.de illo.num.2.eod.tit.*

18 Vir coniugatus ſi cognoſcat ſolutam, quod crimen committit?

Reſp. Adulterij. licet non puniatur pœna mortis ſicut in vxorata, ff. ad legem Iuliã de adulter. & *Abb. in c.tranſmiſſa. num.5. eod.tit.*

CAPVT LXI.

Qui Clerici,vel vouẽtes matrimonium contrahere poſſunt.

1 Diaconi, & Subdiaconi poſſunt ne contrahere matrimonium?

Reſp. Non: & ſi contraxerint, fiunt irregulares, & ſeparantur ab vxoribus. *c.1. & 2.eod.tit.*

2 Votum ſolemne implicitum,vel explicitum emiſſum in religione dirimit matrimonium?

Reſp. Dirimit, ſi verò ſit ſimplex, impedit contrahendum. *c.meminimus.eod tit.*

3 Votum ſimplex impedit ſponſalia de futuro?

Reſp. Affirmatiuè, *c. rurſus, eod.tit.*

4 Votum caſtitatis eſt ne ſimplex, an ſolemne?

Reſp. Si non interueniat aliqua ſolemnitas,videlicet quòd ſit emiſſum in manu Epiſcopi, vel Superioris, eſt votum ſimplex,quod tamen erit ſeruandum,licet non dirimat matrimonium contractum. *Abb.in cap. rurſus.eod. tit.num.2.*

5 Quis poteſt diſpenſare, vt clericus in ſacris fiat laicus, & nubat?

Reſp. Dixi *lib.1.c.31.num.18.*

6 Quod votum obligat magis,ſimplex an ſolemne?

Reſp. Æqualiter obligant apud Deũ in genere,quia eadem eſt promiſſio,ſed ex quantitate pœnæ, & reatus differunt in tranſgreſſione;quia tranſgrediens ſolemne grauis peccat. *c.Virginibus.27.q.1.* Differunt tamen in hoc,quod ex conſtitutione Eccleſiæ,votum ſolemne dirimit matrimonium contractum,ſimplex verò ſolum impedit contrahendum. *Abb.in c.rurſus, num.6. & c.fin.eod.tit.*

7 Quam pœnam incurrit Clericus,qui in ſacris conſtitutus contrahit matrimonium?

Reſp. Irregularitas, & non poteſt amplius ad ſuperiores ordines aſcendere neque in ſuſceptis miniſtrare. *Abb.in c.1.num.2. eod.tit.*

8 Quis poteſt diſpenſare cum tali Clerico in ſacris conſtituto?

Reſp. Epiſcopus de licentia Papæ. *Abb. vbi ſup.n.7.*

9 Votum ingrediendi religionem dirimit ne matrimonium contractum?

Reſp. Non, ſed impedit contrahendum. *cap.meminimus, & Abb.ibi.num.2.eod.tit.*

10 Quare votum ingrediendi religionem nõ dirimit matrimonium contractum?

Reſp. Quia tale votum eſt ſimplex. *Abb.vbi ſup.n.3.*

11 Si quis voueat ingredi religionẽ,& poſtea ſuſcipiat habitum, poterit ne contrahere?

Reſp. Per ſolam ſuſceptionem habitus non ſolemnizatur votum, & ſic erit impedimentum ad contrahendum: ſed ſi de facto contrahat, non dirimitur. *Abb.in c.meminimus, & c.conſuluit.nu.4. eod.tit.*

12 Si quis de licẽtia vxoris igrediatur religionẽ,& poſtea reuocetur à religione per vxorẽ,ad quid tenebitur?

Reſp. Ad ſeruandam continentiam quantum in ſe erit,vt ſit imitator religionis,quam ſuſcepit. *Abb.in c.conſuluit.num.4. eod.tit.*

13 Quam

13 Quam pœnam incurrit, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contrahit?
Reſp. Peccat mortaliter, quia faciat contra promiſſionem Deo factam, ſed matrimonium contractum tenet propter periculum incontinentiæ, & propter maius vinculum. *Abb.in c.veniens.num.1.eod.tit.*

14 Sponſalia iurata poſt votum ſimplex valent ne?
Reſp. Negat. *Abb.in cap.rurſus, num.3.eod.tit.*

CAPVT LXII.

De coniugio leproſorum.

1 Leproſi poſſunt contrahere matrimonium?
Reſp. Poſſunt duo leproſi, & leproſus cum ſana, nec propter lepram ante actam, vel ſuperuenietem ſunt ſeparandi, quia vbi ius non prohibet, neque excipit, neque nos excipere debemus. *cap.2. de coniug. leproſ.*

2 Lepra ſuperueniens impedit ne Matrimonium?
Reſp. Impedit, ſed non dirimit contractum. *capit.1. eod.tit.*

3 Matrimonium de præſenti non conſumatum ſoluitur ne per lepram ſuperuenientem?
Reſp. Non ſolui. *Abb.in c.fin. eod.tit.num.2.*

4 Si lepra ſuperueniat vtrique, vel vni eorum; alter poterit relinquere leproſum & contrahere de nouo?
Reſp. Non, ſed debere potius ſeruare, vel vouere caſtitatem. *c.1. eod.tit.*

5 Sponſalia de futuro ſoluuntur ne ſuperueniente lepra?
Reſp. Affirmatiuè, quia cum vinculum mattimonij non ſit contractum, nemo debet compelli, vt contrahat cum leproſa. *c.fin.eod.tit.*

CAPVT LXIII.

De coniugio ſeruorum.

1 Seruus poteſt contrahere matrimonium contradicente domino?
Reſp. Poteſt, & matrimonium erit validũ; quia nullus fidelis debet excludi à Sacramentis Eccleſiæ. *c.1. de coniug.Seruor.*

3 Si Seruus contrahat matrimonium contradicente Domino, efficitur ne liber?
Reſp. Non, licèt Chriſtianus benefaciat dando licentiam ſeruo ad contrahendum, & eum liberando ex ſua liberalitate. *c.1.eod.tit.*

3 Si liber contraxit cum ſerua tenet matrimonium?
℞. Si ignorauit eſſe ancillam, non tenet, & poterit cũ alia contrahere; ſed poſtquã ſciuit eſſe ancillam, eam carnaliter cognouit, matrimonium tenet tamquam ſi ſciens contrahat cum ſerua. *c. propoſuit. eod.tit.*

4 Filij ſeruorum, quam fortunam ſequuntur Patris, vel matris?
Reſp. Siue ſint legitimi, aut illegitimi, fortunam matris, ita vt ſi mater ſit ſerua, filij ſint ſerui, etiam ſi Pater liber, & nobilis exiſtat. *Abb.in cap.1.eod.tit.nu. 6. & inſtit.de iure perſon.*

5 Si in aliquo loco ſit conſuetudo, quòd partus ſequatur Patrem; lex quòd partus ſequatur ventrem obſtabit ne, vt natus de ſerua, & libero nõ remaneat liber?
Reſp. Non obſtare, ſed talis conſuetudo eſt ſeruanda in fauorem libertatis. *c.licèt.eod.tit.*

6 Quis debet probare Virum ignorare eſſe ſeruum?
Reſp. Licèt in facto alieno ſemper præſumatur ignorantia, ſi res non ſit manifeſta, tamen in fauorem matrimonij vir debet probare, & iurare ſe neſciuiſſe eſſe ſeruam, neque audiuiſſe, & allegare iuſtam cauſam ignorantiæ; & mulier in hoc articulo eſt audienda. *Abb.in c.fin. eod.tit.num.6.*

CAPVT LXIV.

De matrimonio contracto cõtra interdictum Eccleſiæ.

1 Quid eſt interdictum?
Reſp. Eſt quædam ſolemnitas verborum, qua Iudices fieri aliquid prohibent, & tranſgredi non poteſt ſine pœna. *inſtit.de interdict. & ff. eod.tit.*

2 Vnde dicitur interdictum?
℞. Quaſi inter duos dictum, vt cum Iudex prohibet ne Maria contrahat cum Ioanne ob tale impedimẽtum, vſque cauſa finiatur. *inſtit.de interdict. §.exhibitoria.*

3 Quotuplex eſt interdictum?
Reſp. Duplex: alterum Eccleſiaſticum, quod Iudices Eccleſiaſtici promulgant: alterum ſæculare, quod faciunt Iudices ſæculares.

4 In quibus cauſis Iudices vtuntur interdictis?
Reſp. Aliquando in cauſa petitoria, & proprietatis: aliquando in poſſeſſoria: aliquando in mixta; ſed frequenter in cauſa matrimonij, & in cauſa poſſeſſoria. *l.interdictorum.§.quidam.ff.de interdict. inſtit.eod.tit.§. ſequens diuiſio.*

5 Quot ſunt membra interdicti poſſeſſorij?
℞. Tria: Primò pro recuperanda poſſeſſione ei, qui ſpoliatus fuit. Secundò pro adipiſcenda poſſeſſione, & datur ei, qui eam nunquam habuit. Tertiò pro retinenda poſſeſſione, & datur ei, qui ſemper poſſedit.

6 Quãdo dicitur interdictũ momẽtaneę poſſeſſionis?
Reſp. Quando agitur de poſſeſſione retinenda; & dicitur momentaneæ poſſeſſionis, quia in momento adueniente ſententia proprietatis poteſt à poſſeſſione cadere. *l.1.ff.vti poſſidetis.*

7 Quãdo eſt interdictũ ne aliquid fiat in loco ſacro?
℞. Quando prohibetur, ne aliquid damni fiat in ædificijs, in loco ſacro, vel in materia ſacramentorum. *l.1.ff.de interdict.*

8 Si matrimonium fiat contra interdictum Eccleſiæ, & Iudicis dirimitur ne?
Reſp. Ex hoc ſolùm non dirimitur, licèt grauiter puniantur contrahentes: ſi verò ſit clandeſtinum, tunc à ſacro Concilio fiunt inhabiles ad ſic contrahendum. *c.1.& 2.eod.tit. & Abb.ibi.num.2.*

9 Si conſanguinei contrahant, contra interdictum Eccleſiæ, vel Iudicis, quomodo eſt procedendum?
Reſp. Debent ſeparari, donec cauſa recognoſcatur, & puniri ob tranſgreſſionem. *cap.fin. eod.tit.*

10 Contrahentes in gradu prohibito, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Sunt ipſo facto excommunicati, ſi ſcienter cõtraxerunt. *Abb.in c.ſi.eod.tit. num.4.*

CAPVT LXV.

De donationibus inter virũ, & vxorem.

1 QVid eſt donatio?
Reſp. Eſt rei licitæ nullo iure cogente, mera liberalitate, facta collatio. *Azor. in ſum.de donat.* §.1. *Hoſtienſ.in ſum.*§.1.*eod.tit.l.donari ff.de donat.*

2 Quare dicitur donatio?
Reſp. Quia eſt contracta datio gratis. *l.ſenatus.*§.*donatio.ff.de donat. cauſa mort.*

3 Quot ſunt ſpecies donationis?
Reſp. Duæ: alia inter viuos, alia cauſa mortis. *Azor. in ſum. eod.tit.inſt.t.eod.tit.*

4 Quot ſunt donationes inter viuos?
Reſp. Prima eſt ob aliquam cauſam interpoſitam, vt gratitudinis, paupertatis, vel affinitatis. Secunda eſt ſimplex nulla cauſa mouente, ſed ex mera liberalitate facta.

5 Quænam eſt donatio inter virum, & vxorem?
Reſp. Inter viuos aliquando cum cauſa, aliquando ſine cauſa, & poſtremæ ſolent eſſe prohibitæ, *vt l.ſi.C. de donat. ante nupt.* aliquæ donationes ſunt inter virum, & vxorem iuſta de cauſa, & permittuntur à lege *l.ſi ſponſus.*§.*conceſſa.ff.de donat.inter vir. & vxor. vſque ad* §.*ſi maritus.*

6 Quę eſt donatio ante nuptias, vel propter nuptias?
Reſp. Quæ fit à ſponſo, vel ab alio ob cauſam matrimonij. *Azor.in ſum.eo.*

7 Donatio inter virum, & vxorem facta, intentione, vt alter illorum locupletior fiat, tenet ne?
Reſp. Non primo, quia præſumitur facta in fraudem creditorum.

8 Quibus in caſibus reuocatur donatio facta inter virum, & vxorem?
Reſp. In tribus, licèt habeat quaſcunque firmitates. Primò, ſi tacitè reuocetur. Secundò ſi expreſsè per ſcripturam reuocetur. Tertiò, ſi donans ſuperuiuat ſuum donatarium, recuperat ſuam donationem integram, ac ſi non fuiſſet facta: ratio eſt, quia vir & mulier vna caro reputantur, & præſumitur dolus in ſimili donatione. *Abb.in c.ſi.de donat.inter vir. & vxor. num.4.*

9 Donatio facta concubinæ valet ne?
Reſp. Si fuerit facta à Clerico, vel milite non valet: ſi vero à ſeculari, valet. *l.2.C.de don.Abb.ſin.eod.tit.n.4.* Verum hoc intellige, quando donator delucet donationem ſuis legitimis hæredibus, vel creditoribus exhibere, non exhibet, tunc enim in damnum alterius non valet.

10 Maritus poterit dotare mulierem?
Reſp. Poterit præſertim in Hiſpania, ubi inualeſcit hic uſus. *Abb.in c.& ſi neceſſe nu.2.eod.tit.*

11 In quo caſu tenetur quis dare cautionem, pro recipienda dote?
℞. In caſu, in quo ante receptionem dotis, uir in inopiam inciderit; tunc enim aut debet dare cautionem ſufficientem, de conſernatione dotis, uel dos deponi debet apud aliquem mercatorem, ut ex uſufructu uiuant, ne inopia in cauſa ſit, ut mulier adulterium committat. *cap.per veſtras.eod.tit.*

12 Si fiat licita matrimonij ſeparatio; dos uel donatio facta ſponſo, eſt ne reſtituenda?
Reſp. Affirmatiuè, quia cũ ſeparatione ceſſauit cauſa donationis, quæ licèt facta fuerit uiro, eſt tamen facta ex gratuita mulieris uoluntate, quæ uoluntas intrinſecè, & eſſentialiter iſtam conditionem includit ſtante matrimonio; unde ſi fiet ſeiunctio cum deficiat conditio, deficiet pariter uoluntas, atque adeò cauſa donationis. *cap.1.eod.tit.*

13 Matrimonio ſeparato, quoad torum ſolum, eſt ne reſtituenda dos?
Reſp. Affirmatiuè, quia eadem militat cauſa. *Abb.c.1.eod.tit.num.2.*

14 In caſu, in quo non poſſit eſſe matrimonium, donatio propter nuptias erit ne ualida?
Reſp. Non, quia defuit cauſa, ob quam donatio facta fuit *cap.& ſi neceſſe eod.tit.*

15 Bona, quæ durante matrimonio uir, & uxor lucrati ſunt, ſoluto matrimonio ſunt diuidenda?
Reſp. Affirmatiuè, per æquales partes *c.ſignificauit, eod.tit.*

16 Vnde debet ſuſtentari mulier, ſi dos illi non reſtituatur?
℞. Si nõ habeat unde ſuſtententur, debet alimentari ab herede mariti, uſque ad integram reſtitutionem dotis cum fructibus, in quibus computanda ſunt alimenta data. *Abb.in c.de prudentia.n.6.eod.tit.*

17 Contrahentes contra impedimentum publicę honeſtatis lucrantur ne dotem?
Reſp. Non lucrari ſibi ſi ſcienter faciunt, ſed fiſco debetur. *Abb.in c.& ſincere.nu.11.eod.tit.*

18 Quis eſt Iudex competens ad petendam reſtitutionem dotis?
℞. Iudex Eccleſiaſticus, ſeparato tamen priùs matrimonio; quia dos reputatur, ut acceſſorium reſpectu, matrimonij, & ſecundum regulam Iudex, qui cognoſcit de principali, cognoſcit de acceſſorio. *Abb.in c.ſignificabat.nu.2.eod.tit.*

19 Si in reſcripto Iudicis delegati contineatur ſola cõmiſſio cognoſcendi matrimonium tantum, poterit ne quidquam pronunciare uel ſtatuere de dote reſtituenda?
Reſp. Poterit tamquam de re acceſſoria, & coniuncta matrimonio *c.de prudentia.eod.tit.*

20 Iudex ſæculari eſt ne competens in cauſa ſeparationis propter adulterium?
Reſp. Non eſſe, ſed Eccleſiaſticum. *Abb.in cap.plerũque num.3. eod.tit.*

CAPVT

CAPVT LXVI.

Qui matrimonium inuehi apud Iudices, vel contra illud teſtificari poſſunt.

1 QVis poterit Matrimoniũ inuehi apud Iudices, quod non ſit contractum ſecundum leges Eccleſiæ, atque adeò petere, vt diſſoluatur?

Reſp. Si crimen ſit adulterij, ſolus maritus poteſt illud præſtare: ſi vero crimen ſit affinitatis, vel cõſanguinitatis, cum toto tamen, hoc Matrimonium eſt contractum abſque diſpenſatione Apoſtolica; Vicarius, vel Fiſcalis, *c. 2. Qui matrimonium accuſ. &c.*

2 In cauſa Matrimonij, abſente reo poſſunt recipi teſtes?

Reſp. Si agatur de fœdere matrimonij, & reus ſit contumax, poſſunt, immò & cauſa ſententiari. *cap. 1. eod. tit.*

3 Accuſatus in cauſa mattimonij, quomodo debet comparere?

Reſp. Perſonaliter, & non per litteras, id namque exigit grauitas negotij. *c. 2. eod. tit.*

4 Qui ſunt legitimi teſtes in cauſa matrimoniali?

Reſp. Si cauſa ſit de affinitate, & conſanguinitate; pater, mater, & conſanguinei ſunt magis legitimi teſtes propter maiorem notitiam, quam de illa re habent continua communicatione. *c. videtur eod. tit.*

5 Si aliqua puella contra ſuam voluntatem nubat alicui tale Matrimonium valet ne?

Reſp. Si vis fuit cadens in conſtantem virum non valet, niſi fortè poſteà ex ſua voluntate cognoſcatur à Viro ſuo, tunc enim non auditur, quia per voluntarium coitum, ſublata eſt vis, & remanet matrimonium abſque aliquo impedimento *c. in ſuper. eod. tit.*

6 Qui non poſſunt redarguere, vel impugnare Matrimonium, neque in eo quidpiam teſtificari?

Reſp. Primò, qui propter quæſtũ redarguunt. Secundò, qui denunciationis tempore tacuerunt. Tertiò, qui ſcientes, impedimentũ conſenſerunt conſiliumq; dederunt, vt fieret, niſi talis probauerit ſe ignoraſſe impedimentum, ac poſt Matrimonium initum, ad ſuam notitiã perueniſſe. *c. ſignificantes & c. vlt. eod. tit.*

7 Quomodo probatur, aliquem moueri propter quæſtum, & non ex zelo?

Reſp. Per mediatores, teſtes, vel coniecturas probabiles, ſimul cum aliquo teſte *Abb. in cap. ſignificantes. num. vlt. eod. tit.*

8 Quando poterit quis allegare ignorantiam in re, quæ publica fuit?

Reſp. Primò ſi fuit extra ciuitatem tempore, quo talis res fuit geſta. Secundò, ſi erat in minori ætate. Tertiò, ſi erat infirmitate graui detentus. Quartò, ſi probat, quòd erat excommunicatus tempore Matrimonij, & ſic non poterit accuſare. *Abb. in cap. fin. nu. 4. eod. tit.*

CAPVT LXVII.

De conuerſione Coniugatorum.

1 QVid eſt conuerſio?

Reſp. Eſt mutatio vnius ſtatus in alterum, vel vnius religionis in alteram.

2 Quibus modis poteſt mulier dare licentiam marito, vt ingrediatur religionem?

Reſp. Tribus. Primò, ſi ipſa faciat votum ſolemne caſtitatis. Secundò, ſi faciat votum ſimplex. Tertiò, ſi dederit licentiam ingrediendi monaſterium. *Abb. in c. ſignificante. de conuerſ. coniug. num. 2.*

3 Vxor, quæ dedit viro licentiam ingrediendi religionẽ, quãdo non compellitur ipſa ingredi religionẽ.

Reſp. Quando in ſæculo continens eſt, atque adeo integre, caſtèque viuit: ſi verò id non faciat, compellitur ingredi religionem *c. ſignificauit. eod. tit.*

4 Quãdo mulier cõpellitur ingredi religionẽ, in caſu quãdo dedit marito licẽtiã introeũdi monaſteriũ?

Reſp. Quando edidit votum caſtitatis, & caſtè nõ viuit, compellitur adimplere votum, & religionem ingredi, vt omnis tollatur ſuſpicio: ſi verò nullum fecit votum, nõ poteſt cõpelli, ſed poterit reuocare maritum è monaſterio. *Abb. in c. ſignificauit eod. tit.*

5 Mulier, quæ tali modo compellitur ingredi monaſterium, compellitur ne facere profeſſionem abſoluto iam anno?

Reſp. Non, quia ipſa non ſe obſtrinxit voto religionis, ſed tantum tenetur ingredi monaſterium ob cuſtodiam continentiæ. *Abb. vbi ſup. num. 2.*

6 Si maritus fuit infidelis, põt ne repetere ſuã vxorẽ?

Reſp. Facto prius fideli, & facta penitẽtia poteſt: ſed ſi mulier velit monaſterium ingredi non tenetur redire in poteſtatem ſui mariti, nam adulterium carnale, & ſpirituale in hoc æquiparantur, & quia maritus adulterauit in fide, ideò perdidit poteſtatem mulieris. *c. fin. eod. tit.*

7 Si quis nubat per verba de præſenti, poterit ne inuita vxore ingredi religionem?

Reſp. Ante cõſumationem matrimonij poterit, quia hoc eſt in fauorem religionis. *c. verum. eod. tit.*

8 Si ſponſus per vim cognoſcat carnaliter ſpõſam, poterit ne ipſa ingredi religionem inuito ſponſo?

Reſp. Poterit, quia ex eo, quod quis per vim cognoſcat ſuam ſponſam, non dicitur vna caro. *Abb. in cap. verum. eod. tit. num. 1.*

9 Si vxor committat adulterium, poterit ne maritus ipſa inuita ingredi religionem?

Reſp. Poterit, quia liberatus eſt à poteſtate mulieris per adulteriũ, & mulier etiã ſi poſtea honeſtè viuat, non poterit eũ a religione reuocare. *c. conſtit. eod. tit.*

10 Sponſa ſi non ſit cognita à ſuo ſponſo, poterit ne ingredi religionem inuito Sponſo?

Reſp. Poterit, ſed iudex Eccleſiaſticus debet conſtituere certum tempus, intra quod vel profiteatur, vel adhæreat ſuo ſponſo, & finito tempore poterit per vim eam compellere. *c. ex publico. eod. tit.*

11 Poſt ſententiam diuortij, poterit ne maritus ingredi religionem ſine licentia vxoris?

Reſp. Poterit, & ipſa non poterit eum reuocare à religione, neque contra, quia per diuortium ſublatum eſt tale impedimentum. *c. ſi. eo. tit. & Abb. ibi. nu.* 5.

12 Poteſt vxoratus ingredi religionem, & profiteri relicta vxore in ſæculo?

Reſp. Non poteſt, niſi ipſa vxor faciat votum ſolẽne caſtitatis, vel ingrediatur religionem. *c. 1. de eod. tit. c. cum ſis. eod. tit.*

13 Si quis obtinuit ab vxore ſua licentiam in ſcriptis poterit ne ingredi religionem, ipſa remanente in ſæculo?

Reſp. Si ipſa ſit ſuſpecta de continentia, Epiſcopus debet ei reſtituere virum, & compellere, vt exeat à religione, & cohabitet cum illa. *cap. 1. eod. tit.*

14 Si coniuges ad inuicem vouerunt continentiam ex mutuo conſenſu, & alter eorum ingrediatur religionem, alter poterit talem ingredientem reuocare à Monaſterio, vt ſimul viuant?

Reſp. Non poteſt; ratio eſt, quia ambo ſimul renunciarunt vſui matrimonij, quoad copulam; prætereà non poteſt reuocari à Monaſterio, cum profeſſio emiſſa ſit ſtrictior obligatio, & præferatur alijs cauſis. *c. dudum. eod. tit.*

15 Si mulier det licentiam marito, videtur ne ex illo ſolo conſenſu implicitè vouere caſtitatem; cum neceſſario ex illo ſequatur alterutrum, vel quòd edat votum ſolemne caſtitatis in ſæculo, vel quòd debeat ingredi religionem, vt ſupra dictum eſt?

Reſp. Implicitè vouere videtur, ratio eſt; quia qui vult aliquid tacitè, videtur velle id omne, quod eſt neceſſarium ad conſequendum illud, quod cupit. *cap. qui vxorem. 33. q. 5. c. prudentiam. de offic. deleg. l. ad rẽ mobilem l. ad legatum. ff. de Procurat.*

16 Si vxor, quæ dedit licẽtiam marito ignoret, quòd dando talem licentiam videtur ipſam tacitè vouere caſtitatem, tunc poterit repetere virum à religione?

Reſp. Affirmatiuè, quia hæc ignorantia iuris excuſat mulierem. *Abb. in c. de conuerſione. n. 4. eod. tit.*

17 Si mulier dolo, vel ignorantia dedit licentiam marito ingrediendi religionem, in quo caſu non poterit eum reuocare ad ſæculum, etiam probato dolo?

Reſp. Si mulier ſeruauit continẽtiam poterit probato dolo, vel vi, reuocare maritum ad ſæculum: ſi verò ipſa poſt licentiam datam per dolum, non ſeruauit caſtitatem, ſed fornicata eſt cum alio, tunc non poterit reuocare maritum: eſt enim ſingularis caſus, in quo dolus non reſcindit actum per ſuperueniens delictum. *c. veniens. eod. tit.*

18 Si mulier per dolum det licentiam marito ingrediendi religionem, & maritus ante ingreſſum committat adulterium, poſt ingreſſum eius, poterit ne vxor repetere ſuum maritum à Monaſterio.

Reſp. Poterit, licet maritus commiſerit adulterium, ſiue ante ingreſſum, ſiue poſt. *Ab. in c. venies. eo. ti. n.* 7

19 Si mulier det per vim, vel metum licentiam marito profitendi, poterit ne poſt profeſſionẽ repetere illum à Monaſterio?

Reſ. Poterit, quia ĩ hoc caſu ſufficit metus reuerẽtialis, vt mulier poſſit reuocare maritum à monaſterio, propter periculum incontinentiæ. *c. accedens. eo. tit.*

20 Si mulier dedit licẽtiam per metum, & tacuit per duos annos, poterit ne repetere ſuum maritum?

Reſp. Poterit, quia conſenſus datus per metum, non præſumitur ratificatus lapſu temporis. *Abb. in c. accedens. eod. tit. num.* 6.

21 Coniugatus poteſt promoueri ad ſacros Ordines?

Reſp. Poteſt cum duobus requiſitis. Primo, quòd habeat licentiam vxoris. Secundo, quod ipſa voueat cõtinentiam in ſæculo, vel in religione. *Abb. in c. coniugatus. eod. tit.*

22 Si maritus de facto recipit ſacros Ordines, debet ne compelli habitare cum vxore?

Reſp. Debet, quia prius erat vinculo matrimonij ligatus. *Abb. in cap. verum. eod. tit.*

23 Quæ differentia eſt inter coniugatum ordinatum in ſacris, & cõiugatum, qui ingreſſus eſt religionem; ſi vterque id fecit de licentia vxoris?

℟. Quòd coniugatus ordinatus tenetur alere vxorẽ; coniugatus verò religioſus non tenetur, quia vouit paupertatem. *Abb. in c. coniugatus. eodem tit. nu.* 4.

24 Clericus coniugatus, poterit ne de fructibus beneficij alere vxorem?

Reſp. Affirmatiuè, & etiam filios, quamuis ſint illegitimi: *Abba. vbi ſup. n. 5. quia charitas à ſe ipſo incipit. l. præſes, vbi Gloſſ. C. de ſeruit.*

25 Vxoratus de licentia vxoris ordinatus, poterit promoueri in Epiſcopum?

Reſp. Si vxor ſit in ſæculo non poteſt; ſi viro ſit ingreſſa religionem, & profeſſa, poterit *Abb. c. ſanè. eod. tit. num.* 2.

26 Concubinarius poterit ne promoueri in Epiſcopum?

Reſp. Poſt longam pœnitentiam, & continentiam poterit. *Abb. vbi ſup.*

27 Si quis profeſſione facta reuocetur à religione ad inſtantiam ſuæ vxoris; mortua vxore tenebitur ne iterum religioſum ſtatum ſubire?

Reſp. Si noluerit, non tenetur, ſed poterit ducere aliã; *c. quidam eod. tit.*

28 Profeſſus vxore ſciente, illa mortua poterit redire in ſæculum?

Reſp. Non poteſt, quia tenetur adimplere votum. *cap. conſuluit. eod. tit.*

29 Si maritus voueat caſtitatem, poterit ne exigere debitum?

Reſp. Non, ſed ſolum tenetur reddere. *Abb. cap. ſanè eod. tit. num.* 2.

30 Matrimonium ſoluitur ne per ingreſſum religionis?

Reſp. Si non ſit cõſumatum, ſoluitur; quia vir, & vxor non fiunt vna caro ante conſumationem; ſi verò ſit conſumatum, non ſoluitur. *Abb. in cap. verum. num.* 6. *eod. tit.*

31 Si maritus viuente vxore vouit religionem, ipſa conſentiente, vel non mortua vxore tenebitur ne permanere?

Reſp. Tenebitur. *Abb. c. ex parte. eod. tit. num.* 22.

32 Si coniux vouit continentiam, poterit ne petere debitum?

Reſp. Non poteſt, vt diximus in ſimili, ſed ſolum tenetur reddere. *c. ex parte. eod. tit.*

33 Per propoſitum ſeruandæ caſtitatis in ſæculo, ſoluuntur ne ſponſalia de præſenti?

Reſp. Non ſoluuntur, ſed ſolum per profeſſionem religionis, quia hoc priuilegium non eſt conceſſum illis, qui in ſæculo ſeruant caſtitatem; ſed ſolum datum eſt in fauorem religionis. *c. ex parte. eod. tit.*

34 Vxor poteſt vouere ieiunium, vel caſtitatem ſeruare, vel dare eleemoſynam, vel portare cilicium ſine conſenſu mariti?

Reſp. Non

Reſp. Non poteſt, quia cum non habeat poteſtatem corporis ſui, non debet illud ineptum ad vſum Matrimonij reddere. *Abb. in c. 1. eod. tit. n. 5.*

35 Si quis nolit habitare cum ſua vxore, quis debet hanc cauſam cognoſcere, ac de illa iudicare?
Reſp. Iudex Eccleſiaſticus, quia hoc expectat ad vſũ Matrimonij. *Abb. vbi ſup. n. 4.*

36 Si maritus, & vxor ſimul vouerunt continentiam, poſſunt communi conſenſu, non ſeruare tale votum?
Reſp. Non: imò debent compelli à Iudice Eccleſiaſtico ad eam obſeruandam: ratio eſt, quia votum fuit promiſſum Deo: nec ipſi coniuges poſſunt ſe communi conſenſu liberare ab obligatione Deo facta. *Abb. in c. charriſſimus, eod. tit. n. 6.*

37 Si maritus, & vxor poſtquam vouerunt continentiam ſe coniungunt: filius natus ex hac coniunctione erit ne legitimus?
Reſp. Non eſſe legitimum, quia poſt votum emiſſum ampliùs non potuerunt ſe coniungere; immo filius dicitur natus ex ſacrilego coitu. *Abb. vbi ſup. nu. 8.*

38 Papa poteſt diſſoluere Matrimonium ratum, per verba de præſenti, & non conſumatum?
Reſp. Ex iuſta cauſa poteſt, ſed non Matrimonium ratum, & conſumatum. *Abb. c. ex parte eod. tit. num. 6.*

39 Si ſponſa efficitur tertij Ordinis S. Franciſci, diſſoluuntur ne ſponſalia?
Reſp. Non diſſolui, ſiue ea de præſenti, ſiue de futuro ſint: quia qui ſub tertio hoc ordine ſunt non profitẽtur ſicut religioſi, qui viuunt in clauſtro: tertia enim regula inſtituta eſt etiam pro iis, qui viuunt in ſæculo coniuncti Matrimonio. *Abb. vbi ſup.*

CAPVT LXVIII.

De Diuortijs, ſeù Separatione Tori.

1 POteſt Iudex Eccleſiaſticus, quoad torum coniuges ſeiungere?
Reſp. Poteſt ob multas cauſas. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 8.*

2 Quæ ſunt cauſæ, ex quibus Matrimonium ſeparatur quoad torum, & cohabitationem?
Reſp. Prima ſæuitia viri non præterita, ſed præſens, vel timor futuræ. Secunda, ſi maritus inſidiatus eſt vitæ vxoris, vel tentauit eam veneno occidere. Tertia ebrietas, quando tendit in periculũ vxoris. Quarta hæreſis. Quinta vitium ſodomiæ. Sexta adulteriũ. *Couar. 2. p. c. 1. §. 5. c. litteras. de reſtit. ſpol. Tolet. in ſum. lib. 7. c. 25. Sà verb. matrimonium n. 1. Panor. in c. quaſiuit de diuort. Innoc. cap. maritus de adulter.*

3 Si poſt factam pœnitentiam propter adulterium, vir cognoſcat vxorem, quid agendum?
Reſp. Matrimonium reintegratur ex officio Iudicis. *Abb. in c. litteris. de diuort. Falyn. in c. ſi lator. de re iud.*

4 Poteſt maritus propria auctoritate ſeparari ab vxore adultera?
Reſp. Non poteſt, quia eſt neceſſaria declaratio Iudicis. *Nauar. in manual. c. 22. n. 21. Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 10. Sot. art. 3. Rich. q. 3. diſt. 35.*

5 Quando fit ſeparatio in matrimonio ob nimiam ſæuitiam viri, quis debet alere vxorem, præcipuè ſi iſta viro nullam exhibuit dotem?
Reſp. Vir, debet alere vxorẽ ſeparatã à ſe congruè, & honeſtè: etiam ſi ipſa non exhibuerit dotem: ratio eſt, quia ſeparatio non fit propter defectũ mulieris, ſicut quando ſeparatur propter adulterium; ſed fit propter nimiam crudelitatem, & ſæuitiám eiuſdem viri, vnde in eius damnum res cedere debet: & licet vir habeat poteſtatem ſupra mulierem ad eam corrigendam, tamen hæc poteſtas in claritate Chriſti fundata eſſe debet, & non in tyrannidem declinare, tenet *Abb. in c. tranſmiſſa de reſtitutione ſpoliat.*

6 Quæ dicitur nimia ſæuitia in viro?
Reſp. Non ſolum illa ſæuitia danda eſt ex qua pertimeſcendum eſſet de morte mulieris, ſed illa etiam, ex qua ſequeretur aliquod graue damnum, ſcilicet vulnus, vel carceratio, vel mutilatio, vel læſio aliqua in membris, vel negatio uictus, & ueſtitus neceſſarij, aut quid ſimile. tenet *Abb. in cap. ex tranſmiſſa nu. 4. de reſtit. ſpoliator.*

7 Quando fit ſeparatiò tori, quis Iudex debet taxare alimenta neceſſaria præbenda à marito pro ſuſtentatione mulieris?
Reſp. Iudex Eccleſiaſticus, tùm conſiderata qualitate uiri, & mulieris, tùm conſiderata uiri opulentia, & diuitijs, præterea debet uir dare ſupellectilem neceſſariam mulieri ne illa uiuat in neceſſitate, & mendicitare, at non cum illa opulentia, quam habebat in domo mariti.

8 Si poſt ſeparationem factam, uir poſtulet, ut ſibi reſtituatur uxor, quid debet probare?
Reſp. Primò matrimonium eſſe ratum, & conſumatum. Secundo ſpoliatio talis ſponſæ ſibi facta fuerit, uel ſaltem quòd talis ſponſa detineatur, contra eius uoluntatem, in domo patris eius, & tunc iuridicè reſtituitur ei ſponſa. *c. ex tranſmiſſa de reſtitutione ſpoliatorum.*

9 Si hæc probentur à uiro, & tamen uxor probet magnam ſæuitiam uiri, debet ne fieri reſtitutio?
Reſp. Non debet fieri, niſi uir det ſufficientem cautionem de non offendenda muliere, quia prius debet uitari periculum mulieris, quam complacentia uiri. *c. ex tranſmiſſa de reſtitutione ſpoliatorum.*

10 Si uxor probet in iſto caſu, capitale odium uiri ſui contra ſe, debet ne ei reſtitui ſub fideiuſſione?
Reſp. Non debet reſtitui, quia ad conſeruandã uitã, nulla fideiuſſio ſufficit, & nemo poteſt illam dare, ratio eſt, quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum, neque ſuæ uitæ, & ſicut nemo poteſt ſe ipſum interficere, ſic nemo pro alio poteſt uitam ſuã ſpondere apud Iudices, pro delicto alieno, unde oritur, quod nemo poteſt fideiuſſionem facere, uidelicet, quod maritus non interfecturus ſit mulierem. *l. liber homo, ff. de libero homine exhibendo. c. ex tranſmiſſa de reſtitutione ſpoliatorum.*

11 Si poſt adulterium reconcilietur, & habeat copulam cum illa eſt ne locus ſeparationis?
Reſp. Non. *Sà verb. diuortium, nu. 2.*

12 Poteſt maritus poſt ſeparationem ingredi religionem?
Reſp. Poteſt. *c. ſi de conuerſ. coniugat.*

13 Poteſt ne fieri ſeparatio ad tempus, per Iudicem Eccleſiaſticum?

℞. Poteſt

℟. Pōt ſecūdū qualitatem cauſę. *Sà verb.diuort. n. 9.*

14 Poſſunt ne coniuges mutuo conſenſu ſine licentia Iudicis ſeparari,& ingredi religionem ?

℟. Poſſunt. *Victoria* de *matrim.concluſ.*256.

CAPVT LXIX.

De diſpenſationibus in Matrimonium.

1 Qvid eſt diſpenſatio matrimonij?

Reſp. Eſt tollere impedimenta, quę faciunt matrimonium nullum, vel quæ impediunt eius vſū. *Vgolin.de offic.& poteſt.Epiſcop.fol.*168.

2 Quis poteſt diſpenſare in gradibus prohibitis ?

Reſp. Summus Pontifex. *Trid.ſyn.ſeſs.*24.*c.*5.

3 In ſecundo gradu, quis poteſt diſpenſare ?

Reſp. Papa,& inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. *Trid.ſyn.vbi ſup.*

4 Quis poteſt diſpenſare impedimentis dirimentibus matrimonium ?

Reſp. Papa. *Tol.in ſum.lib.7.cap.8.nu.3.*

5 Qui impetrant diſpenſationem à Papa, & ante præſentationem coram ordinario, vel Delegato habent copulam carnalem,puniendi ne ſunt ?

Reſp. Graui pœna eſſe puniendos.

6 Quis poteſt diſpenſare, vt clericus in ſacris, vel Monachus nubat ?

Reſp. Dixi. *lib.*1.*cap.*31.*nu.*18.

7 Quæ ſunt legitimæ cauſę diſpenſationis?

Reſp. Prima, quando adhibita diligentia inuenitur diſparitas conditionis.Secunda,quādo diues vult ducere pauperem. Tertia,quando ſedantur lites,vel inimicitiæ.

8 Quibus in caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimento dirimente matrimonium contractum?

Reſp. Quando matrimonium publicè eſt contractū, & impedimentum occultum, & ſeparatio fieri non poteſt ſine magno ſcandalo, nec facile Papam adire poteſt ob paupertatem, vel aliam cauſam. *Syluest. verb.diſpenſat.q.*15.*Nauar.in manual.c.*22.*n.*85.

9 Hæc diſpenſatio eſt ne in foro interiori, vel exteriori?

Reſp. Solum in foro conſcientiæ,vnde ſi poſt dictam diſpenſationem impedimentum fiat publicum, fiſcalis poterit manus iniicere, & ille tenebitur petere diſpenſationem à Papa,& interim ſeparandus eſt,licet mitius ſit puniendus. *Sanch.to.3.lib.8.diſp.6.n.*16 *Enriquez.de matrim.lib.*12.*c.3.num.2.*

10 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in cognitione ſpirituali, orta poſt contractum matrimonium ?

Reſp. Affirmatiuè. *c.*1.*de cogn.ſpirit.lib.6.Glo.in cap. deſideras.* 3.*q.*1.*Io.And.in c.ſi vir.eo. tit.Syluest. verb. matrimonium.*8.*q.*7.

11 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimentis,quę impediunt matrimonium contrahendum,ſi non dirimunt contractum ?

Reſp. Poteſt, ſed ſolus Papa in impedimentis dirimentibus matrimonium contractum. *Paludan.lib.*4.*diſp.*28.*q.*2 .*Nauar.in manual.c.*22.*nu.*85.

CAPVT LXX.

De adulterijs.

1 Qvid eſt adulterium ?

℟ Quaſi ad alterius torum acceſſus :

2 Quis dicitur adulterinus ?

℟.Qui genitus eſt ex adulterio; ſicuti nummus dicitur adulterinus, qui habet ſigillum adulteratum.

3 Quam pœnam incurrit adulteria ?

Reſp. Primò ſeparationem à toro.Secundò penā detruſionis in monaſterium. Tertiò ſciſſionem capillorū.Quartò excommunicationem, ſed de iure ciuili eſt pœna capitalis. *l.cohæredem. ff.ad legem Iuliam de adulter.*

4 Poteſt Epiſcopus excōmunicare adulterum, vel adulteram.

Reſp. Poteſt, ſed debet attendere, quod ſit publicū, ne ipſe ſua excommunicatione faciat publicū, quod eſt ſecretum. *Abb. in cap. intelleximus.de adulter.n.* 5.

5 Quis poterit accuſare mulierem de adulterio ?

℟. Si agatur de ſola ſeparatione tori, ſolus maritus; ſi verò agatur ad pœnam mortis legalem, quilibet idoneus. *l.ſi maritus.ff.de adulter. c.maritus. eod.tit.*

6 In cauſa adulterij quæ probatio requiritur ?

Reſp. Solum pręſumptio violenta, ſicut nudus cum nuda in eodē lecto iacentes. *Abb.in.c.maritus. n.5.eo. ti.c.afferte de præſumpt.Abb.in c.tua fraternitas.num.* 2. *eod.tit.*

7 Quibus modis palam fieri poterit adulterium, vt poſſit Epiſcopus ex ſuo officio procedere ?

Reſp. Primo, ſi mulier adhæſit publicè alicui concubinario, vt cum eo dormiat, & viuat, ſicut ſi eſſent maritus, & vxor. Secundo, ſi habent filium ex alieno marito. Tertio, ſi palam admittit viros. *Abb.in c. intelleximus.de adulter.nu.*6.

8 Adulterium inducit ne ſeparationem matrimonij, quoad vinculum ?

Reſp. Non quia eſt indiſſolubile, ſed ſolum quoad torum. *Abb. in c.gaudemus. de conuerſ.coniugator. numero* 2.

9 Si vir,& mulier ambo ſint adulteri, ſeparantur ne à matrimonio ?

Reſp. Non,quia cum paria pro vtraq; parte ſint delicta: delictum vnius, alterius delicto compenſatur *cap. tua fraternitas.eod.tit.*

10 Si matrimonium ſeparetur quoad Torū, quis tenetur alere filios ?

Reſp. Pater, & lucratur dotem. *Abb.in c.fin.conuerſ. infidel.num.final.*

11 Maritus retinens coniugem adulteram, qua pœna punitur ?

Reſp. Se ipſum reddit adulterum, qua propter publicè fuſtibus eſt flagellandus, & alij pœnis afficiendus. *c.ſi vir.de adulter.*

12 Maritus poteſt ſua auctoritate, quoad torum ſeparationem facere propter adulterium vxoris ?

Reſp. Si adulterium ſit publicum poteſt,ſed non poterit lucrari dotem,niſi poſt ſententiam;ſi verò, non ſit publicū,nō poteſt abſq; ſententia Iudicis;quia pœna non

na non poteſt imponi niſi per Iudicem. *Abb. in c. tua fraternitatis, de adul. nu. 6.*

13 Si quis cognoſcant carnaliter mulierem poſt adulterium, poterit ne poſtea contra eam vlterius agere? Reſp. Si ſciebat adulterium, non poterit; quia per coniunctionem carnalem ei pepercit. *Abb. in c. tua. eodem tit. num. 8.*

14 Si fiat matrimonij ſeparatio quoad torum, quis lucratur dotem? Reſp. Si ſeparatio fiat propter delictum mulieris; Vir lucratur: ſi verò fiat propter delictum Viri, mulier. *Abb. in c. tua. eod. tit. nu. 3.*

15 Maritus tenetur cum adultera habitare? Reſp. Non; neque ei pręſtare alimenta neceſſaria propter magnum delictum. *Abb. in c. ſi Vir eod. tit. n. 1.*

16 Propter crimen ſodomiæ admittitur ſeparatio Tori? Reſp. Affirmatiuè, ſi ſit cum propria muliere, vel cum alia, quia maior iniuria fit matrimonio per ſodomiam, quàm per adulterium. *Ioan. Andr. Anchar. & Archidiac. in c. maritus. eod. tit. c. idolatriæ. 23. q. 1. c. omnes accuſationes. 22. q. 7.*

17 Si mulier dicat Sacerdotem cum ipſa commiſiſſe adulterium debet ne ei credi? ℞. Si non ſint aliæ præſumptiones, vel teſtes, non creditur ei, propter auctoritatem Sacerdotis. *c. ſignificaſti de adulter.*

18 Clericus deflorans virginem, quam pœnam incurrit? ℞. Debet cogi ad ipſam dotandam, & vlterius corporaliter caſtigatum arbitrio Iudicis ſecundum qualitatem delicti, & perſonæ. *Abb. in c. 2. eod. tit. nu. 2.*

19 Quando quis deflorat virginem, quæ dos debet ei aſſignari a Iudice? ℞. Locupletior dos, quam requirit qualitas ipſius perſonæ, propter iniuriam factam virgini. *Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 4.*

28 Si maritur dotet vxorem, quia eam violauit, & ſine filijs diuoluatur matrimonium, dos illa ad quem pertinebit? Reſp. Ad mulierem: quia eam iam acquiſit propter crimen a marito commiſſum. *Abb. capit. 1. eod. titulo num. 3.*

21 Quando quis habuit coitum cum aliqua, & ipſa affirmat eſſe Virginem, & vir contradicit cui credendum eſt? Reſp. Mulieris niſi vir probet contrarium. *Abb. c. 1. de adult. nu. 2.*

22 Si tempore conceptionis mulier admitat alienos viros, & fiat ſcortum; filius poſtea natus cuius præſumitur eſſe? Reſp. Si vir nõ erat abſens ſed illo tempore habitabat cum vxore, filius præſumitur legitimus, tanta eſt vis matrimonij; vnde pro illo in fauorem infantis iudicandum eſt. *Abb. in cap. intelleximus eodem tit. nummer. 7.*

23 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Clerico de adulterio, ab eo commiſſo? Reſp. Poteſt. *Abb. c. at ſi Clerici. de iudicijs. nu. 1.*

24 Si mulier propter adulteriũ ſeparetur à viro, debet ne ei reſtitui dos? ℞. Non; quia propter magnum delictum, perdidit dotem, & bona, quæ durante matrimonio lucrata eſt, *tenet Abb. in c.* plerumque de donationibus inter virum, & vxorem.

25 Mulier adultera, poteſt ne cogi inuita ingredi monaſterium? Reſp. Poſtquam eius maritus eam pepercit, & fecit pęnitentiam, poteſt congi ingredi monaſterium, non vt faciat profeſſionem, quia tanto beneficio minime digna eſt, ſed vt faciat pęnitentiam ſui adulterij. *c. gaudemus de conuerſ. coniugatorum.*

26 Vxor, quæ fuit adultera, ſi reconcilietur viro, vel vir eam cognoſcat carnaliter, perdidit ne dotem? Reſp. Si maritus ſciat adulterium, & eam cognoſcat carnaliter, non perdidit dotem, neque quando vir relaxat, ſeù condanat delictum, ratio eſt, quia ſi vir indulget, quod maius eſt, videtur indulgere, quod minus eſt, vt tenent. *Abb. in c. plerunq; de donationibus inter virum, & vxorem. nu. 5.*

27 Si vxor poſt ſeparationem factam, propter adulterium, probet affinitatem cum ſuo marito, & matrimonium iudicetur nullum fuiſſe, in iſto caſu poterit mulier recuperare dotem? Reſp. Non poterit recuperare dotem, pluribus rationibus. Primo, quia illa mulier quantum eſt ſe commiſit verum adulterium, quia quando commiſit delictum, vxorata, & non libera reputabatur, & ſic iuſtè punitur in amiſſione dotis. Secũdò ne detur occaſio mulieribus, vt committant tàm nefarium crimen. Tertiò, quia non licet violare matrimonium; neq; ſpem matrimonij. Quartò vt ſit in exemplum, ac monimentum cæteris mulieribus. *l. ſi vxor. ff. de adulterijs.*

28 Si maritus inueniatur adulteri in fide, committendo crimen hæreſis, & mulier ſit carnaliter adultera; compenſatur ne vnum adulterio cum alio? Reſp. Non, ratio eſt, quia in delictis diuerſi generis, nulla fit compenſatio, cum debeantur pęnæ diſtinctæ, & inæquales. *tenet Abb. in cap. fin. de conuerſione coniugatorum. n. 4.*

29 Adultera de iure ciuili, quam pœnam incurrit? Reſp. Perdit dotem, & vitam, ad diſpoſitionem mariti, quia maritus poterit eã reconciliare ſibi, atque illi parcere, *tenet Abb. in c. ſolo. vt lite non conteſtata numer. 3.*

30 Maritus peterit ne mulieri delictum indulgere, & interficere virum adulterium? Reſp. Non poſſe, nam ſi indulget mulieri, vedetur, & viro indulgere, & talis vir tunc liberatur per legem; ratio eſt, quia maiorem iniuriam fecit ei mulier adultera, quàm vir, vnde ſi relaxat ei quod maius eſt, debet, & relaxare quod minus eſt.

31 Quare lex promiſit, vt vir propria manu interficiat mulierem adulteram, & virum Adulterum? Reſp. Quia offenſam adulterij eſt magna, & maior omni alia offenſione, & ſic lex vult, vt ſua propria manu vindicetur.

31 Mulier poteſt accuſare virum de adulterio, ſicut vir poteſt accuſare mulierem? Reſp. Non poſſe, quoad pœnam capitalem, ſed ſolum quoad ſeparationem tori, & tunc mulier iuſtè lucrabitur ſibi dotem, & donum datũ ei propter nuptias necnon, & arrahas, tenet *Abb. in c. 1. vt lite non conteſtata. nu. 2. & 3.*

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER

LIBER SECVNDVS CONTINENS MATERIAM CENSVRARVM.

CAPVT PRIMVM.

De Excommunicatione.

1 QVot ſunt cenſurę?
℞. Tes; excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. *cap. quærent. de verbor. ſignificatione*.

2 Supra quas perſonas ferri poſſunt iſtæ cenſuræ?
Reſp. Excommunicari poteſt quilibet Chriſtianus viuus ſuſpendi Clericus; interdici populus. *Sot. in. 4. diſtinct. 22. quæſt. 3. artit. 1.*

3 Quid eſt excommunicatio?
Reſp. Eccleſiactica cenſura, qua Chriſtianus priuatur ingreſſus Eccleſię communione, & oratione, fideliũ, & ſepultura Eccleſiaſtica. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 5.*

4 Quotuplex eſt communicatio?
℞. Duplex: maior, & minor. *c. ſi celebrat. de excom.*

5 Quem eſt maior?
℞. Quæ priuat tribus ſupradictis bonis actiuè, & paſſiuè. *c. ſi celebrat. eod. tit. Tolet. in ſum. lib. 1. c. 5.*

6 Quænam minor?
℞. Quæ priuat ſolum paſſiuè, participatione Sacramentorum. *Tolet. in ſum. lib. 1. cap. 5.*
Quot ſunt excommunicationis genera?
℞. Duo: vnum genus eſt à iure, & alterum ab homine. *Tolet. vt ſup.*

8 Quænam eſt à iure?
℞. Quæ ſuminatur à Papa, & à Concilijs Generalibus per canonum ſtatuta. *Tol. vbi ſup.*
℞. Quæ ab aliquo Iudice legitimo, ſeruatis Iuris ſolemnitatibus fertur *Tol. vbi ſup. nu. 2.*

10 Quæ ſunt ſpecies excommunicationis?
℞. Vera, comminatoria, iuſta, iniuſta, valida, inualida, & nulla. *Tol. in ſum. lib. c. 1. nu. 1.*

11 Quæ eſt excommunicatio vera?
℞. Quæ incurritur, ipſo iure, aut ipſo, facto & ligat abſq; alia ſententiæ declaratione. *Abb. in c. quibuſdam de pœnit. nu. 6.*

12 Quæ eſt comminatoria?
℞. Quæ non ligat ſtatim, ſed expectat Iudici ſententiam, quia lata ad terrorem. *Abb. vbi ſup.*

13 Quæ eſt excommunicatio iuſta?
℞. Quæ fertur, cum omnibus circumſtantij. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 10*

14 quæ eſt iniuſta?
Reſp. Quæ caret aliqua, ex dictis circumſtantijs, & fertur ex defectu cauſæ. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 10. nu. 1.*

15 Quæ eſt valida?
Reſp. Quę fertur con legitima cauſa, & ſeruatis omnibus requiſitis. *Tol. Vbi ſup.*

16 Quæ eſt inualida?
Reſp. Quæ caret, his ſolemnitatibus. *Tol. vbi ſup.*

17 Quæ eſt excommunicatio latæ ſententię?
Reſp. Quæ ſtatim incurritur, ſiue prolata ſit à Iure, ſiue ab homine. *Tol. in ſum. lib. 1. cap. 5. nu. 2.*

18 Quæ eſt excommunicatio, quæ dicitur continere errorem intolerabilem?
Reſp. Quæ eſt lata, ob bonum opus, puta quod voluit ædificare Eccleſiam, vel dare eleemoſynam. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 10. nu. 4.*

19 Quæ differentia eſt, inter excommunicationem à Iure, vel ab homine?
Reſp. Excommunicatio à Iure incurritur, abſq; alia ſententia, & non ſpirat morte latoris: excommunicatio vero ab homine incurritur, per ſententiam cum ſolemnitatibus latam, & ſpirat morte latoris. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 3. & 15.*

20 Quando fit mentio de excommunicatione, de qua eſt intelligenda?
Reſp. De maiori, quia eſt medicina animæ. *c. ſi quem. de ſent. excom.*

21 Quæ ſunt ſeruanda, inferenda ſententia excõmunicationis?
℞. Trina, monitio, quod feratur in ſcriptis, & contumacia, vel peccatum mortale. *c. ex qua probante. eod. tit. Syluest. verb. excommunicatio. nu. 12.*

22 Sententia excommunicationis lata, eſt cum cæteris requiſitis, ſed nulla pręcedente monitione, valet ne.
℞. Negatiuè. *Sot. in. 4. diſt. 22. q. 1. artic. 2.*

23 Quam pœnam incurrit Iudex, excommunicans aliquem, abſq; iuſta cauſa, monitione, & ſcriptura?
℞. Suſpenſionis, & ſi eſt Epiſcopus, priuatur ingreſſu Eccleſiæ. *c. 1. de ſent. excom. in 6.*

24 Si in ſententia excommunicationis deſit aliqua ſolemnitas, excommunicatus erit ne vitandus ab Eccleſia?
℞. Affirmatiuè, donec declaretur talis nullitas. *Victoria. de excom. q. 2.*

25 In ſententia excommunicationis lata, per ſtatutũ, requiritur ne ſcriptura, vel monitio?
℞. Non requiri; nec in caſu, quando non poteſt haberi copia Notarij, & eſt periculum in mora. *Io And. in c. Romana. de ſent. exc. in 6.*

26 Cur in dubio, quando loquimur de excommunicatione,

catione, intelligendum eſt de maiori, & non de minori: & quando dubitamus an ſit quis excommunicatus excommunicatione latæ ſententię, vel comminatoria, intelligendum eſt de commicatoria?
℞. Quia, loquendo in communi; in primo caſu ſumus in Iure, & ſic intelligendum eſt de maiori, cum ſit medicina animæ, & præſupponendum eſt, Eccleſiam vti efficaciori medicina: in ſecundo vero caſu ſumus in facto, & ſic iudicandum eſt, in fauorē proximi, pro minori damno.

27 Quæ differentia eſt inter anathema, & excommunicationem?
℞. Non differre quoad vinculum à maiori excommunicatione, differre tamen interdum in ſolemnitate. *vide c.debent.11.q.3.Couar.nu.6.Sayr.lib.1.cap.3. Abb. in cap.cum ab Eccleſiarum.nu.1.de offic.ordin.* vnde qui eſt anathemate irretitus ſemper intelligitur excommunicatione maiori ligatus. *Tolet.in ſum.lib.1.c.5.nu.1.*

28 Quando excuſat ignorantia ab excommunicatione?
℞. Quando neſcio, quod faciendo talem rem, excōmunicationem incurram; ratio eſt, quia in excommunicationem requiritur conſenſus voluntarius, qui non cadit in ignorantem; verùm ignorantia nunquā excuſat in facto de ſua natura damnato, puta ſacrilegio, furto, vel adulterio. *Abb.in c.à nobis.de ſent. excomm. Couar.in c.alma mater.eòd.tit.in 6.nu.8.*

29 Quæ eſt ignorantia craſſa, & quæ ſupina?
℞. Dixi. *lib.1.c.25.nu.15.*

30 Excommunicationis ſententia, tranſit ne in rem iudicatam?
Reſp. Negatiuè; imò abſolui poteſt poſt decem annos: & ſi excommunicatus fiat deterior, inuitus debet abſolui à Iudice, quia excommunicatio, eſt medicina, & ſi non prodeſt, non eſt illa vtendum. *Io.Andr.in c.1.de ſent.excom.in 6.*

31 Excommunicatus poteſt ne abſolui inuitus?
Reſp. Si excommunicatione fiat deterior, inuitus poteſt abſolui à Iudice; quia excommunicatio eſt medicina animæ, *vt dixi Io.Andr.vbi ſup. Abb.in c. clericus de cohabitatione clericorum & mulierum.nu.5.*

32 Excommunicatio poteſt ne ferri ſub cōditione?
Reſp. Poteſt. *Armil.verb.excommunicatio.nu.2.*

33 Excommunicatio in re difficilima, vel leuiſſima, eſt ne valida?
Reſp. Negatiuè. *Sà.verb.excommunicatio. num.18.*

34 Excommunicatio lata, contra facientes aliquam rem, comprehendit ne auxiliantes, & conſiliantes?
Reſp. Negatiuè, quia eſt lex pœnalis, quæ extendi nō debet, niſi exprimatur. *Sà verb. excommunicatio. numero.19.*

35 Excōmunicatio pro quibus culpis ferri poteſt, & contra quos?
Reſp. Contra contumaces, & pro culpis præteritis, & futuris, præcedentibus monitionibus, & ſolemnitatibus à Iure requiſitis. *Sot.in 4.diſt.22.q.1.art.2.*

36 Si excommunicatio fertur ab Epiſcopo in viſitatione contra reſiſtentes ei; requiruntur ne contumacia, trina monitio, & ſcriptura?
Reſp. Negatiuè. quia ipſa perturbatio, reſiſtentia, & prohibitio viſitationis ſufficiunt ſine iis ſolemnitatibus in hoc caſu; imò *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.10.* dat Epiſcopis omnimodam poteſtatem, vt procedant, tāquā Sedis Apoſtolicę Delegati. *Syluest.verb. excommunicatio.2.numero decimo tertio.*

37 Si excommunicatio fertur, vt omnes Clerici accedant ad proceſſionem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, talis excommunicatio erit ne valida?
Reſp. Erit, quia illa requiſita in ſunt occultè in culpa futura. *Couarr.in cap.alma mater.§.10.nu.1.*

38 De culpa præterita, poteſt ferri excommunicatio ſine præcedentis canonica monitione?
Reſp. Negatiuè, & ſi feratur erit nulla. *Nauarr. in manual.cap.27.*

CAPVT II.

De miniſtro excommunicationis.

1 QVis poteſt ferre ſententia excōmunicationis?
℞. Qui habet claues, & iuriſdictionē Eccleſiaſticam, ſicut Papa, Concilium Generale, Epiſcopi, & cæteri habentes iuriſdictionem. *Tol.in ſum.lib.1.c.6.nu.2.*

2 Qui poſſunt proferre ſententia excommunicationis?
Reſp. Solus Papa, & Concilium Generale, etiam cōcilia prouincialia per ſtatuta particularia. *Tol.vbi ſupra.*

3 Fœmina poteſt excommunicare, ſi habeat iuriſdictionem, vt habent aliquæ Abbatiſſæ?
Reſp. Negatiuè: quia talis iuriſdictio pertinet ad poteſtatem clauium, quam fœmina habere non poteſt. *Tolet.vbi ſupra cap.ſecreto de maiorita.& obed.*

4 Laicus poteſt excommunicare.
Reſp. Poteſt; ex commiſſione Summi Pontificis, quia non eſt neceſſarium; vt hęc iuriſdictio exerceatur per presbyterum. *Abb.in.c.ſi.de cleric.ægrot.vel debilit.*

5 Simplex Sacerdos, vel Parochus habet ne poteſtatem excommunicandi ſuos ſubditos?
Reſp. Si eam non habeant ab Epiſcopo non poſſunt, quia non habent iuriſdictionem iudicalem. *Tolet.vbi ſup.*

6 Poteſt Epiſcopus excommunicare ſuos ſubditos, pro delictis commiſſis in aliena Diœceſi?
Reſp. Negatiuè, ratio eſt, quia delicta ſequuntur forum loci, quoad punitionem. *Clem.1.de foro.*

7 Excommunicatus vna excommunicatione, poteſt de nouo excommunicari alia excommunicatione ob aliam cauſam?
Reſp. Poteſt. *S.Thom.in 4.diſt.18.q.2.art.3.*

8 Sententia lata à Iudice excōmunicatio, tenet ne?
Reſp. Negatiuè, ſi publicè ſit excommunicatus. *c.ad probandum.de ſent. & re iudic.ſed ſi ſit occultè, in fauorem aliorum valet. Abb. vbi ſup.in c.ad probandum.*

9 Excommunicatio lata à Iudice mortuo, vel ablata iuriſdictione valet ne?
Reſp. Affirmatiuè, quoad eos, qui ante mortem Iudicis, eam incurrerunt, ſed negatiuè, quoad eos, qui poſt eius mortem eam incurrerunt; quia talis excommunicatio ſpirat morte mandantis. *Molina verb. excommunicatio.*

10 In edicto generali comprehenditur ne ipſe Epiſcopus?

℞. Nega-

Reſp. Negatiuè.*c.quia periculoſum de ſent.exc. in6.*

11 Poteſt Epiſcopus proferre ſententiam excommunicationis in ſubditum ſuum, exiſtentem extra ſuam diœceſim?

Reſp. Diſtinguendo, ſi talis deliquit in ſua diœceſi, & fugit in aliam poterit, & præuia citatione cum fructibus, & prouentibus priuare. *cap.fin. de foro comp.*

12 Epiſcopus excommunicatus, poſt alium excommunicare?

Reſp. Subdiſtinctione, vt dixi in ſimili; ſi eſt occultè excommunicatus, poteſt; quia Eccleſia non priuat iuriſdictione occultè excommunicatum; ſi autẽ manifeſtè, non poteſt. *Sot.in 4.diſtinct.22.q.2.artic.1.*

13 Poteſt ne Epiſcopus comprehendere abſentes, ſi generaliter proferat ſententiam excommunicationis per viam ſtatuti?

Reſp. Negatiuè. *c.vnanime.de conſt.*

14 Quando debet Iudex Eccleſiaſticus vti excõmunicatione, & quomodo?

Reſp. Quando alia non proſunt remedia, & debet eſſe moderatè; & in ſubſidium, & premiſſa ſaltem vna monitionem, vbi fuerit contumacia, *Trid.ſyn.ſeſſi. 25.cap.3.*

15 In cauſis ciuilibus, quando poteſt fieri perſonalis, vel realis executio, debet ne Iudex Eccleſiaſticus deuenire ad Excommunicationem?

Reſp. Negatiuè. *Trid.ſyn. vbi ſup.*

16 Poteſt Epiſcopus excommunicare aliquem, propter debitum ciuile?

Reſp. Negatiuè; ſi non ſit contumacia, ſed debet potius procedere cõtra illius bona, eiuſque perſonã.

17 Si quis dicat ſe velle eſſe incarceratum, & non eſſe excommunicatum; quid debet facere Iudex?

Reſp. Eum abſoluere, & incarcerare; quia excommunicatio fuit ſolum in ſubſidium, donec comprehẽderetur. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.3.*

18 Excommunicatus, ſi appareat, eſt ne ſtatim abſoluendus?

Reſp. Affirmatiuè, ſi peniteat de ſua contumacia.

19 Quando pars ſit ita pauper, ꝙ nulla ſit ſpes illum poſſe ſatisfacere, dẽt ne talis excõmunicari à Iudice?

Reſp. Negatiuè; imò ſi eſt excommunicatus, debet abſolui, quia talis medicina ei non prodeſt.

20 Mulctæ, & pęnæ, quæ dantur loco excommunicationis, cui debent applicari?

Reſp. Pijs locis, ex determinatione Eminentiſſimorum Cardinalium.

21 Contumacia, quomodo debet conſtare Iudici, vt poſſit diſcernere excommunicationem?

Reſp. Antequam Iudex diſcernat excommunicationem, debet apparere in actis Notarij per informationem iuridicam, vel ſaltem, per dipoſitionem, cum iuramento Nuncij, vel Officialis Curiæ, quòd H. eſt contumax, vel quid ſe abſcondit, & non apparet, vel quod realis executio non poteſt fieri, in bonis eius; quia abſcondit bona, & tunc in ſubſidium iuſtè diſcernitur ſententiam excommunicationis. *DD.ſuper c. 3.ſeſſ.25.Concil.Trid.*

22 Poteſt Epiſcopus excõmunicare recuſantem ſoluere decimas; abſq; eo quòd fiat executio in bonis?

Reſp. Poteſt quia ſunt alimenta Clericorum. *Trid. ſyn.ſeſs.26.c.12.de reform.*

23 Poteſt ne pars aduerſa, ad cuius inſtantiam infertur excommunicatio, poſtquam eſt ſatis, facta remouere excommunicationem?

℞. Negatiuè, ſi iam incidit in excommunicationẽ quia pars, non hẽt poteſtatem ligandi, & abſoluẽdi, ſed poteſt ſolùm in abſolutionem conſentire.

24 Si talis excommunicatio eſt iniuſta, poterit ab aliquo abſolui, abſque Iudicis auctoritate?

Reſp. Non poteſt, ſed poterit recuperare, damnum quia ipſe non eſt Iudex in ſua cauſa.

25 Valet ne ſententia Delegati, ante oſtenſam commiſſionem?

Reſp. Negatiuè. *Sà verb.excommunicatio.nu.10.*

26 Si Epiſcopo committatur ab aliquo Principe aliqua cauſa, poteſt ne in illa uti ſentẽtia excõicationis?

Reſp. Non poteſt, quia agit perſonam Principis ſæcularis, cui non eſt conceſſa poteſtas clauium. *Ang. verb. excommunicatio.*

27 Cognitio in materiã excõmunicationis, ad quem Iudicem ſpectat?

Reſp. Solùm ae Eccleſiaſticum. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.3. de reform.*

28 Iudex excommunicans, ſi in excommunicationẽ inciderit, poterit ne abſoluere excommunicatũ à ſe?

Reſp. Non poteſt ſi eſt publicè excommunicatus, ſecus verò ſi eſt occultè. *Tol. in ſum.lib.1.c.16.nu.12.*

29 Declaratio excommunicationis, quomodo debet fieri?

Reſp. Parte citata, a liàs eſt nulla. *Felyn.in.c.Rodulphus de reſcript.*

30 Quis dicitur inijcere manus violentas in clericum?

Reſp. Qui percutit, qui tenet clericum per veſtem, vel frenum equi, ita, vt abire nõ poſſit, aut occidit equũ, cui clericus inſidet, aut aufert à clerico aliquid per violentiam, vel deturpat eius veſtẽ, quà indutus eſt, vel includit eum in aliquo loco, vel perſequitur clericum tanto furore, vt faciat illum præcipitem in flumen deijcere, vel pati aliquod periculum, aut diſcrimen. *Innoc.in c.nuper de ſent.excom.*

31 Iudex ſæcularis, ſi inueniat clericum ſine habitu, & corona, & immiſcens ſe rebus obſcęnis, & profanis, poterit ne eum vi comprehendere, & incarcerare, abſq; metu incurrendi excommunicationem illa latam per canonem, ſi quis ſuadente Diabolo?

Reſp. Poterit eum vi comprehendere, & incarcerare abſq; metu excommunicationis dicti canonis; ratio eſt, quia per delictum, talis clericus perdidit priuilegium dicti canonis, non abſolutè, ſed tantùm quoad incarcerationem, quia poſtea debet remitti ad ſuum iudicem Eccleſiaſticum, cum ſuo proceſſu. *text.in c.1.* de apoſtatis, & reiterantibus baptiſmum, *& Abb.ibi.*

32 Si Iudex ſæcularis cognoſcat talem clericum, eſſe canonicum alicuius Eccleſiæ, vel beneficiatum, poterit ne vi illum comprehendere, & incarcerare, abſq; metu excommunicationis dicti canonis?

Reſp. Talis Iudex melius faciet, ſi honorificè, ſine ſtrepitu, illum conducat, ad ſuum Epiſcopum, vel Iudicem Eccleſiaſticum, ſed ſi forſan ad euitandum aliquod damnum vi illum ducat in carcerem, nullã incurrit pœnam ratio eſt, *quia text. in c.1. de apoſtatis,* fuit neceſſarius ad imponendam pœnam clericis relinquentibus habitum, & coronã, vt à tali delicto arceantur, ſed nullam pœnam imponit iudicibus, vt ex textu patet.

33 Si clericus nocte inueniatur à Iudice ſæculari, dutus longo pallio, vel veſtitu, & cum armis offenſiuis, vel defenſiuis, poterit ne illum incarcerare, abſq; metu excommunicationis canonis?

℞. Si

Reſp. Si talis iudex inueniat talem clericum in rebus, obſcœnis,& libidinoſis,aut dando operam rei illicitę, veluti ad furandum,ad faciendũ incendium,violandas domus, pugnando cum aliquo, poterit illum incarcerare, vel ad ſuum ſuperiorem traducere; ſed ſi illum non inueniat in his rebus prohibitis,ſed ſolum ambulando per viam, non poterit in illum manus violentas inijcere; ſolum poterit mittere ad ſuum ſuperiorem,quod ſi clericus adire tenuerit,debet ſuperiorem certiorem facere. Ratio eſt, quia clerico non eſt prohibitum portare arma noctu in ſui defenſionem,& talis clericus virtute dicti c. 1. de apoſtatis, ſolum perdit priuilegium, cum inuenitur in rebus obſcœnis,& cum ſimus in odioſis, pœna extendi non debet, & ſic eſt intelligendus, ſecundum veriorem ſententiam. *tex. in d. cap. 1, de apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum*.

34 Iudex ſæcularis inijciens manus violentas in clericum, quem cognoſcit, vtens ad hoc poteſtate ſui officij, à quo debet abſolui,& quam pęnam incurrit? Reſp. Incurrit excommunicationem poſitam in canone, ſi quis ſuadente diabolo,& debet abſolui à Papa. Ratio eſt, ne prætextu, & colore ſui officij ſumat iuriſdictionem in clericum, qui dignitate eum excellit, & vſurpet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quam neque habet, neque de iure poteſt habere. *c. ſi verò de ſent. excom. Clement. 1. de pœnis.*

35 Si talis Iudex ſæcularis, qui iniecit manus in Clericum, condemnatus, & declaratus ſit ab Epiſcopo, vt adeat pro abſolutione Summum Pontificem, ita infirmetur, vt conſtituatur in articulo mortis, à quo poteſt abſolui?

Reſp. A quocumque Sacerdote, etiam ſimplici, quia extrema neceſſitas tribuit hanc iuriſdictionem; licet talis Iudex teneatur eum primum conualuerit, ſe præſentare corã Papa: ita in Clementina 1. de pęnis.

36 Si aliquis Clericus cęperit prius pugnare cum iudice ſæculari, vel velit vi rem temporalem ab eo arripere, vel eum iniuriare, poterit ne Iudex ſæcularis, in illum manus violentas inijcere, vt ſe defendat, vel vt maius malum euitet abſque metu excommunicationis dicti canonis?

Reſp. Poterit, quia vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, tam in propria perſona, quam in bonis; nam in hoc caſu clericus fuit primus, qui dedit occaſionem pugnæ, cum tamen priuilegiũ canonis, ſi quis ſuadente diabolo non datur, clerico agenti, ſed patienti,& non ſit in offenſionem Iudicis laici, ſed in defenſionem clerici, vt tenet *Abb. in cap. olim de reſtitutione ſpoliatorum num. 1. & 3. Innoc. in c. ſi verò de ſent. excom.*

37 Iudex laicus, qui leuiter percutit clericum non dantem operam rebus obſcænis, ſed rebus licitis, à quo debet abſolui?

Reſp. Si ratione ſui officij,& vtens poteſtate propria id facit, debet abſolui à Papa. *c. ſi verò. de ſent. excommunicationis*.

38 Iudex ſæcularis poteſt ſe immiſcere, & prohibere Eccleſiaſticum, vt non excõicet ſæculares in rebus, & caſibus, in quibus de iure ſunt ſibi ſubiecti, etiam prætextu, quod Eccleſiaſticus debet, & tenetur obſeruare decreta Concilij Tridentini, & quòd in illo caſu Iudex Eccleſiaſticus illa non obſeruat?

Reſp. Negatiuè, quia Iudex ſæcularis, ſuper iudicem Eccleſiaſticum nullam poteſtatem habet, nec poteſt cognoſcere de cauſis Eccleſiaſticis.

39 Cognitio in materia excõmunicationis, ad quos iudices ſpectat?

Reſp. Solum ad Iudices Eccleſiaſticos, & non ſæculares. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3.*

40 Si Iudex ſæcularis admittat excommunicatum, in actibus iudiciorum ſuorum, vel eum defendat,& faueat, vel occultet, poterit ne Iudex Eccleſiaſticus eum excommunicare?

Reſp. Pręmiſſa monitione poterit eum excommunicare,& ita debet facere, vt defẽdat ſuam iuriſdictionem, vt habetur *in c. decernimus. de ſent. excom.*

41 Iudex Eccleſiaſticus, Magiſter, Abbas, Prælatus, ſi faciat percutere clericum, etiam vſque ad effuſionẽ ſanguinis, indigent ne abſolutione?

Reſp. Si tales habeant in clericum miniſterium, magiſterium, vel ſuperioritatem, & percutiant, emendationis cauſa, vel dando illi pœnitentiam, quæ non excedat iuris rigorem, ſed cum lenitate, animo illum emendandi à ſuis culpis, & vitijs non indigẽt abſolutione, neque ipſi propria manu faciant, neque mandatarij, quia pœnitentia,& ſupplicium pro culpis,& delictis, non ſolum eſt licita in Eccleſia, imò neceſſaria. aduertendum tamen eſt, vt in tali ſupplicio modus non excedatur,& ſit animo correctionis, & non vindictæ, vt tenent Doctores *in c. ſi verò. de ſent. exc.*

42 Iudex Eccleſiaſticus, Prælatus, Abbas, Superior, qui mandat laico inijcere manus violentas in clericum, incidit ne in excommunicationem?

Reſp. Affirmatiuè, & etiam laicus inijciens manus, & debent à Papa abſolui, ſi id faciant animo iniuriãdi, vel ſine neceſſitate. *cap. diuerſitas. eod. titulo de excommun.*

43 Quomodo ergo in c. ex tenore litterarum eod. tit. dicit Papa, quòd ſi laicus inijciat manus violentas, in clericum, ſe defendendo, vel de mandato ſuorum Superiorum, non indiget abſolutione?

Reſp. Hæc difficultas, ſoluitur ex doctrina. *text. in c. vt famæ tuæ. eod. tit.* in quo dicitur, quòd ſi Abbas, vel Iudex, non poſſunt aliter corrigere clericum ſubditum, vel incarcerare, quàm imperando laico, vt in eum manus inijciat, tunc neque Iudex, neque laicus, incurrunt excommunicationem, dummodo eorum violentia, immoderatè non extendat, reſiſtentiam clerici,& in iſto caſu loquitur. *tex. in c. ex tenore*; ſi autẽ ſine hoc remedio violento, clerici corrigi poſſunt, & ipſi voluntariè ſe ſubijciunt, tunc mandantes incidunt in excommunicationem.

44 Declarare aliquem eſſe excommunicatum, vel incurriſſe in excommunicationem, ad quem Iudicem ſpectat?

Reſp. Solum ad Iudicem Eccleſiaſticum,& parte citata, alias declaratio eſt nulla. vt tenet *Felyn. in c. Rodulphus de reſcript.*

45 Si aliquis clericus incipiat pugnare cum aliquo, vel velit vi rem temporalem alicuius arripere,& laicus inijciat manus violentas in clericum, ea intentione, vt ſe defendat, vel vt illum à ſe abijciat, vel vt defendat bona, erit ne excommunicatus?

Reſp. Negatiuè, quia vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, tàm in propria perſona, quàm in bonis,& quiã in hoc caſu, clericus fuit primus aggreſſor,& dedit occaſionẽ pugnæ; tenet *Abb. in c. olim de reſtit. ſpoliat. num. 1. & 3. Innoc. in c. ſi verò de ſent. excommun.*

46 Si quis habeat priuilegium, vt non excommunicetur, ab Ordinario, & Ordinario ignorante, tale priuilegium, eum excommunicet, valebit talis excommunicatio?
Reſp. Negatiuè, quia tale per priuilegium, eximitur à iuriſdictione Ordinarij; verum habens tale priuilegium, tenetur illud ſtatim præſentare, ne generet ſcandalum, non ſe abſtinendo ab excommunicatione, tenet *Abb.c.audita.de reſtit.ſpoliat.nu.14.*

47 Quando in excommunicatione à iure, requiritur admonitio?
℟. Quando fertur, præcepto negatiuo, vt cum dicitur, qui non reſederit in Eccleſia, vel qui tali die non confiteatur ſua peccata excommunicetur, tunc enim requiritur admonitio, vt talis in foro exteriori, pro excommunicato habeatur, ratio eſt, quia Eccleſia non iudicat de occultis, & nobis latet an talis habuerit iuſtam cauſam, & quia poſt monitionem factam, patet eius contumacia, ideò tunc, euitatur ab Eccleſia, pro excommunicato, in præceptis affirmatiuis, non requiritur monitio, ſed ſolum commiſſio delicti ſicut in raptore rerum Eccleſiæ, vel in percuſſore Clerici, & hæc doctrina eſt multum neceſſaria. *tenet Innoc.in c.ſtirpanda.§.qui verò.de prębendis, & Abb.in c. excommunicationis de raptoribus, num.2.*

48 Quando Iudex Eccleſiaſticus in excommunicatione procedit ex præſumptionibus, quam ſententiam debet ferre?
Reſp. Moderatã, & raro, & debet iubere, vt talis abſoluatur, ob magnum excommunicationis periculũ *Abb.in c.ſi quiſquam.de cohabit.cler. & mulier.*

49 Clerici ſæculares poſſunt ne inijcere manus violentas in religioſos volentes, eos ſpoliare aliqua dignitate, præcedentia, vel loco, ſine pœna excommunicationis?
Reſp. Si res ſit corporalis, & religioſus eam occupet prius, & ſit aggreſſor, tunc Clericus laicus, poteſt ſine metu excommunicationis, eum vi, ab illo loco expellere: ſi vero res ſit ſpiritualis, veluti præcedentia, quæ poteſt defendi abſque manus iniectione, per petitionem ante Iudicem, tunc non poterit abſque metu excommunicationis, licet ſemper ab his occaſionibus abſtinendum ſit, quia maximè periculoſum eſt, & ne laicis detur ſcandalum, quibus per Eccleſiaſticos dari debet exemplum. *Abba.in c.olim.de reſtit. ſpol.num.22.*

50 Probationes imperfectę, ſufficiunt ne ad probandum aliquem incidiſſe in excommunicatione?
Reſp. Sufficiunt, propter magnum animæ periculũ, quia excommunicatio eſt timenda, & ita ſufficit fama, cum alijs cõiecturis, ad probationem. *Dominicus, & Franciſcus in c.1.de vſur.in 6.*

CAPVT III.

De ſuſcipiente Excommunicationem.

1 EXcommunicatus vna excõmunicatione, poteſt de nouo ob aliam cauſam excommunicari?
Reſp. Poteſt. *S.Thom.in 4.diſt.18.q.2.art.3.*

2 Mortuus, vel animal irrationale poteſt excommunicari?
Reſp. Negatiuè; benè tamẽ poſſũt irrationalia abiurari præcib. & aqua benedicta. *Tol.in ſum.lib.1.c.6.*

3 Excommunicatus in vna diœceſi, poterit ne citari in alia?
Reſp. Poterit. *c.ſicut de ſent.excom.*

4 Papa poteſt excommunicari?
Reſp. Negatiuè. *Tol.in ſum.lib.1.c.7.num.2.Hoſtienſ.in ſum.de excom.§.quis valet.*

5 Reges poſſunt excommunicari?
Reſp. A ſolo Papa, idque raro. *Sà verb.excommunicatio, num.15.*

6 Communitas poteſt ne excommunicari pro debito ciuili, vel alia de cauſa?
Reſp. Negatiuè; ſed ſuſpendi *c.Romanus.§.in vniuerſitate.de ſent.excom.in 6.*

7 Maurus, & Paganus non habentes baptiſmum, poſſunt excommunicari?
Reſp. Negatiuè, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ. *Tol. in ſum.lib.1.c.7.num.3.*

CAPVT IV.

De participãtibus in excommunicatione.

1 COmmunicans cum excommunicato, quam pœnam incurrit?
Reſp. Excommunicationis minoris. *Nauar.capit.27. num.25.*

2 Communicans cum excommunicato in crimine, quam pœnam incurrit?
Reſp. Excommunicationis maioris. *c.ſi concubina.de ſent.excom.*

3 In quibus non licet communicare cum excommunicatis?
Reſp. In contentis in hoc verſu.
Os, orare, vale, communio, menſa negatur. *Sà verb.excommunicatio. num.38.*

4 In quibus licet communicare cum excommunicato?
Reſp. In contentis in hoc verſu.
Vtile, lex, humile, res, ignorata, neceſſe. *c.inter alia, c. ſi verò.de ſent.exc.Tol.in ſum.lib.1.c.11.nu.5.*

5 Si quis daret eleemoſynam excommunicato, quã pœnam incurrit?
Reſp. Nullam, quia eſt actus charitatis, à Deo preceptus. *c.quoniam.11.q.3.*

6 Si quis ex contemptu communicat cum excommunicato, quam pœnam incurrit?
℟. Excommunicationis maioris. *c.ſi quis aũt diſt.10.*

7 Metus excuſat aliquem, ſi communicat cum excommunicato?
℟. Negatiuè, niſi ſit metus cadens in conſtantem virum. *c.eos.de conſecr.diſt.4. c.quiſquis metus.11.q.3. c.de iudicio.diſt.44.*

8 Quis eſt metus cadens in conſtantem virum, & quomodo cognoſcitur?

Reſp. De

Reſp. De hac materia, vide quæ dixi. *lib. 8. cap. 22. de his, quæ vi, metuè fiunt, nu. 3. 4. 5. & 6.*

9 Quando dicitur quis participare cum excommunicato in crimine?

Reſp. Quando dat conſilium, vel fauorem. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 3. num. 1.*

10 Quę requiruntur, vt Clericus participans cum excõicato incidat in maiorem excommunicationem?

Reſp. Si participet cum excommunicato à Papa ſciẽter, & ſpontè, *c. ſignificauit. de ſent. exc.*

11 Poſſunt ne conciones haberi apud excommunicatos, & interdictos?

Reſp. Poſſunt ad eorum conuerſionem. *c. reſponſum. eod. tit.*

12 Si quis non monet excommuuicatum, imò cum eo communicat, poterit ne poſtea illum accuſare?

Reſp. Negatiuè; quia ſua communione, & malitia perdidit actionem, *c. in præſentia. eod. tit.*

13 Celebrans ſciẽter coram excommunicato, quam pœnam incurrit?

Reſp. Irregularitatis. *c. is, qui eod. tit. in 6.*

14 Clerici tenentur ne vſque ad ſanguinis effuſionẽ, eijcere excommunicatum ab Eccleſia?

Reſp. Excludere tantum, niſi adſit contemptus Eccleſiæ, vel fidei; tunc enim tenentur ad ſanguinis effuſionem. *Victoria de excommunicatione q. 22.*

CAPVT V.

De pœnis Excommunicationis.

1 Laici facientes ſtatutum contra Clericos, vel libertatem Eccleſiaſticam, imponentes ei grauamina, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Sunt ipſo Iure excommunicati.

2 Collatio beneficij excommunicato facta valet?

Reſp. Negatiuè, niſi ſit à Papa. *Sà verb. excommunicatio. num. 28.*

3 Quæ collatio facta excommunicato à Summo Pontifice, ſemper valet?

Reſp. Quia ſemper in literis Apoſtolicis ponitur clauſula abſolutionis à quibuſcumque cẽſuris. *Felin. in c. ad Apoſtolicam. de exceptionibus.*

4 Hæc clauſula cõprehẽdit, & liberat inſurdeſcẽtes?

Reſp. Negatiuè, propter ſuam duritiã. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 13. num. 2.*

5 Excommunicatus minori excommunicatione, ſi celebrat quam pœnam incurrit?

Reſp. Peccat. *Sot. in 4. diſt. 2. art. 3.*

6 Excommunicatus exercens ordinem ſacrum, quã pœnam incurrit?

Reſp. Irregularitatis: ſi verò minorem, non incurrit. *D. Tho. in 4. diſt. 24. q. 2. art. 2. ad 4.*

7 Si aliquis per tres annos, fuerit excommunicatus, ſed diebus Paſchatis cuiuſuis anni impetrauit abſolutionem; poterit ne procedi contra eum, tamquam contra hæreticum?

℞. Negatiuè, quia talis pœna impoſita fuit illi, qui per integrũ annũ in excõmunicatione perſeuerauit.

8 Si aliquis per annum perſeuerauit in excommunicatione, qua pæna punitur?

Reſp. Proceditur contra eum, tamquam contra hæreticum. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. c. 3. de refor.*

9 Si Clericus per annum perſeuerat in excommunicatione qua pœna punitur?

℞. Priuari põt omnib. beneficijs. *c. retrorſus. 11. q. 3.*

10 Si excommunicatus ignorans excommunicationem celebrat, fit ne irregularis?

Reſp. Negatiuè, quia ignorantia excuſat, ſicut excuſat à peccato. c. Apoſtolicæ. *de cler. excom. miniſt. de ignorantia, quæ excuſat dixi. lib. 1. c. 25. num. 15.*

11 Excommunicatus lucratur fructus beneficij?

℞. Negatiuè; ſecus, ſi non eſt in mora petendi abſolutionem. *ſum. Armil. verb. excommunicatio. §. 9.*

12 Quam pœnam incurrit Iudex, qui communicat aliquem, abſque iuſta cauſa monitione, & ſcriptura?

Reſp. Suſpẽſionis, & ſi ſit Epiſcopus priuatur ingreſſu Eccleſiæ. *c. 1. de ſent. excom. in 6. Gloſ. in c. medicinalis. eod. tit.* & tenetur ad damna, & intereſſe. *c. ſacro approbante. eod. tit.*

13 Si duo ſint obligati in forma cameræ, & contra vnum, poteſt fieri executio realis; poterit ne contra alterum procedi excommunicatione, ſi non habeat, vnde aliàs ſoluere poſſit?

Reſp. Negatiuè, quia ad impoſſibilia nemo tenetur.

14 Si in excommunicatione deſit aliqua ſolemnitas; excommunicatus debet ne vitari ab Eccleſia?

Reſp. Debet, donec declaretur talis nullitas. *Victoria de excom. q. 2.*

15 Quam pœnam incurrit, qui bona Eccleſię in proprios vſus vſurpat?

Reſp. Excommunicationis à Iure, & ſolum à Papa abſoluitur, poſt reſtitutionem, & priuatur beneficijs obtentis, & inhabilitatur ad obtinenda, & ſi fuerit Patronus, priuatur Iure patronatus. *Tri. ſyn. ſeſ. 22. c. 11*

16 Clerici conſentientes, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Eandem. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

CAPVT VI.

De rebus, quæ excommunicatis facere non licet.

1 Excommunicatus poteſt contrahere, vel teſtare?

Reſp. Negatiuè, ſed factum tenet. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 11. num. 3.*

2 Excõicatus põt ne inſtitui hæres in teſtamento?

℞. Põt, quia eſt actus alienus in fauorẽ eius factus, quãuis cõparere nõ poſſit in iudicio, durãte excõicatione. *Tol. vbi ſup. Auth. cum &c. de ap. cog. §. generale.*

3 Excommunicatus poteſt ne eligi in Procuratorẽ?

Reſp. Negatiuè; ſed poteſt eligere ad defendendum ſe. *Abb. in c. veritatis. de dol. & cont. num. 35.*

4 Excommunicatus poteſt ne eligere, vel eligi?

Reſp. Negatiuè, ſi ſit maiori excommunicatione ligatus. *Sà verb. excommunicatio. num. 28. & 29.*

5 Si ſit in minori, poterit ne eligere, vel eligi.

Reſp. Poterit eligere, ſed nõ eligi. *Sà vbi ſup. num. 33.*

6 Quare excommunicatus, poteſt inſtitui hæredes, & non poteſt eligi?

℞. Quia hereditas pẽdet ex ſola volũtate teſtatoris, & in ſua re quilibet eſt moderator, & arbiter, & ſic

inſtitutio valet; ſed electio reſpicit plures eligendos, & electores tenentur inter ipſos eligere magis idoneum, & ideò electio non valet.

7 Excommunicatus poteſt emere, vendere, locare? Reſp. Poteſt, & alios contractus facere, quia hoc, nō eſt illis prohibitum à Iure. *Abb. in c. veritas. dolo, & contum. num.* 35.

8 Excommunicatus poteſt condere teſtamentum? Reſp. Non tenet gl. in c. decernimus. de ſent. excom. in 6. ſed credo, quòd factum valet, quia hæc eſt gloſſ. contra communem opinionem. *Abb. in c. ad approbādum. de ſent. & re iudic. Syluestr. verb. teſtamentum. num.* 3. *verſ.* 9.

9 Excōmunicatus poteſt contrahere matrimoniū? Reſp. Poteſt. *c. ſignificaſti. & ibi Gloſ. de eo, qui duxit in matr. quam polluerat per adulter.*

10 Excommunicatus poteſt ne intentare litem, vel petere reſcriptum? Reſp. Non poteſt, niſi in cauſa excommunicationis, *c.* 1. *de reſcript. in* 6.

11 Excommunicatus poteſt intentare ſpolium? Reſp. Poteſt. *Innoc. in c. veritatis, de dolo, & contum. nu.* 3. *& Fauer, lib.* 1. *c.* 13. *num.* 16.

12 Quare excommunicatus non poteſt petere reſcriptum, & poteſt intentare ſpolium? Reſp. Quia ſpolium eſt res magni præiudicij, ſi multò tempore, quis fuiſſet ſpoliatus, & aliæ actiones, quæ de nouo intentarentur, poſſunt, quocumque tempore peti ſine tanto damno.

13 Quando aliquis vult proponere in iudicio ſuum aduerſariū eſſe excōmunicatum, quid debet agere? Reſp. Debet proponere ſpeciem excommunicationis, *c.* 1. *de except.*

14 Exceptio excommunicationis, debet ne proponi in principio, vel in fine Iudicij? Reſp. In qualibet parte. *c. exceptione. eod. tit.*

15 Si quis doloſè differt talem exceptionem, ad quid tenebitur? Reſp. Ad expenſas. *Abb. c. exceptione eod. tit.*

16 Excommunicatus poteſt ne aſſiſtere in iudicio? Reſp. Non agendo, bene tamen ſe defendendo. *c. intelleximus. de iudic. Ang. verb. excōicatio, vltra nu.* 16.

17 Si actor excōicatus agat cōtra reū excōicatū, poterit reus obijcere actori exceptionē excōicationis? Reſp. Poterit, quia ſe defendit. *c. nobis. c. cum inter, de except.*

18 Conceditur excommunicato poteſtas renunciationis? Reſp. Negatiuè, ſed cum renunciat, abſoluitur a Papa ad illum effectum. *c. cum inter, de except.*

19 Excommunicatus abſens, poteſt petere abſolutionem? Reſp. Poteſt per Procuratorem. *cap. quid agendum. de procurat. in* 6.

CAPVT VII.

De diuerſis caſibus excommunicationis.

1 PErcuſſores Clericorum, quam pœnam incurrunt? Reſp. Sunt excommunicati. *per extrauag. conſtantis. & non dubium. de ſent. excom.*

2 Dicenti ſe eſſe abſolutum, creditur ne? Reſp. Non creditur in iudicio, niſi litteras abſolutionis oſtenderit. *cap. ſicut nobis. de ſententia excommunicatio.*

3 Si quis cogitauit percutere laicum, & percutit Clericum, erit ne excommunicatus? Reſp. Erit, ſi Clericus deambulabat in habitu clericali. *capitulo ſi verò. ſecundo, de ſentent. excommunic.*

4 Percuſſor Clerici, eſt ne vitandus ab Eccleſia, antequam publicè excommunicetur? Reſp. Affirmatiuè, ſi percuſſio ſit notoria. *cap. perpendimus. eod. tit.*

5 Si non ambulabat in habitu clericali, erit ne excommunicatus? Reſp. Si percuſſor ignorauit probabiliter, non erit excommunicatus. *cap. cum non ab homine. eod. titul. & Abb. in c. ſi verò. eod. tit.*

6 Si quis cogitauit percutere Clericum, & non percuſſit, erit ne excommunicatus? Reſp. Negatiuè, quia excommunicatio eſt pœna impoſita percutienti, vnde per factum incurritur, & non per cogitationem.

7 Qui incarcerat iniuſtè Clericum in loco, vbi ſine pudore eſſe non poteſt, eſt excommunicatus? Reſp. Affirmatiuè. *c. contingit. de ſentent. excommunicatio.*

8 Qui inuenit Clericum inhoneſtè cum vxore, matre, vel filia, & eum percutit, vel interficit, eſt ne excommunicatus? Reſp. Negatiuè; ſi ſtatim fiat talis percuſſio propter motum primum, & ingentem dolorem. *Abb. in c. ſi verò. eod. tit.*

9 Quid ſi inueniat amplexantem, & oſculantem, vel in loco ſuſpecto? Reſp. Non incurrit, ſi ſtatim percuſſio fiat, propter vehementem dolorem, & propter iram, quæ ſit primus motus; ſecùs autem, ſi tempus tranſeat, & habeat ſecundam deliberationem. *cap. ſi verò. de ſent. excommunic.*

10 Clericus iratus, ſe ipſum percutiens ex aliqua ira, incidit ne in excommunicationem? Reſp. Incidit, quia non eſt dominus membrorū ſuorum. *Abbas in capitulo contingit. primo. eodem titulo.*

11 Si Clericus, ſua culpa, patiatur percuti, eſt ne ipſo Iure excommunicatus? Reſp. Negatiuè, ſed erit excommunicādus. *Abb. in c. contingit.* 1. *eod. titul. Tolet. in ſum. lib.* 1. *cap.* 34. *numero* 10.

12 Si quis percutiat laicum, habentem clericalem habitum, & primam tonſuram, putans ſe percutere Clericum, eſt ne excommunicatus? Reſp. Negatiuè, quia quis nō excommunicatur propter intentionem, ſed propter factum, quamuis grauiùs peccet, propter audaciam. *c. ſi verò eod. tit.*

13 Si Clericus, ſua voluntate, ob aliquam ſatisfactionem, & ſuam vtilitatem ſubijciat ſe laico, vt percutiatur, vel verberetur, talis laicus percutiens, erit excōmunicatus? Reſp. Erit ipſe, & Clericus, quia Clericus non poteſt renunciare iuri, & priuilegio clericali, quod non eſt ſuum, *c. contingit. de ſent. excom.*

14 Qui

14 Qui permittit percuti Clericum, & poteſt eum liberare, & non liberat, eſt ne excommunicatus?
℞. Affirmatiuè, quia agentes, & conſentientes eandem incurrunt pœnam. *c. quanta. eo. tit. de ſent. excom.*

15 Quare cogitans percutere Clericum, non eſt excommunicatus, & non liberans eum à percuſſione eſt excommunicatus?
℞. Quia, ex cogitatione, non ſuccedit damnum percuſſionis; ex permiſſione verò; ſuccedit ipſa percuſſio.

16 Si quis mandat verberari Clericum, & ante verberationem reuocat mandatum, & mandatarius ignorans reuocationem, de facto verberat, mandans incurrit ne excommunicationem?
Reſp. Variæ ſunt opiniones DD. quæ notantur in c. mulieres. & in c. cum quis. de ſent. exc. ſed probabilius exiſtimo, quòd ſi non fecit magnam diligẽtiam, vt executio non fieret, erit excommunicatus.

17 Per Clericum quis intelligitur, vt gaudeat hoc priuilegio?
Reſp. Qui tantũ eſt in prima tonſura, dummodo geſtet habitum, & tonſuram. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 31. nu. 1.*

18 In cauſis criminalibus, antequam procedatur ad excõicationem, debent ne præcedere monitiones?
Reſp. Debet præcedere bina monitio; etiam per edictum, ſi qualitas delicti id poſcat. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3*

19 Clericus per iracundiam indiſcretè ſe cædens, incidit ne in excommunicationem?
Reſp. Incidit, quia eſt percuſſio iniurioſa. *ſum. Armil. verb. excommunicatio. c. 1. num. 2.*

20 Si duo Clerici ad inuicem ſe percutiunt, quis erit excommunicatus?
Reſp. Qui incæpit, & prouocauit, niſi prouocatus modum in defendendo excedat. *Fælyn. c. ſignificaſti. de homicid. Abb. in c. olim. de reſt. ſpol. num. 19. Innoc. in c. ſi vero. de ſent. excom.*

CAPVT VIII.

De appellatione ab excommunicatione.

1 AD quem effectum datur appellatio, ab excommunicatione?
Reſp. Fere ſemper ad effectum deuolutiuum tãtum, ſicut à ſententia ſuſpẽſionis, & interdicti; ſed aliquãdo, Iudex concedit illam, ad vtrumque effectum. *Sà verb. appellatio.*

2 A qua excommunicatione conceditur appellatio?
Reſp. Ferè ſemper à declaratoria, nõ autem ab executoria. *Sà verb. excommunicatio. num. 37.*

3 Per appellationem ſuſpẽditur excommunicatio?
Reſp. Si appellatio fuerit legitimè interpoſita, & ante prolationem excommunicationis, impedit executionem, & valdè vtilis eſt. *Sà verb. excom. nu. 1. & 3. & habet effectum ſuſpenſiuum, c. per tuas litteras. de ſen. excom. c. innotuit. de arbitr. cap. per tuas. c. ſolet. c. venerabilibus. de ſent. excom. in 6.*

4 Appellans poſt excommunicationem prolatam, poteſt ne denunciari?
Reſp. Negatiuè, vſquequo cognoſcatur de appellatione. *Sà verb. excommunicatio. num. 2.*

5 Si quis appellauit ante prolationem ſententię excommunicationis, & voluerit probare eſſe nullã, & continere errorem intolerabilem, eſt ne vitandus?
Reſp. Negatiuè; præcipuè ſi fuerit Iudex, & perſona docta; imò eſt admittendus ad diuina officia, & ad iuriſdictionem exercendam; & ad probationem ſuæ defenſionis. *capit. per tuas litteras. de ſententia excommunic.*

CAPVT IX.

De abſolutione ab excommunicatione.

1 QVid eſt abſolutio?
Reſp. Eſt ſoluere ligatum.

2 Abſolutio ab excommunicatione, eſt ne danda non petenti?
Reſp. Non eſt danda; niſi humiliter ſupplicanti, niſi ob publicam vtilitatem. *Ab. in c. Apoſtolicæ. de exc. n. 1.*

3 Ab excommunicatione quis poteſt abſoluere?
Reſp. Qui ligauit, vel quilibet Sacerdos de licentia Iudicis, *c. nuper de ſent. excom.*

4 Si Parochus non ſit Sacerdos, poteſt abſoluere excommunicatum?
Reſp. Negatiue. *Nauar. conſ. 90. n. 4. de cland. deſponſ.*

5 Capitulum poteſt abſoluere excommunicatum à iure, vel ab homine, quem poſſet Epiſcopus abſoluere, ſi viueret?
Reſp. Poteſt, quia in iudicialibus plenariam habet facultatẽ, ne populi damnũ patiantur. *Sà verb. c. n. 1.*

6 Prælatus poteſt abſoluere ſubditum ab excommunicatione, quam incurrit in aliena diœceſi?
Reſp. Diſtinguendo in ijs, quæ requiruntur cauſę cognitionem, vel ſunt ad inſtantiam alicuius partis, nõ poteſt niſi de licẽtia ipſius Epiſcopi, qui excommunicauit: in ijs verò, quæ tantum reſpiciunt animam ſubditi, poteſt abſoluere, abſque licentia alterius prælati. *Abb. in c. adducit. de offic. de leg.*

7 Ab excommunicatione lata ab homine, quis poteſt abſoluere?
Reſp. Qui excommunicauit, Superior, vel Succeſſor. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 16. nu. 1.*

8 Delegatus Papæ, finito officio, poterit abſoluere, quos durante officio excommunicauit?
Reſp. Non poteſt. *c. quærenti. de offic. deleg.*

9 Iudex excommunicatus maiori excommunicatione, poterit ne abſoluere excommunicatum à ſe?
Reſp. Non poteſt: neque proferre aliam ſententiam, quia per excommunicationem ſublata eſt illi poteſtas iudicialis. *Tol. vbi ſup.*

10 Si verò Iudex ſit excommunicatus minori excommunicatione?
Reſp. Tũc poterit, quia excommunicatio minor priuat tantum paſſiua receptione. *Sot. in 4. diſt. 22. ar. 3.*

11 Communicans cum excommunicato in crimine, à quo debet abſolui?
Reſp. Ab Epiſcopo, qui alterum excommunicauit. *c. nuper de ſent. excom.*

12 Abſolutio ad certum tempus tenet ne?
Reſp. Tenet. *Abb.in c.veniens.de teſtib.& atteſtat.*

13 Ab excommunicatione Iuris, quis poteſt abſoluere?
Reſp. Epiſcopus ſi non eſt reſeruata; & ſi eſt reſeruata, ille cui eſt reſeruata, vel Superior. *Molin.in aphoriſm.verb.abſolutio.*

14 Si quis excommunicatur per Can. ſi quis ſuadente diabolo, à quo debet abſolui?
Reſp. A Papa. *c.ea noſcitur. de ſent.exc.*

15 In articulo mortis excommunicati per d. Can, à quo poſſunt abſolui?
Reſp. A quocumque Sacerdote, etiam ſimplici, quia in eo articulo ſupremam habet poteſtatem ob neceſſitatem ſalutis humanæ, *c. non dubium eod. tit. de ſent. excom.*

16 Qui excipiuntur à regula communi, vt ſi excommunicentur per d. Can. non debeant à Papa abſolui?
Reſp. Mulieres, infirmi, mutilati, qui non ſunt ſui Iuris, vt Monachus, impubes, & ſeruus, qui omnes debent abſolui ab Epiſcopo. *c.1.c.ea noſcitur.de ſent.excom.* Monachi, & Canonici regulares abſoluuntur à ſuis Abbatibus, & his deficientibus, ab Epiſcopo, *c.2. eod.tit.* Fratres Hieroſolymitani, à ſuo Priore. *c.canonica. eod.tit.*

17 Excommunicatus occultè ob clerici percuſſionem, à quo abſoluitur?
Reſp. A Papa, ſolùm ob grauitatem delicti. *c.porro de ſent.excom.*

18 Percutiens Monachum in ſacris, à quo abſoluitur?
Reſp. A Papa. *c.Parochianus de ſent.exc.*

19 Percutiens Clericum, excommunicatum, vel irregularem, quam pœnam incurrit?
Reſp. Excommunicationis, & abſoluitur à Papa, *Tol.in ſum.lib.1.c.31.num.5.*

20 Quot ſunt caſus expreſſi à Iure, in quibus percuſſor Clerici, non indiget abſolutione, neque etiam excommunicatus.
Reſp. Quatuor. Primo defendendo ſe. Secundo, ſi faciat mandatum ſui Prælati ad incarcerationem, vel punitionem. Tertio, ſi habeat ſuper eum prælationẽ, miniſterium, vel magiſterium, & percutiat correctionis, vel emendationis cauſa. Quarto, ſi habeat eum, vt laicum, & ita putet, quia habet habitum laicalem, *c.ex tenore, & c.ſi verò. de ſent.exc.*

21 Legatus à latere, poteſt abſoluere percuſſores Clericorum, ſine ſpeciali mandato?
Reſp. Poterit; propter eminentiam ſui officij, & ſic de Iure, hoc eſt illi conceſſum, *c.ad eminentiam.de ſententia excommunicationis.*

22 Qui leuiter percutit clericũ, à quo poteſt abſolui?
Reſp. Ab Epiſcopo, ne pro re leui laici grauentur, eundo ad ſedem Apoſtolicam, nam, quia de minimis non curat prætor *c.peruenit de ſententia excommunicationis.*

23 Quis debet iudicare, quando eſt leuis, vel grauis percuſſio, vel iniuria, quæ facta eſt clerico, vt petatur abſolutio, ab Epiſcopo, vel à Papa?
Reſp. Iudex Eccleſiaſticus debet hoc iudicare, conſiderata qualitate perſonæ percuſſæ, & percutientis, loco, ſcandalo, occaſione data ex tali percuſſione, & ex iſtis, & alijs circumſtantijs debet mittere percuſſorem ad ſedem Apoſtolicam, vel eum abſoluere, ratio eſt, quia in Iure non eſt expreſſum, quando percuſſio, vel iniuria eſt leuis, vel grauis, & primum iudicium ſuper hac re, debet eſſe coram iudice Eccleſiaſtico illius diœceſis. *c.peruenit.de ſent.excom.*

24 Laicus percutiens clericum, ſiue leuiter, ſiue grauiter, quando eſt abſoluendus?
Reſp. Poſt ſatisfactionem datam clerico de iniuria, vel damno, ſiue in pecunia, ſiue in pœna corporis, ſiue in pœna honoris, quam ſatisfactionem taxabit Iudex Eccleſiaſticus conſiderata qualitate perſonarum, grauitate iniuriæ loco, & tempore, & occaſione, *c.quod fieri 3.q.3.*

25 Officialis Regius leuiter percutiens clericum, poteſt abſolui ab Epiſcopo?
Reſp. Si faciat hanc percuſſionem auctoritate officij, neceſſariò debet abſolui à Summo Pont. & nõ ab Epiſcopo, ratio eſt, ne ratione poteſtatis, & officij ſæcularis ſumat aliquam iuriſdictionem ſupra clericum, qui dignitate eſt illi ſuperior; at verò ſi faciat percuſſionem, non ratione officij, ſed vt perſona particularis, abſoluetur ab Epiſcopo, ſicut quilibet alius particularis, vt latè dixi *lib.2.c.2.nu.34.35.& 36.& eſt tex. in c.ſi verò. de ſententia excom.*

26 Poteſt quis abſoluere excommunicatum mortuum?
℞. Si conſtet tempore mortis eſſe cõtritum, petijſſe veniam, habuiſſe dolorem ſuorum delictorum, & petijſſe abſolutionem ab excommunicatione, tunc poterit eum abſoluere, qui eum excommunicauit, vel alius de eius licentia, & tunc debet humari in loco ſacro, & poſſunt Sacerdotes pro eo orare, & dicere officia, & hæres tenetur, & compellitur à Iudice ad ſatisfaciendum pro re, pro qua erat ille mortuus excommunicatus, ratio eſt, quia hæc abſolutio non datur defuncto pro ſuis peccatis, ſed datur cadaueri in foro exteriori. *c.à nobis.de ſententia excommunicat.*

27 Poteſt laicus tempore mortis abſoluere excommunicatum contritum, non habentem Sacerdotem?
Reſp. Poteſt, ſi talis laicus habeat iuriſdictionem, & talis abſolutio erit in foro exteriori, & non ſacramẽtali. *Sylu.verb.abſolution.nu.8.Panor.c.à nobis.de ſent.excomm.*

28 Si quis ſepultus ſit extra Eccleſiam, & abſoluatur debet ne exhumari, vt in corpore fiant ceremoniæ?
Reſp. Negatiuè, ſufficit enim ſi ſepulturæ credatur, & ſi eſt extra Eccleſiam, intra eam ſepeliatur. *Sylueſt. verb.abſolutio.num.8. Nauar.in man.c.26. num.32.nu.271.& 272.*

29 Si quis abſolutus ſit in foro conſcientiæ, debet ne à Iudice declarari excõmunicatus in foro exteriori?
Reſp. Si non exiſtat pars, quæ inſtet, nõ debet Iudex eum declarare, quia Iudex Eccleſiaſticus debet eſſe in hoc caſu, vt Pater *Couar.c.alma mater. de ſent.excommun.*

CAPVT X.

De excommunicatione ad finem Reuelationis.

1 A Quo conceduntur literę monitoriales, vel excõicationes latæ, ad finem reuelationis, pro rebus

rebus perdis, ſeù teſtimonij dicendis, & voluntate occulta aperienda, vel inueniendis ſcripturis?

Reſp. Ab Epiſcopo ſolum, & à Vicario, ſi habeat ſpeciale mandatum ad eas concedendas. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.3.de refor.*

2 Abbates habētes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſunt ne concedere eas, præcipuè ſi nullius ſint diœceſi, & habeant conſuetudinem?

Reſp. Negatiuè, niſi habeant ſpeciale priuilegium Apoſtolicum. *Trid.ſyn.vbi ſup.*

3 In locis immediatè ſubiecti ſedi Apoſtolicæ, qui non ſunt ſub alicuius Epiſcopi iuriſdictione, poſſunt ne Prælati illorum locorum propria auctoritate excommunicationem ferre pro rebus perditis?

Reſp. Negatiuè, ſed neceſſario reccurrendum eſt ad ſedem Apoſtolicam; quia Epiſcopus vicinior eas non poteſt dare.

4 Quis tenetur reuelare, & quando?

Reſp. Quilibet, quotieſcumq; retinet rem, vel ſcripturam iniuſtè, vel ſcit alios iniuſtè retinere, nam cū lex ſit generalis, omne obligat. *l.Iulianus. ff.ad exhibendum.c.ſi Romanorum. diſt.19. Vgol.tract.2. de offic. & poteſt.Epiſc.fol.89.*

5 Pro qua re debent concedi excommunicatio ad finem reuelationis?

Reſp. Pro re graui, conſiderata perſona, re, ęſtimatione, & tempore. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.3.de reform.*

6 Si concedatur pro re leui, quid erit?

Reſp. Tunc erit nulla talis excommunicatio ex intolerabili Iuris errore. *c.per tuas.de ſent.excom.*

7 Vicarius, ſede vacante, poteſt concedere excommunicationem ad finem reuelationis?

Reſp. Poteſt, ad inſtantiam partis, licèt aliquando concedatur ex officio. *Extrauag.vnica de furtis.*

8 Si monitorium ſub pœna excommunicationis ſit publicatum, pro aliquibus ſcripturis exhibendis, & aliqua pars litigans eas habeat, tenetur ne ratione monitorij illas tradere ſuo aduerſario?

Reſp. Si litigat, & intelligit iuſtè litigare, vel ſit in dubio an res ſit ſua, vel aduerſarij ſui, non quia nemo tenetur arma aduerſario dare, in dubio pro poſſeſſore tenendum eſt, & ideò non obligatur cenſuris. *c.ex litteris de probat. in dubio enim pro poſſeſsore eſt iudicandum.*

9 Si quis litigat, pro domo, vel pecunia, quam certo ſcit ſuam eſſe, vel retinet rem Petri, quia Petrus debet illi ęqualem, vel maiorem quantitatē; tenebitur ne ratione monitorij reuelare ſcripturas, vel reſtituere rem illam:

Reſp. Negatiuè, neq; obligatur tali cenſura, quia nemo tenetur ſuam rem alij tradere, neq; rem, quam iuſtè poſſidet. *leg.1 l.qui accuſare, & ibi DD.C.de edendo. Felin.in c.duo.de appell. Nauar. in man.conſ.5. numero 3.*

10 Teſtes, ſcientes aliquem occultare rem, vel ſcripturam iuſtè, quia ſua eſt, vel quia habet litem, & lis in dubio eſt; tenētur ne ratione monitorij dicere cōtra illum teſtimonium, & manifeſtare?

Reſp. Negatiuè; quia hæc regula eſt obſeruanda, nempè quòd teſtis non tenetur dicere teſtimonium contra partem principalem, neque ligatur tali monitorio quotieſcumq; pars principalis nō tenetur ex aliquibus rationibus ſupradictis reſtituere ſcripturas, vel res; non enim plus obligatus teſtis, qua principalis. *tenet Vgol.tractat.2.de offic. & poteſt.Epiſcop. tit. de monitorijs.§.5.folio 89.*

11 Monitoria generalia cum excommunicatione, in quibus mandatur, vt detinentes bona, vel ſcripturas, reſtituant, & ſcientes reuelent, quomodo ſunt intelligenda?

Reſp. Solum ligare eos, qui indebitè detinēt, vel ſciūt ea indebitè detineri, vt furto vſurpatione, vel alio iniuſto titulo. *Nauar. tenet de communi ſententia DD. conſ.35.num. de ſent.excomm. Petrus Ant. Lazarus de monitorijs.ſect.4.q.1.nu.18.*

12 Si quis detinet domum ob id, quod tantum pecuniæ à domino rei debetur, vel quia res erat ſua, vel ab eo contra ſuam voluntatem ablata, vel alij diſtributa, contra ipſiuſmet voluntatem, & in monitorio expreſsè caueatur, vt in compenſationem talis res non detineatur, ſed pateſiat, obligabitur ne ad reuelandam talem rem, vel ſcripturam virtute monitorij?

Reſp. Non tenetur reuelare rem, nec ſcripturam virtute dicti monitorij; ratio eſt, quia mandatum iniuſtum non obligat, quia talis res, vel ſcriptura eſt ipſius hominis, & nemo tenetur tradere rem propriam alteri, *vt tenet. Nauar.conſ.25.nu.18. & conſ.31. num. 8.de ſent.excommunication.s, & in c. inter verba in Corolario.60.num.792.verbo familia, & Angelus verbo furtum, & text.in c.Romano, §.fin. de ſenten. excommunicationis in 6. Angelus de clabas verbo furtum.*

13 Detinētes aliquam rem ratione rei iudicatæ, vel ratione litis deciſiuè, vel tranſactionis, vel pacti cum parte, vel quia ipſe prius rem illam, vel domum alteri donauit ad certum tempus, vel pro certis perſonis, vel cum certis conditionibus, & tranſacto tempore, vel mortuis perſonis, talis, qui accepit rem, non vult proprio domino reſtituere, nec ſeruare cōditiones, ſed alteri extraneo donare, in fraudem eius, qui donauit, nunc qui ſpoliatur à propria re, poterit ne eam recuperare occultando ſcripturas, & iura, an tenebitur eas reuelare ratione monitorij?

Reſp. Talis homo non tenetur reuelare tales ſcripturas ratione monitorij, immò tenetur recuperare rem propriam quocumque modo potuerit, ratio eſt, quia alius iniuſtè poſſidet rem ſuam, & ipſe alteri nō tollit aliquando ius, ita tenet Petrus Antonius Lazarus tractatu de monitoris, *ſeſs.4.q.1 Vgol.tra.2.de offi. & poteſtate Epiſcopi fol.88.*

14 Si aliquis in aliqua donatione, vel ſcriptura falſificauit aliquas conditiones, vel fecit ſcripturam falſam, vt ab aliquo tolleret aliquam domum, aliquem agrum, vel aliquod ius, dolo, & fraude, & poterit ne ille, à quo ſublata eſt res iſta, falſificare aliam ſcripturam, & ſimili dolo recuperare rem ſuam propriam abſq; obligatione reſtitutionis?

Reſp. Iſte talis poterit ſimili dolo, & fraude recupere agrum proprium, vel ius ſuum prium: ratio eſt, quia ſicut quis poteſt rem ſibi furto ablatam a latrone ſecreto, & furto recuperare, & non tenetur manifeſtare latroni tale furtum, igitur ſimiliter qui perdidit ſuum ius per ſcripturam falſam, poterit ſimiliter per aliam ſcripturam illud recuperare, & non tenetur ſe procedere ratione cuiuſcumque monitorij: ita tenent Petrus Antonius Lazarus, & *Vgol.ſupra citatis.*

15 Quando in Romana Curia dantur monitoria, vt quis non poſſit retinere rem in compenſationē, quomodo ſunt intelligenda?

Reſp. Sunt

Reſp. Sunt intelligenda, quando compenſatio eſt iniuſta, videlicet quando plus accipit, quàm illi debetur, vel quando quis detinet certum prò incerto, nõ autem ligant, quãdo eſt iuſta compenſatio; vel quãdo res eſt propria, vel quando habet iniuſtam cauſã retinendi; ratio eſt, quia diſpoſitio continens mandata generalia, vel particularia, debent ſemper iuſtè intelligi, *l.ſi iuſta.l. ſi procurator.ff. de conditionibus indebitis*.

16 Si quis habet ſcripturas ſuas proprias, & in ipſis contineatur ius ſuum, ſi poſſunt prodeſſe ſuo aduerſario, tenetur ne eas tradere, ratione monitorij?

Reſp. Non, quia nemo contra ſe debet dare arma aduerſario. *arg.l.1.& l.qui accuſare.C. de edendo Felin.c.duo.de appell.*

17 Tenebitur ne quis ratione monitorij reuelare, quando reuelatio reſultaret ſibi magnum damnum, in fama, vel in perſona?

Reſp. Non, quia nemo tenetur ſe prodere. *c.quis aliquando.de pœnit.diſt.1.c.officij.eod.tit.*

18 Qui de Iure non poſſunt compelli ad teſtificandũ in cauſa criminali, neq; ciuili, contra talem perſonã, tenentur ne reuelare ratione matrimonij?

Reſp. Non; vt ſunt conſanguinei, ſerui, familiares, & alij numerati. *in l.Iulia.ff. de teſta. niſi quando compelli poſſunt; in aliorum defectum gloſſa in c.quamquam.* 14.*q.2.*

19 Quando aliquis, ob paupertatem eſt impotens ad ſoluendum, tenebitur ne reſtituere ratione monitorij, & ſe prodere?

Reſp. Non; ſi habet animum reſtituendi cum habeat facultatem. *l.impoſſibilia.ff.de reg.iur.Abb.in c.ſignificaſti.de pignorib.nu.3.*

20 Si aliquis habuit aliquam ſcripturam, & ante monitorium eam ſcidit, vel igne cremauit, ita quòd nõ poteſt illam reſtituere, tenebitur ne ratione monitorij reuelare, ſeſcidiſſe talem ſcripturam?

Reſp. Non, quia ad impoſſibile nemo obligatur: prę cipuè ſi infamia, iniuria, vel damnum, vel lis ex tali reuelatione oriretur. *leg.impoſſibilium.ff. de regul. iuriſd.*

21 Si quis audiuit rem contentam in monitorio, ſed ignorat à quo audiuit, tenetur ne id reuelare?

Reſp. Non: neque qui audiuit à perſona non fide digna *c.non ſolum.3.q.3.*

22 Si quis tempore excommunicationis eſt abſens, & poſtea cum reuertitur ad domum veniat ad eius notitiam, tenebitur ne reuelare contenta in monitario?

Reſp. Non, ſed opus eſt cum illo noua excommunicatione vti, quia excommunicatio, non habet tractũ ſucceſſiuum, ſed illico ſumit vires. *c.nullus.11.q.3.*

23 Si excommunicatio feratur per legem, vel ſtatutum, ligabit ne abſentes, poſtquam reuerſi fuerint in illam prouinciam?

Reſp. Ligabit etiã non natos, quia lex cum ſit perpetua ſemper loquitur. *l.Arriani.C.de hæredic.Abb.in c.nobis de ſent.excom.*

24 Illi, quos pars, vel Iudex non intendit includere in monitorio, tenentur ne reuelare?

Reſp. Non: ſicut non præſumitur, quòd pater velit comprehendere filium, maritus vxorem. *Sot.de iuſt. & iur.lib.1.capit.3.artic.1.Nauarr.in manual.c.27.*

25 Qui generaliter non obligantur monitorio?

Reſp. Primò ſciens in confeſſione. Secundò abſcens. Tertiò ignorans. Quartò furioſus, & mentecaptus. Quintò non ſubditus eius, qui dat monitorium. Sexto exemptus à iuriſdictione illius, vt tenet frater *Anton. Caſſius.de monition.2.q.17.l.iuris ignorantia.ff. de iuris, & facti ignorantia.lect.final.ff.de iuriſd.omn.iudic.*

26 Quando quis non poteſt probare, tenetur denuntiare?

Reſp. Non: quia denuntiatio eſſet contra illum.

27 Si quis poteſt per fraternam correctionem corrigere, tenetur ne eius delictum denuntiare virtute monitorij?

Reſp. Non, quia correctio eſt de iure diuino. *c.ſi peruenit.2.q.1.*

28 Si quis reuelauit iudici oretenus, vel in confeſſione, ſatisfacit ne monitorio?

Reſp. Si talis tenetur ad reuelationem, non ſatisfacit, quia is cuius intereſt, non poteſt ſe adiuuare tali reuelatione. *Nauar.conſ.5.de furtis.*

29 Si virtute monitorij aliquid reuelatum fuerit illi, in cuius fauorem monitorium conceſſum fuit; poterit Iudex experire ciuiliter, vel criminaliter contra eos, qui iudicio laborauerunt?

Reſp. Poterit; & finire negotium, vſque ad ſententiam diffinitiuam.

30 Iudex Eccleſiaſticus poterit procedere cõtra eos, quos ex dictis litteris reos eſſe conſtiterit?

Reſp. Si ille, in cuius fauorem litteræ conceſſę ſunt, noluit ciuiliter, neq; criminaliter aliquid petere, poterit de officio punire propter publicum exemplum: Sed ſi ille, in cuius fauorem litterę relaxatę ſunt, petat ciuiliter, vel criminaliter. Iudex non debet ſe plus intromittere.

CAPVT XI.

De Abſolutione à iuramento.

1 ABſolutio iuramenti, à quò debet concedi, ab Epiſcopo iurantis, vel ab Epiſcopo, cui iuramentum præſtitum eſt.

Reſp. A quocumque eorum. *Couar. lib.1.variar.reſolut.c.4.num.5.*

2 Abſolutio à iuramento poteſt ne cõcedi ſine partis citatione?

Reſp. Poteſt. *c.Oduardus de ſolut.*

3 Abſolutio à iuramento, poteſt ne impetrari abſq; licentia?

Reſp. Poteſt; quia eſt gratia; & poteſt concedi abſẽti, & ignoranti, ſed debet poſtea ratificari, pro parte intra terminum. *Felyn.in c. innotuit. & ſi tibi de iureiurando.*

4 Abſolutio à iuramento ad cautelam, in quibus cenſuris hãbet locum, in cenſuris a Iure latis, vel ab homine.

Reſp. Solum, in latis ab homine, quia poſſunt eſſe iniuſtæ, ſed non in latis à Iure, de quibus non eſt dubium. *Ioan.Andr.in c.6.de ſent.excom.in 6.*

5 Abſolutio a iuramento, quando non eſt concedenda?

Reſp. Quando non prodeſt, vt ſi iuramentum non ligauit,

grauì, quando petitur per calumniã, vel quando petitur poſt per iurium incurſum. *Iaſ. in l. 1. ff. de offic. aſſeſſ. c. afflictus. diſt.* 31.

6 Poteſt Epiſcopus concedere abſolutionem periuro à iuramento, ad effectum agendi?
Reſp. Non: ſi eſt in præiudicium tertiæ perſonæ, tũc debet peti à Summo Pontifice, quia eſt Papæ reſeruata abſolutio, & ſi concedatur non valet. *Tolet. in ſum. lib. 4. c. 23. num. 2.*

7 Requiritur ne ſpecialis abſolutio in illo, qui iurauit, non petere abſolutionem a iuramento?
Reſp. Affirmatiuè. *Sà verb. iuramentum. num.* 37.

8 Si quis vi abſolutionẽ extorſerit, erit ne abſolutus?
Reſp. Non; ſed in iteratam incidit excommunicationem. *DD. in cap. penult. de iis, quæ vi &c. c. iniuſtæ. 11. quæſt. 5.*

CAPVT XII.

De Suſpenſione.

1 QVid eſt ſuſpenſio?
℞. Cenſura Eccleſiaſtica priuans aliquem vſu officij, vel beneficij Eccleſiaſtici in totum, vel in partem ob ſuam culpam. *Tol. lib. 1. c. 42. nu. 1.*

2 Prohibitio totius officij, vel beneficij, in perpetuum, eſt ne ſuſpenſio?
Reſp. Non; ſed potius degradatio, priuatio, vel depoſitio perpetua. *Tolet. vbi ſup.*

3 In ſuſpenſatione ferenda, datur ne certa forma; & quibus modis fit?
Reſp. Non eſt determinata à iure, ſed quibuſcunq; verbis id ſignificantibus poteſt fieri, verbo, & ſcriptura, & per ſententiam ſed tutius eſt vt feratur per ſententiam iudicis, & quando fertur verbo; etiam verbo; tollitur. *Tolet. ibi. num. 5. Hoſtienſ. in c. ad hæc de appell.*

4 Quotuplex eſt ſuſpenſio?
Reſp. Triplex. Prima officij, & beneficij ſimul. Secũda officij tantum. Tertia beneficij tantum. *Tolet. vbi ſup.*

5 Ob quam cauſam fertur ſuſpenſio, ob culpam propriam, vel alienam?
Reſp. Ob culpam propriam. *Tol. vbi ſup.*

6 Qualis debet eſſe culpa?
Reſp. Mortalis, vel ſaltim venialis, ſi leuis eſt ſuſpenſio. *Tol. lib. 1. c. 44. num. 3.*

7 Quæ ſolemnitates ſeruandæ ſunt, in ferenda ſententia ſuſpenſionis?
Reſp. Omnes, quæ ſeruantur in excommunicatione, & omnes citationes. *Tolet. vbi ſup.*

8 Prohibitio celebrandi, quæ imponitur à confeſſario, eſt ne propriè ſuſpenſio?
Reſp. Non, quia non eſt facta ab habente iuriſdictionẽ, & eſt quædam medicina animæ, & ita ſi quis celebrat cum tali prohibitione, non eſt irregularis, neque incurrit alias pœnas. *Innoc. in cap. ſi celebret de ſent. exc. num. 3.*

9 Si quis ſuſpẽdatur ob ſenectutem, & celebret; erit ne irregularis?
Reſp. Non, cum non ſit ſuſpenſus ob delictum, ſed peccat mortaliter. *Tolet. lib. 1. c. 45. num. 1.*

10 Quis poteſt ferre ſuſpenſionem?
Reſp. Iudex habens iuriſdictionem Eccleſiaſticam in Eccleſiaſticos tantum. *Tolet. lib. 1. c. 44. num. 1.*

11 Fertur ne ab homine tantum?
Reſp. A Iure quoque; licèt declaratio incurſionis ad hominem pertineat. *Tolet. lib. 1. c. 42. num. 2.*

12 Qui ſuſpenduntur à Iure?
Reſp. Adulteri, aſſaſſini, violatores Eccleſiarum, qui certant in duello, & aliqui habentur in gloſſ. *clemen. cupientes, de pœnis. Nauar. c. 27. num. 51.*

13 Suſpenſio, poſt legitimam appellationẽ valet ne?
Reſp. Sicut in excommunicatione iudicatur. *vide tit. de excom. Tolet. lib. 1. c. 44. num. 5.*

14 Subſequens appellatio, ſuſpendit effectum ſuſpẽſionis?
Reſp. Non; quoad effectum ſuſpenſiuum, ſed quoad deuolutiuum. *c. paſtoralis. de appel.*

15 Quæ eſt ſuſpenſio temporalis?
Reſp. Illa, quam facit Epiſcopus extraiudicialiter ſuſpendendo aliquem Clericum, pro certo tempore, vel pro ſua voluntate, & pro cauſis ſibi benè viſis.

16 Qualis eſt maior ſuſpenſio?
Reſp. Quæ fertur ſimpliciter, non limitando ab officio, vel beneficio, tunc enim ab omnibus ſuſpenditur. *Sylu. verb. ſuſpenſio. §. 5.*

17 Quot ſunt cauſæ ſuſpenſionis?
Reſp. Quatuor efficiens, materialis, formalis, & finalis: efficiens, eſt miniſter: materialis, eſt peccatum, propter quod ſuſpenditur: formalis, eſt forma ſuſpẽſionis: finalis eſt correptio, vel pœna ſuſpenſionis. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 44.*

18 Suſpenſio in generali, vetat ne ſuſceptionem ſacramentorum, ſicut excommunicatio?
Reſp. Non, niſi quando expreſsè eſt ſuſpenſus, à tali ſuſceptione. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 46.*

19 In quo differunt ſuſpenſio, & excommunicatio?
Reſp. In eo, quod ſuſpenſus ad tempus abſque abſolutione poteſt miniſtrare; excommunicatus verò non. Secundò, ſuſpenſus poteſt percipere ſacramenta, ſi expreſsè iis non ſit priuatus. Tertiò, ſuſpenſus ſolum priuatur exercere actum, ad quem eſt ſuſpenſus; excommunicatus verò omnibus rebus priuatur. *Tolet. ſum. lib. 1. c. 44.*

CAPVT XIII.

De Clericis ſuſpenſis.

1 CLericus presbyter, vel Diaconus notoriè fornicator, eſt ne ſuſpenſus?
Reſp. Affirmatiuè, dum non pœnitet. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 47. num. 4.*

2 Clerici eligentes Epiſcopum illegitimum, vel nõ habentem legitimam ætatem, ſcientiam, vel bonos mores, ſunt ne ſuſpenſi?
Reſp. Affirmatiuè. *Tol. lib. 1. c. 48. num. 8.*

3 Clericus vſurpans bona Eccleſiæ vacantis, vt domus, & prædia, eſt ne ſuſpenſus?
Reſp. Affirmatiuè, & à Iure. *c. quia ſæpè de elect. in 6. & clem. ſtatutum. eod. tit.*

4 Clericus

4 Clericus prouocans, vel acceptans duellum, qui cum effectu deſcendit in arenam, eſt ne ſuſpenſus ipſo Iure?
Reſp. Non: ſed venit ſuſpendendus per ſententiam. *c.1.de cleric.pugnant.in duello.ſed per Trid.ſynod.ſeſ.25. c.19. ipſo facto excommunicantur*.

5 Accipiens ſcienter excommunicatum ad diuina officia, vel ſacramenta ſuſcipienda, quam pœnam incurrit?
Reſp. Suſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ. *c.Epiſcoporũ. de priuileg.in 6.*

6 Suſpenſus ab officio poteſt ne eligere, vel eligi in aliquo beneficio?
Reſp.Nõ,quia eſt incapax. *Tol.in ſum.lib.1.c.45.§.5.*

7 Si ſuſpenſus ſit arctatus, vt ordinetur intra annũ, cadit ne in pœnam poſitam in capitul. licèt. *de elect. in 6.*
Reſp.Non,quia non ſtat per illum ſuſceptio ordinũ.

8 Suſpenſus à beneficio eſt ne ſuſpenſus ab officio?
Reſp. Nõ,neque è contra, ſed poterit celebrare, abſoluere,& curam animarum gerere. *Abb.in c.cum dilect.de conſuet.num.24.*

9 Suſpenſus ab officio poterit ne audire diuina officia?
Reſp. Poterit dummodo ipſe nullum actum ordinis exerceat intra Eccleſiam,vel extra. *Geminian.in cap. 1.de ſent.excom.* §.*ſi quis autem. num.3.*

10 Suſpenſus à paſſiua ſuſceptione ſacramentorum, ſi ſuſcipiat, fit ne irregularis, ſicut qui ſuſpenſus eſt ab actiua, & exerceat?
Reſp. Non,quia ſuſcipere non eſt actus ordinis. *Syl. verb.ſuſpenſio.§.5.*

11 Suſpenſus à collatione ſacramentorum, ſi baptizat, remanet ne irregularis?
℞. Si baptizat ſolẽniter,remanet;ſi verò priuatè,id-eſt eo modo,quo põt ſecularis baptizare tẽpore neceſſitatis, non remanet. *Syluest.verb.ſuſpenſio.§.5.*

12 Suſpenſus ab officio prædicandi,ſi prædicet,eſt ne irregularis?
℞. Non,ſed peccat,& excommunicatur; quia pęna irregularitatis ſolum ponitur in adminiſtratione Sacramentorum. *Calderin.in Clemen.cupientes.de pœnis. & Angel.verb.ſuſpenſio.3.§.88.Nau.verò tenet in ſum. c.27. num.163.* quod ſi prędicet ſolemniter,& ex ſuo officio, ſicut tenentur prædicare Epiſcopi, & Parochi, quod erit irregularis.

13 Si Clericus ſuſpendatur, propter defectum corporalem,ſi talis non remoueatur, & celebret, quam pœnam incurrit?
Reſp. Peccat mortaliter, ſed non efficitur irregularis;quia illa ſuſpenſio, quæ datur propter infirmitatem corporalem,non habet illam pœnam,quam habet ſuſpenſio,quæ datur propter delictum. *Abb.in c. ſi celebrat.num.2.de cler.excom.celer.*

14 Si quis habeat beneficium ſimplex,& ſuſpendatur poterit ne percipere fructus?
Reſp. Poterit. *Tolet.in ſum. lib.1.c.44.num.10.*

15 Suſpenſus à beneficio poteſt ne eligere?
Reſp. Poteſt,& etiam eligi; quia talis actus eſt officij,& non beneficij. *Enriquez, Boerius in c.apoſt.num.5. de except.*

16 Suſpenſus ab officio poterit ne percipere fructus beneficij?
Reſp. Poterit;quia beneficium,non eſt acceſſorium, officio,& ſunt res diſtinctæ. *Calder.in clem.cupientes. de pœnis. & Tol.lib.1.c.45. num.10.*

17 Si quis eſt ſuſpenſus propter delictum, poterit ne percipere fructus ſui beneficij?
Reſp. Poterit, in quantitate neceſſaria ad ſui ſuſtentationem. *Couar.var.reſol.lib.3.c.13.*

18 Si quis ſit ſuſpenſus propter contumaciam, poterit ne percipere fructus ſui beneficij?
Reſp. Non, quia per ſe ipſum ſtat tollere ſuſpenſionem. *Abb.in c.Apoſtolor.de except.num.7.& ibi.Fœlin. num.9. Couar.var.reſol. lib.3.c.13.*

19 Si Parochus parochianos Parochiæ alienæ ſine proprij Parochi licentia matrimonio coniungat,aut benedicat; quam pœnam incurrit?
Reſp. Ipſo Iure tandiù eſt ſuſpenſus, quandiù placuerit Epiſcopo illius Parochiæ,quos coniunxit. *Tri. ſyn.ſeſſ.24.c.1. de reform.*

CAPVT XIV.

De ſuſpẽſione circa ordines.

1 ORdinati in ſacris,extra tempora,vel ſine licentia Superiorum ſuorum doloſè mentientes in ætate, vel patrimonio, ſunt ne ipſo Iure ſuſpenſi?
℞. Affirmatiuè. *Tolet.in ſum.lib.1.cap.48. num.4.*

2 Clericus in ſacris, abſque licentia Superioris vagans per diuerſa loca, quam pœnam incurrit?
Reſp. Eſt ſuſpenſus per ſex menſes.

3 Si verò ſit in minoribus, quam pœnam incurrit?
Reſp. Inhabilitatur ad ſuperiores ſuſcipiendos, & ad beneficia per ſex menſes.

4 Ordinatus ſine patrimonio, vel cum pacto non petendi victum ab Epiſcopo,vel ab eo, qui ei patrimonium donauit, vel à capellania, in qua eſt præſentatus,ad cuius titulum ſe ordinauit; quam pœnã incurrit?
℞. Eſt ſuſpenſus, & à Papa abſolui debet. *Nau.c.27.*

5 Suſpenſus ab aliquo actu ordinis,eſt ne ſuſpenſus ab alijs actibus annexis illi actui?
Reſp. Non,quia ſi quis habens beneficium, ſuſpẽſus fuit ab executione ordinis, quia ordinatus fuit ante vigeſimum quintum annum;non ob id perdidit fructum ſui beneficij. *Tol.in ſum.lib.1.c.45.num.10.*

6 Suſpenſus exercens officium, vel ordinem, à quo eſt ſuſpenſus, quam pœnam incurrit?
Reſp. Peccat mortaliter;& ſi celebrat,fit irregularis, ſi ſuſpenſus fuit ob aliquod delictum. *Tolet. in ſum. lib.1.c.45.num.10.*

7 Qui eſt ſuſpenſus ab ordine ſimpliciter, eſt ne ſuſpenſus ab omnibus ordinibus?
Reſp. Affirmatiuè, & etiam à iuriſdictionibus ſpiritualibus,vt abſoluere. *Abb.in c.cum dilectus.num.20. de cenſur.Syluest.verb.ſuſpenſio.num.5.*

8 Suſpenſus à maiori ordine expreſsè,& ab officio, eſt ne ſuſpenſus à minori?
Reſp. Nõ;ſed poteſt licitè exercere minores ordines, & gaudere beneficijs,cum ſit pœna, quæ extendi nõ debet. *Tol.in ſum.lib.1.cap.45.num.10.*

9 Quare ſuſpenſus a maiori, poteſt exercere minorem,& ſuſpenſus à minori poteſt exercere maiorem cum valeat argumentum à maiori ad minus?

℞. Quia

Reſp. Quia quis poteſt non eſſe ſufficiens, neque habere qualitates neceſſarias ad celebrandam Miſſam, & poteſt eſſe ſufficiens ad canendum Euangelium, & cum ſimus in odioſis, pœna non eſt extendenda. *Hoſtienſ. in c. dilectus filius. de tempor. ordi.*

10 Suſpenſus ab exercitio vnius ordinis, durante ſuſpenſione, poterit ne accipere maiorem ordinem?
Reſp. Non, quia diceretur promotus per ſaltum, *Ab. in c. fin. num. 2, de Apoſt.*

11 Qui donat, vel vendit patrimonium, ad cuius titulum ordinatus eſt, ſine licentia Epiſcopi, eſt ne ſuſpenſus?
Reſp. Non, quia talis pœna non eſt poſita à Concilio, neque extendi debet.

12 Qui Simoniacè ordinatus eſt, quam pœnam incurrit?
Reſp. Ordinatus, & ordinans ſunt ſuſpenſi perpetuo, Extraua. Pauli 2. Quæ incipit, cum deteſtabili. *Abba. & Felyn. in c. per tuas. num. 7. de ſimon.*

CAPVT XV.

De ſuſpenſione circa Epiſcopos.

1 Poteſt Epiſcopus incurrere ſuſpenſionem à Iure vel excommunicationem?
Reſp. Non poteſt, niſi de illo expreſſa fiat mentio; quia hoc eſt priuilegium ſpeciale à Iure. *c. quia periculoſum. de ſent. excom. Tol. in ſum. lib. 1. c. 44. num. 2. & 46. num. 5.*

2 Poteſt Epiſcopus ſuſpendi?
Reſp. Non, ſed priuari ingreſſu Eccleſiæ, niſi de illo fiat expreſſa mentio propter ſummam eius dignitatem. *c. quia periculoſum. de ſent. excom.*

3 Epiſcopus faciens aliquid in damnum, vel præiudicium aliorum ſine priuilegio, vel conſuetudine præſcripta quam pœnam incurrit?
Reſp. Priuatur per ſententiam ingreſſu Eccleſiæ.

4 Epiſcopus priuatus ingreſſu Eccleſiæ, quid poteſt exercere abſque aliqua pœna?
Reſp. Poteſt orare in Eccleſia, exercere iuriſdictionem, & recipere ſacramenta. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 43. num. 7. Sà verb. ſuſpen. num. 7.*

5 Epiſcopus ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi celebret domi, fit ne irregularis?
℞. Nõ, neq; ſi exerceat alia iuriſdictiones, dummodo Eccleſiã non ingrediatur; nec ſi audiat in Eccleſia officia diuina. *Geminian. c. is qui de ſentent. excom.*

9 Epiſcopus, qui eſt ſuſpenſus à Pontificalibus tantum, poteſt exercere iuriſdictionem, conferre beneficia, ſententiare, & excommunicare?
℞. Poteſt, quia ſolum eſt ſuſpenſus ab ijs, quæ ſunt ordinis. *Geminian. in c. 1 num. 3. de offic. ordin. lib. 6.*

7 Epiſcopus, qui admonitus à Synodo è concubinatu non ſe abſtinet, quam pœnam incurrit?
Reſp. Ipſo Iure eſt ſuſpenſus. *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 14. de reform.*

8 Epiſcopus ordinans religioſum, cum voto religionis temporali non perpetuo, abſque, alio titulo, quã pœnam incurrit?
Reſp. Suſpenſionis à Iure. *Nauar. c. 27. num. 158.*

9 Epiſcopus ſuſpenſus à Pontificalibus, ſi exerceat pontificalia eſt ne irregularis?
Reſp. Non, quia talis pœna non eſt impoſita à Iure. *Couar. 4. p. Clem furioſus. Verſ. 2.*

10 Si Epiſcopus ſit ſuſpenſus à collatione maiorum ordinum, poteſt ne conferre minorem?
Reſp. Poteſt, ſed non è contra, propter ſupradictam rationem. *Angel. verb. ſuſpenſio. §. 3.*

11 Epiſcopus ſcienter ordinans alienum ſubditum, ſine licentia ſui Prælati, qua pœna punitur?
Reſp. Suſpenſionis ab exercitio ordinum, per annũ. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 48. num. 2.*

12 In illo anno ſuſpenſionis Epiſcopi, qui debet eius Clerici facere?
Reſp. Poſſunt recipere ordines à viciniori Epiſcopo, ſine licentia ſui proprij ordinarij, poſtquam ſuſpenſio ſui Epiſcopi fuerit manifeſtata, *Tolet. in ſum. lib. 1. cap. 48. num. 2.*

CAPVT XVI.

De ſuſpẽſione circa Iudices.

1 Excommunicans, ſine debita monitione, vel ſolemnitatibus requiſitis, quam pœnam incurrit?
Reſp. Pœnam ſuſpenſionis, ab ingreſſu Eccleſiæ per menſem, *cap. ſecus. de ſent. excom. in 6.*

2 Iudex Eccleſiaſticus, qui non eſt Epiſcopus ſi iniuſtè quouis precio, amore, timore, vel odio agrauat partem aliquam, quam pœnam incurrit?
Reſp. Suſpenſionis per annum ab officio. *c. cum æterni. de ſentent. & re iudic. in 6.*

3 Epiſcopus, vel eius Vicarius viſitans, ſi exigit pecuniam, vel munera, & vltra victum ſuum, & ſuorum, quam pœnam incurrit?
Reſp. Epiſcopus eſt ſuſpenſus ingreſſu Eccleſiæ; Vicarius vero ab officio, & beneficio quoadusque reſtituat duplum. *Sà verb. ſuſpenſio.*

CAPVT XVII.

De ſuſpenſione circa Abbates, & Religioſos.

1 Mendicantes admittentes aliquem ad profeſſionem, ante finitum annum probationis, vel ſine ſolemnitatibus à Iure poſitis, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Suſpenſionis ab officijs, & exercitio ordinum, *c. non ſolum. de reg. in 6.*

2 Religioſus adminiſtrator, vel Procurator, ſi ad lõgum tempus alienat bona religionis, ſine facultate, ac neceſſitate, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Suſpenſionis ab officio, & ordine. *Clemens. 1. de reb. Eccleſ. non alien.*

3 Reli-

3 Religioſus Procurator, qui ad breue tempus, ſine facultate alienat bona ſui monaſterij, quam pęnam incurrit?

Reſp. Non eſt ſuſpenſus, neque excommunicatus, ſed datur illi pęna mitior, arbitrio ſui Superiori. *Molin. in aphoriſm. verb. ſuſpenſio. verſ.* 17.

4 Religioſæ, & Abbatiſſe admittentes fœminas in domibus ſine licentia, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Suſpenſionis ab officijs. *Sà verb. ſuſpenſio numero* 17.

5 Exempti admittentes excommunicatum ſciēter, ad diuina officia, quam penam incurrunt?

Reſp. Suſpenſionis ab officijs, & ingreſſu Eccleſiæ, *Sà verb. ſuſpenſio. nu.* 18.

6 Capitula Cathedralium, Regularium, & Collegiatarium, quæ tempore vacationis Eccleſiæ, bona Eccleſiæ, ſeù Prælati futuri vſurpant, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Suſpenſionis ab officio, ſeù beneficio, vſq; ad realem reſtitutionē, *c. quia ſæpè de elect. in 6. & Clem. ſtatutum. eod. tit.*

7 Abbates exempti, dantes litteras dimiſſoriales ſubditis ſuis ſæcularibus, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Si nō habeant ſpeciale priuilegium Papæ, ipſo Iure, per annum ſunt ſuſpenſi ab officio, & beneficio. *Trid. ſynod. ſeſſ.* 23. *c.* 10.

8 Conſeruator Sedis Apoſtolicæ, cognoſcens ſcienter cauſas, quæ non ſunt ſuæ commiſſionis, quam pœnam incurrit?

Reſp. Suſpenſionis, per annum ab officio, *c.* 1. *de offic. iudic. de leg. in 6.*

CAPVT XVIII.

De Diſpenſatione Suſpenſionis.

1 AD quem pertinet abſolutio ſupenſionis poſitę ab homine?

Reſp. Ad eum, qui tulit ſententiam, & ad Succeſſorem. & Superiorem. *Enquirez. Boetius in c. Clerici. de cler. exc. celebr. num. 6. Ang. verb. ſuſpenſio. 4. §.* 1.

2 Si ſuſpenſio ſit à Iure, ad quē pertinet abſolutio?

Reſp. Ad conditorem, æqualem, vel Superiorem. *Gl. in cap. cupientes. de elect.*

3 Suſpenſio lata ad tempus, tollitur ne finito tempore, ipſo facto?

Reſp. Tolitur ipſo tempore, etiam abſq; noua iudicis ſententia, vel declaratione. *tenet Tol. in ſum. lib.* 1. *cap.* 46. *num.* 1.

4 Si aliquis ſuſpenſus ab Epiſcopo iudicialiter, vel verbaliter obtineat diſpenſatione a Papa, poterit ne illa vti, pro ſua voluntate?

Reſp. Non poterit illa vti contra voluntatem Epiſcopi proprij; imò coram Epiſcopo debet illam neceſſario præſentare, & petere ab eo licentiam; ratio eſt quia ſi nullus in Diœceſi Epiſcopi, poteſt celebrare, ſine eius licentia, quanto magis, qui ſemel fuit cōdemnatus, qui ſemper remanet aliquantulum ſuſpectus. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 14. *c.* 1.

5 Si Epiſcopus ſuſpendat aliquem verbaliter, tantū dicendo illi, ne celebres, iſte talis a quo debet diſpenſari?

Reſp. Ipſe Epiſcopus poterit etiam ſolo verbo tollere iſtam ſuſpenſionem; ratio eſt, quia res per quaſcunqne cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur, & quia iſtę ſuſpenſiones ſemper fiunt ab Epiſcopis pro delictis minimis, & metum, & terrorem. *text. in c. àt ſi clerici de ſententia excommunicationis.*

6 Suſpenſio lata in pœnam à iudice per ſententiam diffinitiuam, poterit ne tolli ab Epiſcopo?

Reſp. Non poteſt; ſed à ſolo Papa, generaliter loquendo, ratio eſt, quia pęnę ſuſpenſionis impoſitæ per ſententiam, ſemper ſunt pro delictis grauiſſimis, ſunt pœnæ impoſitæ, à Iure, & à legibus in quibus ſolus Papa poterit diſpenſare, quia ipſe condidit leges, & ſic ipſe poteſt diſpenſare, tùm legibus tùm in pęnis poſitis à legibus. *tenet Abb. in cap. ſi quorundam de ſolutionibus, & Ang. verbo ſuſpenſio num.* 1.

7 In quibus ſuſpenſionibus latis, per ſententiam à iudice, poterit Epiſcopus diſpenſare?

Reſp. Si ſuſpenſio lata ſit ab Epiſcopo ob contumaciam vel propter adulteriū, vel propter crimina minora adulterio, vt propter ſimplicem fornicationē, vel concubinatum, tunc Epiſcopus, vel eius Vicarius poſſunt diſpenſare, poſt emendationem talis clerici; ratio eſt, quia iſta crimina, fragilitatem naturę humanæ indicant, & fere ſemper, non habent partem læſam, & ſi aliquando habent, ratio poſtulat, vt facta ſatiſfactione, & emendatione, diſpenſentur a iudice, qui tulit ſententiam; præcipuè cum leges Canonicæ magis reſpiciant emendationem vitæ, quā afflictionem corporis. *tenet Abb. in c. ſi quorundam de ſolutionibus, & Ang. verbo ſuſpenſio. 4. num.* 1.

8 Depoſitus, vel ſuſpenſus, propter homicidium voluntarium, à quo poteſt diſpenſari poteſt ſententiam?

Reſp. Quoad recuperandum, vel obtinendum beneficium diſpenſatur ab Epiſcopo; at verò quoad exercitum ordinum, vel ad ſuſcipiendos ordines, quos non habet, diſpenſatur à ſolo Papa, ratio eſt recuperare beneficium, pertinet ad alimenta neceſſaria ad vitam, ne clerici ignominioſè mendicent, at verò, ſuſcipere nouos ordines, eſt res altioris naturę, cum ſit miniſterium maximum in Eccleſia, ideò illud, quod minus eſt, diſpēſatur ab Epiſcopo; & hoc quod maius diſpenſatur a Papa. *tenet Abb. in c. ſuper eo de raptoribus. num. 3. ſed ſeruandum eſt Concil. Trid. de quo dicimus lib. 2. c. 24. num.* 17.

CAPVT XIX.

De interdicto.

1 QVid eſt interdictum?

℞. Eſt Eccleſiaſtica cēſura de ſua natura prohibes, ſacramentorū vſum, diuina officia, & ſepulturam Eccleſiaſticam, *Syluest. verb. interdictū. n.* 9.

2 In quo diſcrepat ab excommunicatione?

Reſp. In eo, quòd interdictum non fertur verbo, ſed in ſcriptis cū cauſa expreſſa, & debet præcedere proceſſus, & ſępius ponitur ob timorem, & contumaciā

iudicum

iudicum ſæcularium; ſed aduerte, quòd præcedens appellatio effectum interdicti ſuſpendit ſicut in excommunicatione. *c. petenti. de ſent. excom. in 6.*

3 In quo conuenit cum excommunicatione?
Reſp. In eo, quod fertur in ſcriptis, cum cauſa expreſſa, & præcedens appellatio ſuſpendit affectum, ſed non ſubſequens appellatio, ſicut in excommunicatione. *c. petenti. de ſent. excom. in 6.*

4 In interdicto debet ne præcedere admonitio?
Reſp. Debet quando fertur in pœnam: quando verò fertur ob contumaciam, & inobedientiam, ipſa contumacia eſt vera admonitio. *Sot. in 4. diſtinct. 22. quaſtio. 3. artic. 5.*

5 Quotuplex eſt interdictum?
Reſp. Triplex: locale, perſonale, & mixtum. *cap. alma mater. de ſent. excom.*

6 Quod eſt interdictum locale?
Reſp. Cum locus ſolum interdicitur, vt nemo in illo ſepeliatur, neque officia diuina dicantur. *Syl. verb. interdictum. 1. num. 6.*

7 Quod eſt perſonale?
℞. Cum perſona interdicitur, vt non ſepeliatur, nec audiat diuina officia. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 51. num. 3.*

8 Quod eſt mixtum?
Reſp. Quod componitur ex vtroque; ideſt interdicitur locus, & perſona. *Tolet. vbi ſup.*

9 Rurſus interdictum quotuplex eſt?
℞. Generale, particulare, & mixtum. *ſum. Armil. 3. part. cap. 2. num. 26. c. cum in partibus. de verbor. ſignificatione.*

10 Quod eſt interdictum generale?
Reſp. Quando interdicitur ciuitas, vel Prouincia. *cap. cum in partibus eod. tit. de verb. ſignific.*

11 Quod eſt particulare?
Reſp. Quando interdicitur vna perſona, vel vna Eccleſia. *ſum. Armil. verb. interdictum. c. 2.*

12 Quod eſt mixtum?
Reſp. Quod componitur ex vtroque, & interdicitur locus, & perſona. *ſum. Armil. vbi ſup.*

13 Interdictum generale loci, concludit ne populũ, & ciues illius loci?
Reſp. Solum locum: ſed non ciues, neque populum. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 51. num. 3.*

14 Interdicto Clero interdicitur ne Eccleſia, vel locus?
Reſp. Negatiuè. *c. ſi ſententia. de ſent. excom. in 6.*

15 Interdicto Clero interdicuntur ne religioſi?
Reſp. Affirmatiuè, quia religioſi, & moniales debẽt ſeruare, quod ſeruat Cathedralis Eccleſia. *c. ſi ſententia. eod. tit. de ſententia excommunicationis in 6. Sà verb. interdictum. num. 13.*

16 Interdicto populo, comprehenduntur ne Clerici?
℞. Negatiuè, quia ſunt diuerſi generis, & altioris dignitatis, & præeminentiæ. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 51. n. 6.*

17 Interdicta ciuitate, interdicuntur ne ſuburbani illius ciuitatis?
Reſp. Hoc eſt ad arbitrium iudicis, cum ſuburbani ſint extra mœnia ciuitatis, & ſic à iudice declarari debet. *Nauar. c. 27. num. 167.*

18 Interdicta Eccleſia, interdicuntur ne & cœmeteria illius Eccleſiæ?
Reſp. Affirmatiuè: quia Eccleſia, & cœmeteria eadẽ immunitate gaudent. *c. ſi ciuitas de ſent. excom. in 6.*

19 A quo fertur ſententia interdicti?
Reſp. A iure per ſtatuta, & leges poſitas à Cõcilijs, & Summis Pontificibus; fertur ab homine, per Iudicem habent poteſtatem. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 51. nu. 6.*

20 Ob quam cauſam fertur interdictum; ob culpam propriam, ſeu ob alienam?
℞. Aliquando ob culpam propriam; aliquando ob alienam, vt cum propter culpam Prætoris interdicitur populus, ad maiorem terrorem. *Nau. c. 27. n. 168.*

21 Cum fertur ob culpam alienam; qui non habet culpam, poterit ne celebrare, & ſepelire, & ſepeliri?
Reſp. Poterit ſecreto, vt non veniat ſcandalum, quia cum ſecreto fiant non defraudatur intentum iudicis Eccleſiaſtici. *c. quod inter. de pænit. & remiſſionib.*

22 In Eccleſia interdicta poteſt ne celebrari, ad renouandum Sacramentum, & ad dandum viaticum?
Reſp. Poteſt, ſed occultè ſine ſolẽnitate duobus diebus hebdomadis, & cum neceſſitas poſtulat. *cap. permittimus de ſententia excom. in 6. & Abb. in c. fin. de cohabit. Cleric. & mulier. num. 5.*

23 Interdicto generali, quæ ſacramenta excipiuntur à Iure, etiam ſi de illis nulla fiat mentio?
℞. Tria; Baptiſmus paruulorum, Pœnitentia morientium, & Confirmatio. *c. reſpõſo noſtro. de ſent. exc.*

24 Interdictum eſt ne ſeruandum ab illo, qui poſuit illud?
Reſp. Si ſit generale eſt, niſi ſecum diſpenſentur. *Sà verb. interdictum. num. 1.*

25 Ceſſat ne interdictum, finito tempore ipſo facto, vel requiritur iudicis declaratio?
Reſp. Ceſſat, ipſo facto, abſque alia declaratione. *Abb. in c. non eſt vobis. de ſponſal.*

26 Quibus temporibus neceſſariò debet auferri interdictum?
Reſp. Tempore Paſchatis, Natiuitatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti cum Octaua, Aſſumptionis, & Cõceptionis B. Mariæ Virginis. *Sà verb. interdictũ. n. 28.*

27 Cũ quis abſoluitur ab interdicto debet ne iurare?
Reſp. Debet. *Syluеſt. verb. interdictum, & Sà. verb. interdictum.*

28 Si his diebus, Iudex non auferat tale interdictum, erit ne obſeruandum à populo?
Reſp. Iudex male faciet, niſi delictum fuerit cum contumacia adeò graui, vt requiratur talis medicina, ſed ſeruandum erit à populo, ad quem non pertinet iudicare officium Iudicis. *Syluеſt. verb. interdictũ.*

29 Sublato interdicto, corpora ſepulta extra Eccleſiam, debent ne humari in Eccleſia?
℞. Debent, & ſolemniter. *Sà verb. interdictum. n. 22.*

30 Celebrans in Eccleſia interdicta, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Si ſcienter faciant, ſunt irregulares. *Sà verb. interdictum.*

31 Epiſcopus interdicto generali põt ne celebrare?
Reſp. Poteſt occultè. *c. quod nullus. de priuileg. & exceſſib. priuilegiat. c. fin. de ſentent. excom. in 6.*

CAPVT XX.

De ceſſatione à Diuinis.

1 QVid eſt ceſſatio à diuinis?
Reſp. Eſt quædam omiſſio, & ablatio diuinorũ officiorum, & executionis ſacrorum. *Tolet. in ſum. lib. 1.*

lib.1.cap.56.de inſtruct. ſacerd.

2 Quotuplex eſt ceſſatio?

Reſp. Duplex: generalis, & ſpecialis, ſicut interdictũ: generalis eſt, quæ comprehendit vnam prouinciam, vel ciuitatem; ſpecialis vero, quæ cõprehendit vnam Eccleſiam. *Tol. in ſum. lib. 1. c. 56. de inſtruct. Sacerdot.*

3 Ceſſatio à diuinis eſt ne cenſura?

Reſp. Nõ eſt: ſed quædam pœna impoſita ab Eccleſia, propter contemptum eorum; qui non timent cẽſuras. *Tol. vbi ſup.*

4 Ceſſatio imponitur ne aliquando à Iure?

Reſp. Negatiuè: ſed ſemper ab homine. *c. refragabilis, c. ſi Canonici. c. quamuis. de offic. Ordin. in 6.*

5 Quis poteſt ponere ceſſationem à diuinis?

Reſp. Epiſcopus, & eius Vicarius, & capitulum ſede vacante, & debet maior pars Canonicorum conuenire, ſicut ad electionem *DD. in c. quamuis de offic. Ordin.*

6 Quando Iudex ponit ceſſationem, quid debet agere?

Reſp. Intra menſem monere Summum Pontificem, de tali ceſſatione, & pars, ad cuius inſtãtiam ponitur, debet intra menſem proficiſci ad Summum Pontificem, alias finito menſe, ceſſatio nulla eſt. *Tolet. vbi ſup. lib. 1. cap. 56. in ſumma.*

7 Si partes cõueniãt, quid debet Epiſcopus facere?

Reſp. Tollere ceſſationem. *Tolet. vbi ſup. c. 56.*

8 Quid debet Iudex conſiderare, antequam ponat ceſſationem?

Reſp. Primò atrocitatem delicti. Secundò qualitatẽ perſonæ, contra quam illa eſt dirigẽda. Tertiò damnum, & expenſas. Quartò vtilitatem, quæ ex ceſſatione poteſt euenire. *Tolet. vbi ſup.*

9 Pro quibus criminibus debet poni ceſſatio?

Reſp. Pro grauibus, veluti cõtumacia contra Eccleſiam, vel eius libertatem, vt ſi à Iudice ſæculari detineatur in carcere Clericus, aut ſi impediatur exhibitio redituum Eccleſiæ, aut ſi extrahatur aliquis ab Eccleſia violenter, & velit ſuſpendere illum, vel quid ſimile. *Tolet. ſuper. c. 56.*

10 Quis debet ſoluere damnũ, & diſtributiones Canonicorum, eleemoſynas, & ſuffragia pro defunctis, quæ tempore ceſſationis amittuntur à Clericis?

Reſp. Si ceſſatio iuſtè fuit poſita, ille, in cuius cõtumacia impoſita fuit; ſi verò iniuſtè, Iudex imponens, *c. ſi Canonici. de offic. Ordin. in 6.*

11 Quis debet iudicare, an iuſta fuerit pœna ceſſationis?

Reſp. Iudex Eccleſiaſticus Superior. *Tolet. c. 56.*

12 Tempore ceſſationis licet ne adminiſtrare pœnitentiam infirmis?

Reſp. Licet & non ſolum infirmis, verum etiam ſanis. *Enriquez lib. 3. de excom. verb. interdictum. c. 53.*

13 Tempore ceſſationis, licet ne adminiſtrare Euchareſtiam?

Reſp. Licet, ſolum infirmis per modum viatici. *Enriq. vbi ſup. c. 52. Caſtr. diſp. 5. dub. 9.*

14 Tempore ceſſationis, licet ne adminiſtrari Extrema vnctio?

Reſp. Negatiuè, neque Sacerdotibus, cum hoc ſacramentum non ſit adeò neceſſarium, vt ſunt alia. *Enriquez vbi ſup. c. 53.*

15 Tẽpore ceſſationis, mortui ſepeliũtur in Eccleſia?

Reſp. Negatiuè. *Tolet. & Henriquez, vbi ſup.*

16 Si quis celebrat tẽpore ceſſationis, fit ne irregularis, ſicut qui violat interdictum?

Reſp. Negatiuè, quia ceſſatio non eſt cenſura. *Innoc. in c. refragabilis. de offic. Ordin. num. 4.*

CAPVT XXI.

De ſacrilegio.

1 QVid eſt ſacrilegium?

Reſp. Crimen Eccleſiaſticum, adeòque Iudex Eccleſiaſticus poteſt de eo imponere pœnam temporalem. *Abb. in c. ad aures. nu. 1. de pænit. fol. 202. 17, 9, & 4. c. quiſque.*

2 Quando committitur ſacrilegium?

Reſp. Quando bona Eccleſiæ occupantur, vel quando Eccleſia ſanguine violatur. *Abb. in c. conqueſtus. de for. comp. num. 2. fol. 104.*

3 Sacrilegium eſt ne crimen pertinens tantum ad forum Eccleſiaſticum?

Reſp. Negatiuè, ſed mixti fori. *c. vt inquiſitioni. §. prohibemus. de hæret. in 6.*

4 Quare ſacrilegium eſt crimen mixtum?

Reſp. Quia de eo, tàm ſæcularis, quam Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt. *c. ſunt quædam. 23. q. 5. c. de Epiſc. & Cleric. l. placet; l. ſi quis in hoc genus. & c. ſi. de pænit. in 6.*

5 Quando cognoſcitur ſacrilegium per Iudicem Eccleſiaſticum?

Reſp. Quando vindicat ſibi iuriſdictionem contra grauantes Eccleſiam, ſeu perſonas Eccleſiaſticas, *arg. c. cum ſit generale. de for. compet.*

6 Delictum commiſſum in Eccleſia à laico, per quẽ debet puniri?

Reſp. Per Iudicem ſæcularem. *Baor. in l. ſicut. ff. de actionibus.*

7 Quando quis committit ſacrilegium mixti fori, à quo Iudice poteſt cognoſci?

℞. Ab vtroque Iudice. *cap. cum ſit generale. de for. compet. & text. cum Gloſ. c. de Benedicto. 32. q. 1.*

8 Si quis violauerit immunitatem Eccleſiæ, & ſanguinis effuſione eam polluerit, per quem Iudicem debent puniri?

Reſp. Per Eccleſiaſticum, *c. cum per eam. de ſent. exc. c. ſi quis domum facit. 17. q. 4. cap. cum ſit generale. de foro comp. c. quiſquis. 17. q. 4. & quod notatur in dicto. c. cum per eam.*

9 Iſte talis à quo debet abſolui?

Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico. *eod. c.*

10 Detinentes bona Eccleſiæ, ſine violentia tamen, contra eius voluntatem, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Sacrilegij. *c. ſi quis. 16. q. 7.*

11 Iſti ſacrilegi, ſunt ne ipſo Iure excommunicati?

Reſp. Negatiuè; ſed excommunicãdi per ſentẽtiam donec ſatisfecerint. *c. ſi. de reſtit. ſpoliat.*

12 Si ſacrilegium committitur in perſonam Eccleſiaſticã, ſacrilegus eſt ne ipſo Iure excõmunicatus?

Reſp. Affirmatiuè. *c. ſi quis ſuadent. 17. q. 4.*

13 Frangens fores Eccleſiæ, quam pœnam incurrit?

Reſp. Sacrilegij, & eſt excommunicandus. *c. cum per eam. de ſent. excom. c. conqueſtum eod. tit.*

14 Accipiens rem Eccleſiaſticam de manu laici, contra voluntatem Eccleſiæ, quam pœnam incurrit?

℞. Sa-

Reſp. Sacrilegij, quia talis titulus non excuſat. *capit. Dubertum. 1.q.7. Abb.in c.dudum.n.7.de decim.f.19*

15 Committens ſubtrahationem redituum Eccleſię, incurrit ne pœnam furti, an ſacrilegij?
Reſp. Sacrilegij. *cap. qui oblationes.13. quæſt.2.*

16 Qui inuadunt res Eccleſiaſticas, bona, & patrinia Clericorum, quam pęnam incurrunt?
Reſp. Sacrilegij. *l. ff.de interdict.c.nuper. de ſent.exc.*

17 Si quis de foro Eccleſiaſtico fit laicus, quam pœnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij. *Abb.in c.reatum.n.3. de iur.patronat.*

18 Prælatus de redditibus Eccleſiæ vſurpans ſibi, vel conſanguineis, ſi modũ excedit, quã pęnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij, ſed non ob hoc non intelligitur non poſſe conferre ſuis ſufficiens ſubſidium de rebus Eccleſiæ; imò potius tenetur ſuis, & amicis, quàm alienis conferre neceſſaria vitæ, quia charitas à ſe ipſo incipit. *cap.non ſatis.86. diſt. & cap.1. de cohabit.Cleric.*

19 Dubitans de poteſtate Summi Pontificis; quam pœnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij: *Hieronymns Fonzalez.gloſ.9. §.2.numero 70.*

CAPVT XXII.

De degradatione.

1 Qvid eſt degradatio?
Reſp. Suſcepti ordinis perpetua depoſitio. *Hoſtienſ.& Innoc.c. qualiter.2 n.5. de accuſat.*

2 Poteſt Eccleſia degradare aliquem, & auferre characterem ordinum?
Reſp. Poteſt auferre vſum ordinum in perpetuum, & hoc eſt Clericũ degradare, ſed nõ characterem, quia character imprimitur indelebiliter in anima. *Tolet.in ſum.lib.1.c.50.n.1.Ab.in c.nõ poteſt de ſent. & re iud.*

3 Quot, ſunt ſpecies degradationis?
Reſp. Duæ. verbalis, & actualis: verbalis eſt illa quæ fit verbo tantum, cuius hæc eſt forma: auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & noſtra, auferimus tibi clericalem habitum, deponimus, & degradamus, & expoliamus te ordine, beneficio, & priuilegio Clericali; quæ verba ab Epiſcopo dicenda ſunt. cap.degradatio.de pœnis in 6. actualis eſt, quando actualiter auferuntur ordines ab ordinato, omnes veſtes, inſignia, honores, & poteſtates, quę prius datæ ſunt illi. *c.degradatio. de pæn.in 6.*

4 Poteſt Sacerdos degradatus conſecrare, & Epiſcopus degradatus ordinare?
Reſp. Poteſt, licèt peccet grauiſſimè. *Archidiac.in c. quod ſit in fi.de pænis in 6. Abb.in cap.non poteſt.de ſent. & re iudic.*

5 Degradatus tenetur ne horas canonicas recitare?
Reſp. Tenetur. *Syluest.verb.degradatio.& probatur ex cap.dolentes.de celebr.Miſſar.*

6 Degradatus actualiter, perdidit ne priuilegium Clericale?
Reſp. Perdidit, & fit ſubditus ſæculari, & qui eũ percutit, non incurrit excommunicationẽ latam contra percuſſores Clericorum. *Syl.verb.degradatio.*

7 Degradatus verbaliter, perdidit ne priuilegium Clericale?
Reſp. Negatiuè, reſpectu fori, & Canonis. *Abb.c.tuæ. de pænis, & c.Ioannes.de cler.coniug.& c.ad abolendam num.10.de Hæretic.& ibi Iann.de Anan. & Archidia. cap.degradatio.de pænis in 6.& Diaz. in crimin.cap.17. in fin.*

8 Clericus hæreticus pertinax, qua pœna punitur?
Reſp. Degradationis verbaliter, vel actualiter, & traditur curiæ ſæculari comburendus. *cap.ad abolendam. de hæretic.*

9 Clericus falſarius litterarum Apoſtolicarum, qua pœna punitur?
Reſp. Degradationis verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendẽdus. *c.ad falſariorum. de crimin.falſo.*

10 Clericus parans calumniã ſuo Epiſcopo, obijciẽs ei falſum, aut inferẽs cõtumeliã, qua pęna punitur?
Reſp. Degradatur verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendendus. *c.ſi quis Sacerdotem. 11.q 1. Tol. lib.1.c.50.num.5.de degradat. c.ad abolendam in gloſ.de hæreticis.*

11 Clericus parricida, & aſſaſſinus, qua pęna punitur?
Reſp. Degradatur verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendendus. *Syluest.verb.degradatio.n.4. Abb.in c.cum non ab homine.de iudicis.*

12 Clericus homicida, qua pęna punitur?
Reſp. Si homicidium ſit ſimplex, graui pœna, ſed nõ degradatur: ſi verò cũ homicidio ſimul ſit incorrigibilis, tunc degradatur, & traditur Curiæ ſæculari. *Anton.tractat.de ſuſpenſ.n.4. Diaz in prax.crimin. de degr. Abb. in c.cum non ab homine.de iudicis.*

13 Clericus inobediens ſuo Epiſcopo, qua pęna punitur?
Reſp. Si ſit in re graui, & ſimul incorrigibilis, poteſt verbaliter degradari. *Syl.verb.degradatio.num.16.*

14 Quæ differentia eſt inter degradationem verbalem, & actualem?
Reſp. Primò actualiter degradatus, perdit priuilegiũ Clericale, ſcilicet non incidit in excommunicationẽ, qui eũ percutit, verbaliter verò non ita *Abb. in c.tuæ diſcretioni. de pænis*. Secundo degradatus actualiter tradendus eſt Curiæ ſæculari, at verò non verbaliter: niſi ſit incorrigibilis. *Boer. in c.ad abolendam. n.21.de hæret.* Tertiò degradatio verbalis fit contra abſentẽ contumacẽ; actualis verò requirit præſentiam *c.nominus.de verb.ſignic.Geminian.c.degradatio.n.3.* Quartò vbicumque in ſententijs fit mentio degradationis ſimpliciter, intelligitur de verbali, non de actuali: *Abb.in c.at ſi Clerici. iudicijs. Falyn. in c.qualitas. 2. in fin.de recuſat.* Quintò degradatum verbaliter poteſt Epiſcopus, qui eum degradauit, reſtituere; actualiter verò ſolus Papa. *Can. ne ideò 2.q.7. ibi Gloſ.verſ. à reſtitutionibus. Abb.c.at ſi Clerici.de iudicijs. §. de adulterijs.num.14.*

15 Quæ ſolemnitates requirũtur ad degradationem faciendam?
Reſp. Citatio, & accuſatio, & ſine his nullus eſt degradandus. *Hoſtienſ in ſumm.de accuſat.§.qui ſit.*

16 Qui poſſunt degradari?
Reſp. Omnes, qui aliquem ordinem receperunt, videlicet Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, & Clerici, qui habent minores Ordines. *Can.ſi Epiſcopus.11.q.3.c.degradatio.de pænis in 6.*

17 Ad degradationem Epiſcopi, quid requiritur?
Reſp. Quod committat crimen, cuius pęna in Iure ſit

degradatio,& quod conueniant duodecim Epiſcopi, & maior pars in ſententia degradationis conſentiat. *Can.ſi Epiſcopus.11.q.3.cap.degradatio.de pœnis in 6.*

18 Quomodo fit degradatio,quando aliquis tradendus eſt Curiæ ſæculari? Reſp. Seruatis Eccleſiæ cæremonijs, præſente Iudice ſæculari. *c.nouimus de verb.ſign.in fi.Abb. in c.cum ab homine, de iudicijs. num.2.*

19 Propter quæ delicta debent, quis degradari? Reſp. Propter delicta in Iure expreſſa, quorum pœna eſt mors naturalis.*c.degradatio.de pœnis in.6.Abb. in c.1.de cleric.pugnat.in duello.*

20 A quo fit degradatio actualis? Reſp. Ab Epiſcopo, cum aliorum interuentu.

21 Ad degradationem Presbyteri, quot Epiſcopi debent interuenire? Reſp. Septem, & in eis debet eſſe eius Ordinarius *c. fælix.15.q.5.*

22 Ad degradationem Diaconi, vel Subdiaconi, quot Epiſcopi requiruntur? Reſp. Quatuor,& in eis debet eſſe eius Ordinarius *c. fælix.15.q.5.*

23 Ad degradationem Clerici in minoribus, quot Epiſcopi debent conueniri? Reſp. Sufficit proprius Epiſcopus cum ſuo *c. Gloſ.c. degradatio 15.quæſt.3.*

24 Quid mutauit Côc.Tri.in materia degradationis? Reſp. Quod propter penuriam Epiſcoporum, ſufficiant totidem Abbates habentes vſum mitræ, & baculi, & ſi inueniri commodè non poſſint, ſufficient totidem perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ. *Trid.ſyno.ſeſſ.13.c.4.*

25 Quomodo fit degradatio actualis? Reſp. Epiſcopo Pontificalibus induto, præſentibus dictis Epiſcopis, vel dignitatibus in Eccleſia publica, vel capella priuata degradandus aſſiſtit indutus omnibus veſtimentis, à quo paulatim auferuntur per Epiſcopum, cum certis verbis in cœremoniali poſitis; vltimo aufertur planeta, dicendo auferimus tibi veſtem Sacerdotalem,& honore Sacerdotali priuamus; & vltimo raditur ei caput, ita vt nullum coronæ remaneat veſtigium, & digiti, & manus (vbi poſitum fuit Chriſma) raduntur, & indutus veſte ſæculari traditur Curiæ ſæculari, vt morti damnetur, *c.degradatio.de pœnis in 6.& cæremon.Rom.cap.degradatio.*

26 Si Clericus traditur Curiæ ſæculari degradandus, Iudex ſæcularis tenetur ne ſtare proceſſui per Iudicem Eccleſiaſticum facto? Reſp. Negatiuè, cum ſit diſtincta iuriſdictio;& vult, poteſt facere alium proceſſum, vel ratificare factũ, ſolùm in caſu hæreſis Iudices ſeculares debẽt acquieſcere proceſſis factis ab Inquiſitoribus, eumque ſententiare iuxta modum,ac ſtatum, in quo Inquiſitores illum poſuerunt, & non detinere executionem ſententiæ,& hoc in fauorem fidei. *Abba.in c.final. de ſtatu Monachor.num.3.*

27 Suſcipientes ordinem ab Epiſcopo degradato, quam pęnam incurrunt? Reſp. Suſpenſionis. *argum. text.in c.1. de Ordinat.ab Epiſc.qui renuntia.Epiſc.*

CAPVT XXIII.

De irregularitate.

1 QVid eſt irregularitas? Reſp. Eſt impedimentum Canonicum ordinis ſuſcipiendi, aut in ſuſceptis miniſtrandi, à ſolo iure prouenniens: *Sà verb. irregularitas. num.1.*

2 Vnde prouenit irregularitas? Reſp. A vitijs animæ,ſeu corporis,vel ex aliquo delicto. *Vgol.de offic.& poteſt. Epiſc.fol.151.*

3 Irregularitas eſt ne cenſura? Reſp. Negatiuè; ſed pœna,& aliquando quoddã impedimentum poſitum ab Eccleſia ſine culpa patientis. *Molin.in Aphoriſm.verb.irregularitas. num.1.*

4 Quot ſunt ſpecies irregularitatis? Reſp. In generali duæ nempè, quæ prouenit ex defectu corporis,alia ex delicto:in ſpeciali ſunt octo;natalium,originis debitæ ætatis,honeſtæ famæ, corporis,animæ,vt in Dæmoniaco,ex defectu ſacramenti. *Molin. vbi ſup.*

5 Quãdo irregularitas prouenit eſt defectu corporis,ſublato tali defectu tollitur ne talis irregularitas? Reſp. Affirmatiuè: ſi verò ex delicto, ſemper manet donec diſpenſetur. *Tol.lib.1.c.57.num.6.*

6 Quando irregularitas prouenit ex delicto requiritur ne ad eam incurrendam intentio, & culpa, vel non,vt ſi quis occidat hominẽ putans occidere ferã? Reſp. Diſtinguendum: ſi adhibuit ſufficientem diligentiam, non erit irregularis: ſi vero non adhibuit diligentiam,vt ſi occidat in foro, vel in ciuitate, vbi non eſt locus venandi proculdubio irregularis erit, non ratione intentionis, ſed ratione negligentiæ. *Arg.verb.homicidium 2. num.5.*

7 Quæ ætas requiritur, ad incurrendam irregularitatem prouenientem ex delicto? Reſp. Vt ſit doli capax; & communiter ante decem annos,non incurritur. *Sot.diſt.5.q.1. art.9. col.5. Clementina de homicidio voluntario. c. Ioannes de homicidio voluntario.*

8 Quando contrahitur irregularitas vitio corporis? Reſp. Quando deficit aliquod principale membrũ, quod impediat celebrationem, vt ſi careat viſu ſiniſtri oculi,vel ſit nimis deformis,vel ſi ſit illegitimus, vel non habeat legitimam ætatem,vel habeat leprã, vel ſit Dæmoniacus. *Sà verb.irregularitas.*

9 Quæ ſunt membra, quæ non inducunt irregularitatem, quamuis deſint? Reſp. Digitus,ſi non ſit ex tribus primis, quibus accipitur hoſtia,dens, cartilago, auris, mammilla,naſus,teſticuli;ſecus de membro genitali. *Sà verb. irregularitas.num.3.*

10 Quæ eſt irregularitas ex defectu animæ? Reſp. Illiteratus,hæreticus,neophitus Dæmoniacus, bigamus,lunaticus,inſanus,& infidelis. *Tolet.lib.1.c.54.num.1.*

11 Irregularis ſi de facto ſuſcipiat ordinem,remanebit ſuſpenſus? Reſp. Affirmatiuè, ſed Ordo tenet. *Tolet.lib.1.c.57.*

12 Iterari peccatum,per quod incurritur irregularitas, facit nouã irregularitatem, vt ſi ſint viginti occiſiones,

ciſiones debeant eſſe viginti diſpenſationes?

[illegible] fficit, vna diſpenſatio. *Nauar.* [illegible] ò ſint diuerſæ ſpecies irregu- [illegible] exprimi in dicta diſpenſatio- [illegible] us, ratio eſt, quia peccatum [illegible] it nonam ſpeciem irregula- [illegible] irregularitatis, petit nouam [illegible] teſt eſſe maioris, vel minoris [illegible], vel difficilius diſpenſatur à [illegible]

[illegible] ax beneficij Eccleſiaſtici?

[illegible] penſionis datæ in titulum [illegible] beneficium datur, tamquam [illegible] liquo ordine ſeruiat Eccleſię, [illegible] dinis, ex conſequenti erit in- [illegible] endij. tenet *Tol. lib. 1. c. 57.* [illegible] icium, vel penſionem, & in- [illegible] aritatem, priuatur ne ipſo Iu- [illegible]

[illegible] eficijs obtentis; ratio eſt, [illegible] faciat aliquem incapacem [illegible] tinendi; non ideò facit inca- [illegible] tenti, cùm ſint plurimæ irre- [illegible] huntur abſque aliquo pecca- [illegible] res eſt tollere, quod habes, vel [illegible] quod nondum habes. *Tolet. loco alleg.*

15. Quare dicitur, quod per irregularitatem, quis non priuatur beneficijs obtentis, cum hæreticus, & homicida voluntarius, ipſo Iure fiant irregulares, & priuantur beneficijs?

Reſp. Quia in hæretico, & homicida, priuatio beneficiorum, non venit ratione irregularitatis, ſed ratione delicti, & iſtæ ſunt duo pœnæ inter ſe diſtinctę; vna eſt irregularitas, alia eſt priuatio beneficij. tenet *Tolet. vbi ſup.*

16 Confeſſor monens, vt quis confiteatur delictum, ex quo neceſſariò condemnatur ad mortem, fit ne irregularis?

Reſp. Negatiuè, ſicut prædicator, qui monet Iudices, vt faciant iuſtitiam, ratio eſt, quia iſti exercent munus ſuum, & faciunt actum charitatis, cum intentio illorum non ſit occidere hominem, ſed extirpare vitia. tenet *Sà verbo irregularitas, num. 10.*

17 Ex homicidio voluntario, incurritur ne irregularitas?

Reſp. Incurritur, vt latè dixi *lib. 2. c. 26. de homicidio voluntario, vel caſuali. c. 1. de homicidio voluntario in 6.*

18 Ad veram rationem irregularitatis, ſufficit ne ſolum homicidium, & voluntas occidendi?

Reſp. Ad veram rationem irregularitatis, non ſolum requiritur homicidium, ſed voluntas occidendi, vel culpa occiſoris, vt dixi iſto *lib. c. 26. num. 20.*

19 Si Iudex Eccleſiaſticus det licentiam Iudici ſæculari, ad exhumandum corpus, & ex tali exhumatione prouenit mors alicuius, quia delictum probatur, eſt ne irregularis talis Iudex Eccleſiaſticus?

Reſp. Non eſt, quia actus, qui requiritur, ad incurrendum irregularitatem ex defectu lenitatis, debet eſſe proximus, & directus in mortem, vel mutilationem; ſed iſte actus eſt cauſa remota, & ad bonum finem factus. *Sot. de iuſt. & iure lib. 5. q. 1. art. 7. Nau. in manual. c. 22. num. 211.*

20 Tradere Inquiſitoribus hæreticum comburendũ, exhortare milites in bello, non abſoluere Iudicem, non facientem iuſtitiam, eſt ne cauſa irregularitatis?

Reſp. Non eſt, quia irregularitas non inducitur, ex eo, quod quis impleat licitè munus ſuum. *Sà verb. irregularitas. num. 4.*

21 Si quis occidit hominem defendendo ſe defenſione naturali, eſt ne irregularis?

Reſp. Negatiuè; ſed ſolum, qui occidit voluntariè, vel mandat, vel poteſt euitare occiſionem, & negligenter non euitat. *Nau. c. 27. num. 211.*

22 Quot ſunt irregularitates, quæ oriri poſſunt ratione ordinis?

℞. Sex: Prima eſt excommunicatorum exercentium ordines. Secunda eorum, qui ſuſcipiunt duos ordines ſacros, vno die. Tertia eius, qui ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, vel ſuſpenſo. Quarta, qui exercet ordines, quos non habet. Quinta, qui ſcienter aliquem rebaptizat, vel reconfirmat, vel ſcienter aſſiſtit, vt Parochus eorum. Sexta, qui celebrat in loco interdicto. *Sà verb. irregularitas.*

23 Quando dubitatur, an quis ſit irregularis, qui debet hanc cauſam cognoſcere, & iudicare?

Reſp. Epiſcopus, & non Iudex ſæcularis. *Nauar. conſ. 27. num. 193.*

24 Clericus poteſt agere in cauſa criminali pro iniuria ſibi facta, coram Iudice ſæculari, ſi certò ſciat ſequuturam mortem tali homini, abſque labe irregularitatis?

Reſp. Poteſt cum proteſtatione circa pęnam ſanguinis, mortis, vel mutilationis membri, etiam ſi certò ſciat ſequuturam mortem tali homini, & poteſt agere pro iniuria facta Eccleſiæ. *c. Prælatus de homicid. in 6. Bart. in l. lex Cornelia de raptu Virg. notab. 1. Bartolomeus Vgolinus de offic. & poteſtate Epiſcopi.*

25 Si Clericus agens cũ dicta proteſtatione, habeat in animo, quòd homo ille moriatur, vel membrum illi mutiletur, & illud deſideret, remanebit ne irregularis?

Reſp. Sequuta morte, vel mutilatione membri remanebit; quia iam in iſto caſu concurrit voluntas, accuſatio exterior, & proteſtatio mendax. *Ioan. Andr. cap. Prælatus. de homicid. in 6. Nauar. in manual. cap. 7. num. 26.*

26 Quæ ſunt irregularitates, quæ tolluntur per baptiſmum, abſque alia diſpenſatione?

Reſp. Illæ, quæ incurruntur ex peccato, vel homicidio, vel quæ contrahuntur ſine peccato, vt Iudex, & miles; hæc tolluntur per baptiſmum, quia in baptiſmo renaſcitur homo, & fit, vt infans. *Sà verb. irregularitas. num. 9.*

27 Cæteræ irregularitates prouenientes ex defectu corporis, vel ex bigamia, vel ex defectu natalium, vel membri principalis, vel ex nimia deformitate, vel ex lepra, tolluntur ne per baptiſmum?

Reſp. Non tolluntur, ratio differentiæ eſt, quia iſta impedimenta, & deformitates ſunt in corpore, & ſequuntur hominem baptizatum; aliæ verò irregularitates ſupra poſitæ ſunt deformitates animæ, ideò tolluntur aqua baptiſmi. *Cou. in Clem. ſi furioſus. 2. p. §. 3. num. 4.*

28 In irregularitate proueniente ex illegitimitate, quis poteſt diſpenſare?

Reſp. Ad maiores ordines ſolus Papa, ſed ad vnum beneficium ſimplex, & minores Epiſcopus, de Iure antiquo. *Sà verb. irregularitas.*

lib.1.cap.56.de inſtruct. ſacerd.

2 Quotuplex eſt ceſſatio?
Reſp. Duplex: generalis, & ſpecialis, ſicut interdictũ: generalis eſt, quæ comprehendit vnam prouinciam, vel ciuitatem; ſpecialis vero, quæ cõprehendit vnam Eccleſiam. *Tol. in ſum. lib.1.c.56. de inſtruct. Sacerdot.*

3 Ceſſatio à diuinis eſt ne cenſura?
Reſp. Nõ eſt: ſed quædam pœna impoſita ab Eccleſia, propter contemptum eorum; qui non timent cẽſuras. *Tol. vbi ſup.*

4 Ceſſatio imponitur ne aliquando à Iure?
Reſp. Negatiuè: ſed ſemper ab homine. *c. refragabilis, c. ſi Canonici. c. quamuis. de offic. Ordin. in 6.*

5 Quis poteſt ponere ceſſationem à diuinis?
Reſp. Epiſcopus, & eius Vicarius, & capitulum ſede vacante, & debet maior pars Canonicorum conuenire, ſicut ad electionem *DD. in c. quamuis de offic. Ordin.*

6 Quando Iudex ponit ceſſationem, quid debet agere?
Reſp. Intra menſem monere Summum Pontificem, de tali ceſſatione, & pars, ad cuius inſtãtiam ponitur, debet intra menſem proficiſci ad Summum Pontificem, alias finito menſe, ceſſatio nulla eſt. *Tolet. vbi ſup. lib.1. cap.56. in ſumma.*

7 Si partes cõueniãt, quid debet Epiſcopus facere?
Reſp. Tollere ceſſationem. *Tolet. vbi ſup. c.56.*

8 Quid debet Iudex conſiderare, antequam ponat ceſſationem?
Reſp. Primò atrocitatem delicti. Secundò qualitatẽ perſonæ, contra quam illa eſt dirigẽda. Tertiò damnum, & expenſas. Quartò vtilitatem, quæ ex ceſſatione poteſt euenire. *Tolet. vbi ſup.*

9 Pro quibus criminibus debet poni ceſſatio?
Reſp. Pro grauibus, veluti cõtumacia contra Eccleſiam, vel eius libertatem, vt ſi à Iudice ſæculari detineatur in carcere Clericus, aut ſi impediatur exhibitio redituum Eccleſiæ, aut ſi extrahatur aliquis ab Eccleſia violenter, & velit ſuſpendere illum, vel quid ſimile. *Tolet. ſuper. c.56.*

10 Quis debet ſoluere damnũ, & diſtributiones Canonicorum, eleemoſynas, & ſuffragia pro defunctis, quæ tempore ceſſationis amittuntur à Clericis?
Reſp. Si ceſſatio iuſtè fuit poſita, ille, in cuius cõtumacia impoſita fuit; ſi verò iniuſtè, Iudex imponens. *c. ſi Canonici. de offic. Ordin. in 6.*

11 Quis debet iudicare, an iuſta fuerit pœna ceſſationis?
Reſp. Iudex Eccleſiaſticus Superior. *Tolet. c.56.*

12 Tempore ceſſationis licet ne adminiſtrare pœnitentiam infirmis?
Reſp. Licet & non ſolum infirmis, verum etiam ſanis. *Enriquez lib.3. de excom. verb. interdictum. c.53.*

13 Tempore ceſſationis, licet ne adminiſtrare Euchariſtiam?
Reſp. Licet, ſolum infirmis per modum viatici. *Enriq. vbi ſup. c.52. Caſtr. diſp.5. dub.9.*

14 Tempore ceſſationis, licet ne adminiſtrari Extrema vnctio?
Reſp. Negatiuè, neque Sacerdotibus, cum hoc ſacramentum non ſit adeò neceſſarium, vt ſunt alia. *Enriquez vbi ſup. c.53.*

15 Tẽpore ceſſationis, mortui ſepeliũtur in Eccleſia?
Reſp. Negatiuè. *Tolet. & Henriquez, vbi ſup.*

16 Si quis celebrat tẽpore ceſſationis, ſit ne irregularis, ſicut qui violat interdictum?
Reſp. Negatiuè, quia ceſſatio non eſt cenſura. *Innoc. in c. refragabilis. de offic. Ordin. num.4.*

CAPVT XXI.

De ſacrilegio.

1 QVid eſt ſacrilegium?
Reſp. Crimen Eccleſiaſticum, adeòque Iudex Eccleſiaſticus poteſt de eo imponere pœnam temporalem. *Abb. in c. ad aures. nu.1. de pænit. fol.202, 17, 9, & 4. c. quiſque.*

2 Quando committitur ſacrilegium?
Reſp. Quando bona Eccleſiæ occupantur, vel quando Eccleſia ſanguine violatur. *Abb. in c. conqueſtus. de for. comp. num.2. fol.104.*

3 Sacrilegium eſt ne crimen pertinens tantum ad forum Eccleſiaſticum?
Reſp. Negatiuè, ſed mixti fori. *c. vt inquiſitioni. §. prohibemus. de hæret. in 6.*

4 Quare ſacrilegium eſt crimen mixtum?
Reſp. Quia de eo, tàm ſæcularis, quàm Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt. *c. ſunt quædam. 23. q.5. c. de Epiſc. & Cleric. l. placet. l. ſi quis in hoc genus. & c. fi. de pænit. in 6.*

5 Quando cognoſcitur ſacrilegium per Iudicem Eccleſiaſticum?
Reſp. Quando vindicat ſibi iuriſdictionem contra grauantes Eccleſiam, ſeu perſonas Eccleſiaſticas. *arg. c. cum ſit generale. de for. compet.*

6 Delictum commiſſum in Eccleſia à laico, per quẽ debet puniri?
Reſp. Per Iudicem ſæcularem. *Bar. in l. ſicut. ff. de actionibus.*

7 Quando quis committit ſacrilegium mixti fori, à quo Iudice poteſt cognoſci?
℞. Ab vtroque Iudice. *cap. cum ſit generale. de for. compet. & text. cum Gloſ. c. de Benedicto. 32. q.1.*

8 Si quis violauerit immunitatem Eccleſiæ, & ſanguinis effuſione eam polluerit, per quem Iudicem debent puniri?
Reſp. Per Eccleſiaſticum. *c. cum per eam. de ſent. exc. c. ſi quis domum facit. 17. q.4. cap. cum ſit generale. de foro comp. c. quiſquis. 17. q.4. & quod notatur in dicto. c. cum per eam.*

9 Iſte talis à quo debet abſolui?
Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico. *eod. c.*

10 Detinentes bona Eccleſiæ, ſine violentia tamen, contra eius voluntatem, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Sacrilegij. *c. ſi quis. 16. q.7.*

11 Iſti ſacrilegi, ſunt ne ipſo Iure excommunicati?
Reſp. Negatiuè; ſed excommunicãdi per ſentẽtiam donec ſatisfecerint. *c. fi. de reſtit. ſpoliat.*

12 Si ſacrilegium committitur in perſonam Eccleſiaſticã, ſacrilegus eſt ne ipſo Iure excõmunicatus?
Reſp. Affirmatiuè. *c. ſi quis ſuadent. 17. q.4.*

13 Frangens fores Eccleſiæ, quam pœnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij, & eſt excommunicandus. *c. cum per eam. de ſent. excom. c. conqueſtum eod. tit.*

14 Accipiens rem Eccleſiaſticam de manu laici, contra voluntatem Eccleſiæ, quam pœnam incurrit?

℞. Sa-

Reſp. Sacrilegij, quia talis titulus non excuſat. *capit. Dubertum. 1. q. 7. Abb. in c. dudum. n. 7. de decim. ſ. 19.*

15 Committens ſubtrahationem redituum Eccleſię, incurrit ne pœnam furti, an ſacrilegij?
Reſp. Sacrilegij. *cap. qui oblationes. 13. quæſt. 2.*

16 Qui inuadunt res Eccleſiaſticas, bona, & patrinia Clericorum, quam pęnam incurrunt?
Reſp. Sacrilegij. *l. . ff. de interdict. c. nuper. de ſent. exc.*

17 Si quis de foro Eccleſiaſtico fit laicus, quam pœnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij. *Abb. in c. reatum. n. 3. de iur. patronat.*

18 Prælatus de redditibus Eccleſiæ vſurpans ſibi, vel conſanguineis, ſi modū excedit, quā pęnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij, ſed non ob hoc non intelligitur non poſſe conferre ſuis ſufficiens ſubſidium de rebus Eccleſiæ; imò potius tenetur ſuis, & amicis, quàm alienis conferre neceſſaria vitæ, quia charitas à ſe ipſo incipit. *cap. non ſatis. 86. diſt. & cap. 1. de cohabit. Cleric.*

19 Dubitans de poteſtate Summi Pontificis; quam pœnam incurrit?
Reſp. Sacrilegij. *Hieronymus Fonzalez. gloſ. 9. §. 2. numero 70.*

CAPVT XXII.

De degradatione.

1 Quid eſt degradatio?
Reſp. Suſcepti ordinis perpetua depoſitio. *Hoſtienſ. & Innoc. c. qualiter. 2. n. 5. de accuſat.*

2 Poteſt Eccleſia degradare aliquem, & auferre characterem ordinum?
Reſp. Poteſt auferre vſum ordinum in perpetuum, & hoc eſt Clericū degradare, ſed nō characterem, quia character imprimitur indelebiliter in animā. *Tolet. in ſum. lib. 1. c. 50. n. 1. Ab. in c. nō poteſt de ſent. & re iud.*

3 Quot, ſunt ſpecies degradationis?
Reſp. Duæ. verbalis, & actualis: verbalis eſt illa quæ fit verbo tantum, cuius hæc eſt forma: auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & noſtra, auferimus tibi clericalem habitum, deponimus, & degradamus, & expoliamus te ordine, beneficio, & priuilegio Clericali; quæ verba ab Epiſcopo dicenda ſunt. cap. degradatio. de pœnis in 6. actualis eſt, quando actualiter auferuntur ordines ab ordinato, omnes veſtes, inſignia, honores, & poteſtates, quę prius datæ ſunt illi. *c. degradatio. de pæn. in 6.*

4 Poteſt Sacerdos degradatus conſecrare, & Epiſcopus degradatus ordinare?
Reſp. Poteſt, licèt peccet grauiſſimè. *Archidiac. in c. quod ſit in ſi. de pænis in 6. Abb. in cap. non poteſt. de ſent. & re iudic.*

5 Degradatus tenetur ne horas canonicas recitare?
Reſp. Tenetur. *Syluest. verb. degradatio. & probatur ex cap. dolentes. de celebr. Miſſar.*

6 Degradatus actualiter, perdidit ne priuilegium Clericale?
Reſp. Perdidit, & fit ſubditus ſæculari, & qui eū percutit, non incurrit excommunicationē latam contra percuſſores Clericorum. *Syl. verb. degradatio.*

7 Degradatus verbaliter, perdidit ne priuilegium Clericale?
Reſp. Negatiuè, reſpectu fori, & Canonis. *Abb. c. tuæ. de pænis. & c. Ioannes. de cler. coniug. & c. ad abolendam num. 10. de Hæretic. & ibi Ioan. de Anan. & Archidia. cap. degradatio. de pænis in 6. & Diaz. in crimin. cap. 17. in fin.*

8 Clericus hæreticus pertinax, qua pœna punitur?
Reſp. Degradationis verbaliter, vel actualiter, & traditur curiæ ſæculari comburendus. *cap. ad abolendam. de hæretic.*

9 Clericus falſarius litterarum Apoſtolicarum, qua pœna punitur?
Reſp. Degradationis verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendēdus. *c. ad falſariorum. de crimin. falſo.*

10 Clericus parans calumniā ſuo Epiſcopo, obijciēs ei falſum, aut inferēs cōtumeliā, qua pęna punitur?
Reſp. Degradatur verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendendus. *c. ſi quis Sacerdotem. 11. q. 1. Tol. lib. 1. c. 50. num. 5. de degradat. c. ad abolendam in gloſ. de hæreticis.*

11 Clericus parricida, & aſſaſſinus, qua pęna punitur?
Reſp. Degradatur verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendendus. *Sylueſt. verb. degradatio. n. 4. Abb. in c. cum non ab homine. de iudicis.*

12 Clericus homicida, qua pęna punitur?
Reſp. Si homicidium ſit ſimplex, graui pœna, ſed nō degradatur: ſi verò cū homicidio ſimul ſit incorrigibilis, tunc degradatur, & traditur Curiæ ſæculari. *Anton. tractat. de ſuſpenſ. n. 4. Diaz in prax. crimin. de degr. Abb. in c. cum non ab homine. de iudicis.*

13 Clericus inobediens ſuo Epiſcopo, qua pęna punitur?
Reſp. Si ſit in re graui, & ſimul incorrigibilis, poteſt verbaliter degradari. *Syl. verb. degradatio. num. 16.*

14 Quæ differentia eſt inter degradationem verbalem, & actualem?
Reſp. Primò actualiter degradatus, perdit priuilegiū Clericale, ſcilicet non incidit in excommunicationē, qui eū percutit, verbaliter verò non ita *Abb. in c. tuæ diſcretioni. de pænis.* Secundo degradatus actualiter tradendus eſt Curiæ ſæculari, at verò non verbaliter niſi ſit incorrigibilis. *Boer. in c. ad abolendam. n. 21. de hæret.* Tertiò degradatio verbalis fit contra abſentē contumacē; actualis verò requirit præſentiam *c. nominus. de verb. ſignic. Geminian. c. degradatio. n. 3.* Quartò vbicumque in ſententijs fit mentio degradationis ſimpliciter, intelligitur de verbali, non de actuali. *Abb. in c. at ſi Clerici. iudicijs. Felyn. in c. qualiter. in fin. de recuſat.* Quintò degradatum verbaliter poteſt Epiſcopus, qui eum degradauit, reſtituere; actualiter verò ſolus Papa. *Can. ne ideò 2. q. 7. ibi Gloſ. verſ. à reſtitutionibus. Abb. c. at ſi Clerici. de iudicijs. §. de adulterijs. num. 14.*

15 Quæ ſolemnitates requirūtur ad degradationem faciendam?
Reſp. Citatio, & accuſatio, & ſine his nullus eſt degradandus. *Hoſtienſ. in ſumm. de accuſat. §. qui ſit.*

16 Qui poſſunt degradari?
Reſp. Omnes, qui aliquem ordinem receperunt, videlicet Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, & Clerici, qui habent minores Ordines. *Can. ſi Epiſcopus. 11. q. 3. c. degradatio. de pænis in 6.*

17 Ad degradationem Epiſcopi, quid requiritur?
Reſp. Quod committat crimen, cuius pęna in Iure ſit

degradatio,& quod conueniant duodecim Epiſcopi, & maior pars in ſententia degradationis conſentiat. *Can.ſi Epiſcopus.11.q.3.cap.degradatio.de pœnis in 6.*

18 Quomodo fit degradatio,quando aliquis tradendus eſt Curiæ ſæculari?
Reſp. Seruatis Eccleſiæ cæremonijs, præſente Iudice ſæculari. *c.nouimus de verb.ſign.in fi. Abb. in c.cum ab homine. de iudicijs. num.2.*

19 Propter quæ delicta debent, quis degradari?
Reſp. Propter delicta in Iure expreſſa, quorum pœna eſt mors naturalis.*c.degradatio.de pœnis in 6. Abb. in c.1.de cleric.pugnat.in duello.*

20 A quo fit degradatio actualis?
Reſp. Ab Epiſcopo, cum aliorum interuentu.

21 Ad degradationem Presbyteri, quot Epiſcopi debent interuenire?
Reſp. Septem, & in eis debet eſſe eius Ordinarius *c. felix. 15.q.5.*

22 Ad degradationem Diaconi, vel Subdiaconi, quot Epiſcopi requiruntur?
Reſp. Quatuor,& in eis debet eſſe eius Ordinarius *c. felix. 15.q.5.*

23 Ad degradationem Clerici in minoribus, quot Epiſcopi debent conueniri?
Reſp. Sufficit proprius Epiſcopus cum ſuo *c. Gloſ.c. degradatio 15. quæſt.3.*

24 Quid mutauit Côc.Tri.in materia degradationis?
Reſp. Quod propter penuriam Epiſcoporum, ſufficiant totidem Abbates habentes vſum mitræ, & baculi, & ſi inueniri commodè non poſſint, ſufficient totidem perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ. *Trid.ſyno.ſeſſ.13. c.4.*

25 Quomodo fit degradatio actualis?
Reſp. Epiſcopo Pontificalibus induto, præſentibus dictis Epiſcopis, vel dignitatibus in Eccleſia publica, vel capella priuata degradandus aſſiſtit indutus omnibus veſtimentis, à quo paulatim auferuntur per Epiſcopum, cum certis verbis in cœremoniali poſitis; vltimo aufertur planeta, dicendo auferimus tibi veſtem Sacerdotalem,& honore Sacerdotali priuamus; & vltimo raditur ei caput, ita vt nullum coronæ remaneat veſtigium, & digiti, & manus (vbi poſitum fuit Chriſma) raduntur, & indutus veſte ſæculari traditur Curiæ ſæculari, vt morti damnetur, *c.degradatio.de pœnis in 6.& cæremon. Rom.cap.degradatio.*

26 Si Clericus traditur Curiæ ſæculari degradandus, Iudex ſæcularis tenetur ne ſtare proceſſui per Iudicem Eccleſiaſticum facto?
Reſp. Negatiuè, cum ſit diſtincta iuriſdictio;& vult, poteſt facere alium proceſſum, vel ratificare factũ, ſolùm in caſu hæreſis Iudices ſeculare, debẽt acquieſcere proceſſis factis ab Inquiſitoribus, eumque ſententiare iuxta modum,ac ſtatum, in quo Inquiſitores illum poſuerunt, & non detinere executionem ſententiæ,& hoc in fauorem fidei. *Abba.in c.final. de ſtatu Monachor. num.3.*

27 Suſcipientes ordinem ab Epiſcopo degradato, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Suſpenſionis. *argum. text.in c.1. de Ordinat.ab Epiſc.qui renuntia.Epiſc.*

CAPVT XXIII.

De irregularitate.

1 QVid eſt irregularitas?
Reſp. Eſt impedimentum Canonicum ordinis ſuſcipiendi, aut in ſuſceptis miniſtrandi, à ſolo iure proueniens: *Sà verb. irregularitas. num. 1.*

2 Vnde prouenit irregularitas?
Reſp. A vitijs animæ,ſeu corporis,vel ex aliquo delicto. *Vgol.de offic.& poteſt. Epiſc.fol.151.*

3 Irregularitas eſt ne cenſura?
Reſp. Negatiue; ſed pœna,& aliquando quoddã impedimentum poſitum ab Eccleſia ſine culpa patientis, *Molin.in Aphoriſm.verb.irregularitas. num.1.*

4 Quot ſunt ſpecies irregularitatis?
Reſp. In generali duæ nempè, quæ prouenit ex defectu corporis,alia ex delicto: in ſpeciali ſunt octo; natalium,originis debitæ ætatis,honeſtæ famæ, corporis,animæ,vt in Dæmoniaco,ex defectu ſacramenti, *Molin. vbi ſup.*

5 Quãdo irregularitas prouenit eſt defectu corporis,ſublato tali defectu tollitur ne talis irregularitas?
Reſp. Affirmatiuè: ſi verò ex delicto, ſemper manet donec diſpenſetur. *Tol.lib.1.c.57.num.6.*

6 Quando irregularitas prouenit ex delicto requiritur ne ad eam incurrendam intentio, & culpa, vel non,vt ſi quis occidat hominẽ putans occidere ferã?
Reſp. Diſtinguendum: ſi adhibuit ſufficientem diligentiam, non erit irregularis: ſi vero non adhibuit diligentiam,vt ſi occidat in foro, vel in ciuitate, vbi non eſt locus venandi proculdubio irregularis erit, non ratione intentionis, ſed ratione negligentiæ. *Arg.verb.homicidium 2. num.5.*

7 Quæ ætas requiritur, ad incurrendam irregularitatem prouenientem ex delicto?
Reſp. Vt ſit doli capax; & communiter ante decem annos,non incurritur. *Sot.diſt.5.q.1. art.9. col.5. Clementina de homicidio voluntario. c. Ioannes de homicidio voluntario.*

8 Quando contrahitur irregularitas vitio corporis?
Reſp. Quando deficit aliquod principale membrũ, quod impediat celebrationem, vt ſi careat viſu ſiniſtri oculi,vel ſit nimis deformis,vel ſi ſit illegitimus, vel non habeat legitimam ætatem, vel habeat leprã, vel ſit Dæmoniacus. *Sà verb.irregularitas.*

9 Quæ ſunt membra, quæ non inducunt irregularitatem, quamuis deſint?
Reſp. Digitus,ſi non ſit ex tribus primis, quibus accipitur hoſtia,dens, cartilago, auris, mammilla,naſus,teſticuli;ſecus de membro genitali. *Sà verb. irregularitas.num. 3.*

10 Quæ eſt irregularitas ex defectu animæ?
Reſp. Illiteratus,hereticus,neophitus Dæmoniacus, bigamus,lunaticus,inſanus,& infidelis. *Tolet.lib.1.c. 54. num.1.*

11 Irregularis ſi de facto ſuſcipiat ordinem,remanebit ſuſpenſus?
Reſp. Affirmatiuè, ſed Ordo tenet. *Tolet.lib.1.c.57.*

12 Iterari peccatum,per quod incurritur irregularitas, facit nouã irregularitatem, vt ſi ſint viginti occiſiones,

ciſiones, debeant eſſe viginti diſpenſationes?
Reſp. Negatiuè: ſed ſufficit vna diſpenſatio. *Nauar. conſ.27. num.194.* ſi verò ſint diuerſæ ſpecies irregularitatis, debent omnes exprimi in dicta diſpenſatione, alias erit indiſpenſatus, ratio eſt, quia peccatum ſæpè repetitum non facit nouam ſpeciem irregularitatis, ſed noua ſpecies irregularitatis, petit nouam diſpenſationem, quia poteſt eſſe maioris, vel minoris grauitatis, & ſic facilius, vel difficilius diſpenſatur à Summo Pontifice.

13 Irregularis eſt ne capax beneficij Eccleſiaſtici?
Reſp. Negatiuè; neque penſionis datæ in titulum beneficij, ratio eſt, quia beneficium datur, tamquam alimentum, vt quis in aliquo ordine ſeruiat Eccleſię, & ſi quis eſt incapax ordinis, ex conſequenti erit incapax beneficij, ſeu ſtipendij. tenet *Tol. lib.1.c.57.*

14 Si quis habeat beneficium, vel penſionem, & incurrat aliquam irregularitatem, priuatur ne ipſo Iure beneficijs obtentis?
Reſp. Non priuatur beneficijs obtentis; ratio eſt, quia licèt irregularitas faciat aliquem incapacem ordinis, vel beneficij obtinendi; non ideò facit incapacem beneficij iam obtenti, cùm ſint plurimæ irregularitates, quæ contrahuntur abſque aliquo peccato, & culpa; & diuerſa res eſt tollere, quod habes, vel non dare de nouo, quod nondum habes. *Tolet. loco alleg.*

15 Quare dicitur, quod per irregularitatem, quis non priuatur beneficijs obtentis, cum hæreticus, & homicida voluntarius, ipſo Iure fiant irregulares, & priuantur beneficijs?
Reſp. Quia in hæretico, & homicida, priuatio beneficiorum, non venit ratione irregularitatis, ſed ratione delicti, & iſtæ ſunt duo pœnæ inter ſe diſtinctę; vna eſt irregularitas, alia eſt priuatio beneficij. tenet *Tolet. vbi ſup.*

16 Confeſſor monens, vt quis confiteatur delictum, ex quo neceſſariò condemnatur ad mortem, fit ne irregularis?
Reſp. Negatiuè, ſicut prædicator, qui monet Iudices, vt faciant iuſtitiam, ratio eſt, quia iſti exercent munus ſuum, & faciunt actum charitatis, cum intentio illorum non ſit occidere hominem, ſed extirpare vitia. tenet *Sà verbo irregularitas, num.10.*

17 Ex homicidio voluntario, incurritur ne irregularitas?
Reſp. Incurritur, vt latè dixi *lib.2.c.26. de homicidio voluntario, vel caſuali. c.1. de homicidio voluntario in 6.*

18 Ad veram rationem irregularitatis, ſufficit ne ſolum homicidium, & voluntas occidendi?
Reſp. Ad veram rationem irregularitatis, non ſolum requiritur homicidium, ſed voluntas occidendi, vel culpa occiſoris, vt dixi iſto *lib. c.26. num.20.*

19 Si Iudex Eccleſiaſticus det licentiam Iudici ſæculari, ad exhumandum corpus, & ex tali exhumatione prouenit mors alicuius, quia delictum probatur, eſt ne irregularis talis Iudex Eccleſiaſticus?
Reſp. Non eſt, quia actus, qui requiritur, ad incurrendum irregularitatem ex defectu lenitatis, debet eſſe proximus, & directus in mortem, vel mutilationem; ſed iſte actus eſt cauſa remota, & ad bonum finem factus. *Sot. de iuſt. & iure lib.5. q.1. art.7. Nau. in manual. c.22. num.211.*

20 Tradere Inquiſitoribus hæreticum comburendũ, exhortare milites in bello, non abſoluere Iudicem, non facientem iuſtitiam, eſt ne cauſa irregularitatis?
Reſp. Non eſt, quia irregularitas non inducitur, ex eo, quod quis impleat licitè munus ſuum. *Sà verb. irregularitas. num.4.*

21 Si quis occidit hominem defendendo ſe defenſione naturali, eſt ne irregularis?
Reſp. Negatiuè; ſed ſolum, qui occidit voluntariè, vel mandat, vel poteſt euitare occiſionem, & negligenter non euitat. *Nau. c.27. num.211.*

22 Quot ſunt irregularitates, quæ oriri poſſunt ratione ordinis?
℞. Sex. Prima eſt excommunicatorum exercentium ordines. Secunda eorum, qui ſuſcipiunt duos ordines ſacros, vno die. Tertia eius, qui ordinatur ab Epiſcopo excommunicato, vel ſuſpenſo. Quarta, qui exercet ordines, quos non habet. Quinta, qui ſcienter aliquem rebaptizat, vel reconfirmat, vel ſcienter aſſiſtit, vt Parochus eorum. Sexta, qui celebrat in loco interdicto. *Sà verb. irregularitas.*

23 Quando dubitatur, an quis ſit irregularis, qui debet hanc cauſam cognoſcere, & iudicare?
Reſp. Epiſcopus, & non Iudex ſæcularis. *Nauar. conſ. 27. num. 193.*

24 Clericus poteſt agere in cauſa criminali pro iniuria ſibi facta, coram Iudice ſæculari, ſi certò ſciat ſequuturam mortem tali homini, abſque labe irregularitatis?
Reſp. Poteſt cum proteſtatione circa pœnam ſanguinis, mortis, vel mutilationis membri, etiam ſi certò ſciat ſequuturam mortem tali homini, & poteſt agere pro iniuria facta Eccleſiæ. *c. Prælatus de homicid. in 6. Bart. in l. lex Cornelia de raptu Virg. notab. 1. Bartolomeus Vgolinus de offic. & poteſtate Epiſcopi.*

25 Si Clericus agens cũ dicta proteſtatione, habeat in animo, quòd homo ille moriatur, vel membrum illi mutiletur, & illud deſideret, remanebit ne irregularis?
Reſp. Sequuta morte, vel mutilatione membri remanebit; quia iam in iſto caſu concurrit voluntas, accuſatio exterior, & proteſtatio mendax. *Ioan. Andr. cap. Prælatus. de homicid. in 6. Nauar. in manual. cap. 7. num. 26.*

26 Quæ ſunt irregularitates, quæ tolluntur per baptiſmum, abſque alia diſpenſatione?
Reſp. Illæ, quæ incurruntur ex peccato, vel homicidio, vel quæ contrahuntur ſine peccato, vt Iudex, & miles; hæc tolluntur per baptiſmum, quia in baptiſmo renaſcitur homo, & fit, vt infans. *Sà verb. irregularitas, num.9.*

27 Cæteræ irregularitates prouenientes ex defectu corporis, vel ex bigamia, vel ex defectu natalium, vel membri principalis, vel ex nimia deformitate, vel ex lepra, tolluntur ne per baptiſmum?
Reſp. Non tolluntur, ratio differentiæ eſt, quia iſta impedimenta, & deformitates ſunt in corpore, & ſequuntur hominem baptizatum; aliæ verò irregularitates ſupra poſitæ ſunt deformitates animæ, ideò tolluntur aqua baptiſmi. *Cou. in Clem. ſi furioſus. 2. p. §.3. num.4.*

28 In irregularitate proueniente ex illegitimitate, quis poteſt diſpenſare?
Reſp. Ad maiores ordines ſolus Papa, ſed ad vnum beneficium ſimplex, & minores Epiſcopus, de Iure antiquo. *Sà verb. irregularitas.*

CAPVT XXIV.

De diſpenſatione irregularitatis.

1 QVid eſt diſpenſatio?
Reſp. Eſt relaxatio communis iuris facta cum cauſa, & cognitione ab eo, quis ius diſpenſandi habet. *Gloſ. in c. requiſitis, §. niſi rigor, 1. q. 7. Mandoſ. de ſignat. grat. tit. de diſp. Couar. de ſponſ. c. 6. p. 2. n. 9.*

2 Vnde dicitur diſpenſatio?
℞. A verbo penſo, quia antequam fiat ab Epiſcopo, multa conſideranda ſunt. *l. digna vxor. C. de legib.*

3 Quibus ex cauſis, debet fieri diſpenſatio irregularitatis?
℞. Quando vtilitas, vel neceſſitas publica Eccleſiæ, id poſtul. *Tri. ſy. ſeſ. 23. c. 11. de ref. ſeſ. 24. c. 6. ſeſ. 14. c. 7.*

4 Quæ eſt forma diſpenſationis?
Reſp. Ego. N. diſpenſo tecum, in irregularitate cõtracta, ex tali defectu, vt poſſis ſuſcipere ordines, alias tibi prohibitos. *Mandoſ. cap. diſpenſatione, de diſpenſat.*

5 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate ſolum ipſo facto: verbi gratia, ſcit Petrum eſſe illegitimum; & illum ordinat?
Reſp. Negatiuè, quia hæc poteſtas ſolùm eſt Romani Pontificis; cuius voluntas, pro cauſa habetur in his, quæ ſunt Iuris poſitiui; inſtituta de iure natur. gentium, & ciuili, §. *ſed quod Principi placuit.*

6 Quis poteſt diſpenſare, in irregularitate?
℞. Cum variæ ſint irregularitates, vt late diximus, *c. 23. de irregularitate, & c. 26. de homic. volunt.* Papa poteſt diſpenſare in omnibus irregularitatibus, cum ſit ſupremus Dominus, & Epiſcopus poterit diſpenſare in aliquibus irregularitatibus, ſiue à Iure, & à *Conc. Trid. conceſſis Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6.*

7 Capitulum, ſede vacante, poterit diſpenſare in omnibus irregularitatibus, in quibus Epiſcopus poteſt diſpenſare, & præcipuè in facultate tradita Epiſcopo à *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.*
Reſp. Poterit; ratio eſt, quia capitulum ſede vacant. in rebus ſpectantibus ad iuriſdictionem habet plenariam facultatem ſicut Epiſcopus, ne Eccleſia in gubernatione detrimentum patiatur, *tenet Abb. in cap. cum olim de maior. & obed.*

8 Archiepiſcopus poterit diſpenſare, & abſoluere ſubditos Epiſcoporum ſuffraganeorum ſuorum, à quibuſcumque delictis occultis, & ab irregularitate, prouenien e ex dictis delictis?
Reſp. Archiepiſcopus poterit diſpenſare circa Epiſcopos ſuos ſuffraganeos ab irregularitate proueniẽte ex delictis occultis, ſed nõ poterit circa ſubditos, ſiue Eccleſiaſticos, ſiue ſæculares Epiſcoporum ſuffraganeorum; ratio eſt, quia Epiſcopi ſunt ſubditi Archiepiſcopo, ſed ſubditi Epiſcoporum, non ſubijciuntur Archiepiſcopo, & cum *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* de facultatem ſolum Epiſcopis, ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis, ideo non poterit diſpenſare cum ſubditis alienis, ne Ordo gubernationis peruertatur. *tenet Abba. in c. paſtoralis de offic. & poteſt. Archiepiſc.*

9 Epiſcopus poteſt delegare facultatem ſibi traditam à *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6.* diſpenſandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto?
Reſp. Poteſt eam delegare ſuo Vicario, per ſpeciale mandatum, vel cuilibet; ratio eſt, quia iſtæ facultates diſpenſandi, non pertinet ad miniſterium, & ordinẽ, ſed ad iuriſdictionem, quæ exerceri poſſunt à quolibet habente iuriſdictionem delegatam. tenet *Felyn. c. fin. de offic. Iudicis deleg.*

10 Cum quibus perſonis poterit Epiſcopus diſpenſare, in irregularitate, proueniente ex delicto occulto?
Reſp. Poterit diſpenſare, cum omnibus ſubditis ſuis, ſed non cum ſubditis alienis; & ratio eſt, quia diſpenſatio eſt actus exterior iuriſdictionis, & ideo hæc facultas data eſt ſoli paſtori. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6.*

11 Quod eſt delictum occultum?
Reſp. Illud delictum, quod non patet per iudicis ſententiam, neque per confeſſionem factam à reo in iudicio, neque eſt notum, neque manifeſtum pluribus, per euidentiam facti. *Abb. in c. veſtra de cohabitatione Clericorum, & mulier.*

12 Quibus modis, dicitur delictum occultum?
Reſp. Duobus modis. Primo, quando delictũ eſt omnino occultum, quod à nemine ſcitur, Secũdo, quando eſt penè occultum, quod ſcitur à paucis, ſcilicet à quinq; perſonis, & in his delictis poteſt Epiſcopus diſpenſare. tenet *Nauar. in man. c. 27. num. 131.*

13 Si delictum eſt delatum ad forum contentioſum, ſed vel non eſt probatum, vel forſan eſt probatum, falſis teſtibus, poterit ne Epiſcopus cum eo in his caſibus diſpenſare, tamquam in delicto occulto;
Reſp. In iſtis caſibus Epiſcopus poterit circa iſtum hominẽ diſpenſare, & abſoluere, ratio eſt, quia quãdo *Conc. Trid. ſyn. d. c. 6.* dicit, liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum diſpenſare; intelligenda ſunt illa verba (ad forum contentioſum) cum veritate, & effectũ, vnde non ſufficit, quod talia delicta deducta ſint ad forum cotentioſum quomodocumq; ſed quod ſint deducta, & vere probata, neq; enim eſt cõgruum, vt ex ſola obiectione delicti, aut falſa probatione, quis remaneat irregularis, præcipuè cum ſæpè contingat, quod aliquis deductus, ad forum contentioſum à tali delicto liberentur, innocenſq; reperiatur, vt tenet *Iaſ. in l. 1. §. hæc verba. ff. quod quiſq. iuris. & Nau. conſ. 2. de re iud.*

14 Si quis habeat cauſam irregularitatis manifeſtã, nempè excommunicationem, & delictum occultum, puta quia occultè celebret, vel contra, poterit Epiſcopus cum eo diſpenſare?
℞. Poterit, ratio eſt, quia ad hoc, vt delictum dicatur manifeſtum; in quo Epiſcopus, non poſſit diſpenſare, vtrumque requiritur, & quod cauſa, ſcilicet excõmunicatio, & effectu; nempè delictum, ſint manifeſta. tenent *DD. in c. fi. de cohabit. cler. & mulier.*

15 Si ſocius alicuius delicti in iudicio cõdemnatus ſit ad mortem, poterit ne Epiſcopus diſpenſare cum altero ſocio, qui eſt negatiuus, & non eſt condẽnatus?
Reſp. Poterit diſpenſare, ratio eſt, quia res inter alios acta per iudicium alteri facere nequit, & contingit ſæpè, vt in vno, eodemque delicto, vnus ſit negatiuus, & liberetur; & alter confiteatur, ſiuè vere, ſiuè falſæ, & ſuſpendatur. *l. 1. C. res inter alios acta. Nau. de irregul. conſil. 2.*

16 Quod

16 Quod dicitur homicidium voluntarium, in cuius irregularitate, Epiſcopus non poteſt diſpenſare etiã ſi occultum?
Reſp. Quando homicidium, eſt factum cum mera voluntate occidentis, ſiue ſit per inſidias, ſiue per aſſaſſinum, ſiue per ſemetipſum, dummodo ſit in iuſtè factum, & volitum ab occidente, & etiam ſi non ſit volitum, ſed caſuale, dummodo occidens habeat culpam notabilem, veluti quia dabat operam rei illicitę, vel indifferenti, & nullam adhibuit diligentiam, vel ſi dabat operam rei licitæ, non adhibuit ſufficientem diligentiam, in omnibus his caſibus irregularitas, quæ contrahitur ex iſtis homicidijs, non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, cum illi ſit prohibitum per *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.*

17 Si quis dabat operam rei licitæ, & nullam adhibuit diligentiam; ſicut cum quis ſonat campanam, quæ præceps ruens occidit hominem; vel dabat operam rei illicitæ, ſicut venationi, & maximam adhibuit diligentiam, & nihilominus non ex culpa ſua occidit hominem, cum iſtis poterit ne Epiſcopus diſpenſare in irregularitate?
Reſp. Poterit Epiſcopus diſpẽſare, tùm quia contrariorum eadẽ eſt diſciplina, tùm quia ad hoc vt Epiſcopus non poſſit diſpenſare in irregularitate prouenientè ex homicidio voluntario tria requiruntur, voluntas occidentis, vel iniuſtitia, vel culpa, vel negligentia occiſoris; & hæc omnia deficiunt in iſto caſu, ſicut colligitur *verbis Conc.* quando dixit, qui per induſtriam occiderint, & per inſidias perpetrauerit; in caſu propoſito deſunt hæc tria voluntas, iniuſtitia, & culpa; hoc intellige ſi iſta homicidia non ſint deducta in iudicium. *tenet Barthol. Vgol. de offic. & poteſtate Epiſcopi fol. 153. & habetur in c. electus. c. ex literis. c. lator præſentium de homic. voluntar. vel caſuali. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6. & ſeſſ. 4. c. 7.*

18 Cum Iudice, qui per ſententiam, iuſtam, hominẽ damnat, vel cum milite, qui in bello iuſto occidit inimicum fidei, poterit ne Epiſcopus diſpenſare, in irregularitate ab ipſis contracta?
Reſp. Non poteſt; ratio eſt, quia dicta homicidia, non cauſantur ex delicto occulto, ſed ex mera volũtate occidentis, & hoc non eſt conceſſum Epiſcopis, ſed ſolum Summo Pontifici, quia Iudex, & miles, cũ hoc grauamine talia munera ſubeunt. *Trident. ſynod. ſeſſ. 14. cap. 7.*

19 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate prouenienti ex membri mutilatione?
℞. Poterit, quia mutilatio membri, non eſt occiſio, & hoc eſt conceſſum Epiſcopis, *per clemen. de homic. voluntar. vt tenet ibi omnes DD. & per Concilium non eſt illis prohibitum.*

20 Omnes diſpenſationes factę ab Epiſcopo, de delictis occultis, facultate data à *Concil. Trid.* in quo foro habent vim?
Reſp. in foro interiori, & conſcientiæ, quia in foro exteriori cenſetur quaſi non factæ, quia aliàs conciliũ non diceret de delictis occultis, ſed diceret de delictis notorijs. *tenet Nauar. conſ. 11. n. 2. de priuilegijs.*

21 Quæ ſunt irregularitates prouenientes ex homicidijs notorijs, in quibus Epiſcopus poterit diſpẽſare?
℞. Quinque. Primo, ſi aliquis mittat percutere aliquem cum baculo citra mortem, & per accidens inde ſequatur mors. Secundo, ſi quis iubeat occidere Titium, & errore occidatur Sempronius, quia iſtis deficit voluntas occidendi. Tertiò, ſi aliquis defendendo ſe, occidat aliquem, ſine moderamine in culpatæ tutelæ, quia potuit fugere, & noluit. Quartò, cum medico, & chirurgo, qui ex ſua imperitia occidunt infirmum. Quintò cum illo, qui mutilat mẽbrum; iſti omnes ſunt irregulares, ſed poſſunt ab Epiſcopo diſpenſari; *vt tenet Nauar. in manual. & Enriquez de irregularitate c. 19. & de his omnibus irregularitatibus latè diximus iſto libro cap. 26. homicid. volunt. vel cauſali.*

22 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illo, qui promotus per ſaltum celebrauit, vel ſine dimiſſorijs, vel furtiuè ordines ſuſcepit, & celebrauit, vel exercet ordinem, quem non habet, vel excommunicatus celebrauit?
Reſp. Si talia delicta ſint occulta poterit in foro interiori diſpenſari, non verò in foro exteriori; & diſpenſatio in foro exteriori valebit, tam ad ordines ſuſceptos, exercendos, quàm ad nouos ſuſcipiendos. *tenet Bartol. Vgol. de offic. & poteſt. Epiſcopi fol. 151.*

23 Si quis tantum ordine Subdiaconatus inſignitus, cantet Euangelium ſine licentia, poterit ne Epiſcopus cum eo diſpenſare?
Reſ. Poterit ad ordines ſuſceptos, & ad vnum beneficium, vt non mendicet, ſed non ad alios ordines ſuſcipiendos, niſi delictum ſit occultum, vt habetur in *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. & c. 2. de clerico non ordinato miniſtrante.*

24 Si homicidium erit occultum, perpetratum per inſidias, vel per induſtriam, licèt non ſit publicum, neque deductum in iudicium, neque probatum ordine iudicario; à quo poterit diſpenſari in foro interiori iſta irregularitas?
Reſp. Talis homicidia, etiam occultus, dum habuit voluntatem occidendi, & ad id poſuit induſtriam, vel inſidias caret omni ordine, beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuo, & ſit irregularis, & in foro interiori, & exteriori debet à Summo Pontif. diſpenſari, etiam ſi tale homicidium non ſit deductum in iudicium, ſed mere occultum, *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. cap. 7.* ſolum poteſt ab Epiſcopo, vel alio Sacerdote in foro ſacramentali abſolui a tali peccato.

25 Si quis Epiſcopus dicat in ordinatione, vel nullus ſub pœna excommunicationis ſuſcipiat ordines furtiuè; & aliquis poſtquam commiſit hoc delictum, habitum religionis ſuſcipit, à quò poterit diſpenſari?
Reſp. Poſt quam iſte talis, per aliquod tempus in religione laudabiliter perſeuerauerit, poterit Epiſcopus cum eo diſpenſare in fauorem religionis; quæ multos defectus ſupplet, vt habetur in c. 1. de eo qui furtiuè ordines ſuſcepit.

26 Quis dicitur furtiuè ordines ſuſcipere?
Reſp. Ille, qui ſine voluntate, ordinandi, vel ſine dimiſſorijs, vel cum dimiſſorijs falſis, vel ſine examine, vel ſine patrimonio, vel beneficio, vel cum patrimonio falſo, vel ficto, vel mutato nomine, ſe ingerit, in multitudinẽ ordinandorum. *tenet Abb. c. 1. de Cler. non ordinato miniſtrante.*

27 Cum Neophyto, poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate, cum irregularitas ſit ſine delicto, & in Iure velat argumentum à maiore ad minus?
Reſp. Non poteſt Epiſcopus diſpenſare; ratio, eſt, quia in diſpenſationibus diſceditur à Iure, & ſic poteſtas eſt odioſa, & reſtringi debet, cum præſentim in odioſis, non valeat argumentum à maiore ad minus.

tenet

tenet Mandoſius de ſignatura gratiæ. verbo diſpenſatio.

28 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate prouenientе, ex defectu corporis?

Reſp. Non poteſt: ſed ſolus Papa; ratio eſt, quia defectus, & vitium corporis eſt publicum, atq; adeò apparens in altare. *tenet Tol. in ſum. libr. 1. cap. 63. & Sà ver. irregul. ex. vitio corporis.*

29 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo?

Reſp. Epiſcopus poteſt diſpenſare, cum illegitimo ad ordines minores, & vnum beneficium, vt commodè ſuſtentetur, ad ordines maiores debet à Summo Pontifice diſpenſari. *Trid. ſyn. ſeſs. 22. c. 1. & Abb. c. finali de filijs Presbyterorum.*

30 In irregularitate prouenientе, ex defectu requiſitæ ætatis qui poteſt diſpenſare.

Reſp. De Iure antiquo ad minores ordines, & vnum beneficium poterat Epiſcopus diſpenſare, & ad maiores ordines ſolos Papa, vt tenet Sa verbo irregularitas *nu. 5.* Verum hodie minores ordines dandi non ſunt ante ſeptennium completum. *Trident. ſyn. ſeſs. 23. cap. 6.*

31 Poteſt Epiſcopus diſpenſare, cum non ſubditis ſuis in irregularitate, prouenientе ex eo, quòd quis furtiuè ordines ſuſcipiat, etiam ſi apud ipſum ordinatus contraxerit hanc irregularitatem?

Reſp. Non poteſt, ſed hæc diſpenſatio à proprio Epiſcopo expoſtulari debet; ratio eſt quia *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 7.* exſpreſsè dicit, vt Epiſcopus diſpenſet in quoſcumq; ſibi ſubditos, & limitata cauſa, limitatos, producit effectus. *l. in agris. ff. de acquirendo rerum dominio.*

32 Epiſcopus poteſt dare facultatem ſuo confeſſori, vt diſpenſet, cum ipſo Epiſcopo in irregularitate, prouenientе ex delictis occultis?

Reſp. Poterit, quia in hoc caſu, Epiſcopus eſt delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, & ipſe non debet excludi à communi priuilegio. *cap. final. de offic. ordinarij.*

CAPVT XXV.

De Bigamia.

1 QVare Bigamus eſt irregularis, cũ bigamia poſſit eſſe ſine peccato.

Reſp. Propter ſimilitudinem, quia Chriſtum ſumpſit ſibi vnam ſponſam, virginem caſtam, nempè Eccle.

2 Quotuplex eſt bigamia?

Reſp. Triplex: vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria. *Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſc. fol. 155. Tolet. lib. 1. cap. 65. Sot. 4. diſt. 27. q. 3. art. 1. Suarez tomo 1. Auila diſput. 8. Sayr. lib. 6. à c. 3.*

3 Quæ eſt bigamia vera?

Reſp. Quæ contrahitur ex duobus matrimonijs validis, & conſumatis. *Sà verb. bigamia.*

4 Si quis ſit dupliciter bigamus, quia habuit duas vxores, & vna ſimiliter erat vidua, poterit Epiſcopus diſpenſare, cum eo, quoad ordines minores?

Reſp. DD. qui tenent poſſe Epiſcopum diſpenſare, quoad ordines minores, ſimiliter tenet, poſſe in triplici bigamia, quia nullus textus fecit mentionem trigamiæ. *Sanchez. lib. 7. diſp. 86. nu. 24.* cum alijs: licèt diſpenſatus teneatur exprimere in ſuo memoriali bigamiam veram, & interpretatiuam, & ſpecies bigamiæ, quas contraxit, non verò numerum.

5 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in bigamia vera, cũ bigamo ad ordines minores, & ad vnum beneficium ſimplex, vel ad primam tonſuram, ſicut poteſt diſpenſare cum illegitimo?

℞. Non poteſt; & ſi fecerit, manet ſuſpenſus à collatione ordinum, & promotus ab executione, & amittit beneficium, nec fructus facit ſuos: ratio, eſt, quia ſi in Conc. Trid. prohibentur bigami miniſtrare munera ordinum minorum, quos ante bigamiam ſuſceperunt à fortiori, poſt bigamiam prohibentur eos ſuſcipere; & hæc diſpenſatio à Summo Pontifice peti debet. *Sthephan. Quaranta verb. Ordo. Valentia tom. 4. diſp. 7. q. 19. punct. 3. Nauar. in manual, c. 27. nu. 197. c. vnico. de bigam. in 6. licet Sanchez lib. 7. de matrimonium diſp. 86. nu. 10. teneat*, Epiſcopum poſſe diſpenſare, quoad minores ordines, non verò quoad maiores.

6 Quæ eſt bigamia interpretatiua?

Reſp. Quæ contrahitur ex vno matrimonio contracto, cum vidua, vel virgine ab alio corrupta, & poſtea à proprio marito cognitâ, vel ex duobus matrimonijs inualidis conſumauit, vel ex duobus matrimonijs conſumatis, quorum vnum fuit validum, aliud inualidum. *tenet Sà & Syluest. verb. bigamia, Nauar. conſ. 1. de bigam. Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. par. 2. fol. 155. capit. nuper, de bigam, & capit. vnico. in 6. eod. titul.*

7 Poteſt Epiſcopus diſpenſare in bigamia interpretatiua, quod ordines minores ſuſcipiendos, vel quoad maiores ſuſceptos exercendos?

Reſp. Variæ ſunt DD. opiniones. *Ancharanus, Francus. in cap. vnico de bigam. in 6. Abb. in c. 2. eod. tit. Suarez de cenſur. diſp.* 48. tenent, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, cum bigamia interpretatiua, quod vſum minorum ordinum ſuſceptorum, neq; quoad minores de nouo ſuſcipiendos. *Nauar. verò. c. 27. nu. 197. & Coua. var. cap. de irregularitate. par. 1. §. 2. num. 4.* tenent poſſe Epiſcopum diſpẽſare cum bigamo interpretatiuo, ſi maxima ſubſit diſpenſandi cauſa, ad minores ordines ſuſcipiendos, ſed non ad exercendos minores ante bigamiam ſuſceptos, reddentes rationem, quia in *c. 1. de bigamia in 6.* talis bigamus, qui poſt ſuſceptos ordines minores factus fuit bigamus, amiſit priuilegium clericale ipſo Iure, & ideò difficilius cum hoc diſpenſatur. *Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſcopi. par. 2. fol. 155. nu. 1.* tenet Epiſcopum poſſe diſpenſare in minoribus ordinibus ſuſcipiendis, & in maioribus ſuſceptis exercendis in bigamia interpretatiua.

8 Quot ſunt ſpecies bigamiæ ſimilitudinariæ, quæ inducunt irregularitatem?

Reſp. Plures. Prima ducere duas vxores Virgines, ſiue contrahere duo matrimonia, & illa conſumare, ſiue vnum ſit validum, & alterum inualidum, ſiue vtrumq; inualidum. Secunda ducere corruptã ab altero, vel Viduam. Tertia cognoſcere propriam vxorem, poſtquam ſcit eſſe adulterã. Quarta, ſi quis profeſſus, vel in ſacris, vel habens votum ſolemne caſtitatis ducat vxorem, & conſumat matrimonium. *Sà verb. irregularitas ex bigamis. nu. 1.*

9 Quæ eſt bigamia ſimilitudinaria?

Reſp. Quæ

Reſp. Quæ contrahitur ab homine, qui ſolemni voto obligatus, vel profeſſus in aliqua religione matrimonium contraxit, & vxorem cognouit, vel ab eo, qui poſt ſuſceptos ſacros ordines vxorem duxit, & eam cognouit. *Syluestr. verb. bigamia. Bartolomeus Vgolinus de offic. Epiſcopi fol.* 154.

10 In bigamia ſimilitudinaria poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Reſp. Poteſt, tàm quoad ordines maiores, quã quoad minores; ratio eſt, quia iſti tales non contrahunt verùm matrimonium; quia impedimentum ordinis, vel voti ſolemnis eos fecit incapaces; ſed puniuntur pœna bigamiæ, & in his magis punitur intentio, & affectus, quàm effectus, cum de Iure iſti non ſint verè bigami. *cap. nuper. de bigam. ca.* 1. *&* 2. *qui cleric. vel Cou. & Abb. ibi. Vgolin. de offic. & poteſtat. Epiſcop. par.* 2. *fol.* 155.

11 Ad bigamiam veram requiritur ne ſolùm, quòd quis contrahat duo matrimonia, per verba de præſenti, vel neceſſariò requiritur, quòd conſumet dicta duo matrimonia?

Reſp. Neceſſariò requiritur, quòd conſumet duo dicta matrimonia per copulã carnalem, aliàs talis nõ erit verus bigamus, ſi ſolum vnum matrimonium conſumauerit, & relinquat aliud ratum; nam de neceſſitate bigamiæ eſt copula in vtroque matrimonio. *Couar. var. c. de irregularitate, §.* 2. *n.* 4.

12 Homicidium contractum ante baptiſmum facit ne aliquem irregularem, vel indiget diſpenſatione?

Reſp. Negatiuè; quia irregularitas eſt ex lege pontificia, & ad eam non tenetur, qui non eſt baptizatus. *c. ſi quis viduam. diſt.* 50.

13 Si ante baptiſmum quis ducat duas vxores, & eas carnaliter cognoſcat, & poſtea baptizetur, erit ne irregularis, & indigebit diſpenſatione, tanquam bigamus?

Reſp. Non indigebit vlla diſpenſatione ad ſuſcipiẽdos ordines, quia non tenetur lege pontificia, niſi poſt baptiſmum, licèt ſi ante baptiſmum fuerit corpore vitiatus, & velit poſt baptiſmum ordinari, indiget diſpenſatione, quia baptiſmus ſanat, & delet vitia animæ, non defformitatem corporis. *Couarr. var. c. de irregularitate. §.* 2. *nu.* 5.

CAPVT XXVI.

De Homicidio voluntario, vel Caſuali.

1 Homicidium quid eſt, & vnde dicitur?

℞. Dicitur ab occiſione hominis, homicidium, & eſt iniuſta hominis occiſio. *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 15.

2 Homicidium quotuplex eſt?

Reſp. Triplex, Voluntarium, inuoluntarium, & caſuale. *Couar. clem. ſi furioſus par.* 2.

3 Quibus modis occiſio hominis contingere poteſt?

Reſp. Quinq; modis. Primo factu proprio. Secundo, mandato. Tertio, conſilio. Quarto, permiſſione. Quinto, adiuuando occidentem, armis pugione, enſe vel illum aſſociando: *tenet Syluestr. verbo homicidium*; & in omnibus iſtis caſibus quiſq; habet pœnam homicidi. Syluestr. verbo homicida, c. ſicut dignum de homicidio voluntario, vel caſuali.

4 Pœna homicidij, qualis eſt?

Reſp. De Iure ciuili habet pœnam mortis, de Iure verò Canonico, ſi aliquis clericus ſit incorrigibilis, etiam traditur Curiæ ſeculari; ſi verò non ſit incorrigibilis, ſed caſu ſemel aliquem occidat, priuatur officio, beneficio, & detruditur in monaſterium *l. ſi quis l. ſi mulierem, ff. ad legem Iuliam, Corneliam* de ſicarijs, *Trid. ſyn. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *cap. ſicut de homicidio voluntario Clementin. ſi furioſus iſto titul. Iulius Clarus §. homicidium cum omnibus Doctores in d. Clem.*

5 In imponenda pœna in delicto homicidij, quid eſt conſiderandum à Iudicibus?

Reſp. Quantitas, equalitas delicti, ætas, ſcientia, ſexus, conditio delinquentis, locus, tempus, in quo delictum committitur, dignitas perſonarum tùm occiſæ, tùm occidentis, & præcipuè attendendum eſt, an aliquis occiſus fuerit ex induſtria, per aſſaſſinum, vel per inſidias, an, & poſt multam cogitationẽ, quod apud DD. & vulgo dicitur (caſo appoſtato) præterea maximè conſiderandum eſt, quis cæpit pugnare, vel dedit cauſam pugnæ, quia ille, qui non dedit cauſam pugnæ, etiam ſi occidat aggreſſorem, raro, vel numquam debet habere pœnam ordinariam, ſed mitiorem. *c. ſicut dignum c.* 1. *iſto titul. cap. pro humani de homicidio voluntario. in* 6. *Clementino, ſi furioſus iſto titulo.*

6 In voluntario homicidio agentes, conſentientes, adiuuantes, perſuadentes, conſilantes, qua pœna puniuntur, etiam ſi non committant homicidium?

Reſp. Si iſti ſint cauſæ totales occidendi, ita vt ſine ipſo occiſio non fieret, æquali pœna puniuntur cum occiſore, *capitul. ſicut dignum de homicidio voluntario Clementina ſi furioſus eodem titulo, & ibi Couarruuias.*

7 Voluntas interficiendi, quãdo punitur pena mortis, licèt factum non ſequatur?

Reſp. Quotieſcumque fit coniuratio contra Papam, Imperatorem, Reges, Cardinales, Epiſcopos, Principes, Conſiliarios Regis, & contra perſonas iuriſdictionem exercentes; tunc condemnatur pena mortis mandantes, adiuantes, conſiliantes ſcientes, & non manifeſtantes, occultantes, tales homines recipientes in domibus ſuis; ratioq; eſt, quia harum perſonarũ dignitas maximè attendenda eſt; nam ad regimen vniuerſis mundi pertinet, vt qui adminiſtrant iuſtitiã, & gubernant rempublicam, liberi immunes, & tuti ſint ab omni periculo, quia non ſuam, ſed totius rei pub. cauſam agunt *c. ſicut dignum. de homic. volunt. & clemen. ſi furioſus, & Couarr. vbi ſup. cum omnibus Doctores.*

8 Clericus in ſacris, qui altercando propria voluntate occidit aliquem hominem, quam pena punitur?

Reſp. Licèt clericus ſit eggreſſor, & tantum ſemel terficiat hominem, ſi poſtea peniteat, non punitur pena mortis: ſed ſolum priuationi officij, vel beneficij, & incurrit irregularitatem, tam quoad ordines ſuſceptos, quam quoad ſuſcipiendos, abſoluendam à ſolo Summo Pontifice ratio petitur ex magna dignitate clerici, nam non eſt æqui parandus in pena cum

cum laicis, vnde priuatio beneficiorum, pœna irregularitatis, ac detruſio in monaſterium, ſatis ſuperq; habetur pro pœna mortis temporali. *Trident. ſynod. ſeſſione 14. capitulo 7. & clement. ſi furioſus ſupra allegata.*

9 Clericus homicida quando tradendus eſt curiæ ſæculari, vt naturaliter moriatur?

Reſp. In duobus caſibus. Primò, ſi clericus homicida fuerit incorregibilis, qui tunc dicitur quando vnu, duo vel tres occidit homines, & admonitus non reſipiſcit, videtur enim hoc modo in mortem apud ipſum conſuetudinemq; abijſſe occiſionem; & ſic iuſtè morti traditur, vt talis peſtis tollatur à republica. Secundo traditur curiæ ſæculari ille clericus, qui per induſtriam, vel per inſidias, aut proditionem, ſemel occidit vnum hominem. c. 1. de homicidio voluntario, & c. pro humani *eod tit. in 6. & clem ſi furioſus ſupra allegata.*

10 Si quis habens verba contumelioſa, cum alio rixetur, vel ab alio accipiat aliquam iniuriam, deinde abeat, ſiue pacificè, ſiue non, ſed poſtea reuertatur, & occidat hominem, qui cum iniuria affecerat, quod tempus, debet tranſire adhoc, vt iſta occiſio, non dicatur ex induſtria, (& vt dicatur caſo appoſtato?)

Reſp. In hoc certa regula dari non poteſt, quia ſunt variæ DD. opiniones; aliqui dicunt, quod ſi quis, per ſpatium octo horarum, reuertatur, & occidat inimicum, à quo iniuriatus fuerat, non dicetur de induſtria occidere, quia infamia, & furor adhuc, non eſt ſublatus à mente, & ſic iudicatur, ac ſi in precedenti pugna, eum occidiſſet; alij dicunt quod intra ſpatium vigintiquatuor horarum; alij quod intra tres dies; ſed certum omnino eſt, quod ſi infamia, ſit magna, & homo nobilis, & in tempore illo, quo durat iracundia ſi facie ad faciem occidat iniuriantem, non dicetur ex induſtria occidere; verùm ſi in amicitiam rediens promiſit ſe, vel non occiſurum, vel remiſſurum iniuriam, tunc an ſit occiſio ex induſtria, aut non in dubio cadere videtur, quia pro vtraq; parte extant Doctorum opiniones vide Iulium Clarum, §. apoſtatis.

11 Si aliquis clericus aggrediatur à ſuo inimico, vel à latrone, eumq; interficiat non cum moderamine inculpatæ tutelæ, quam pœnam incurrit?

Reſp. Si clericus probabiliter credat, quod aliter ſe nō poteſt liberare, & verè, & realiter non poſſit fugere ad locum tutum, vel ſi vertat terga, timeat ne occidatur, tunc licitè, liberè, & abſque aliqua pœna, & abſq; incurſione irregularitatis poterit occidere inimicum, aut latronem, quia vim vi repellere licet, & quilibet tenetur ſuam vitam conſeruare magis, quam vitam alterius; cum ſit inter bona corporis primum, & ſupremum bonum. *tenet Abbas* c. olim de reſtitutione ſpoliatorum. *Innocent. c. ſi ve*rò de ſententia excommunicationis. *cap. ſi quis non iratus 15. quæſt. 1. cap. 2. iſto titul.* & clementina ſi furioſus.

12 Si aliquis interficiat hominem, volentem interficere ſuum patrem, ſuum filium, vel perſonam ſibi coniunctam, vel ſuum dominum, vel Epiſcopum, ita tamen, vt ſi ipſe non interficiat illam perſonam, ſuus pater, vel ſua vxor, probabiliter interficietur, iſte talis quam pœnam incurrit?

Reſp. De Iure ciuili, & Can. nulla pœnam mortis, & ſi ſit clericus non excommunicatur, ſolum fit irregularis; nam aliquæ irregularitates incurri poſſunt ſine peccato, ſicuti eſt iſta, & ratio eſt quia naturale illud principium, ſcilicet (quod vim vi reppellere licet quamuis intelligendum ſit, rigoroſè quando malum vergeret in propriam perſonam, tamen quia pater, filius, vxor, Dominus, Epiſcopus habentur pro propria perſona; ideò talis occiſor, non incurrit pœnam mortis, quia videtur ſe ipſum defendere. *tenet Innoc in clem. ſi furioſus iſto tit.*

13 Moderamen inculpatæ tutelæ pro quo poteſt quis abſq; pœna irregularitatis, occidere inimicum ſuum, & abſq; pena mortis occidere inimicum, ſui patris i caſibus, ſupra dictis, quomodo largo, vel ſtricto modo ſumendum eſt?

Reſp. Largo modo in fauorem occidentis, ſtricto modo in fauorem occiſi, aut vulnerati illud diligenter aduertendum quod nunquam occiſor debet eſſe aggreſſor; ratio eſt, quia moderamen inculpatæ tutelæ, dependet à futuro, & inopinato euentu; vnde hæc regula obſeruanda eſt, quod quotieſcumque, quis non aggreditur latronem, vel inimicum, ſed tantum ſemper habent animum, ſe defendendi, & non interficiendi, licet illum, furore ſubactus interficiat ſuppoſito quod fugere non potuerit, nullā pœnam incurrit, vt tenent Doctores in locis ſupracit.

14 Quando in aliquo caſu dubitatur, an quis habuerit intentionem occidendi, aut ſe defendendi, vel an potuiſſet fugere nec ne; quæ probatio requiritur?

Reſp. Si agatur ſolum de pena irregularitatis, & deficit probatio alicuius teſtis, qui rem vidit, ſufficit iuramentum occidentis, ratio eſt, quia quotieſcunque quæritur, de animo, & conſcientia alicuius, & non cedit in incommodum alicuius partis, ſtandum eſt illius iuramento; præcipuè, ſi clericus ſit bonæ famæ; at verò ſi ſit ad euitandam penam legalem mortis: tunc requiritur aliqua probatio, vel aliquæ coniecturæ, & præſumptiones, quæ ex facto oriuntur. *tenet gloſſa in cap. ſignificaſti. cap. ſi verò de ſententia excommun. cap. paſtor. eodem titul. & capit. preſentium de teſtibus.*

15 Quando quis poteſt occidere licitè ſuum patrem, ſine aliqua pena?

Reſp. Quando eius pater eſt bannitus à Republica, quia tunc dicitur hoſtis patriæ; vel quando pater, vel frater in bello pugnat contra ſuam patriam; tunc enim filius poterit, abſq; aliquam pœnam ſuum patrē interficere, licèt maneat irregularis, ratio eſt, quia homo plus debet patriæ, quam parentibus: nam cōmunis vtilitas præferēda eſt particulari vtilitati; ſed ſi filius ſit aduocatus, & pater eius habeat litem, cōtra ſuam ciuitatem magis tenetur facere ſuo patri, quàm ſuæ patriæ. *tenet Abb. in c. 1. de conuerſione Infidelium nu. 9.*

16 Quibus in caſibus, poteſt quis ſe exponere euidenti periculo vitæ, vel ſinere ſe occidi abſq; aliquo peccato?

Reſp. In pluribus caſibus. Primo, propria ſalute, poteſt conſentire, vt illi abſcindatur aliquod membrum. Secundo in defenſionem fidei, pro qua omnes Chriſtiani tenemur mori. Tertio, in vtilitatem Reipublicę, vt ſi ciuitas ſit obſeſſa, poteſt quis ſe tradere morti, vel euidenti periculo mortis, vt ciuitas liberetur. Quarto pro ſuo amico, & proximo. Quinto in bello iuſto miles, & Dux tenentur pugnare, & exponere

ponere

ponere ſe in euidenti periculo,& vincere, vel mori, quia ad hunc finem ad officium militare admittuntur. Sextò, ſi quis condemnatus fuit ad mortẽ à iudice, poterit patienter ferre, & ſinere ſe occidere, & in iſto actu meretur veniam peccatorum. *tenet Tolet. in ſum.lib.5.c.6.*

17 Si aliquis clericus inueniat per viam latronem, & poſſit illi relinquere ſua bona,& fugere, & id non faciat, ſed pugnandum occidat latronem, vt defendat ſua bona, qua pęna punitur?

Reſp. Remanet irregularis; ratio eſt, quia potius debet dimittere, & perdere res tẽporales, quàm occidere hominem. *tenet gloſ. in cap. ſuſcipimus de homicidio voluntario.*

18 Quando propriè dicitur homicidium caſuale, & Quotuplex eſt?

Reſp. Quando aliquis dans operam rei licitæ, vel rei illicitæ, abſque vlla intentione,& voluntate ipſius occidit hominem. Hoc autem eſt duplex. Aliud enim incurritur ſine vlla culpa, neque pœna, neque irregularitate occidentis: aliud verò cum culpa, & ratio eſt, quia non fecit ſufficientem diligentiam. *c. continebatur cap. lator præſentium iſto titulo, & cap. recurrat 23.q.2.*

19 Quod eſt homicidium caſuale, quod committitur ſine aliquo peccato, neque irregularitate?

Reſp. Quando aliquis dat operam rei licitæ, vel rei indifferenti, & nulla voluntate, ex parte ſua, neque culpa, neque cauſa præcedenti, neque animo nocendi, ſuccedit homicidium, tunc non incurritur aliqua irregularitas, neque aliqua pęna, vt ſi Monachus pulſet campanam, & eo inſcio ex illo motu, campanarium corruat, & occidat hominem: ſi quis clericus ædificet domum, & domus corruat, & interficiat aliquos: ſi quis curat equum, quem exiſtimat parere freno,& furioſus non pareat, & occidat aliquem; iſti omnes, & alij ſimiles, neque habent pęnam, neque que irregularitatem; ratio eſt quia neque actu, neque cauſa proxima, & ordinata ad homicidium, neque voluntate commiſerunt tale homicidium, & ad irregularitatem non ſufficit ſolum homicidium, niſi adſit voluntas occidendi, vel culpa occiſoris, inſuper eſt etiam neceſſarium, vt ponat diligentiam ſaltem moraliter ſufficientem; vt habetur *c. electus. c. ex litteris. c. lator præſentium de homicidio voluntario, vel caſuali.*

21 Quod eſt homicidium caſuale, quod habet pęnam irregularitatis, etiam ſi committatur contra volũtatem occidentis?

Reſp. Quando quis non dat operam rei licitæ, vt clericus venator, ſi occidat aliquem, vel quando quis fecit actum licitum, & non adhibuit ſufficientem diligentiam, vt officiales, qui mundant tecta, & occidunt aliquem, quia non vociferantur, & non admonent tranſeuntes per viam, iſti omnes, & alij ſimiles incurrunt irregularitatem, quia licet non habeant animum occidendi, habent homicidium cum culpa, quia non fecerunt ſufficientem diligentiã *c. dilectus. c. ex litteris iſto tit. & c. is. qui diſt. 50*

22 Si clericus percutiat mulierem pregnantem, vel aliquis dederit ei aliquid ad potandum, vt abortiri faciat, ſequuto abortu erit ne irregularis?

Reſp. Si fœtum erat animatum in corpore mulieris remanebit irregularis, ſi verò non erat animatum, nõ erit irregularis, licet ſequatur abortum; ratio, eſt, quia ad irregularitatem requiritur, quòd quis occidat hominem rationalem, cum animo occidendi, vel cum culpa data, ad occiſionem, pro quo aduertendum eſt, quòd viri animantur in ventre mulieris poſt quadraginta dies à conceptione, & mulieris poſt octoginta dies, & illud quod habet mulier in ſuis viſceribus, antequam ingrediatur anima rationalis, vocatur Embrion quaſi ſine anima, vel quaſi habentes in potentia animam venturam *c. ſicut iſto tit. c. paſce diſt. 86. c. ſi expoſitus diſt. 87. c. ſi quis occiderit diſt. 55. l. vltima. ff. de infantibus expoſitis. l. necare. ff. de liberis agnoſcendis.*

23 Si aliquis Diaconus enſe nudo ludit, & aliquem occidit abſq; intentione occidendi, remanebit ne irregularis?

Reſp. Affirmatiuè, ratio eſt, quia eſt in culpa,& dat occaſionem morti, dando operam rei illicitæ. *c. continebatur iſto titulo lege nam ludus ff. ad lege. Aquiliam.*

24 Monachus, vel clericus, ſi exerceat officium medici phyſici, vel chirurgici, & pręter eius voluntatem aliquis moriatur, remanent ne irregulares?

Reſp. Affirmatiuè; ratio eſt quia vſurpant officium alienum, non debitum ſuæ dignitati, & ita medici, ſi ſint clerici, debent habere diſpenſationem apoſtolicam *cap. tua nos iſto tit.* ſed hoc intellige, de clerico, qui exercet officium medici, non de clerico, vel monacho, qui viſitando aliquem infirmum dat conſilium de remedio, quod aliquando vel ſciuiſſe, vel ſibi profuiſſe cognoſcit.

25 Si quis clericus iuſſit occidere aliquem per aſſaſſinum, & ante executionem reuocat mandatum; iſte talis quam pœnam incurrit, & à quo poteſt abſolui?

Reſp. Iſte talis per mandatum, quod fecit, remanet excommunicatus, & ab hac excommunicatione poteſt abſolui ab Epiſcopo, cum talis abſolutio à Iure non ſit reſeruata Papæ, ſed non remanebit irregularis, ratio eſt, quia irregularitas non contrahitur per mandatum, neque per deſiderium, ſed per verum factum, cap. prohibemus, de homicidio voluntario, in ſexta.

25 Clerici, vel monachi in bello contra Turcas, & inimicos fidei, poſſunt pugnare, & occidere abſq; metu irregularitatis?

Reſp. Licèt poſſint addortari milites ad pugnam, pugnare tamen ipſo non poſſe, quod ſi occiderint aliquem, incurrunt irregularitates,& ratio eſt, quia nõ exercent ſuum officium, quòd ſi dubitent an occiderint aliquem, in dubio ſunt diſpenſandi; poteſt tamẽ euenire caſus, vt monachus, vel clericus, vel debeat mori, vel occidere inimicum, tunc licitè abſq; metu irregularitatis poterunt pugnare, & occidere, quia vim vi repellere licet, vt ſupra diximus, *c. petitio iſto tit. c. igitur hortatur 28. q. vlt. c. quicumq; 23. q. vlt.*

26 Infamatus quod quis interfecit hominem, & res aliter ſe habeat, erit ne iſte talis irregularis?

Reſp. Negatiuè,& ratio eſt, quia infamia eſt in perſona infamati,& de Iure habet remedium: nẽpè purgationum Canonicam. *Abb. in c. ex literis iſto tit.*

27 Si Presbyter intuitu correctionis percutiat aliquem,& moriatur, erit ne irregularis?

Reſp. Cum diſtinctione, ſi modum in verberando exceſſit, erit irregularis: ſi verò verberat, & modũ non excedit, etiam ſi inde mors ſequatur, vel mutilatio

tio alicuius membri non remanebit irregularis: ratio eſt, quia facit actum licitum correctionis, & nõ habet voluntatem occidendi. *c. presbyterum. c. ad audientiam iſto t i. c. is qui de homicidio Voluntario in 6.*

28 Si puer ludat, & aliquem occidat, remanebit ne regularis?

Reſp. Non remanet irregularis; ratio eſt, quia licitũ eſt pueris ludere, & ipſe non habuit intentionem occidendi, ſed ludendi. *c. Ioannis iſto tit.*

29 Qui licet interficiant hominem, excuſantur irregularitate, & à pœna?

Reſp. Puer minor ſepténio, furioſus, actu furens, dormiens, ebrius, iſti omnes excuſantur ab irregularitate, & à pœna, quia non habent voluntatem occidendi; ſed illi, qui cum illis ludunt, habent culpam, & debent ſe abſtinere, & ſi mors euenerit, illis imputetur & non furioſo. *Clem. ſi furioſus de homic. volunt.*

30 Clericus, quomodo poteſt petere coram iudice laico damnum, ſibi factum à latrone, vel ab alio homine, ſi inde certè mors ſequatur tali homini?

Reſp. Clericus facta prius proteſtatione, quod tali non eueniat mors, neque mutilatio membri, poterit ciuiliter petere ſuum damnum, vel mortem ſuorum coram iudice laico, & quãquam inde ſequatur mors talis hominis, nõ remanet irregularis, ratio eſt, quia clericus tenetur relinquere iram, & iracundiam, ſed non emendam, & correctionem, & damnum, quod paſſus eſt. Secundo, quia daretur occaſio, vt Clerici, & Prælati paterentur in ſuis perſonis, & bonis plurimas iniurias à laicis. Tertio, quia ex eo quod clericus petat ſuum damnum, non ex eo dat cauſam neceſſariam, vt ille occidatur à iudice, quia non eſt auctor talis delicti criminalis, neq; habet talem intentionem. Quarto, ne delicta occultentur. *c. poſtulaſti, & gl. ibi. de hom. vol. & c. prælatis de hom. vol. in 6.*

31 Forma proteſtationis, qualis debet eſſe?

Reſp. Ego N. Clericus, vel monachus facta prius proteſtatione, quam clerici tenẽtur facere, quòd per hanc meam accuſationem non eueniat Petro mors, mutilatio membri, vel effuſio ſanguinis, & hæc repetita in omnibus actis, & ſcriptis ciuiliter, & non criminaliter, peto à dicto Petro latrone bona, quæ mihi furatus eſt, vel damnum, quod mihi fecit interficiendo patrem meum, vel fratrem meum, &c.

32 Si quis non mutilat, neq; abſcinbit membrum alicuius; ſed taliter percutit illum, vt relinquat aliquod membrum inutile ad ſuum officium, ſicut brachium, iſte talis incurrit ne irregularitatem?

Reſp. Nõ incurrit irregularitatem; neq; ille, qui ex percuſſione, vel verberatione relinquit membrum inutile, ad ſuum officium; neque ille, qui mandauit id fieri, ratio eſt, quia ad irregularitatem prouenietem ex abſciſſione mẽbri expreſsè requiritur, quòd mẽbrum principale hominis, ita ſit abſciſſum, & amputatum à corpore hominis, vt non remaneat vnitum corpori, ſicut remanet, cum membrũ eſt inutile; nam cum ſimus in odioſis, pęnę non ſunt extendendæ, ſed reſtringendæ, & omnia iure per totum titulum de homicidio petunt, vt membrum amputetur realiter à corpore; vt expreſsè *tenet gloſ. Sà in c. is qui mandat aliquem verbari de homicidio voluntario in 6.*

33 Si aliquis imputauerit alicui digitum remanebit ne irregularis?

Reſp. Non remanet irregularis: ratio eſt, quia digitus nõ eſt membrum hominis; ſed facit officium mẽbri, & ideò cum non amputetur membrum, non incurritur irregularitas, ac ſi clericus effuderit ſanguinem percutiẽdo aliquem, licèt ſit excommunicatus, non tamen eſt irregularis. *tenet gl. in c. is qui de homicidio voluntario in 6. & argumento. l. non ſunt. ff. de ſtatu hominis.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

LIBER TERTIVS DE INSTRVCTIONE SACERDOTVM, ET MATERIIS NECESSARIIS CONFESSORIBVS.

CAPVT PRIMVM.

De peccatis commiſsis contra decẽ præcepta decalogi.

1 QVot ſunt præcepta decalogi, & ad quid obligant?
Reſp. Decẽ, & omnes Chriſtianos obligant ſub pœna peccati mortalis. *Tol. in ſum. lib. 4. c. 12.*

2 Præcepta decalogi quomodo diuiduntur?
Reſp. In duas tabulas. Prima verſatur circa honorẽ diuinum immediatè, vt ſunt tria prima pręcepta. Secunda circa vtilitatem proximi, vt ſunt ſeptem poſteriora. *S. Tho. 2. 2. q. 122. Sot. de iuſt. & iur. lib. 2. q. 3.*

3 Tranſgreſſio præceptorum eſt ſemper peccatum mortale?
Reſp. Affirmatiuè, niſi aliquando tribus ex cauſis fiat veniale. Primò ex paruitate materiæ, vt in ieiunio. Secundò, ſi fiant ſine deliberatione, vt in homine, qui repentino motu deſiderat mulierem formoſam, ſed in ſe reuerſus non habet conſenſum. Tertiò, ſi frangantur ab amente. *S. Tho. 2. 2. q. 122.*

4 Præcepta decalogi poſſunt adimpleri ab homine, qui ſit in peccato mortali?
Reſp. Poſſunt, & talis ſatisfacit præcepto Eccleſiæ; licet ieiunium factum ſine charitate non erit meritorium. *Sot. lib. 2. de iuſt. & iur. q. 3. & 4.*

PRIMVM PRÆCEPTVM.

5 Quotuplex eſt adoratio?
Reſp. Triplex: latriæ, duliæ, & perduliæ. *D. Thom. 2. 2. quæſt. 84.*

6 Quæ eſt adoratio latriæ, & cui debetur?
Reſp. Eſt quædam reuerentia, & honor, quæ immediatè intuitur Deum. *S. Thom. vbi ſup.*

7 In quo conſiſtit adoratio latriæ?
Reſp. In tribus actibus. Primo in actu intellectus conſiderantis Dei magnitudinem, & bonitatem, eumque Auctorem, & Creatorem omnium abſque dependentia ab alio, & omnes dependere ab ipſo tã quam à prima cauſa fieri, moueri, ſuſtentari. Secundo in actu voluntatis, quo ſubijcimur Deo cognito, vt omnipotenti. Tertio in actu exteriori, quo exterius Deo, vel flexis genibus, aut detecto capite fundimus præces. *S. Tho. 2. 2. q. 84.*

8 Quæ eſt adoratio duliæ, & cui debetur?
Reſp. Eſt quædam reuerentia, quæ propter Deum debetur Angelis, & Sanctis canonizatis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. decreto de inuoc. & reliquijs Sanctorum.*

9 Quæ eſt adoratio perduliæ, & cui debetur?
Reſp. Quædam reuerentia, quę propter Deum Virgini Mariæ debetur præexcellentiori ratione, quàm alijs Sanctis; ſicut ipſa præcellit Sanctos, & Angelos; ſic debetur ei adoratio perduliæ, quę eſt excellẽtior adoratione duliæ. *Trid. vbi ſup.*

10 Quid eſt blaſphemia?
Reſp. Quædam maledictio contra Deum, malo voluntatis affectu; & hoc peccatum eſt contra primum Decalogi præceptum. *Naua. in man. c. 12. n. 81. & inf.*

11 Quid eſt ſuperſtitio, & quod peccatum?
Reſp. Vana, & falſa religio, cum quis non dat honorem Deo debitum, vel cum quis dat honorem debitum ſoli Deo Diabolo, & eſt contra primum præceptum. *Sylu. verb. ſuperſtitio. Nauar. c. 11. num. 23.*

12 Quid eſt votum?
Reſp. Deliberata promiſſio ex voluntatis propoſito, Deo facta, & frangere votum, & apoſtatare eſt peccatum contra primum pręceptum. *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2.*

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

13 Quid eſt iuramentum?
Reſp. Inuocatio diuini nominis in alicuius rei confirmationem; vel facere Deum teſtem alicuius veritatis; & peccatum periurij, vel ſine neceſſitate, eſt contra ſecundum Decalogi præceptum. *Azor. lib. 11. tom. 1. S. Thom. 2. 2. q. 89.*

14 Quæ conditiones requiruntur, vt quis poſſit licitè iurare?
Reſp. Prima, vt ſit veritas. Secunda, vt ſit iuſtitia. Tertia, vt ſit neceſſitas. *Nauar. c. 15. num 4. Azor. q. 5. c. 2. S. Thom. art. 3. Aragon. Sayr. c. 4. Reginal. cap. 2. Leſſius dub. 3. num. 17.*

15 Quod peccatum eſt habere conſuetudinem iurandi ſine neceſſitate, & tribus conditionibus ſupra poſitis?
Reſp. Maximum, & omni cura euitandum, quia ſcriptura dicit, Vir multum iurans replebitur iniquitate, & à domo eius non recedet plaga.

16 Si quis iurat ſine intentione adimplendi quod iurat, peccat ne mortaliter?
Reſp. Affirmatiuè, quia in tali iuramento deficit veritas, præcipuè ſi res ſit grauis, vel in ſe contineat peccatum. *Tolet.lib.4.c.21.*

17 Si quis iurat aliquem occidere, vel rem iniuſtam, tenetur ne adimplere iuramentum?
Reſp. Peccabit mortaliter iurando, & nõ tenebitur adimplere; imò adimplendo committeret aliud peccatum, nempe peccato homicidij. *Azor.q.5.c.20.*

18 Quæ regula debet ſeruari in obſeruatione iuramentorum?
Reſp. Iuramentum ſemper eſt adimplendum, ſi cũ iuſtitia, & ſine Dei offenſione adimpleri poteſt, etiã cum damno, & incommodo iurantis. *Nau.c.15.nu.3. & 4. Tol.lib.4.c.22.*

19 Quotuplex eſt iuramentum?
Reſp. Multiplex: primum eſt aſſertorium, quando quis aliquid præteritum iuramento aſſerit. Secundũ eſt promiſſorium, quando quis iuramento aliquid de futuro promittit. Tertium eſt comminatoriũ, quando quis iurando minatur, vel terret aliquem. Quartũ execratorium, quando quis iurando aliquod delictũ execratur, vt ſunt reconciliati à S. Inquiſitione, qui execrantur delicta ab ipſis commiſſa, & iurant ſe amplius non commiſſuros talia delicta. *Tol. lib.4.c.22.*

TERTIVM PRÆCEPTVM.

20 Quare Chriſtiani obſeruant diem Dominici, & Iudæi diem Sabbati?
Reſp. Quia Iudæi celebrant Sabbatum in memoriã creationis huius mundi, vbi Deus requieuit ſeptimo die ab opere, quod patrarat. Chriſtiani celebrant beneficium redemptionis, regenerationis, & reſurrectionis, quod eſt maius creatione; & fuit beneficium hoc octauo die completum. *Tolet.in ſum. lib.4.c.24. & in c.1.Ioan. Annot.11.* vbi dicit Sabbatum in diem Dominicum mutatum eſſe. *Didac.ſtella in Lucam. Reginal.c.1. Suar.c.1. loco cit.*

21 Quomodo obſeruantur Dominicales, & feſtiui dies ab Eccleſia commendati?
Reſp. Vacando ab operibus ſeruilibus, & audiendo Miſſam. *S.Thom.2.2.q.122. art.4.*

22 Quæ dicuntur opera ſeruilia propriè?
Reſp. Sunt in triplici differentia. Primò ſunt opera animæ, vt ſtudere, ſcribere, & docere. Secundò ſunt corporalia, vt venari, iterfacere, & cantare. Tertiò ſunt opera ſeruilia, vt fabricare, ſerere, & arare, & hæc ſunt expreſsè prohibita. *Sylueſt. verb.Dominica.*

23 Aduocatus, magiſter muſicæ, Doctor grammaticæ, venator, & iterfaciẽs peccant mortaliter, ſi exerceant talia opera ſeruilia die feſtiuo, vel Dominico?
Reſp. Negatiuè, etiam ſi in ſuis officijs lucrentur pecunias, quia ſunt opera animæ primi & ſecũdi generis, quæ non ſunt prohibita, dummodò Miſſa integra audiatur. *Nau.c.3.num.2.& 5.*

24 Quis poteſt inſtituere dies feſtiuos in honorem Sanctorum, & dare licentiam, vt in his diebus fiant opera ſeruilia tertij generis?
Reſp. Summus Pontifex, Concilia legitimè congregata, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus ex legitima cauſa, & poſsũt dare licentiã, vt fiãt opera ſeruilia in diebus feſtiuis. *Tol.in ſum.lib.4.c.24.*

25 Quod peccatum eſt frangere diem feſtiuum, vel audire Miſſam diebus feſtiuis?
Reſp. Mortale contra tertium decalogi preceptum. *S.Thom.2.2.q.122.*

26 In quibus caſibus poteſt quis laborare diebus feſtiuis, abſque peccato mortali?
Reſp. In pluribus. Primò in ſeruitium Dei, vt ſonare campanas, portare crucẽ, mundare Eccleſiam ſcopis, aqua Eccleſiam ſpargere. Secundò in ſeruitium quotidianum, & neceſſarium hominibus, vt curare infirmos, coquere cibos, mundare domos, ſternere lectũ. Tertio, in neceſſitatem corporalem pauperis, vt ſi quis ſit ita pauper, quòd non poſſit præbere cibum ſibi, & ſuæ familiæ, niſi laborando. Quartò propter communem neceſſitatem, vt tempore menſis Auguſti, colligendo panem, & vinum, & fructus terræ, ne pereant. Quintò ad fugiendam maiorem perditionem corporalem, vt tempore belli, obſidionis, magnæ tempeſtatis, incendij, fluuiorum impetus. Sextò ratione pietatis, vt ſepelire mortuos, ſedificare Eccleſias. Septimò, in beneficium publicum reipublicę, vt in publicis ſpectaculis, facere theatra, ſternere plateas, ſi in alijs præcedentibus diebus expediri nõ potuerunt, vt ſæpè contigit, & in his caſibus ſentiunt DD. poſſe homines laborare diebus feſtiuis cum moderamine tamen audita prius Miſſa. tenet *Nau.c.13. num. Sylueſt.verb.Dominica q.4.*

27 Poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt diebus feſtiuis fiant opera ſeruilia poſt auditam Miſſam?
Reſp. Poterit dare hanc licentiam, præcipuè tempore vindemiæ, vel meſſis tritici, vel quando ſeminatur, ne fructus terræ pareant, ex quibus pendet alimentatio, & ſuſtentatio vrbis: poterit præterea dare hanc licentiam ad ædificandas Eccleſias, vel Monaſteria Religioſorum, & etiam ad faciendos muros ciuitatis, fontes, vel pontes communes, quando pecunia communitatis non ſuppetit, tenet *Nau.c.13.num. 6. Reginald.in praxi tom.2. lib.9.c.13.*

28 Miſſa quomodo eſt audienda diebus feſtiuis, vt quis ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ?
Reſp. De hoc dictum eſt *lib.1.c.10. à num.56. vſque ad num.69.*

QVARTVM PRAECEPTVM.

29 Qui vocantur patres, & comprehenduntur ſub quarto præcepto?
Reſp. Primo grado ſunt parentes carnales, qui nos genuerunt. Secundo gradu ſunt patres ſpirituales, vt Epiſcopi, Confeſſores. Tertiò patres temporales, vt Reges, poteſtates ſæculares. Quarto magiſtri, qui nos in bonis diſciplinis edocent, & inſtruunt in virtute, & bonis moribus, tenet *Tolet. lib.5.c.1.*

30 Qualis honor debetur omnibus iſtis parentibus?
Reſp. Amoris, obedientiæ, & reuerentiæ.

31 In quo conſiſtit iſte honor parentum?
Reſp. In reuerentia exteriori eos adiuuando in ſuis neceſſitatibus ſpiritualibus, & corporalibus, videlicet ſuſtentando illos proprijs bonis, ſecundum cuiuſcumque qualitatem, præcipuè ſi ſint infirmi, vel ſi ad paupertatem, vel ſenectutem peruenerint, tenet *Tolet. loco ſup.cit.*

32 Hæc neceſſitas quomodo eſt intelligenda, vt filius teneatur ex ſuis proprijs bonis alere patres ſuos?

Reſp. Largo

Reſp. *Largo modo*, ita vt ſecundum quantitatem, & qualitatem parentum ali debeant. Conſideranda enim eſt qualitas, genus, nobilitas parentum, & facultates filij dantis, ſecundum arbitrium prudentis Confeſſarij, vt quis ex ſua propria mente non erret. *tenet Tol. in ſum. lib. 5. c. 1.*

33 Si quis habeat patrem, & matrem pauperes, & poſſit ſuo labore eos ſuſtentare, vel adiuuare, poterit ne ingredi religionem?

Reſp. Negatiuè, imò ingreſſus tenetur exire ad eos alendos; ratio eſt, quia alere parentes eſt de præcepto, & ingredi religionem de conſilio. *tenet S. Tho. 2. 2. q. 101. art. 4.*

34 Mulier tenetur ne honorare, & obedire viro ſuo, & eum ſequi cum ſua propria perſona ad habitandum cum illo, vbicumque fuerit?

Reſp. Mulier tenetur obedire viro ſuo in licitis, & honeſtis, & eum ſequi quocumque ierit ad habitandum perſonaliter cum illo; exceptis tribus caſibus. Primo, ſi eat cum periculo ſuæ vitæ, vel periculo peccandi mortaliter. Secundò, ſi maritus ſit vagabundus. Tertiò, ſi in capitulis matrimonialibus expreſſè conuentum fuerit, vt habitaret in tali loco, *tenet Nauar. c. 13. num. 19. in manu. Lopez c. 54.*

QVINTVM PRÆCEPTVM.

35 Quid eſt homicidium?

Reſp. Iniuſta hominis occiſio. *S. Tho. 2. 2. q. 62. Nauar. cap. 15.*

36. Quotuplex eſt homicidium?

Reſp. Triplex; voluntarium, inuoluntarium, & caſuale, vt qui volendo occidere feram, occidit hominem, quem non vidit, *Couar. clem. ſi furioſus. par. 2.*

37 Quibus modis quis occidit alium?

Reſp. Quinque modis. Primò facto proprio. Secundò mandato. Tertiò conſilio. Quarto permiſſione, vt qui debuit, & potuit impedire mortem alicuius ſine proprio periculo, & non fecit. Quintò adiuuando, vel comitando occiſorem; omnes hi ſunt occiſores. *Syluest. verb. homicidium.*

38 Quod peccatum eſt homicidium?

Reſp. Mortale contra quintum decalogi præceptũ. *Tol. lib. 5. c. 8.*

39 Quibus in caſibus poteſt, quis ſinere ſe interfici ab alio, vel ſe exponere in periculo vitæ ſine peccato?

Reſp. Primò propter propriæ ſalutis commodum poteſt quis ſe exponere periculo mortis, & ſinere, vt abſcindatur ei aliquod membrum, vt pes, vel brachium etiam cum magno periculo mortis. Secundò in defenſionem fidei tenetur quis mori. Tertiò in vtilitatem totius Reip. vt ſi aliqua ciuitas obſeſſa ab inimicis liberaretur morte alicuius, tenetur ſe tradere morti. Quarto pro ſuo amico, & proximo. Quintò in bello iuſto miles, & Dux tenetur ſe exponere euidentis mortis periculo. Sextò, ſi quis à Iudice eſt condemnatus, vt moriatur, poteſt patienter, & voluntariè aſcẽdere ſcalam & ferre mortem. *Tol lib 5. c. 6.*

40 Qui peccant mortaliter ex homicidio inuoluntario?

Reſp. Primò, ratione ignorãtiæ faciẽtes ex eo quòd non adhibuerunt ſufficientem diligentiam peccant mortaliter. Secundò, qui mundant tecta, & eijciunt lapides, abſq; vlla admonitione. Tertiò qui ſuffocant puerum in lecto dormientes abſq; cura. Quartò, qui ludit enſe nudo cum alio ſine intentione occidendi, & occidit, quia dat operam rei illicitæ, vel non neceſſariæ. Quintò Princeps, & Gubernator, qui non curat extirpare latrones, vnde ex eius negligẽtia furta, & homicida proueniunt. Sextò aduocatus pro cuius ignorantia quis iniuſtè occiditur. Septimò medicus ſi ex imperitia ſua infirmus moritur. Octauò teſtis, qui relinquit verum teſtificari pro innocente condemnato ad mortem iniuſtè, quia poteſt eum liberare, & non liberat. *Tol. lib. 5. c. 7. §. rurſus qui.*

41 Quæ prohibentur in quinto decalogi præcepto?

Reſp. Plura. Primò occiſiones de facto. Secundò cogitationes, & voluntates occidendi. Tertiò machinationes, & præparationes occidendi, vt enſes, venena, inſidiæ. Quartò iniuriæ factæ verbis, & ſignis, & libellis infamatorijs. Quintò ſocij adiutores occiſionis. *Tol. lib. 5. c. 9.*

SEXTVM PRÆCEPTVM.

42 Quid eſt fornicatio, & quomodo ſumitur à Theologis, & Iuriſtis?

Reſp. Eſt habere copulam carnalem in vaſe naturali cum aliqua muliere. *Tol. lib. 5. c. 10.*

43 Quot ſunt ſpecies fornicationis?

Reſp. Septem: Prima eſt ſimplex fornicatio ſoluti cum ſoluta, ſiue meretrice, ſiue non meretrice. Secunda ſtuprum, vt cum quis deflorat virginem, ſiue voluntariè, ſiue vi. Tertia adulterium, vt cum quis habet copulam cum vxorata, vel mulier ſoluta cum viro vxorato. Quarta inceſtum, id eſt copula carnalis cum conſanguinea ſua, vel vxoris ſuæ. Quinta raptus, ſiue ſit ſoluta, ſiue Virgo, ipſe raptus habet, & addit grauitatem delicti. Sexta eſt coitus cum monacha, vel cum perſona Deo dicata per votum caſtitatis, vel cum presbytero etiam ſæculari, vel monacho. Septimum eſt peccatum contra naturam. *Syl. q. 4. S. Tho. 2. 2. q. 154.*

44 Quot ſunt ſpecies peccati contra naturam?

Reſp. Prima eſt pollutio voluntaria, vel procurata, quæ numquam eſt licita, etiam propter ſanitatem tuendam. Secunda concubitus inordinatus, vt cum mulier eſt ſupra virum. Tertia eſt ſodomia, ſcilicet homo cum homine, vel mulier cum muliere. Quarta beſtialitas, ſcilicet homo cum beſtia, & ad illud reducitur, quando incubus, & incuba coeunt. *S. Thom. 2. 2. q. 154. Tol. lib. 5. c. 13. in ſum.*

45 Quam pœnam incurrunt ſodomitæ?

Reſp. Pœnam mortis ex omni Iure. *l. notiſſima. cum Vir nubit in fæminam.*

46 Si duæ mulieres vna cum altera coeant ſicut Vir, & fæmina modo ſodomitarum, incurrent ne pœnam mortis allegatam?

Reſp. *Couar. in 4. p. 2. cap. 7. §. 5. nu. 7.* tenet quòd ſic ſed *Antonius Gomez in l. Tauri.* tenet quòd mulier, quę prouocata aliam aliquo inſtrumento ad copulam, debet condemnari ad mortem? ſi verò ſine inſtrumento, pœna extraordinaria puniri debet.

47 Si Vir cum propria Vxore per vas poſterius habeat copulam, qua pœna punitur?

℞. Pœna mortis, & ignis ſicut ſodomitæ, quia matrimonium non dat facultatem ad committendum hoc peccatum, imò auget delictum, cum matrimonium ſit res ſacra, nec det hoc abuti ad tã graue nefas

committendum. *Tol. lib. 5. cap. 13. & omnes Doct. cum illo.*

48 Ex concubitu cum Dæmone, vel incubo, ſunt ne nati aliqui homines?

Reſp. Incubus, & Dæmoni ſi generant aliquando, non generant ex propria virtute, ſed ex ſemine hominis, vel mulieris temperato cum illo calore apto ad generationem, & ex tali concubitu dicitur generatus fuiſſe Marthinus Lutherus, & Mahoma, & Iaca in Iapone, & Eneas ex Venere, Genebrardo, libro 2. Chronographiæ. *Anania, lib. 4. de natura Dæmonum, Ludouicus de Molina. 1. par. D. Th q. 50.*

49 Quæ prohibentur in ſexto præcepto?

Reſp. Primò ſeptem ſupradictæ ſpecies luxuriæ. Secundò deſideria, cogitationes cum conſenſu, & delectationes. Tertiò tactus proprius, & alienus cum delectatione. Quartò locutiones luxurioſæ. Quintò viſus luxurioſi. Sextò oſcula. Septimò quidquid ordinatur ad committendum peccatum luxuriæ. *Tolet. lib. 5. cap. 14.*

SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

50 Quid eſt furtum?

Reſp. Retinere rem alienam iniuſtè contra voluntatem proprij Domini. *S. Tho. 2. 2. q. 66. & Sot. de iuſt. & iur. lib. 5. q. 3.*

51 Quibus modis poteſt quis retinere rem alienam contra voluntatem Domini abſque periculo furti, & peccati.

Reſp. Primò, ſi iocosè aliquid abſcondat. Secundò, ſi ratione pœnæ alicuius ſententiæ auferat à reo aliquid. Tertiò, ſi bono fine ad euitandum damnum, vt qui aufert enſem ab homine, qui ira motus vult aliquē occidere. Quartò, in extrema neceſſitate vitæ, vel famis. Quintò, cum quis accipit, quod ſibi iuſtè debetur, & alio modo non poteſt recuperare ſuam pecuniam. *Tol. lib. 5. c. 15. Medina. q. 11.*

52 Quam quantitatem debet quis furari, vt ſit peccatum mortale?

Reſp. Quantitatem aſſignari communiter ab auctoribus quatuor reales, vel iulios. Poterit tamen euenire aliunde, vt minor quantitas ſit peccatum mortale, vt ſi furetur pauperi vnum iulium, & ſimilia. Hoc tamen relinquitur arbitrio prudentis Confeſſarij. *Tol. lib. 5. c. 16.*

53 Si quis furetur plures minimas quantitates, ex quibus componatur illa quantitas, quæ regulariter eſt ſufficiens ad peccatum mortale, peccat ne mortaliter, vel venialiter?

Reſp. Diſtinguendo, ſi habeat officium emptoris, cochi, vel magiſtri domus, mercatoris, vel macellarij, & habeat intentionem ex illis paruis particulis, quas furatur, augendi peculium, ſine dubio peccat mortaliter; ſi verò caſu abſque hac intentione quis furatur hodie vnum iulium, cras aliud, peccabit venialiter, licèt ſemper fugiendum ſit furtum, quia cum quis incipit habere conſuetudinem furandi, vſque ad mortem illam non relinquit, imò quotidie creſcit. *S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 4.*

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

54 Quotupliciter quis dicit falſum teſtimonium contra ſuum proximum?

Reſp. Dupliciter. Primò extra iudicialiter dicendo mendacium, & imputando illi aliquod delictū ſcienter, quod in eo non eſt, vt exiſtimando leui occaſione tale delictum, vel vitium eſſe proximi ſui, quod reuera non eſt. Secundò iudicialiter, vt ſi Iudex non obſeruat ius, vel teſtis dicat falſum, Procurator, Notarius, accuſator accuſans deponat falſum, vel criminat reum vltra delictum exagerando, vel addendo. *Nau. in manual. cap. 18.*

55 Reus quando tenetur in iudicio dicere veritatem etiam cum periculo propriæ vitæ?

Reſp. Primò, quando Iudex eſt competens. Secundò, quando præceſſit infamia, vel legitima iudicia, vel teſtes fuerunt maiores omni exceptione. Tertiò, cum conſtat reo, quod proceditur in illa cauſa ſecundum ius, tunc peccat mortaliter non dicendo veritatem, ſed ſi hæc deficiant, & res, de qua inquiritur ſit occulta, & ſecreta tunc non tenetur teſtis, neque reus manifeſtare in iudicio publico, quod occultum, & ſecretum naturale eſt. *tenet Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2.*

56 Reus poteſt frangere carcerem, abſque periculo reſtitutionis?

Reſp. Reus, qui eſt incarceratus, ſi non faciat violentiam cuſtodi, poteſt rumpere murum, & frangere portas, & fugere à carcere, & ſolum tenetur reſtituere damnum fractionis, non verò damnum cuſtodis, vel magiſtri carceris, ratio eſt, quia iſti ex officio, & ſtipendio ſuo tenentur cuſtodire carcerem, & pœna, quam patiuntur ob fractionem carceris, prouenit ex ſua propria negligentia, & reus tenetur ſe liberare ſi poteſt. *tenet Caiet. 2. 2. q. 69. Soto lib. 5. q. 6. art. 3. Tol. lib. 5. c. 54.*

NONVM PRÆCEPTVM.

57 Quando appetere bona alterius erit peccatum mortale contra nonum, & decimum præceptum?

Reſp. Quando tale deſiderium erit auaritia, & ita conſumatum, quòd ſi quis poſſit aliquo medio illicito illud executioni mandaret, tunc erit peccatum mortale; non autem quando quis deſiderat bona, vel dignitates alterius, ſed vult, vt illi eueniant ordinario, & licito modo. *tenet Tol. lib. 5. cap. 71.*

58 Quid eſt auaritia?

Reſp. Eſt appetitus voluntatis inordinatus diuitiarum. *Tol. lib. 5. c. 71.*

59 Quid prohibetur in hoc præcepto?

Reſp. Deſiderium cum voluntate, concupiſcentia inordinata, media illicita, quæ opponuntur ad conſequenda talia bona. *Tol. lib. 5. c. 71.*

DECIMVM PRÆCEPTVM.

60 Deſiderare mulierem alienam quando eſt peccatum mortale?

Reſp. Quando aliquis deſiderat malo fine, & voluntate conſumat deſiderium, licèt non ſtet conſumatio talis actus. *Tol. lib. 5. c. 71. in fin.*

CAPVT

CAPVT II.

De reſtitutione.

1 QVid eſt reſtitutio?
Reſp. Eſt actus iuſtitię,quo cuique redditur, quod ab eo ablatum eſt. *S.Tho.2.2.q.62.*

2 Cuius iuſtitiæ eſt iſte actus?
Reſp. Iuſtitiæ commutatiuæ. *S.Thom.vbi ſupra.*

3 Quæ eſt regula generalis, quæ ſeruari debet in materia reſtitutionis?
Reſp. Quotieſcumq; quis peccat cõtra charitatem, vt non dando eleemoſynam, non docendo ignorantem, non tenetur reſtituere damnum illud: quotieſcumq; vero quis cõtra iuſtitiam cõmutatiuã peccat, tenetur reſtituere rẽ alteri ablatã. *Tolet.lib.5.c.17.*

4 Quæ ſunt ad reſtitutionem perfectam pertinẽtia?
Reſp. Quæ in his verſibus continentur.
Quis, quid reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando.
Ordine, quove loco, quæ cauſa excuſat iniquum.
Tolet.in ſum.lib.5.c.17.num.3.

5 Quibus modis quis alienum retinet?
Reſp. Duobus, aut per iniuſtam acceptionem, vt cum quis furatur, vel vi tollit: aut per iuſtam acceptionem, vt cum quis accipit mutuo, vel cenſu, vel per alios contractus. *Gaiet.2.2.q.62.& Nauar.in manual. de reſtitutione.*

6 Quibus modis dicitur quis poſſidere rẽ alienam?
Reſp. Vno modo bona fide, vt qui emit equum à latrone non exiſtimans eſſe latronem: alio modo, mala fide, vt cum quis furatur rem, vel emit ab eo, qui ſcit eſſe latronem. *Lopez par.1.c.7.Sot.lib.4.q.7.art.2.Nauar.n.12.Saye lib.2.c.4.loco citato.*

7 Quæ differentia eſt ad reſtituendum inter poſſeſſorem bonæ fidei, & malæ fidei?
Reſp. Primò poſſeſſor bonæ fidei ſi vendiderit rem, quam emit, vel mortuus fuerit equus, durante bona fide, non tenetur reſtituere, at poſſeſſor malæ fidei contra. Secundò poſſeſſor malæ fidei non ſolum tenetur reſtituere rem, & damnum, ſed fructus poſſeſſor verò bonæ fidei non tenetur. Tertiò poſſeſſor bonæ fidei poteſt præſcribere re, & vſucapere ſpatio temporis requiſito; poſſeſſor malæ fidei numquam. Quartò poſſeſſor bonę fidei poteſt reſtituere rẽ venditori, & recuperare pretium, & meliorationes ab ipſo factas; poſſeſſor vero malæ fidei debet reſtituere Domino, vel ſaltem eum certiorem facere, & non recuperat pretium, neque meliorationes in pœnam peccati. *Sylu.verb.reſtitutio.3.§.7.*

8 Quare poſſeſſor bonæ fidei non tenetur reſtituere fructus.
℞. Quia durante bona fide, iuſto titulo, & labore facit eos ſuos. *Nau.c.17.& Syluеſt.verb. reſtitutio.3.§.7.*

9 Quando quis tenetur rem mutuatam, vel depoſitatam reſtituere?
Reſp. Finito tempore mutui, vel depoſiti, vel conducti. *Nauar in manual c.17.num.12.*

10 Si quis habeat rem mutuatam, depoſitatam, vel conductam, & tales res furentur, vel pereat, vel moriatur, tenebitur ne reſtituere rem, & valorem.

℞. Si ſine ſua culpa talis res perijt, nõ tenetur reſtituere: ſi verò per ſuã culpam, vel negligentiam, vel quia conuertit rem mutuatam in aliũ vſum, vel quia non reſtituit rem tempore conſtituto, & res perijt, tũc tenetur rem perditam reſtituere. *Nau.c.17.n.12.*

11 Si quis inueniat in littore maris gemmas, & lapides pretioſos tenetur ad reſtitutionem?
Reſp. Si tales gemmæ nullius ſint, ſed proiectę à mari in littore, vt proijcitur ſuccinum, & alia huiuſmodi non tenetur, ſed ipſe ſit verus Dominus. *Abul. Matth. c.6. q.42.*

12 Qui inuenit theſaurũ in agro, tenet ne reſtituere?
Reſp. Si inuenit in agro proprio, ſolum debet dare Principi quartam, vel quintam partem, quam ſibi Principes per ſuas leges reſeruant: ſi verò inueniat in agro alieno, tenetur dare dimidiam partem Domino agri. *Nauar.man.in c.17.num.17.*

13 Si quis certò ſcit in agro alicuius eſſe theſaurum, poterit ne emere agrum illum, abſque eo quod monitum faciat Dominum agri de foſſione theſauri?
Reſp. Licèt varię ſint opiniones, tamẽ *S.Th.2.2.q.76* tenet poſſe, quia Dominus vendit ſolum ſuperficiem agri, & de ſola ſuperficie, & fructu habet ſcientiam, & alius non tenetur illum aduertere de re occulta & ſe ſolo cognita.

14 Si quis inueniat in aliquo agro ſuo proprio, vel in agro communitatis venam argẽti, vel lapidi pretioſi in argenti fodinis, vel lapifodinis, & cognoſcat eſſe ab illa mineralia, quod debet facere?
Reſp. Si ager non eſt ſuus, emere illum, & poſtea manifeſtare ante iudicem ſe inueniſſe venas illas in argenti fodinis: & peracta illa manifeſtatione, petere teſtimonium authenticum, quòd iuſtè poſſideat talem agrum & prędictas venas, vt ijs tamquam re propria vti poſſit. *Nauar.in man.c.17.Paulus Caſtrenſis in l.Papinianus, §.ſi vir. ff.ſol. matr.*

15 Intra quod tempus debet fieri dicta manifeſtatio & ad quid prodeſt?
Reſp. Intra viginti dies debet fieri manifeſtatio, quibus tranſactis, ſi non fuerit facta in iſto termino legali, inuentor perdit ius, quod acquiſiuit, & fiſcus ſuccedit in illo Iure; ratio eſt, quia patrimoniũ Regium habet quintam, quartam, tertiam vel medietate vtilitatis illius venę, ſibi reſeruatam ſecundum maiorem, vel minorem illius fęcunditatem deductis omnibus expenſis: ratio eſt, quia iſtæ de Iure pertinent ad Regem, & ipſe eam concedit inuenientibus ſub dictis conditionibus, vt omnia ad longum habẽtur *lib.6.tit.13.l.5. nouæ recopilationis & de his mineralibus inuenies in l.diuortio, §.ſi fundum ff.ſolut. matri. & loquitur Paulus Caſtrenſis, & Iaſon in l. Papinianus, §.ſi vir ff.ſolut.matrim.n.1.& gloſſa in lege ſi lapidicinij, ff. de Iure dotium.*

16 Meretrices & mulieres, ſiue ſolutæ, ſiue vxoratæ quando tenentur reſtituere pecunias, quas in pretiũ ſuæ turpitudinis recipiunt à viris, qui occultè, vel publicè eas alunt.
℞. Quãdo fingunt ſe eſſe virgines, & ſunt corruptæ, & accipiunt à viro maiorem mercedem propter virginitatem. Secundò, quando mulieres concubinæ, vel meretrices promittunt, & dicũt ſe ſeruare fidem tali homini, & ſe tradunt alijs viris, tunc tenentur reſtituere pretium acceptum à tali viro; ratio eſt, quia cũ decipiat eos, cõmittit peccatum cõtra iuſtitiam, quia ſi talis vir ſciret, quòd illi nõ ſeruatur fides, non

ſuſtētaret talē mulierem,neq; diſſiparet ſua bona;vt tenet *Valen.tom.3.diſp.5.q.6.punct.5, Molin.diſt.24.*

17 Mulier meretrix,vel non meretrix, corrupta, vel virgo,vidua,vxorata, vel ſoluta, ſi abſque aliquo pacto,vel conditione pro ſua turpitudine accipiat mille aureos,tenetur ne reſtituere pretium tā magnum?
Reſp. Non tenetur reſtituere pretium,ſiue magnū,ſiue paruum, dummodo illud accipiat ab homine, qui poteſt liberè ſua bona diſtribuere; ratio eſt,quia honeſtas mulieris, & pudicitia eſt maior omni pretio Secundo; quia ille homo liberè dat mulieri illud magnum pretium abſque aliqua conditione, vel pacto, vt tenet *Valentia loco ſup. allegato.*

18 Si aliqua mulier vendat alicui homini ſuam virginitatem, vel ſuam pudicitiam in tanto pretio poterit ne petere ante Iudicem promiſſionem ſibi factam, ob ſuam turpitudinem?
Reſp. Poterit, quia virginitas mulieris, & honeſtas pecunia eſt æſtimabilis, & ſic promiſſio pecuniariū eſt quaſi contractus ex vtraque parte obligatorius, vt tenet *Molina diſt.94.& Couar.in Reg.peccatum p.2, num.4. contra Nauarrum, qui in man.c.17. num.41.tenet contrarium.*

19 Si mulier non paciſcatur,ſed tamen det alicui homini ſuam virginitatem, vel ſuam pudicitiam, poterit ne petere ante iudicem pretium ſuę turpitudinis?
Reſp. Poterit, & Iudex debet illi aſſignare dotem cōſiderata qualitate, & honeſtate mulieris,& honeſtate viri;ratio eſt, quia licèt de hac re nō fuerit pactū expreſſū,eſt enim pactū tacitum, & obligatoriū ſuppoſito,quòd ipſa mulier petit damnū ſibi factū:ſi verò nō petat,vir ad nihil tenetur,quia ipſa per taciturnitatē videtur donaſſe, tenet *Couar.loco allegato.*

20 Si mulier ſponte ſua det alicui viro ſuam virginitatem, & nollit petere aliquid pro ea, vir tenebitur ne reſtituere?
Reſp. Non tenetur,quia mulier eſt domina ſuę virginitatis, & ſui honoris, & poterit eam liberè dare.

21 Si pauper ſit in extrema neceſſitate, & vir diues non det illi eleemoſynam,& ex dicta cauſa talis pauper moriatur,aut incidat in magnam infirmitatem, talis tenebitur ne reſtituere?
Reſp. Licet diues committat magnum peccatum, contra charitatem,non tamen tenetur reſtituere;ratio eſt, quia non committit peccatum contra iuſtitiam commutatiuam, cum ille poſſit dare, vel non dare eleemoſynam;licet in extrema neceſſitate alterius de præcepto charitatis teneatur *Tol.lib.5, c.19.*

22 Si quis perſuadet alicui,vt relinquat religionē,tenetur ne ratione reſtitutionis ipſe ingredi religione?
Reſp. Negatiuè, ſed ſi talis monachus erat vtilis conuentui, tenetur pro illo damno aliquid conuentui dare, *Nauar.c.17, num.69.*

23 Si quis ſuadet alicui,vt in ſuo teſtamento non relinquat Petrum hæredem, tenebitur ne reſtituere hæreditatem?
Reſp. Si talem perſuaſionem non fecit vi, timore, dolo,vel malitia,ſed conſiliando, non tenetur ad reſtitutionem. *ex reg.iur.* nemo ex conſilio tenetur niſi fuerit fraudulentum, & *Nau.c.17, num.70.*

24 Si quis aliū occidat, & occidens propter tale homicidium ſuſpēdatur, ad quā reſtitutionē tenetur?
℞. *Salon. q.62.contr.2.* docet ad nullam teneri;ſatis enim propria morte alienæ ſatisfacit, ſed *Nau. c.15. nu.25.*tenet,quod tenetur ad damna ſuorū hæredū,

25 Si quis interficiatur,& in ſuo teſtamēto, vel tempore mortis condonet occiſori ſuam mortem, damna,& iniuriam, talis occiſor ad quam reſtitutionem tenebitur?
Reſp. Ad nullā; quia actio, quam occiſus habebat, condonata eſt iam illi, licèt malè faceret occiſus, ſi haberet filios pauperes condonando damnum, licèt condonat ex charitate iniuriam, *Salon.q.62. contr.2.*

26 Si quis occultè interficiat aliquem, vel mutilet membrum alicuius, tenebitur ne ſe manifeſtare iuſtitiæ, vel ad quam reſtitutionem obligabitur?
Reſp. Talis homo non tenebitur ſe prodere, & manifeſtare iuſtitiæ,ſed ſolum tenetur ad ſatisfaciendū damnum ipſi mutilatio, vel hæredibus occiſi, & hæc ſatisfactio debet eſſe ſecundum qualitatem perſonę occiſę, & ſecundum quantitatem damni iuſta conſilium prudentis confeſſarij, & docto, vel ab alio doctore extra confeſſionem, ratio eſt,quia nemo tenetur ſe prodere, & ponere ſe, & ſua bona in manibus iuſtitiæ,vt tenet *Banez 2.2.q.6. art. 2. & Syluest.verbo reſtitutio.3.§.2,*

27 Filius familias ſi accepit aliquam rem mutuò; & eam perdat, vel diſſipet, tenebitur ne eā reſtituere?
Reſp. Non teneri reſtituere,neq; in foro exteriori, neque in interiori; neque Iudex poteſt eum obligare ad reſtitutionem; neq; ſuper hoc eum carceribus intrudere, licèt ipſe habeat in ſua poteſtate pecunias aliquas abſconditas,& occultas contra voluntatē ſui patris;ratio eſt,quia non eſt in ſua poteſtate, & non habet bona in ſua diſpoſitione, imò ille pecuniæ, quas habet,ſunt ſui patris, & ſi de ipſis diſponat, diſponit de re aliena,& ille,qui accommodabit illi rē, ſibi imputet,cum illā dederit perſonæ incapaci. Hoc eſt de Iure,ſed ſecundum legem nobilitatis, & bonæ indolis, in quacumque ætate tenetur reſtituere rem ſibi accommodatam, & parentes eius pro eo, tenet *Abb.c.fin.de præſcriptionibus,num. 29.*

28 Si quis furetur quatuor argenteos,vel duos,tenebitur ne eos reſtituere?
Reſp. Licèt furando minimam quantitatem veluti vnius argenti à perſona diuite; quis peccet ſolū venialiter,tamen ſemper tenetur ad reſtitutionem, ratio eſt, quia eſt peccatum cōtra iuſtitiam commutatiuam, & nemo poteſt retinere bona aliena contra voluntatem ſui Domini,ſiue pauci,ſiue magni valoris,& ſunt aliqui, qui conſuetudinem habent furādi minimas quantitates, & hæc conſuetudo euitanda eſt à confeſſoribus, quinimmò multum eſt reprehēdenda,præcipuè in pueris,& filijs familias;ratio eſt, quia ob talem conſuetudinem præualebit tandem aliquando vitium,ita vt ex parua quantitate ad rem magni momenti furandam ſe ipſos inducant: vnde euenit,deinde ſuſpenſiones,& ſimilia. *Tol.lib.5.c.56.*

29 Sufficit ne reſtituere ipſam rem ablatam,vel etiā tenetur reſtituere fructus?
Reſp. Si ſit poſſeſſor malæ fidei, tenetur reſtituere rem cum fructibus,quos fecit,vel potuit facere;ſi ſit poſſeſſor bonæ fidei,ſufficit, ſi reſtituat rem ſublatā, ſic docet *S.Tho.2. 2.q. 76*

30 Si quis abſcindit ligna, arbores, in ſiluis venetur, vel in fluminibus piſcationem exerceat,ad quam reſtitutionem tenebitur?
℞. Cū diſtinctione;ſi mōtes,vel flumina ſint alicuius hominis particularis,vel alicuius Principis, qui illa emit,vel hæreditauit, ſicut agros, vel vineas, procul-

dubio

dubio tenetur ad reſtitutionem damni facti tali homini: ſi verò ſint alicuius communitatis, ciuitatis, vel vniuerſitatis, tunc non tenetur ad reſtitutionem, niſi, faciat magnum damnum, ſed tenetur ad pœnam taxatam à tali communitate, ratio eſt, quia illa bona ſunt communia, & ad communem ciuium vtilitatem, & ille eſt vnus ex illa communitate, & illa ciuitas non poſuit in pęnam, vt compenſet omne dãnum, ſed duos, vel tres argenteos verbi gratia, *tenet Soto lib. 4. q. 7. art. 4.*

31 Si quis nõn accipiatur à Cuſtodibus, neq; accuſetur ante Iudicem, tenebitur reſtituere talem pęnam? Reſp. Hoc generaliter obſeruandum eſt in pęnis, quòd non debentur niſi poſtquam fuerint petitæ, & facta à Iudice condemnatione. *Tolet. lib. 5. capit. 20. Sot. lib. 4. art. 4.*

32 Si quis poteſt vitare, vt aliquis non furetur, & non vitat, tenebitur de ad reſtitutionem?
Reſp. Si talis perſona officio tenetur vitare tale dãnum, vt Iudex, & ſeruus, & famulus talis domini, tenebitur ad reſtitutionem; ſi verò eſt aliqua perſona particularis, cui non competit ex officio vitare tale damnum, non tenebitur ad reſtitutionem; licet à latrone pecunias, vt taceat, accipiat, quia talis peccat contra charitatem, ſed non contra iuſtitiam.

33 Actio reſtituendi rem iuſtè detentam, vel poſſeſſam ad quos tranſit?
Reſp. Solum ad hæredes legitimos ſed actio reſtituendi rem iniuſtè detentam, ſi principalis non reſtituat, tenentur mandans, conſilians, conſentiens, adiuuans, participans, & cooperans. *Valentia diſp. 5. queſt. 6. punct. 3.*

34 Teneturne quis reſtituere pecunias, quas accepit, vt non committat homicidiũ, vel aliud delictũ?
Reſp. Non tenetur reſtituere, niſi in iudicio ei petatur. *l. vt putat. ff. de condition. ob turpem cauſam.*

35 Iudex, qui pecunias accipit, vt det ſententiam in fauorem alicuius, tenetur ad reſtitutionem?
℞. In hoc articulo ſunt duæ opiniones. *Prima Sot. lib. 4. q. 7. artic. 1.* tenet quòd talis tenetur ad reſtituẽdam rem acceptam à pauperibus, ſed non proprio Domino, qui male dando perdidit actione tali rei Secunda opinio, S. Antonini *2. p. tit. 2. c. a. 5. Silu. verb. reſtitutio. 2. Angel. verb. reſtitutio. Nauar. cap. 7. numer. 34.* tenet quòd non tenetur reſtituere pecuniam, donec per ſententiam ſit condemnatus; ſed ſecurius eſt tales pecunias reſtituere. Philippus III. mandauit expreſsè in ſuis legibus, vt talis Iudex teneatur ad talem reſtitutionem, & ad damnum factum per ſententiam prolatam virtute illarum peccuniarum.

36 Quod debet reſtitui?
Reſp. Si fieri poteſt, res ipſa, quæ ablata eſt, eodem numero, & ſpecie exceptis tribus caſibus. Primo, cũ periit. Secundo, cum eſt deteriorata. Tertio, cum per reſtitutionem peccatum reſtituentis manifeſtantur, tunc ſufficit reſtituere valorem. *Nauar. cap. 7. num. 24. Sanct. Thom. 2. 2. q. 76.*

37 Quis tenetur reſtituere?
Reſp. I. omnis homo cuiuſcunq; ſtatus, aut conditionis retinens rem alienam contra voluntatẽ Domini. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 17.*

38 In quibus rebus poteſt quis facere proximo ſuo damnum, ex quo ſequatur reſtitutionis obligatio?
Reſp. In tribus. Primò, in anima, perſuadendo ei, vel violentando, vt relinquat religionem, aut non alat matrem. Secundò in corpore, occidendo, vel mutilando membrum. Tertio in bonis fortunæ, furando ei equum, uſurpando agrum, & in honore, auferendo illum. *Nauar. cap. 17. num. 70.*

39 Si quis ſuadet aliquem precibus, & conſilio, vt faciat furtum, tenetur ne reſtituere?
Reſp. Non tenetur, quia latro mouetur tunc voluntate propria, & non compulſus etiam ſi ab alio ſit ſuaſus. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 17.*

40 Si latro furetur mille aureos, & cum illis lucretur alios mille, ad quid tenebitur?
Reſp. Reſtituere ſolum mille, quos furatus eſt; & damnum, quod fecit alteri ablatione talis pecuniæ, vt ſi cauſa furti alter vendidit minoris pretij, verbi gratia, domum, vel accepit pecunias ad vſuram, totũ iſtud tenetur reſtituere, ſed non tenebitur reſtituere, fructus prouenientes ex ſua induſtria. *Sylu. in ſumm. verb. reſtitutio. 3.* & hæc reſtitutio eſt facienda verò Domino, vel eius hæredi neceſſario, vel voluntario; & ſi non inueniatur, pauperibus, & operibus pijs, *Siluest. reſtitutio. 4.*

41 Fructus rei ablatæ in qua differentia ſunt?
Reſp. In duplici; aut prouenjunt ex ipſa re, vt fructus agri, & iſti debent reſtitui: aut ex induſtria perſonę vt negotiatio, venditio, & tunc non tenetur ad reſtitutionem fructuum, quia ſicut poteſt lucrari, poteſt ammittere. *Siluest. vbi ſup.*

42 Poteſt fieri reſtitutio ipſi latroni, & non domino?
Reſp. Malè faciam reſtituendo latroni, & erit peccatum contra charitatem, ſed non contra iuſtitiam, ſed non tenebitur vltra reſtituere iterum proprio domino. *Sot. lib. 4. q. 7. art. 1.*

43 Si quis pauper habet rem alienam, & reſtituenda ſit pauperibus poterit ipſe applicare eam ſibi?
Reſp. Poterit ſecundum quãtitatem rei, & ſuæ paupertatis qualitatem, quia charitas à ſe ipſo incipit. *Caiet. verb. reſtitutio.*

44 Quo tempore eſt reſtituendũm?
Reſp. Statim, cum quis commodè poterit, & reſtitutio non eſt relinquenda tempore mortis. *Nau. cap. 17. num. 26.*

45 Si quis in reſtituendo habet periculum vitæ, vel infamiæ, tenetur ne reſtituere ſtatim cum illo periculo?
Reſp. Non tenetur, ſed debet quærere modum, & induſtriã alterius perſonæ, vel Confeſſoris, per cuius manus poſſit reſtituere, abſq; illo periculo. *Nauar. c. 17. nu. 44. Medina. q. 3. de reſtit. dub. 24.*

46 Furtum rei propriæ, quæ, ab alio iniuſtè poſſidebatur, obligat ne ad reſtitutionem?
Reſp. Negatiuè, quia non poſſidet rem alienam, ſed propriam; *vt tenet Abb. in c. olim de reſtit. ſpol. nu. 23. quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur.*

47 Si quis ad reſtituendo pluribus debitis eſſet obſtrictus, & non haberet quantitatem bonorum ad reſtituendum, quo ordine debet reſtituere?
Reſp. Primo debet reſtituere res certas, quæ ſpecificè habent certum dominum. Secundò debita, quæ licitè contraxit. Tertiò ſeruare in reliquis ſuam anterioritatem, ſecundum leges illius Regni. Vltimò, reſtituere debita, quæ contraxit cum vſura. *Syluestr. ver. reſtitutio. 6. Nauar. c. 17. nu. 47. S. Anton. part. 2. tom. 2. c. 7. §. 3.*

48 Quibus ex cauſis, quis ab obligatione reſtituendi excuſatur?

℞. Primò,

Reſp. Primò, ſi debitum liberè, non autem ſi timore vel fallatia dimittatur à Domino. Secundò, ſi debitor in recompenſationem ęquiualentem debiti creditori fecerit aliquod beneficium pecuniâ appretiabile. Tertiò quãdo quis cedit bonis. Quartò per vſucapionem in re mobili, in ſpatio trium annorum, vel per præſcriptionem in re ſtabili, per ſpacium decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes; in aliquibus pręſcriptionibus requiritur tempus triginta, vel quadraginta annorum. Quintò per ignorantiam iuris, vel facti, quæ non ſit craſſa. Sexto ex paupertate. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 26. & l. 1. ff. de vſucapionibus.*

49 Si quis cedat bonis ob plurima debita, poteſt ſibi ſeruare inſtrumenta artis ſuæ?
Reſp. Poteſt, & Iudices non poſſunt illi auferre inſtrumenta artis ſuæ, quibus laborando vitã ſuſtinet. Tenebitur tamen iſte ſi peruenerit ad meliorem fortunam ſoluere debitum cum expenſis. *L. cum filio, qui bonis cedere poſſunt.*

50 Quæ conditiones requiruntur, vt quis poſſit legitimè vſucapere, vel præſcribere?
Reſp. Primò res debet eſſe præſcriptibilis. Secundò debet habere bonam fidem. Tertiò bonum titulum ſicut emptionis, donationis, vel hæreditatis. *L. 1. C. de præſcriptionibus per tot.*

51 Quæ res de Iure præſcribi non poſſunt, & ſic ſunt reſtituendæ?
Reſp. Primò furto ablatæ, quamquam poſſideantur bona fide. Secundò res vi extortæ à ſuo domino. Tertiò res ſacræ, & religioſæ Deo, dicatæ, vt bona Eccleſiarum. Quartò ſeruus fugitiuus. Quintò homo liber. *Nauar. c. 17. num. 85. Syluest. verb. præſcriptio.*

52 Si quis habeat pecuniam ad reſtituendum, & fingat ſe pauperem, & creditor ex compaſſione dimittat ei debitum, talis debitor manet ſecurus in conſcientia, vel tenetur reſtituere?
Reſp. Tenetur reſtituere, quia fecit figmentum, & cautelam, quæ ei non prodeſt in conſcientia. *Tol. lib. 5. c. 26.*

53 Vt quis non teneatur reſtituere, quam paupertatem, aut neceſſitatem pati debet?
Reſp. Non extremam, ſed tenetur ſe ponere in inferiori gradu, & ſtatu, vt reſtituat. *Medin. q. 3. cauſa. 1. Nauar. c. 17. num. 87.*

54 Tenetur quis ſe vendere ad reſtituendum, vel reſtituere cum periculo propriæ vitæ, vel honoris?
Reſp. Negatiuè; ratio eſt, quia libertas, vita, & honor ſunt bona pretioſiora, & validiora pecunijs: & ſicut quis non tenetur reſtituere maiorem quantitatẽ, quam debet, ſic non tenetur reſtituere in re maioris exſtimationis. *Sot. q. 7. art. 4. Couar. reg. peccat. p. 1. nu. 1.*

55 Ludẽtes tenentur ne reſtituere pecunias ludo acquiſitas?
Reſp. Negatiuè, ſiue ludus ſit prohibitus à lege, ſiue non; dum ſine fraude ludat, licèt acquirat ſummam magnam; tamen qui perdit pecuniam, poterit eam petere coram iudice, ſi perdit in ludo prohibito, & tunc per vltimam ſententiam talis, qui vicit pecuniam, tenebitur illam dare. *Nauar. in man. c. Medin. q. 21. de reſtit. Banez. 2. 2. q. 32. art. 7.*

56 In quibus caſibus ludentes tenentur reſtituere pecunias in ludo acquiſitas ſine ſententia Iudicis?
Reſp. Primo, ſi luſerunt cum filio familias, vel religioſo, vel vxorata, qui non ſunt ſui Iuris, tunc vterq; tenentur ad reſtitutionem. Secundo, ſi dolo luſit. Tertio, ſi per vim cadentem in conſtantem virum facit alium ludere. Quarto, ſi habet manifeſtum exceſſum in arte ludendi in ludis, qui habent plus de ſcientia, quàm de fortuna, ſicut ludus pilæ, & aleæ. *Molin. diſp. 510. Couar. p. 2. §. 4. regul. poſſeſſor.*

57 Si feratur cenſura, vt reſtituatur res ablata, quam de facto habet; in quibus caſibus, quis non ligabitur tali cenſura?
Reſp. Primo, ſi quis retinet talem rem propter cõpenſationem damni habiti ab illo eodem, in cuius gratiam datur cenſura. Secundo, ſi furtum fuit ſecretum, non tenetur ſtatim per ſemetipſum rem manifeſtare, ſed per alium, ſcilicet, per confeſſarium, cum commodè illum habere poterit abſq; detrimento notabili propriæ perſonæ, vel rei vnde ſi tempus intercedit in hoc caſu, nihil intereſt. *cap. 20. numer. 9. Nauar. Lopez par. 2. cap. 31. propoſit. 6.*

CAPVT III.

De reſtitutione honoris.

1 QVid eſt detractio honoris, vel famæ?
℞. Ablatio famę, vel honoris per verba cum intentione nocendi. *Nauar. c. 18. nu. 17.*

2 Quid eſt fama?
Reſp. Eſt quidam conceptus bonus, vel malus, vel quædam opinio bona, vel mala, quam aliquis habet apud homines. *Sanc. Thom. 2. 2. queſt. 71. Sot. lib. 5. quæſtione 10.*

3 Quid eſt honor?
Reſp. Eſt quædam reuerentia, vel æſtimatio, quæ alicui debetur ratione ſuæ dignitatis, vel officij, virtutis, vel perſonæ, generis, vel natiuitatis. *Nauar. cap. 18. nu. 17. S. Thom. 2. 2. q. 71.*

4 Quotupliciter quis detrahit famam alteri, vel honorem?
Reſp. Dupliciter, primo modo circa ſe ipſum ſolũ, vt ſi quis reputet Petrum caſtum, & ex aliqua iniuſta occaſione habeat opinionem de illo, quod ſit homo libidinoſus, & detractio iſta dicitur iudicium temerarium: ſecundo modo, cum quis verbo, vel ſigno, vel tacendo, cum loqui debet, vel ſcripto ſine ſubſcriptione, vel cum ſubſcriptione tollit alteri famam, vel honorem, affirmando de illo delicta, quæ non habet. *Sot. lib. 5. q. 10. Arago. 2. 2. q. 7.*

5 Si quis manifeſtet crimen alterius, quod eſt verũ, ſed quibus loquitur, eſt occultum, tenetur ne ad reſtitutionem?
Reſp. Non tenetur, ſed peccat mortaliter cõtra charitatem: verbi gratia aliquis fuit à S. Inquiſitione cõdemnatus iñ Ciuitate Toleti, ſed ignoratur Matriti, ſi hoc dicat in Ciuitate Matriti, vel dicat alteri, qui hoc ignorat, dicit verum; & ſi dicat mala intentione, peccat contra charitatem; ſed non tenetur ad reſtitutionem. *vt tenet S. Thom. 2. 2. q. 73. Sot. lib. 5. quæſt. 10. artic. 2.*

6 Homo eſt ne dominus ſuę famę ſicut ſuarum pecuniarum?
Reſp. Affirmatiuè, & ſic ſibi tollit famam confitẽdo de ſe cri-

deſt crimen, quod non fecit no tenetur ad reſtitutionem, licèt pecet contra charitatem, & non contra iuſtitiam, niſi ſit perſona publica, & infamando ſe alios ſocios condẽnet, & qui in tormentis condẽnauit aliquem non habentem culpam; tunc tenetur ad reſtitutionem famæ, & damni, & iterum pro illo tormenta pati. *S. Thom. 2.2.q.73.art.4.Nauar. capit. 18.num.46.*

7 Audire murmurantem, & illum non reprehendere, quod peccatum eſt?
Reſp. Cum diſtinctione: ſi quis audit murmurantẽ, & delectatur in illa murmuratione, & conſentit illi propter odium quod habet circa talem perſonã, tũc audiens peccat eodem murmurantis peccato: ſed ſi audiens delectatur propter curioſitatem, tunc peccat venialiter, rurſus conſiderandaetiam eſt grauitas murmurationis, an ſit leuis, an grauis, & perſona, contra quam eſt murmuratio, & veritas, vel falſitas talis murmurationis, nec non fundamentum, in quo fundatur. *vt tenet S. Thom. 2.2.q.73.art.4.*

8 Quibus in caſibus aliquis non tenetur reſtituere famam, vel honorem, quem alteri abſtulit propter ſuam murmurationem, vel propter memoriale, quod contra ipſum dedit iudici, vel Principi?
Reſp. Pluribus: primus eſt, quando ille, de quo fuit murmuratio, vere peccatum, quod imputatur, commiſit, quod publicum eſt, vnde nihil illi abſtulit, peccauit tamen contra charitatem. Secundus, quando accuſatur, aut iudex ſententiando iuſtè infamat, non tenetur reſtituere. Tertius, quando perſona infamata varijs probationibus, virtutibus, aut alia via ſuam famam recuperauit, aut certè, qui audierunt, murmuranti nullam fidem adhibuere. Quartus, ſi infamatus condonauit alteri infamiam, in iſtis caſibus non tenetur quis reſtituere famam, nec honorem. *Sot. lib. 4. q. 1. nu. 3.*

9 Si quis ſcripto vel verbo manifeſtauit aliquod crimen, vel delictum alicuius, quod erat falſum, ad quã reſtitutionem tenetur?
Reſp. Coram eiſdem perſonis dicere contrarium, & ſi opus fuerit, affirmare iuramẽto, & ſi fuerit aliquod damnum, reſtituere tale damnum, ita vt integrè ſatisfaciat. *Scot. in 4. diſt. 15. q. 44. Nauar. c. 18. nu. 45.*

10 Si quis ab alio accuſator de vero delicto, & negãdo facit alium mendacium, tenetur ne illi riſtituere famam?
Reſp. Licitè, qui negat, peccet, & ſit periurus, tamen non tenetur reſtituere alteri illam famam, quia facit ſibi maius damnum faciendo ſe reum, & delinquentem. *Silu. verbo reſtitutio.*

11 Si delictum, quod talis imputauit, eſt verum, ſed occultum, ad quam reſtitutionem tenebitur?
Reſp. Tunc non tenebitur dicere ſe dixiſſe mẽdaciũ ſed ſolùm tenetur laudare illum hominem coram illis, vt recuperet aliquam bonam opinionem. *S. Tho. 2.2.q.62.art.2.*

12 Si quis dicat ſe audiſſe Petrum eſſe adulterum, & ſi realiter non ſit verum, quam reſtitutionem tenetur facere?
Reſp. Licèt *Caiet. 2.2.q. 62. art. 6. & Scot. in 4. ſent. diſt. 15.* exiſtimet non teneri ad vllam reſtitutionem tamen ſecuriùs eſt dicere, quod tenetur ad aliquam reſtitutionem, videlicet, vt apud eoſdem fateatur verè à Petro non eſſe commiſſum tale delictum, vel ſaltem illum laudare, vt eo modo acquirat famã quã iniuſtè perdidit. *Sot. lib. 4. q. 6. artic. 3. Tol. lib. 5. c. 69.*

13 Tenetur quis reſtituere famam alterius, cum periculo propriæ famæ?
Reſp. Si ſit reſtitutio inter perſonas æquales, tenetur cum periculo propriæ famæ: ſi verò perſona, quæ infamauit, excedit alteri in dignitate, vel genere, poterit ſatisfacere pecunijs, vel alio beneficio cum conſilio prudentis Confeſſarij. *Scot. in 4. diſt. 5.*

14 Tenetur quis cum periculo propriæ vitæ ad reſtitutionem honoris?
Reſp. Si infamatus propter talem infamiam eſt in periculo vitæ, tenetur alteri cum periculo propriæ vitæ reſtituere honorem: vt ſi quis occidit Petrum, & confitetur Ioannem eum occidiſſe, & Ioannes eſt in periculo, vt ſuſpendatur, tunc iſte tenetur cum periculo propriæ famæ, & vitæ, innocentis vitam liberare ſecus verò, ſi non ex ſuo dicto, ſed ex alijs teſtibus conſtet Ioannem occidiſſe talem hominem, tunc non tenetur iſte cũ periculo propriæ vitæ manifeſtare ſe vt tenet *Tol. lib. 5. c. 69.*

15 Si duo ſe infamauerunt ad inuicem, tenentur ne ad inuicem reſtituere famam?
Reſp. Si infamatio ſit æqualis, poteſt fieri commutatio ſicut in pecunijs: ſed ſi vnus velit reſtituere, alter neceſſariò tenetur reſtituere. *Tol. lib. 5. c. 69.*

16 Quod peccatum eſt detractio famæ?
Reſp. Eſt tam magnum, vt dicat *D. Bernard. in lib. de conſiderat. ad Eugenium.* maximam partem hominum exiſtentium in inferno eſſe propter hoc peccatum, quia rarò, vel nunquam fit reſtitutio, aliquando propter verecundiam, aliquando propter honorem proprium, aliquando propter contemptum.

CAPVT IV.

De Ieiunio.

1 QVid eſt ieiunium?
℞. Abſtinentia ciborum ad carnis vitia comprimenda, peccatorumque pœnas expiandas, & mẽtes in Deum excitandas. *S. Thom. 2.2.q. 147. artic. 1. Couar. lib. 4. variar. reſol. c. 20.*

2 Quotuplex eſt ieiunium?
Reſp. Duplex: aliud naturale; aliud Eccleſiaſticum. *l. more Romano. ff. de ferijs. Sanct. Thom. 2. 2. quæſt. 147. artic. 6.*

3 Quid eſt ieiunium naturale?
Reſp. Quod frangitur cuiuſcumque rei ſumptione, etiam ſi ſumatur loco medicinæ. *l. more. Romano. ff. eod. tit. ff. de ferijs.*

4 Ad quid requiritur ieiunium naturale, & quando incipit?
Reſp. Ad ſumendum Euchariſtiam, vel celebrandum, & incipit à media nocte. *d. l. more Romano. D. Th. 2.2.q.147. artic. 6.*

5 Frangitur ne hoc ieiunium ſumptione ſaliuæ, vel deglutione alicuius fragmenti ex antecedente cæna in ore relicti, vel ſi quis dum os lauat, gutta aliqua vini cum ipſa ſaliua deglutiatur?
℞. Non frangitur, quia parua quantitas non attenditur. *S. Thom. 2. 2. quæſtione 80. artic. 8. & q. 147.*

6 Quid

6 Quid eſt ieiunium Eccleſiaſticum, & à quo eſt inſtitutum?
Reſp. Abſtinentia certorum ciborum certis temporibus, & inſtitutum eſt ab Eccleſia, & ſummis Pontificibus.

7 Sunt ne tempora præſcripta, in quibus Chriſtiani tenetur ieiunare?
℞. Sunt videlicet, quadrageſima exceptis dominicis diebus, quatuor tempora, vigilia Natiuitatis, Pentecoſtes, Aſſũptionis B. Mariæ Virginis, Apoſtolorum omnium, (exceptis vigilijs S. Iacobi, & Philippi, & S. Ioannis Euangeliſtæ,) vigilia Natalis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, ac omnium Sanctorum, *c. non liceat de conſecratione diſt. 3. cap. 40. eod. titul. quæſtione 5. diſt. 76.*

8 Poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus imponere aliqua particularia ieiunia?
Reſp. Poſſunt ob iuſtas cauſas, & ſeruanda ſunt à ſuis ſubditis ſub pœna peccati mortalis *S. Thom. 2. 2. quæſt. 147. art. 3. Syluеſt. verbo ieiunio*.

9 Hæc ieiunia ſunt de Iure diuino, vel de Iure naturali, vel de Iure poſitiuo, vel de Iure diuino poſitiuo?
Reſp. Sunt de Iure pontificio; poſſunt tamen minui, vel elongari tempora ieiunij à Summo Pontifice, *Couar. lib. 4. var. c. 20. nu. 3.*

10 Poteſt Papa diſpenſare, vt quis cum carnibus, vel ouis ieiunet?
Reſp. Poteſt ſed talis debet ſemel in die comedere carnes, *Nauar. conſilio finali de obſeruatione ieiunij*.

11 Si non inueniatur piſces, neq; vllus cibus, ſed ſolum carnes, poterit ne aliquis cum carnibus ieiunare abſq; diſpenſatione Apoſtolica?
Reſp. poterit ratione neceſſitatis extremæ, quæ ſupplet diſpenſationem, ſed ſimiliter debet ſemel in die commedere, & ſeruare formam ieiunij ſicut ſi haberet piſces, *tenet Nauar. vbi ſup. conſ. finali de obſeruatione ieiunij*.

12 Si aliquis habeat priuilegium, vt cum ouis, vel carnibus ieiunet, poterit ne vti hoc priuilegio ad cõſequendum iubileum?
Reſp. Nauarrus conſilio quinto, de obſeruatione ieiunij tenet partẽ negatiuam, niſi expreſſum ſit in bulla; attamen certum eſt quod qui habet bullam cruciatæ in illis partibus, & regnis, vbi eſt talis conſuetudo, vt in ieiuno iubilei veſcantur ouis, poſſunt veſci. *l. ſi vnum, ff. locati. l. plenum de vſu & habitatione, §. Echilei*.

13 Si quis nõ ieiunet aliquo dies quadrageſimę, quot peccata committit?
Reſp. Quolibet die, in quo non ieiunat, committit vnum peccatum mortale, ſic tot peccata committit, quot diei ſunt, in diebus non ieiuniat. *Nauar. conſ. 2. de obſeruatione ieiunijs*.

14 Ex qua ætate incipit obligatio ieiunandi?
Reſp. A vigeſimo primo anno ſuæ ætatis completo, propter naturæ imbecillitatem, & propter augmentum corporis, & virum, licèt de conſilio bonum ſit adoleſcentes aſſueſieri ad eiunandum, *tenet S. Thom. 2. 2. q. 147. artic. 4.*

15 Qui non tenetur ieiunare?
Reſp. Senex ſexagenarij, licèt recta regula dari non poſſit, quia ſunt aliqui, qui in illa ætate poſſunt ieiunare, & aliqui, qui ante illam ętatem ex imbecillitate naturæ non poſſunt, & ſic hoc relinquitur arbitrio viri prouidentis ex argumento, *l. prima. ff. de iure deliberandi*.

16 Nutrices mulieres, prægnantes, tenentur ieiunare?
Reſp. Negatiuè, quia alunt ſe propter pueros. *Caiet. 2. 2. q. 147. art. 4.*

17 Prædicatores, Confeſſores, publicè legentes in ſcholis, & quis componunt libros, ſi ieiunio impediuntur à dictis tenentur ne ieiunare?
Reſp. Negatiuè; nè maius bonum, ac neceſſarium Reipublicę impediatur, neq; tenetur relinquere ſua officia, vt poſſint ieiunare, præcipuè ſi ſint eminentes, vel ſint obſtricti aliquo vinculo, & obligatione, *tenet Caiet. vbi ſup. 2. 2. q. 147. art. 4.*

18 Si quis proprio labore ſubſtentet ſuam familiam, ſicut agricola, & alij, tenetur ne ieiunare?
Reſp. Negatiuè; neq; tenetur relinquere ſuũ officiũ, vt poſſit ieiunare. *Caiet. 2. 2. q. 147. artic. 3. aitq; Eugenium IV ſic declaraſſe.*

19 Frangitur ne ieiunium, ſi veſpere ſumatur aliqua parue refectio?
Reſp. Negatiuè, ſi ſit conſuetudo illus Prouinciæ, licet modus non excedatur, & ſit ad reparationem naturæ, non ad repletionẽ ventris. *tenet. Caiet. loc. cit.*

20 Epiſcopus poteſt diſpenſare in ieiunio?
Reſp. In ieiunio generali, vt quis numquam ieiunet, ſolus ſummus Pontifex poteſt diſpenſare; in ieiunio verò particulari, vt quis ieiunet per aliquot dies, Epiſcopus, & Parochus poſſunt diſpenſare cum cauſa legitima. *S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 4.*

21 Cocus qui parat cibos, & ex illis guſtat, vt alij ieiunent, frangit nè ieiunium?
Reſp. Negatiuè, quia ſeruit potentię nutritiuæ. *Caiet. 2. 2. q. 147.*

22 Quibus cibis non licet tempore ieiunij veſci?
Reſp. Omni cibo veſci poteſt exceptis carnibus, ouis, & lacticinijs, verum ex ijs, ſcilicet ouis, & lacticinij cũ bulla cruciatæ veſci poſſunt in ijs regionibus, vbi eſt tali conſuetudo, quia eſt priuilegium Summi Pontificis. *Caiet. vbi ſup.*

23 Sabbato, & Venere quos cibos poſſunt edere Chriſtiani?
Reſp. Omnes exceptis carnibus, & in Hiſpania eſt conſuetudo, vt Sabbato veſcantur inteſtinis animaliũ, & illa conſuetudo eſt ſeruanda, tam quoad Hiſpanos ibi commorantes, quam ex alia ragione per illam tranſeuntes. *Couarr. lib. 4. variar. reſolut. c. 20. nu. 12.*

CAPVT V.

De Voto.

1 QVid eſt votum?
℞. Eſt deliberata promiſſio ex voluntate, & propoſito in melius Deo facta. *Tolet. in ſum. libro 4. cap. 17.*

2 Sufficit ne ad votum propoſitum interius?
Reſp. Non ſufficit, ſed requiritur oris promiſſio verbis expreſſa ad Deum, & non ad homines. *Tolet. eodem loco*.

3 Quid requiritur in promiſſione, vt ſit votum?
Reſp. Delibe-

Reſp. Deliberatio rationis, & libertas voluntatis. *Tolet vbi ſup.nu.5.*

4 Si quis voueat exteriùs, & interiùs non habeat propoſitum adimplendi, valebit ne tale votum?
Reſp. Non valet, quia habet intentionem contrariam voto, ſed peccat mortaliter ſic deludendo. *Tolet. in ſum. vbi ſupra.*

5 Si quis promittat homini aliquam rẽ eſt ne votũ?
Reſp. Non eſſe, niſi prius Deo voueat immediatè, aut ſanctis eius. *Tolet. vbi ſup. nu.7.*

6 Quotuplex eſt votum?
Reſp. Duplex; ſolemne, & ſimplex. *Tol. in ſum. lib.4. c.18. num.1.*

7 Quid eſt votum ſolemne, & in quo conſiſtit?
Reſp. Eſt promiſſio Deo facta, & cõſiſtit in acceptatione à Prelato ex parte Dei, cui fit ipſa promiſſio.

8 Quid eſt votum ſimplex?
Reſp. Eſt pomiſſio vocalis, quam homo Deo facit de aliqua re bona. *Tol. in ſum. lib.4.c.18. num.1.*

9 Quotuplex eſt votum rurſus?
Reſp. Implicitum, vel explicitum, perſonale, reale, conditionale, pœnale, & abſolutum. *Tolet. in ſum lib. 4. cap.14.*

10 Aſſignari ne poteſt aliquod votum implicitum?
℞ Votum caſtitatis, verbi gratia, quod fit in ſuſceptione ordinis ſacri. *Tol. lib.4.c.18.*

11 Quod eſt votum explicitum?
Reſp. Quod promiſſione oris fit, votum religionis.

12 Quod eſt votum perſonale?
Reſp. Quod ad perſonam vouentis expectat, vt per eã, & non per tertiam perſonam adimpleatur, vt qui vouit caſtitatem, ieiunare, orare, & ſimilia. *Tolet. in ſum. lib.4.c.18. num.9.*

13 Quod eſt reale?
Reſp. Quod ad rem pertinet, vt qui vouit eleemoſynam, quam poteſt per alium dare.

14 Quæ differentia eſt inter votu perſonale, & reale?
Reſp. In eo conſiſtit, quòd pater poteſt annulare vota perſonalia filijs, vſq; ad decimumquartum annũ, non tamen poſt: realia verò poteſt annulare vſque ad vigeſimum quintum incluſiue. *Tol. vbi ſup.*

15 Quæ eſt ratio differentiæ, quare pater poteſt annulare votum perſonale filij vſque ad decimumquartum annum, & reale vſque ad vigeſimumquintum?
Reſp. Quia in voto reali promittit filius aliquid de bonis, quæ nõ ſunt in ſua poteſtate, neq; de eis habet liberam diſpoſitionem, vſq; ad vigeſimumquintum annum, in qua ætate liberatur à patria poteſtate, & fit ſui iuris.

16 Quod eſt votum conditionale?
Reſp. Quod fit ſub conditione, & impleta conditione tenetur adimplere votum, vt ſi quis voueat ſe ingreſſurum religionem, ſi conualeſcat ab infirmitate. *Tolet. vbi ſup.*

17 Quod eſt votum pœnale?
Reſp. Quod fit in pœnam alicuius delicti; vt ſi quis dicat ſi non obtinuero a ludo diſtribuam centum aureos pauperibus. *Tol. lib.4.c.18.*

18 Quod eſt votum abſolutum?
Reſp. Quod abſolutè fit abſq; vlla conditione. *Tol. vbi ſupra.*

19 Qui poſſunt vouere?
Reſp. Omnes, qui ſunt ſui Iuris, ſiue maſculi, ſiue fœminę. *Nauar. in manu. c.12. num.24.*

20 Qui non poſſunt vouere?
Reſp. Ebrij, inſani, amentes, & qui paſſione aliqua inconſideratè vouent, præterea, qui ira agreſſi, vt ludentibus accidit; non habentes legitimam ætatem, ſerui, religioſi, filij, qui ſunt ſub poteſtate alterius, vxor abſque licentia mariti. *D.Tho.2.2.q. 88. & Nauar. in manual. c.12. num.24.*

21 Filius in qua ætate poteſt vouere?
Reſp. In ætate 14. annorum, & antea non poteſt vouere, niſi de licentia patris, ſicut neque monachus, neque ſubditus, niſi de licentia ſuperioris. *Tol. in ſum. lib.4.c.17. num.13.*

22 Poteſt filius ante 14. annum vouere religionem?
Reſp. Non poteſt neque tale votum valet. *Tolet. vbi ſup. num.12.*

23 Filius poteſt vouere orationes, & ieiunia?
Reſp. Poteſt, quia in iſto caſu non eſt ſubditus.

24 Quot ſunt conditiones neceſſariæ ad verũ votum?
Reſp. Quatuor: poſſibilis, non vana, bona, meliori non contraria. *Tol. in ſum. lib.4.c.17. num.8.*

25 Quæ eſt conditio poſſibilis?
Reſp. Vt homo promittat, quod ipſe poteſt facere, vel rem quæ de ſe poteſt fieri. *Tol. in ſum. lib. 4.c.17. num.8.*

26 Quotuplex eſt conditio impoſſibilis?
Reſp. Multiplex: ex parte rei, & ex parte promittẽtis, vt ſi quis promittat ſe abſtinere à peccato veniali per totum vitæ ſpatium, vel promittat ſe ædificaturũ Eccleſiam in terra Maurorum. *Tolet. in ſum. lib.4. cap. 17. num.9.*

27 Materia voti qualis debet eſſe?
Reſp. Non vana, neq; indifferens. *Tolet. in ſum. lib.4.c. 17. num.8.*

28 Quæ eſt vana materia voti?
Reſp. Illa, quæ neque ad Dei honorem, neque ad ſalutem animæ ordinantur. *Tol. vbi ſup.*

29 Si quis vouet ſe non ambulaturum per talem viã, quia in ea ſollicitatur ab aliqua praua fæmina, erit ne verum votum?
Reſp. Erit quia eſt bona res. *Tol. ibid.*

30 Si quis voueret eleemoſynam, vt occidat inimicum, aut vt vincat in duello, valebit ne votum?
Reſp. Negatiuè, immò peccat mortaliter. *Tol. lib.4. cap.17. num.5.*

31 Si quis vouet religionem, vel eleemoſynam, vt incolumis maneat in duello, vel in bello, vel vt filium habeat, obligatur ne tali voto?
Reſp. Obligatur quia iſtę ſunt res bonę factibiles. *Tol. in ſum. lib.4.c.17. nu.16.*

32 Si quis voueret ducere vxorẽ, & non ingredi religionem, tale votum valet?
Reſp. Non valet, immò ſi ingrederetur religionem, benefaceret, quia ſtatus religionis perfectior eſt ſtatu matrimonij. *Tol. in ſum. lib.4.c.17.*

33 Si tali homini propter eius incontinentiam magis expediret ſtatus matrimonij, quam religionis, obligatur ne tali uoto?
Reſp. Obligatur, & ualebit uotum; ratio eſt, quia tali homini in particulari propter eius naturam eſt ſecurior ſtatus matrimonij, quam religionis, & ſic benè uouet de materia ſibi meliori, ſuæque animæ magis neceſſaria. *Caiet. 2.2. quæſt. 88. artic.2. Nauar. capit. 17. num.43.*

34 Si quis metu mortis, uel mali grauis uouet, ualet ne?

℞. Non,

℟. Non,quia vouit coactus, & non liberè. *Tolet.in ſum.lib.4.c.17.num.4.*

35 Si filia metu patris, matris, vel propinqui vouet religionem, valebit ne votum?

Reſp. Non valet,ſi per metum, cadentem in conſtātē virum id faciat. *Sot.lib.8.de iuſt.& iur.q.2.ar.1.ad 2*

36 Si quis in tēpeſtate magna voueret ſe ingreſſurū religionē, ſi liberaretur ab illa, valeret ne tale votū?

Reſp. Negatiuè,quia motus tempeſtatis abſtulit libertatem neceſſariam ad votum.

37 Si quis,quia paſſus eſt tempeſtatem voueret nunquam ingredi mare, vel quia cecidit ab equo nunquam equitare, valebit ne tale votum?

Reſp. Negatiuè, quia res vanæ ſunt, imò, eſt peccatum. *Tolet.in ſum.lib.4.c.17.num.13.*

38 Si quis vouet uirginitatem, & eam ammittit, ualet ne tale uotum?

Reſp. Negatiuè, quia impoſſibili eſt virginitatem ammiſſam recuperare: ſecus ſi voueret continentiam, quia tunc toties peccat contra votum,quoties illam non ſeruat.*Tol.lib.4.in ſumma cap.17.*

39 Si quis vouet continentiam,& poſtea vxorem duxit, valebit ne tale votum?

Reſp. Non tenebitur ſeruare tale votū,dū viuit vxor mortua vxore, tenebitur. *Tol.vbi ſup.num.14.*

40 Si quis voueat ingredi talem religionem,& in illa non ſuſcipiatur, tenebitur ne ingredi aliam?

Reſp. Si vouens fecit diligentiam neceſſariam, tale votum nullum eſt, & non tenetur ingredi aliam, nec in ſæculo ſeruere continentiam. *Tolet. in ſum. lib. 4.c. 17.num.12.*

41 Si quis vouit aliquid, & ex aliquo iuridico impedimento non potuit adimplere;ſublatio tale impedimento, tenebitur ne ad votum?

Reſp. Negatiuè, ſicut quando filius vouit dare centum aureos, patre viuente, etiam ſi ſolum tunc non ſit capax vouendi, mortuo tamen Patre,non tenetur adimplere, quia in voto requiritur poſſe vouere, & poſſe adimplere in tempore,in quo deſtinauit. *Abb. c.quidem.de conuerſ.coniugat.nu.3.*

42 Si quis vouet vniuerſaliter religionem ad quid tenetur?

Reſp. Tenetur in illa vrbe adire plures domos diuerſarum religionum, & ſi non recipiatur, non tenetur amplius voto, quia per ipſum non ſtat quominus non adimpleatur.*Tol.in ſum.lib.4.c.17.num.11.*

43 Si quis vouet non fornicaturum, non occiſurum, & alia, quæ diuino præcepto prohibentur,ſi fecerit contra tale votum, quot peccata committit?

Reſp. Bis peccat mortaliter, ſcilicet contra votum, & contra præceptum,& in confeſſione tenetur explicare voti circuſtantiam.*Tolet.in ſumm. lib.4. cap.27. numero.19.*

44 Si quis vouenti religione ſuadeat,ut non ingrediatur,peccat ne mortaliter?

Reſp. Si adeſt legitima cauſa, ne talis ingrediatur, videlicet,quia eſt ineptus religioni, vel vtilior extra, vel tam mutabilis, vt certò ſciat non perſeueraturū, non peccat: ſi verò ſine iuſta cauſa ſuadet, ne ingrediatur, multa peccata committit contra ipſum, & contra religionem. *Scot.in 4.diſt.15.q.3.*

45 Si quis fecit votum caſtitatis, & religionis ſimpliciter, valebit ne matrimonium, quod contrahit?

Reſp. Talis contrahendo peccat mortaliter,ſed matrimoniū valet, & nō poterit exigere debitum abſq; diſpenſatione, ſed ſolum reddere. S. *Antonin. 3.part. titul.3.cap.4.*

46 Mulier quę fecit votum religionis, & poſtea contraxit matrimonium poteſt ne exigere debitum?

Reſp. Poteſt, ſed non quæ fecit votum caſtitatis. *Tabiena verb.matrim.1.§.2.& Sanct.Anton.part.2.tit.11.cap.2.*

47 Votum ſolemne impedit ne matrimonium contrahendum?

Reſp.Impedit, & dirimit contractum,& ſi contingerit à Iudice ſunt ſeparandi. *Tolet.in ſum.lib.4.c.18.*

48 Religioſus ſolemne habens votum; ſi à monaſterio expellatur, tenebitur ne perpetuò ſeruare caſtitatem, paupertatem, & obedientiam?

Reſp. Tenebitur ſolùm ſeruare caſtitatem, quia ab obedientia,& paupertate per excluſionem factam à ſuperioribus liberatus eſt propter neceſſitatem vitę, & ſuſtentationis.*Tol.in ſum.lib.4.c.18. num.3.*

49 Qui relinquit habitum religionis quam pœnam incurrit?

℟. Excommunicationis latæ ſententiæ, & eſt Apoſtata. *c.2.ne cler.vel monachi lib.6.*

50 Hæc excommunicatio cui reſeruatur?

℟. Nulli, & à proprio Confeſſore abſolui poteſt, ſed non debet facere, quoadúſque habitum reſumat. *Tol.in ſum.lib.4.c.18.num.6.*

51 Si quis relinquat habitum religionis, vel clericatus, vt ſecurus tranſeat per terras infidelium, vel ob aliam iuſtam cauſam, eſſet ne Apoſtata?

℟. Negatiuè, quia Apoſtaſia non conſiſtit in ſola dimiſſione habitus, ſed in animo uiuendi laicaliter, & relinquendi propriam religionem.*Tol.in ſum.lib.4. cap.18.num.6.*

52 Clericus qui in minoribus conſtitutus ordinibus, relinquit habitum; eſt ne Apoſtata?

℟. Negatiuè, ſed ſolùm perdidit priuilegium clericale. *Clem.quoniam de vit.& honeſt. cler. Trid.ſyn.ſeſſ. 14.cap.6.de reſor.*

53 Si quis in minoribus ordinibus de facto ducat uxorem,& relinquat beneficium ſimplex,quod habet peccat ne?

℟. Non peccat, niſi ex contemptu id faciat. *Syluest. verb.Apoſtaſia.*

54 Si quis uouit ſe nupturum, & poſtea profitetur aliquam religionem, uel ſuſcipit ordines ſacros, obligatur ne tali uoto?

℟. Negatiue,quia ſuſcipere ordines ſacros, & profiteri ſunt meliora primo uoto. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.Can. 10.de ſacr. matrim.*

CAPVT VI.

De irritatione voto.

1 QVid eſt irritatio uoti?

℟. Annulatio quędam facta à Superiore perſonæ inferiori, quæ facit, ut uotum non ſit obligarium.*Tolet. lib.4.c.18.num.7.*

2 In irritatione uoti requiritur aliqua cauſa?

℟. Negatiue,ſed uolunras irritatis. *Tol.vbi ſup.n.7.*

3 Quis poteſt irritare uotum?

℟. Pater

Reſp. Pater filijs: ſuperior ſuis religioſis; maritus mulieri; Dominus ſeruis. *Tolet.in ſum.lib.4.c.18.n.11.*

4 Si religioſus uoueat peregrinationem, uel quid ſimile, quis poteſt irritare hoc uotum?
Reſp. Suus Superior, ſed ſi ſemel approbauerit, tenebit tale uotum. *Caiet.verb.votum.*

5 Si Superior ſemel approbauit, poterit iterum irritare?
Reſp. Poterit, ſed peccauit. *Caiet.vbi ſupra, & Tolet. num.7.*

7 Si filius uouet ante decimum quartum annum, quis poterit irritare tale uotum?
Reſp. Pater eius. *Tolet.lib.4.c.18.nu.11.*

CAPVT VII.

De commutatione voti.

1 QVid eſt commutatio Voti?
Reſp. Eſt materiam uoti promiſſam in aliam non promiſſam commutare. *Vgol. de offi. & poteſt. Epiſc. fol. 165.*

2 Quis poteſt commutare uotum?
Reſp. Epiſcopus, Prælatus, & quilibet Superior, qui non debent commutare abſque rationabili cauſa, neque commutare in leues materias, & ſi fieri poteſt in æquales. *Tol.lib.4. c.18. num.13.*

3 Quæ cauſa debet eſſe, ut permutetur uotum?
Reſp. Iuſta, ſcilicet quando uouens non poteſt adimplere uotum, uel non commodè: tunc enim creditur, quòd Dei beneplacens miſericordia, ac benignitas unam rem pro alia accipiet. *Caiet. 2.2. quæſt. 12.*

4 Quando non adeſt cauſa legitima, quomodo debet uotum commutari?
Reſp. In aliam rem meliorem, uel æqualem *Caiet. vbi ſupra.*

5 Quid debet Epiſcopus attendere in commutatione Voti?
Reſp. Quòd res, in quam uotum permutat, aliquo modo aſſimiletur rei uoto promiſſæ; ut ſi quis promiſit ſe aditurum lauritanam domum Sanctiſſimæ Virginis, uiſitet aliam imaginem ſimilem eiuſdem B. Mariæ, ſi promiſit ieiunia, faciat abſtinentiam, uel det eleemoſynam. *Vgolin.de offic. & poteſt. Epiſc.tra. 2.fol.166.*

6 Poteſt quis abſque licentia alicuius ſuperioris commutare uotum, quod fecit, in materiam æqualem, uel in paulo inferiorem?
Reſp. Non poteſt, ſed in meliorem poteſt. *Tol.lib.4. c.18.num.12. ſed ſecurius eſt conſulere ſuperiorem.*

7 Poteſt Epiſcopus, & quilibet ſuperior erga ſuos ſubditos omnia uota commutare?
Reſp. Po eſt exiſtente cauſa, exceptis quinque, quæ ſoli Papæ reſeruantur, ſcilicet votum ſimplex religionis, caſtitatis perpetuæ, peregrinationis Sancti Iacobi, Hieruſalem, & Sancti Petri Romæ. *Tolet.in ſum.lib.4.c.18. num.13.*

8 Poteſt Epiſcopus commutare votum caſtitatis ad tempus editis?
Reſp. Poteſt, & in illo diſpenſare ob legitimam cauſam. *Syl.verb.votum.4.*

9 Poteſt Epiſcopus commutare votum, de nō contrahendo?
Reſp. Poteſt, & in illo diſpenſare ex iuſta, præſertim incontinentiæ conſiderata natura, vita, officio, conuerſatione vouentis. *Sylueſt.verb.votum.4.§.4.*

CAPVT VIII.

De Abſolutione voti.

1 QVis poteſt abſoluere votum non adimplētem?
Reſp. Quilibet Sacerdos, ſi ſit Confeſſor approbatus, ſed manet voti obligatio in poſterum. *Tolet.lib.4.c.17.*

2 Si quis vouet continentiam, & poſtea fornicetur, à quo poteſt abſolui?
Reſp. A proprio Confeſſore, ſed pœnitens ſemper manet tali voto obligatus.

3 Si quis vouet ſe daturum religioni mille aureos, quis poterit eum abſoluere?
Reſp. Ante acceptationem, Epiſcopus; poſt acceptationem diſtinguendum; ſi vouens principaliter ſuam deuotionem reſpexit, Epiſcopus eum à voto poterit abſoluere, ſi reſpexit principaliter vtilitatē, & neceſſitatem monaſterij, Epiſcopus non debet abſoluere eum, donec ſoluat, quia iam acquiſitum eſt ius à monaſterio per acceptationem à monachis factam, vnde damnum tertiæ perſonæ inſurgeret, ſi abſolueretur. *Tolet. lib.4.c.18.*

CAPVT IX.

De diſpenſatione voti.

1 QVid eſt diſpenſatio?
Reſp. Eſt relaxatiō pœnæ communi Iure ſtatutæ facta cum cauſa, & cognitione ab eo, qui ius diſpenſandi habet. *Gloſ. in cap.requiſiſtis.1.q.7. Mandoſ. de ſignat.grat.4.de diſpenſat. Couar. de ſponſal. p.2.cap.6.§.9.*

2 Vnde dicitur diſpenſatio?
Reſp. A verbo penſo, quia antequam fiat, multa ab Epiſcopo conſideranda ſunt. *Abb.in c.diuerſis.de cler. coniugat.*

3 Quibus ex cauſis debet fieri diſpenſatio?
Reſp. Quando neceſſitas, & vtilitas publica, vel Eccleſia id poſtulat. *c. diſpenſationes. 1.q.7. Trid.ſyn.ſeſſ. 23.c.12. 14. & 18. de reform.*

4 Summus Pontifex poteſt diſpenſare ſine cauſa?
Reſp. Poteſt, quia eſt ſupra Ius commune. *l. digna vox.C. de legib.*

5 Papa poteſt ſolo facto diſpenſare, puta ſi aliquem ordinet, quem ſcit eſſe irregularem, ita vt ex tali facto ille ſit diſpenſatus?
Reſp. Poteſt, ſed non Epiſcopus, quia in ijs, quę ſunt iuris poſitiui, in Romano Pontifice voluntas pro cauſa habetur. §. *ſed quod Principi. inſt.de iur.natur.*

gent. & ciui. l. quidam conſulebat. ff. de re iud.

6 Quæ eſt forma diſpenſationis?
Reſp. Ego N. Epiſcopus diſpenſo tecum in tali voto. *Mandoſ. in c. diſpenſationes. tit. de diſpenſat.*

7 Decreta Concilij Trid. à quo poſſunt diſpenſari?
Reſp. A ſolo Papa, cuius auctoritas ſemper ſalua manet. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 22.*

8 Canones Concilij Trid. ex qua cauſa debet diſpẽſari?
Reſp. Vrgẽti ratione maioris utilitatis, aliàs diſpẽſatio facta ſurreptitia cenſetur. *Trid. ſyn. ſeſ. 25. c. 18.*

9 Si Papa committat diſpenſationem alicui, & talis moriatur, re integra, quid agendum?
Reſp. Si diſpenſatio committatur certæ perſonæ, ratione perſonæ mortuæ, alia debet nominari à ſummo Pontifice: ſi verò committatur ratione officij ueluti Vicario, uel Epiſcopo, ſucceſſor eius poterit executioni mandare tale reſcriptum. *Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſc. tract. 2. fol. 150.*

10 Si ſint plures Iudices in una diſpẽſatione, & unus incipiat, cæteri poſſunt ne procedere?
Reſp. Si reſcriptum dicat (ſinguli eorum) nõ poſſunt procedere, quia in iſto caſu eſt locus præuentionis. *c. pluries. de offic. deleg. lib. 6.*

11 Cui committi debent diſpenſationes?
Reſp. Ordinario, & partes non poſſunt uti illis, niſi priùs coram illo præſententur, & ab eo expediantur.

12 Quomodo eſt procedendum in diſpenſationibus.
Reſp. Summariè, ſed citando partes.

13 Quid poteſt accipi pro labore diſpenſationis?
Reſp. Epiſcopus, & Vicarius nihil; Notarium uerò pro labore examinis teſtium quartam partem aurei.

14 In quibus caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare?
Reſp. Solùm in caſibus à Iure expreſſis.

15 Quales ſunt caſus à Iure expreſſi?
Reſp. Epiſcopus poteſt diſpenſare ſolum uota exceptis aliquibus; & irregularitates, quæ non proueniunt ex homicidio uoluntario, nec ex delicto in iudicium deducto, & matrimonium in certis gradibus, & in ultimis uoluntatibus, & relicta pia, & interſtitia. *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſcop. tract. 2. fol. 151.*

16 Ex quibus cauſis poteſt diſpenſari?
Reſp. Relinquitur arbitrio Epiſcopi; ſed per DD. ad quatuor capita reducuntur. Primò, ad facilitatem uouentis, ut in pueris, & hominibus facilis conditionis. Secundò, ſi ex uoto timeatur poſſe redundare aliquod damnum in ciuitate, uel familia alicuius, ut ſi aliquis neceſſarijs Reip. uel ſuæ familiæ uoueat ſe peregrinaturum per tres annos, & ex iſta longa abſentia redundat damnum ſuæ familiæ, vel Reip. Tertiò, ſi adimplere votum inutile ſit, vel maius bonum impediatur; vt ſi quis voueat ſe ædificaturum aliquã Eccleſiam in aliquo loco, & antequã ædificet, locus ab hæreticis occupatur. Quarto ſi ex executione voti aliquod damnum oritur in valetudine talis perſonæ; vt ſi quis voueat pedibus excalceatis peregrinaturum tempore mutationum. *Nau. tra. de Iubileis. not. 27. n. 2. Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. p. 2. fol. 157.*

17 Quæ vota reſeruauit ſibi Summus Pontifex?
Reſp. Quinque: caſtitatis, religionis, peregrinationis S. Iacobi Hieruſalem, & S. Petri Romæ. *c. cum ad monaſterium. de ſtat. monach. DD. in cum in cunctis. de elect.*

18 Vouens aliquando poteſt ſine auctoritate Prælati votum non adimplere?
Reſp. Cum diſtinctione: aut manifeſtè conſtat votum eſſe inutile, vel malum, vel maius bonum impediri, & tunc poterit: aut dubium eſt ſuper his rebus, & tunc ſine auctoritate Superioris id debet facere. *Caiet. 2. 2. q. 88. art. 12. Nau. in man. c. 12. num. 66.*

19 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum eo, qui vouet ſe non luſurum, vel non facturum talem rem indifferẽtem ſub pœna ingrediendi religionem?
Reſp. Poterit, quia non diſpenſat ſuper votum religionis, ſed ſuper peccatum, & cauſam voti. *Nauar. c. 12. num. 43.*

20 In quibus caſibus poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto ſimplici continentiæ, vel caſtitatis?
Reſp. In pluribus. Primo, quando duo coniuges vouent continentiam perpetuam, & eſt periculum incontinentiæ, & adire Romanum Pontificem facile non poſſit. Secundo, ſi alter coniux ſine alterius conſenſu continentiam vouet. Tertio, ſi quis caſtitatem vouet, & poſtea vxorem ducit, & conſumat matrimonium. Quarto, quando quis vouet continẽtiam ad tempus. Quinto, vbi votum de non ducenda vxore quis fecit. Sexto, ſi quis vouit mulierem libidinosè non tangere. Septimo, ſi quis vouet ſe ſuſcepturum ſacrum ordinem. *Nauar. in manual. c. 13. num. 59. conſ. 42. de voto num. 65. & 70. Syluest. verb. diſpenſatio. q. 15. verſ. quibus. & in verb. votum. 4. q. 3. verſ. 6.*

21 Si quis vouet peregrinationem ad limina Apoſtolorum tali tempore, poteſt ne Epiſcopus in tempore diſpenſare?
Reſp. Si in tali tempore vouentes eſt impeditus carcere, morbo, vel paupertate, poterit declarare cauſam legitimam eſſe, vt illo tempore excuſetur ab executione voti. *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. tract. 2. fol. 162.*

22 Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum eo, qui vouet ſe talẽ religionem ingreſſurum, vt ingrediatur alterã?
Reſp. Poteſt; quia hoc magis eſt commutare votũ quàm diſpenſare. *Nauar. conſ. 4. & 14. de voto. & conſ. 4. de regularibu. num. 33. Caiet. 2. 2. quæſt. 89. art. 1.*

23 Quando Epiſcopus diſpenſat in voto, debet ne loco uoti imponere aliquã pœnitentiã, uel aliam rem?
Reſp. Negatiuè, quia hoc non eſſet diſpenſare, ſed permutare. *c. magne. de voto. Nau. in man. c. 12. nu. 65.*

24 Poteſt Epiſcopus delegare hanc facultatem diſpenſandi?
Reſp. Poteſt quia eam habet ratione ſuę dignitatis; ſed ſi eam habuerit delegatam à Summo Pontifice, in aliquo caſu, eam ſubdelegare non poteſt. *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. tract. 2. fol. 162.*

CAPVT X.

De Simonia.

1 QVid eſt ſimonia?
Reſp. Studioſa uoluntas contractandi pretio rem ſpiritualem. *Tol. lib. 5. c. 84. nu. 1. D. Th. 2. 2. q. 10.*

2 Quare dicitur res ſpiritualis?
Reſp. Quia procedit à Deo, qui eſt auctor gratiæ.

3 Quotuplex eſt diſtinctio pretij?
Reſp. Triplex: pecunia, laus, & obſequium. *Tolet. in ſumm. lib. 5. cap. 84. num. 3.*

4 Si

4 Si quis conueniat cum alio ſe daturum ei beneficium, ſi ipſum laudet coram alijs, vel inimicum vituperet, erit ne pretium, & ſimonia?
Reſp. Erit. *Tolet. in ſum. c. 84. num. 5.*

5 Quid eſt pretium obſequij?
Reſp. Quando quis inſeruit alicui in miniſterijs tẽporalibus pro retributione, vt Oeconomus, & vbi aliquod pretium horum intercedit tamquam pretiũ pro re ſpirituali eſt ſimonia. *Tol. vbi ſup.*

6 Vnde dicitur ſimonia?
Reſp. A Simone Mago primo Auctore huius peccati. *act. 8. qui vt habetur q. 3. c. Saluator.* voluit emere donũ Spiritus ſancti, vt poſſet alijs cũ lucro vendere.

7 A quo fuit prohibita?
Reſp. A Deo, ex illo. *Matth. 10.* gratis accepiſtis, gratis date.

8 Quot ſunt ſpecies ſimoniæ?
Reſp. Tres mentalis, conuentionalis, & realis. *Tol. vbi ſup.*

9 Quæ eſt mentalis, & quotuplex?
Reſp. Duplex: altera, cum quis interiùs vult rem ſpiritualem pretio contractare, tamen non deducit ad actum exteriorem aliqua de cauſa: altera mentalis eſt, cum exteriùs aliquid ſpirituale tractatur certo pretio, tamen non manifeſtatur; verbi gratia, aliquis dat centum aureos alicui hac intentione, vt det ei beneficium, tamen neque implicitè, neque explicitè ſignificat alteri. *Tol. in ſum. Lib. 5. c. 86. n. 2. Nau. in manual. c. 23. num. 103.*

10 Quæ eſt conuentionalis?
Reſp. Quando eſt pactum aliquod exterius implicitum, vel explicitum, tamen non ſequitur conſummatiò operis ex vtraque parte. *Tolet. in ſum. c. 84.*

11 Quotupliciter fit ſimonia?
Reſp. Tripliciter: vno modo, quando tantum eſt pactum pretij, tamen nondum eſt datum pretium, nec translatum beneficium. Secundo modo, quando cum pacto pretium eſt translatum, ſed nondum acceptum beneficium. Tertio modo, quando datum eſt beneficium, vel res ſpiritualis, nondum tamen eſt pretium acceptum. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 86. num. 3.*

12 Quæ eſt realis?
Reſp. Eſt perfecta conſummatio ſub vtraque parte. *Nauar. in manual. c. 23. num. 105.*

13 Pro quibus rebus dare pecuniam eſt ſimonia?
Reſp. Vt ſi ematur calix pluris, quam valet ex eo præcisè, quia eſt conſecratus, ſed vendere, & emere calices etiam conſecratos eodem pretio, ac ſi non eſſent conſecrati, non eſt ſimonia. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 87. num. 5.*

14 Quibus rationibus poteſt dari pecunia pro re ſpirituali?
Reſp. Multis. Primò per modũ pretij, Secundò per modum ſuſtẽtationis ipſis miniſtris rerum ſpiritualium, ſeu per modum eleemoſynæ, vel oblationis, quæ fit Deo in ſuo miniſtro; aut per modum liberalitatis, ſeu ſpontaneæ donationis, & gratitudinis, uel per modum laudabilis conſuetudinis. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 87. num. 1.*

15 In ſimonia quis diſpenſat?
℞. Quando eſt de Iure poſitiuo, Papa. *Tol. vbi ſup.*

16 In ſimonia reali poteſt ne Papa diſpenſare?
℞. Non poteſt facere talem contractum licitũ, benè tamẽ poteſt Simoniacos habilitare ad beneficia, & à peccato abſoluere. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 48. num. 4.*

17 Epiſcopus poteſt abſoluere ſubditum ſuum à ſimonia occulta?
Reſp. Poterit ſicuti poteſt ad ordines ſuſcipiendos habilem reddere, ſed non poteſt eum habilem reddere ad obtinenda beneficia, quibus priuaretur, ſi talis ſimonia eſſet publica. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 24.*

18 Quod peccatum eſt ſimonia?
Reſp. Mortale, & tripliciter peccat Simoniacus. Primò quia uendit quod non eſt uenale. Secundo, quia uendit, quod ſuum non eſt; nam 1. *Corinth. 4.* homo diſpenſator eſt rerum ſpiritualium nõ Dominus, & ita qui uendit rem ſpiritualem, alienam rem uendit. Tertiò, quia facit contra originem rei ſpiritualis. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 85. n. 1.*

19 Quæ pœna datur ſimoniaco?
Reſp. Ipſo iure eſt excommunicatus, & perdit beneficia obtenta, & obtinenda, uſque dum à Papa diſpenſetur. *Syl. verb. ſimonia. n. 19.*

20 Hæc pœna intelligitur ne in ſimonia mentali?
℞. Negatiuè, ſed in ſimonia reali, in ſimonia mentali peccat ſolum mortaliter. *Tol. in ſum. l. 5. c. 93. n. 2*

21 Pretium ſimoniæ cui debet reſtitui?
Reſp. Eccleſiæ, uel pauperibus, quia qui dedit pecuniam, eam amiſit dando eam pro re turpi. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 93. num. 4.*

22 Mediator, & interuentor in ſimonia, tenetur ne reſtituire fructus?
Reſp. Negatiuè, licèt grauiter peccet, quia ſolum ſimoniaco impoſita eſt hæc pœna. *Tol. vbi ſup.*

23 Simoniacus tenetur ne in foro conſcientiæ relinquere beneficium, & reſtituere fructus?
Reſp. Tenetur. *Tol. vbi ſup.*

24 Conferre beneficia indigno ob familiaritatem, uel conſanguinitatem, eſt ne ſimonia?
Reſp. Negatiuè, ſed peccatum mortale. *D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 5.*

25 Poſſunt ne uendi res ſacræ?
Reſp. Poſſunt ratione materiæ, & non ratione benedictionis. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 85. n. 2.*

26 Committens ſimoniam in ordine, uel beneficio, incurrit ne in excommunicationem?
℞. Incurrit, ſi ſit realis. *Tol. in ſum. c. 93. n. 1. lib. 5.*

27 Ignorantia excommunicationis, excuſat ne ſimoniacum ab excommunicatione?
Reſp. Affirmatiuè, quia ad excommunicationem requiritur ſcientia, & conſenſus. *Tol. lib. 5. c. 86. n. 5.*

28 Scientes, & non manifeſtantes incurrunt ne excõmunicatione ſecundũ extrauagãte cum deteſtabile?
℞. Talis extrauagans non eſt in uſu, & ſic non incurrunt, *vt tenet ſum. Tabien. verb. ſimonia. §. 75.*

29 Si quis committit ſimoniã in beneficio, eſt ne priuatus illo beneficio, uel etiam alijs beneficijs?
Reſp. Si ſit realis, omnibus, & eſt inhabilis ad futura, ſecus autem ſi ſit conuentionalis. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 93. num. 10.*

30 Quando dicitur conſumata ſimonia?
Reſp. Quando concurrunt conuentio, intentio, & executio.

31 Accuſatus de ſimonia, prohibetur ne accuſatione pendente à celebratione Miſſarum?
Reſp. Si accuſatio ſit probata per teſtes, prohibetur. *Tol. vbi ſup.*

32 Simonia quomodo probatur?
Reſp. Per præſumptiones, & teſtes, cum de ſua natura ſit peccatum.

33 Committitur ne ſimonia in iure patronatus?
Reſp. Affirmatiuè. *Tolet. vbi ſup.*

34 Si quis Sacerdos ad audiendam alicuius cõfeſſionem, duo aut tria milliaria conficiat, aut aliquas etiam expenſas faciat, erit ne ſimonia, ſi accipiat aliquid?
Reſp. Non erit, quia eſt labor antecedens, & pro hoc poteſt pretium exigi, & dari. *Sot. lib. 9. q. 6. art. 1.*

35 Si quis obligat per annum, aut per aliquod tempus adminiſtranda ſacramenta, vel celebrandum, & exigat pretium pro tali obligatione, erit ne ſimonia?
Reſp. Non erit, quia hic non vendit rem ſpirituale, ſed ſuam libertatem. *Caiet. verb. ſimonia. & Gl. ſuper c. ſignificatum de præbend.*

36 Si quis accipiat aliquid pro labore audiendi confeſſiones, baptizandi, & alia ſacramenta miniſtrandi, erit ne ſimoniacus?
Reſp. Erit ſimonia, quia talis labor eſt concomitans rem ſpiritualem, & ab ea ſeparari non poteſt. *Sot. lib. 9. de iuſt. & iur. q. 6. art. 1.*

37 Qui adeptus fuerit beneficium per ſimoniam cõuentionalem, vacat ne beneficium ipſo Iure?
Reſp. Negatiuè, ſed per ſententiam. *Tolet. in ſumm. cap. 93.*

38 Eſt ne ſimoniacus, qui dat pecunias ad obtinendã amicitiam, vel ſeruitutem, ex qua deinde conſequatur beneficium?
Reſp. Non eſt principaliter non intendit beneficiũ. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 84. num. 5.*

39 Qui permutat beneficium cum beneficio abſque licentia Papæ, eſt ne Simoniacus?
Reſp. Affirmatiuè. *c. quæſitum. de rer. permutat.*

40 Si duo paciſcantur, quòd poſt certum tẽpus vnus eorum alteri beneficia renunciet, erit ne ſimonia?
Reſp. Negatiuè, ſed confidentia reprobatá.

41 Contractus non emptionis, neque venditionis, poteſt eſſe ſimoniacus?
Reſp. In re ſpirituali omnis actus, qui non ſit contractus gratuitus, poteſt eſſe Simoniacus.

42 Poteſt Epiſcopus abſoluere ſubditum ſuum à ſimonia occulta?
Reſp. Poteſt, & ad ordines ſuſcipiendos habilem reddere, ſed non ad beneficia, quibus priuatur, ſi talis ſimonia eſſet publica. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 6.*

CAPVT XI.

De Vſuris.

1 QVid eſt Vſura?
Reſp. Quidquid exigitur vltra ſortem principalem, vide *Val. part. 1. Nauar. num. 214. Caiet. verb. vſura. Leſſ. c. 3.*

2 In commodato eſt ne vſura?
Reſp. Non eſt, ſed actus bonus, & charitatis.

3 In quo differunt mutuum, & commodatum?
Reſp. In commodato non transfertur dominium rei, imo eadem res debet reſtitui: in mutuo autem transfertur. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 28. num. 2.*

4 Quid requiritur ad veram vſuram?
Reſp. Primò mutuum. Secũdò lucrum. Tertio, quòd tale lucrum ſit æſtimabile pecunia. Quartò, quòd proueniat ratione mutui. Quintò, quòd tale lucrum principaliter, & non ſecundariò proueniat ex mutuo. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 28. num. 2.*

5 Vſura, & dare ad vſuram quo iure prohibentur?
Reſp. Naturali, humano, & diuino. *Tol. vbi ſup.*

6 Vſura quod peccatum eſt?
Reſp. Mortale, & aſſerere contrarium eſt hæreticũ. *c. ſuper eod. & c. quia de vſur.*

7 Vſurarius eſt ne ipſo Iure excommunicatus?
℞. Nõ eſt, & ideo nõ eſt expellẽdus ab officio diuino. *Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. q. 1. art. Sylu. verb. vſura.*

8 Quotuplex eſt vſura?
Reſp. Mentalis, realis, & palliata. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 29. num. 1.*

9 Quæ eſt mentalis?
Reſp. Quando aliquis mutuat aliquid ea intentione, vt vltra ſortem recipiat lucrum, ſed non manifeſtat intentionem. *Sylu. verb. vſura.*

10 Quæ eſt realis?
Reſp. Quando quis mutuat, & facit pactum, quod priùs debet illi ſolui vltra ſortem tanta quantitas. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 29.*

11 Quæ eſt palliata?
Reſp. Quando quis mutuat, & non poſcit, quod debet recipere vltra ſortem. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 29. n. 1.*

12 Mutuans habens animum ex mutuo percipiendi aliquid, ſed non principaliter ex mutuo, ſed ex liberalitate, vel gratitudine, eſt ne vſurarius mentalis?
Reſp. Non eſt, quia principaliter id non intendit, ſed ſecundariò. *Tol. vbi ſup.*

13 Quid requiritur ad vſuram mentalem?
Reſp. Primò intentio recipiendi vltra ſortem. Secundò, quòd ſit ratione mutui. Tertiò quod principaliter, & non ſecundariò intendat aliquid habere vltra ſortẽ ratione mutui. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 29. n. 3.*

14 Quotupliciter committitur vſura mentalis?
Reſp. Tripliciter. Primò, quãdo eſt intentio ſolum ex parte dantis. Secundò, quãdo ſolum eſt ex parte recipientis. Tertiò, quando eſt intẽtio ex vtraque parte, licèt non exprimatur. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 29. nu. 4.*

15 Ad vſuram realem quid requiritur?
Reſp. Primò, vt intercedat mutuum, & vltra ſortem ratione mutui aliquid recipiat. Secundò, vt ſit pactum explicitum recipiendi aliquid, & hoc accidat ratione mutui, quando ipſum mutuum occultatur nomine alterius contractus, vt emptionis, vel venditionis. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 31. num. 5.*

16 Quando quis vendit rem, quæ non eſt, vel vendit rem, quam non tradidit in pretium 200. ducatorũ, & loco rei tradit 100. aureos, eſt ne vſura?
Reſp. Affirmatiuè, eſtque palliata, & frequenter committitur. *Tolet. lib. 5. c. 31. num. 1.*

17 Quot ſunt pretia rerum, & in qua differentia?
Reſp. Tria: infimum, medium, & ſupremum. *Tol. vbi ſup. num. 3.*

18 Si quis vendat rem in pretio medio, vel infimo, quia ſolutio fit de præſenti, & eandem rem vendat alteri in ſummo pretio, quia ſolutio eſt de futuro, eſt ne vſurarius?
Reſp. Non, quia non vendit rem vltra ſummum pretium. *Tol. vbi ſup. num. 3.*

19 Quotupliciter poteſt palliari vſura?
℞. Dupliciter. Primò ratione pacti, quando nõ exprimitur in cõtractu, ſed alia via indicatur. Secundò, ratione

ratione mutui, quando ipſum mutuum occultatur nomine alterius contractus, vt emptionis, vel venditionis. *Tolet. vbi ſup. num.* 1.

20 Si quis debet ſoluere centum poſt annum, & de præſenti ſoluit ſeptuaginta, & petit ſibi remitti triginta erit ne vſura?
Reſp. Si id petat, quia de præſenti multum valet pecunia, vel quia poſt annum poteſt eſſe periculum in ſolutione, non eſt vſura: ſi verò rem petat ratione temporis, erit vſura. *Nauar. in manu. c. 17. num. 131. Tolet. in ſum. lib. 5. c. 31. num. 6.*

21 Si ſocer dat agrum in pignore dotis, erit ne vſurarius?
Reſp. Negatiuè, ſed licitè poterit percipere fructus, & recuperare integram dotem propter onus matrimonij. *c. ſalubriter de vſuris. Sot. lib. 6. q. 1. art. 2.*

22 Si quis habeat ſpem, vel deſiderium recipiendi aliquid vltra mutuum, erit ne vſurarius?
Reſp. Negatiuè: quia ſpes & deſiderium differunt ab intentione in eo, quòd intentio operatur propter rem, vnde qui ita mutuat propter vſuram, vſurarius eſt: ſpes verò, & deſiderium non habent rationem operationis, & executionis in ordine ad vſuram. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 29. num. 3.*

23 Si quis det pecunias argenteas, vt recipiat aureas, & accipiat aliquid moderatum, erit ne vſura?
Reſp. Non erit, quia talis contractus non eſt mutuãdi, imò permutãdi vnã rẽ pro alia. *Tol. l. 1. c. 30. n. 1*

24 Si quis mutuat agricolis triticum ea conditione, vt obligentur colere terras mutuantis, erit ne uſura?
Reſp. Erit, quia illa obligatio pecuniæ æſtimabilis eſt, & percipitur aliquid ultra ſortem principalem. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 30. num. 3.*

25 Quid debet talis mutuans facere, ne committat uſuram?
Reſp. Debet remittere agricolis aliquid de pecunia commodata arbitrio boni uiri. *Tol. vbi ſup.*

26 Si quis mutuet aliquid ea obligatione, ut ſucceſſiuè emat merces ex ſua officina, erit ne uſura?
Reſp. Erit, quia talis obligatio pretio æſtimabilis eſt. *Tol. in ſum. l. 5. c. 30. n. 3. Molina diſt. 30. Sylu. vſura. 1. q. 7. D. Ant. loc. cit. §. 8. Azor. c. 7.*

27 Si quis mutuet pecunias Principi, vt ſibi remittat gabellas, eſt ne vſura?
Reſp. Eſt vſura aperta. *Tol. vbi ſup.*

28 Si quis mutuat alicui nauiganti, vel eunti ad ferias hac conditione, vt obliget ipſum mercatorem, vel nauigantem, vt ineat ſecum contractum aſſecurationis, eſt ne vſura?
Reſp. Affirmatiuè, *c. nauiganti. de vſur.*

29 Si quis dat frumentum vetus, vt detur ei nouum, erit ne vſura?
℞. Si non fiat ea ratione, quòd nouum frumentum plus putatur valere, quàm vetus, ſed ſolum ea ratione, quòd non pereat, non eſt vſura. *Tol. in ſum. l. 5. c. 30*

30 Si quis mutuat cum pacto, vt alius fideiubeat, vel ſpõdeat pro ipſo in aliquo negotio, erit ne vſurarius?
Reſp. Erit, quia hæc obligatio eſt pretio æſtimabilis, & ex hoc capite recipit aliquid vltra ſortem principalem. *Tol. in ſum. l. 5. c. 30. num. 6.*

31 Si quis mutuat, & accipit pignus fructiferum, vt vineam, eſt ne vſurarius?
Reſp. Affirmatiuè, & tenetur reſtituere fructus deductis expenſis. *c. quoniam de vſuris.*

32 Si quis dat fundum in feudum, & poſtea accipiat pecuniam à feudatario, & dat idem fundum in pignus, erit ne vſurarius.
Reſp. Negatiuè, ſed poterit recuperare pecuniam mutuatam, & fructus fundi, quia eos percipit ratione feudi, & non ratione mutui. *c. conqueſtus de vſuris. Sot. lib. 6. q. 1. art. 2. vide Nauar. n. 217. Ioan. Med. q. 3. Comitol. lib. 1. q. 4.*

33 Ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis poteſt quis abſque vſura in mutuo aliquid vltra ſortem principalem accipere?
Reſp. Poterit ſed non debet accipere aliquid ratione mutui. *Sot. de iuſtitia, & iure, vt ſup.*

34 Quid eſt lucrum ceſſans?
Reſp. Quando aliquis habet ſuam pecuniã ad merces emendas, & vendendas, vel ad colendum agrum, & vt illam det mutuo, relinquit conditionem, aut agriculturam. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 32. n. 5.*

35 Quid eſt damnum emergens?
Reſp. Quando aliquis ad mutuandum vendit domum, vel agrum.

36 Si damnum non ſit probabile, poteſt quis accipere lucrum mutuando?
Reſp. Non poteſt, niſi ſub conditione, vt mutuo tibi centum, ſed ſi mihi acciderit, damnum debes mihi vltra ſortem reddere tale damnum. *Tol. vbi ſup. nu. 7.*

37 Quæ conditiones requiruntur, vt ratione lucri ceſſantis poſſit accipi aliquid vltra ſortem principalem mutui?
Reſp. Tres. Prima, quòd talis pecunia, quæ mutuatur, expoſita ſit negotiationi. Secunda, vt mutuãs nõ habeat aliam pecuniã, de qua poſſit mutuare extra illã, quam habet expoſitã negotiationi. Tertia, vt lucrum ceſſans ſit probabile. *Tol. in ſum. lib. 5. c. 32. n. 2.*

38 Si quis mutuat oleum, vt illi reſtituatur tantum frumentum nouum, erit ne vſura?
Reſp. Si non faciat ea intentione, quòd frumentum nouum valebit plus quam oleum, non eſt vſura. *Sot. lib. 6. de iuſt. & iure art. 2.*

39 Si quis mutuet negotiatori pecunias, vt ille pro ſe negotiationi exponat ea conditione, vt mutuans non poſſit perdere ſortẽ principalẽ, & debeat accipere lucrũ, quod prouenerit ex negotiatione, erit ne vſura?
Reſp. Iſte contractus eſt vſurarius manifeſtus, ratio eſt, quia, vt non ſit vſurarius, debet ſe exponere periculo. *Tol. lib. 5. c. 30. num. 15.*

40 Qui dat centum aureos in menſe Februarij, vt tempore meſſis venturæ reddantur illi centum menſuras tritici, & in dicto menſe Februarij communi æſtimatione valent centum menſuræ tritici ducentos aureos, iſte talis contractus quando non erit vſurarius?
Reſp. Quando probabiliter dubitatur, quòd tẽpore meſſis, & ſolutionis vna menſura tritici ſit valitura plus vel minus quã vnũ aurũ, ratio eſt, quia dubitatio de maiori, vel minori pretio illũ liberat ab vſura, & iſte eſt ludus fortunæ, & ſe exponit periculo perdẽdi, vel lucrãdi. Secũdò quia dubia in meliorẽ partẽ debent interpretari, & cum iſte ſit dubius de pretio maiori, vel minori, quod debet eſſe tempore meſſis futuræ, non debet iudicari vſurarius, cum hoc pendeat a futuro euẽtu, & tam emptor, quam venditor æqualem ſortem, & fortunã currũt. Tertiò, quia cõmodum, & incõmodum ex dilatione ſolutionis ſpectat ad emptorem, & venditorem æqualiter *l. penult. C. de ſolution. l. Arrianus. ff. de actionibus & oblig.*

oblig.C.ex litteris de probation.cap.nauiganti de vſuris; nec obſtat, quòd tempore, quo fit contractus, triticũ in maiori pretio habeatur, quia non emitur tunc temporis illud triticum, ſed triticum futurum, quod debet in menſe Auguſti ſequenti colligi.

41 Quandò iſte contractus erit vſurarius?

Reſp. Primò, quãdo qui emit triticum, non dubitat de maiori, vel minori pretio, ſed certò exiſtimat, quòd valebit plus quàm vnum aurum; tunc enim eſt vſura, quia vult emere minori pretio propter anticipatione pecuniæ, & ſic habet iam in animo percipere aliquid pro ſua pecunia vltra ſorte principalẽ. Secũdo, quando emptor ſcit, vel ſuſpicatur, quòd vẽditor vendit illi triticum minori pretio aliqua neceſſitate compulſus, ſed non pro dubitatione, quam habet, quòd triticũ valebit plus, vel minus, quàm vnũ aurũ; tunc enim emptor emit neceſſitatẽ alterius, & ideo eſt contractus vſurarius, *gl.in c.nauiganti de vſuris*.

42 Hæc dubitatio qualis debet eſſe, vt liberet emptorem ab vſura?

Reſp. Debet eſſe iuſta dubitatio, quæ colligitur ex varijs circunſtantijs, verbi gratia temporis nimium ſicci, vel ſterilis agri. *gl.in c.nauiganti de vſuris*.

43 Qui vendet merces ea conditione, vt poſt quatuor menſes dentur illi decem aurei, & tempore, quo eas vendit, non valent niſi octo aureos, quando iſte contractus non erit vſurarius?

Reſp. Primò, quando iſte dubitatur, quod poſt quatuor menſes merces valebunt plus, quam decem aureos. Secundò, ſi tempore venditionis non erat venditurus iſtas merces, quia ſi tũc erat eas venditurus, erit contractus vſurarius, quia certa ſcientia plus recipit, quam merces valent, vt tenet *gloſ.in § ſi nauiganti de vſuris*.

44 Si vſurarius impetret litteras, vt reſtituantur illi vſuræ ab alio vſurario, debet ne audiri?

Reſp. Non eſt audiendus, donec ipſe prius cum effectu non reſtituat vſuras, quas fecit etiam parte petente, ratio eſt, quia qui peccat in legem, fruſtra inuocat legis auxilium; hoc intelligitur, ſi peccat in eandem legem non in diuerſam, ut habetur *in c. quia fruſtra.c.Michael de vſuris*.

45 Si vſurarius appellet à ſententia contra ſe data, eſt ne audiendus?

Reſp. Si ſit vſurarius notorius, non eſt audiendus, niſi reſtituat vſuras, ratio eſt, quia in delictis notorijs non habet locum appellatio, ſed executio. *capit. quam pernicioſam de vſuris*.

46 Poteſt quis facere vſurã, ad redimendos captiuos?

Reſp. Non poteſt, cum non ſit faciendum malum, vt inde oriatur bonum, cum vſura prohibita ſit in vtroque teſtamento, *C. de vſuris*.

47 Vſurarius ad quod iudicium pertinet, & cuius fori eſt?

Reſp. Eſt mixti fori, ſed magis propriè pertinet ad Eccleſiaſticum Iudicem cum ad conſciẽtiam, & animam pertineat, *cap. cum diæceſi, cap.quia in omnibus de vſuris*.

48 Iudex Eccleſiaſticus poteſt procedere contra vſurarios, etiam ſi non ſit accuſator, neque denuntiator, neque qui petat vſuras?

Reſp. Poteſt, & debet in conſcientia inquirere de vſurarijs, ratio eſt, quia ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinet tollere peccata publica *c. cum in diæceſi cap. quia in omnibus de vſuris*.

49 Clericus vſurarius, quam pœnam incurrit?

Reſp. Vltra pęnas ſęcularibus taxatas & impoſitas, remanet ſuſpenſus. *c. præterea de vſuris*.

50 Quis poteſt diſpenſare cum Clerico vſurario?

Reſp. Si reſipiſcat, & faciat pœnitentiam, ac reſtituat vſuras; Epiſcopus poterit diſpenſare ad exercẽdos ordines ſuſceptos, & ad nouos ſuſcipiendos; ratio eſt, quia hoc non eſt prohibitum Epiſcopo, vt habetur in *c.inter dilectos de exceſſibus Prælatorum, cap. ſi quis oblitus. c.quoniam multi.* t 4.q.4.

51 Si quis mutuat centum aureos tempore, quo valent vndecim dragmata, & Princeps poſtea augeret valorem aurei, vſque ad quatuordecim, mutuator quid tenetur ſoluere?

Reſp. Solum centum aureos ad æſtimationem vndecim dragmatum, ratio eſt, quia in pecunia pretiũ non extinguitur, neque ſeparatur à pecunia, ſicut ſeparatur in frumento. *Tol.in ſum. lib. 5.c.34. num.2.*

52 Si quis mutuat alicui centum ea conditione, vt reſtituat ſibi mille, quæ alias ſibi debebat, & exigentia erat difficilis, erit ne vſura?

Reſp. Non eſt, quia iſte nihil accipit vltra ſortem, niſi quod ſuum eſt. *Tol.in ſum. lib. 5.c.34.nu.3. Azor. c.6.q.6.loco cit.*

53 Si quis mutuat centum aureos ea conditione, vt ſtatuto tempore reddantur ſub pęna decem aureorum, hæc pœna poteſt ne licitè exigi?

Reſp. Poteſt, quia quod recipitur vltra ſortem, eſt ratione pœnæ, & non mutui. *Tol.vbi ſup.c.32.num.1.*

54 Si quis mutuet pecuniã, & ponat ad lucrũ ea conditione, vt ſingulis annis recipiat decem, ita tamen, vt capitale ſemper maneat illæſum, erit ne vſura?

Reſp. *Ioan.Andr. & Hoſtienſ. in ſum.* tenent quòd ſi lucrum eſt moderatum, non eſt vſura, *ſed Abb.c.per veſtras.de donat.inter vir. & vxor.* tenet eſſe vſuram, quia non ſe exponit periculo, & propter periculum eſt licitum lucrum.

55 Quæ conditiones requiruntur, vt pœna licitè percipi poſſit?

Reſp. Tres. Prima, quòd non mutuetur intentione habendi aliquid vltra ſortem principalem. Secunda, vt pœna non imponatur homini, qui illo tempore non poteſt ſoluere ſortem principalem. Tertia, quãdo non eſt in poteſtate hominis ſoluere, & abſq; ſua culpa non ſoluit, tunc pœna exigenda non eſt; quia licite debet exigi ſolum ab illo, qui habet culpam nõ ſoluendo. *Tol.in ſum. lib. 5.c.32.num.3.*

56 Si quis ſoluat partem debiti tempore ſtatuto, licebit ne ab illo totam pœnam exigere?

Reſp. Non licet, ſed ſolum pro rata, niſi in obligatione cautum fuerit, quòd tale mutuum debet ſimul ſolui. *Tol.in ſum.lib.5.c.32. num.4.*

57 Si quis mutuat pecuniam, vel accipit pignus eo pacto, quòd ſi ſtatuto tempore pecunia nõ reſtituatur, pignus ſit creditoris, eſt ne contractus vſurarius?

Reſp. Si pignus æquiualet pecuniæ mutuatæ, licitũ erit; ſi verò plurimum excedat erit contractus vſurarius. *Tol.in ſum.lib.5.c.30.num.5.*

58 Quotuplex eſt vſurarius?

Reſp. Duplex: alius notorius, alius occultus.

59 Qui dicitur notorius?

Reſp. Qui conuictus eſt in iudicio per idoneos teſtes, vel per ſuam confeſſionem, vel qui publicè dat vſuras. *Tol.in ſum.lib.5.c.36.num.4.*

60 Quis dicitur occultus?

Reſp. Qui

Reſp. Qui hoc crimen occultè committit, & non habet vllam eſt tribus qualitatibus ſuprapoſitis. *Tol. vbi ſup.*

61 Confeſſarius quid debet facere cum Vſurario?
Reſp. Si ſit notorius, illum non abſoluere, neq; dare communionem, neque debet ſepelire in loco ſacro, niſi prius non reſtituat, vel det cautionẽ reſtituendi; & ſi ſit inops, & pauper ſaltem iuret ſe reſtituturum, cum primum poſſit. *c.quamquam.de vſur.lib.6.* ſi verò non ſit notorius, debet eum abſoluere cum propoſito reſtituendi.

62 Si vſurarius ſit in articulo mortis, quid faciendum?
Reſp. Confeſſarius accipit declarationem, & promiſſionem ſoluendi vſuras, deinde manifeſtet ſuo Epiſcopo, vt ſi viuat, compellat eum, ſi verò moriatur, compellantur hæredes. *Syl.verb.reſtitutio.6.*

63 Si vſurarius ſit in articulo mortis, & non loquatur quid agendum?
Reſp. Si dederit ſigna contritionis, debet eum abſoluere; quia maior eſt miſericordia diuina peccato vſuræ, *Syl.verbo.reſtitutio.6.*

64 Reſp. Vndecim. *Syluest.verb.vſura.9.* Primò ſunt infames infamia iuris. *c.Raynutius. de teſta.c.pia.de exception.lib.6.* Secundò ad communionem altaris non admittuntur. *c.pia.de except.* Tertiò nec ad oblationem offerendam. Quartò non ſepelliuntur in Eccleſia. Quintò nec ad confeſſione ſuorum peccatorum admittuntur, niſi ſatisfaciant. *c.quia in omnibus.de vſur.* Sextò nullus debet adeſſe eorum teſtamentis. Septimò neque eorum teſtamentum eſt validum. *Bar. in cap. quamquam. de vſur.* Octauò nullus debet permittere eos habitare in ſuis terris. *c.vſurarium. de vſur.lib.6.* Nonò ſi vſurarius det alteri vſuras, non poteſt repetere, niſi prius ſoluat vſuras, quas alijs debet *c.quia in omnibus.de vſur.* Decimò ſi vſurarius cedat bonis, non reſeruatur illi congrua ſubſtentatio, ſicut alijs hominibus *c. Oduardus. de ſolutionib.c.quia in omnibus.de vſur.* Vndecimò tenetur reſtituere fructus cum ſorte principali. *DD. omnes. in l.mala fidei poſſeſſor.*

65 Si quis conſequatur aliquod officium per vſurã, tenebitur reſtituere, fructus, & prouentus officij?
Reſp. Negatiuè, quia computantur in ſuo labore. *Tol.in ſum. lib.5.c.30.*

66 Vſurari ad quid tenetur?
Reſp. In vita, vel in morte tenentur reſtituere lucrũ, quod acceperunt, vltra ſortem principalem, & omne damnum, quod ratione vſure alter accepit, tum lucri ceſſantis; tum damni emergentis. *D.Thom.2.2. quæſt.78.art.4.*

67 Hæredes vſurarij tenentur ne reſtituere?
Reſp. Tenentur quilibet pro rata. *D.Tho.2.2.q.78.c. tuas nos de vſuris.*

68 Si vſurarius habeat alia bona immobilia, vel mobilia, quæ abſque vſura iuſtè poſſidet, poteſt licitè ea vendere, & alienare?
Reſp. Poteſt, dummodo habeat alia vel vſuraria bona, quæ poſſit reſtituere. *Tolet.in ſum.lib.5.c.35.nu.4.*

69 Si vſurarius alienet bona, quæ per vſuras acquiſiuit, quia alia bona nõ habet, talia bona poſita, in poteſtate perſonæ, ſunt ne abnoxia reſtitutioni?
Reſp. Duplex eſt donatio; aut aliquis gratis donat abſque aliquo proprio commodo, vt qui dotẽ dat filię, vel ſeruo, & tũc illa bona per vſuras, acquiſita sũt ob noxia reſtitutioni; aut donat cum ſua vtilitate, vt qui emit, vel ſolut mercedem meſſoribus, & tunc talia bona donata non ſunt obnoxia reſtitutioni. *Sot. lib.6.de iuſt.& iur.quæſt.1.art.4.*

70 Principes, & Iudices, qui in cauſa vſuraria ſibi applicant bona vſurarij, & non audiunt eos, qui iuridicè petunt ſibi reſtitui, ad quid obligantur?
Reſp. Ad reſtitutionem. *Tolet.in ſumm.libro.5.capitulo 36.*

71 Notarius, qui ſcit contractum eſſe vſurarium, & facit verum; vt ſi ſciat dari accipienti viginti, & ſcribat triginta, ad quid obligatur?
Reſp. Ad reſtitutionem illorum decem aureorum. *Tol.l.5.c.36.Bannes.2.2.q.78.art.3.Sot.lib.6.in ſi.q.1. art.4.D.Anton.p.2.tit.1.c.9.*

72 Si Notarius ſcribat contractum vſurarium cum veritate, ad quid obligatur?
Reſp. Non obligatur ad reſtitutionem, cum nihil occultet, ſed ſolum peccat mortaliter faciens actum illicitum. *Tol.in ſum.lib.5.c.36.nu.2.*

73 Factores, proxenetæ, ſeu curſores vſurarium, ad quid obligantur?
Reſp. Ad reſtitutionem, cum dent operam rei illicitæ. *Tol.vbi ſup.nu.2.*

74 Accipientes ad vſuram ab ijs, qui parati ſunt hoc facere, cum alioqui exerceant, quam pœnam incurrunt.
Reſp. Nullam, neque peccant, ſi fiat propter ſubuẽtionem ſuæ, vel alienæ neceſſitatis. *ita D.Thom.2.2.q. 78.art.4.in corp.*

75 Si quis committeret pecuniam ſuam vſurario non habenti alias pecunias, vnde uſuras exercere poſſit, peccaret ne?
Reſp. Si hac intẽtione committeret, ut ille copioſius per uſuram lucraretur, eſſe particeps culpę, quia daret materiam peccandi: ſi uerò daret uſurario habenti alias pecunias, unde uſuras exercere poſſit, nõ peccat commitendo huic ſuam pecuniam, quia dat, ut apud illum totiùs ſeruetur. *S.Thom.ibid.ad 5.*

76 Domini temporales permittentes uſarior peccant ne?
℞. Non peccant, quia permittere non eſt approbare, ſicut permittitur ſcortum ad euitandum maius malum. *Tol.in ſum.lib.5.c.37.nu.4.*

77 Si Domini temporales prohiberent, ut ſoluens uſuras non poſſit eas repetere, nec audiri in iudicio, peccarent ne?
℞. Peccarent mortalitèr, & tenerentur ad reſtitutionem, quia tollunt ius certæ perſonæ. *Clem.unica.de vſuris.Sot.lib.6.q.1.art.1.*

78 Venditio rei cum pacto retrouendẽdi eidem, qui dat ad uſuram, facit ne contractum uſurarium?
℞. Eſt uſura paliata, quia retrouenditio ita fit ſemper infra iuſtum pretium. *Tolet.lib.5.c.31.n.3.Molin. diſt.355.nu.2.Io.Medin.q.78.*

79 Iuramentum de non petẽdo ad uſuram, & de ſoluendo uſuram, eſt ne adimplendum?
℞. Affirmatiuè, quia iuramentum quod adimpleri poteſt ſine diſpendiò uitæ æternæ ſemper eſt ualidũ, tamen uſurarius, non obſtante iuramento facto a promittente, & ſolutione uoluntaria, tenetur in coſcientia reſtituere uſuras. *c.debitores de iureiurando. c. tua dudum.de vſuris.*

80 Iuramentum de non denuntiando uſurarium, eſt ne adimplendum?

℞.Ali-

Reſp. Aliqui putant quod non eſt adimplendum, quia eſt illicitum, & illud adimplere eſt cum diſpendio vitæ æternæ?

11 Pactum vſurarium vitiat ne totum contractum?
Reſp. Si ſit ſeparatum, vitiat ſolùm pactum; ſi verò non ſit ſeparatum, vitiat totum contractum. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 30 nu 5.*

CAPVT XII.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

1 QVid eſt alienatio?
℞. Eſt transferre dominum vtile, & directũ alicuius rei in aliquam perſonam. *Iſidor. in etimologijs verb. alienatio.*

2 Quotuplex eſt alienatio?
Reſp. Duplex, alia perpetua, alia temporalis. *Abb. in c. continebatur de his, quæ fiunt à Prelatis, ſine conſenſu capituli.*

3 Quæ dicitur alienatio temporalis?
Reſp. Illa, quæ tranſacto aliquo tempore limitato, reuertitur dominium vtile ad eandem perſonã, quæ rem alienauit *Abb. in dicto loco.*

4 Quæ eſt alienatio perpetua?
Reſp. Illa, quæ in perpetuum durat in fauore alicuius hominis, & ſuorum ſucceſſorum, ita vt res alienata nunquam reuertatur ad proprium dominum *Abb. vbi ſup.*

5 Alienatio rei Eccleſiaſticæ facta durante vita alicuius hominis ea conditione, vt illo mortuo, verbi gratia domus, vel tale fundum reuertatur ad Eccleſiam erit perpetua, vel temporalis?
Reſp. Talis alienatio, ſiue ſit durante vita vnius, vel plurium, iure vocatur alienatio perpetua, & prohibita eſt, quia durat per longum tempus cum periculo, vt Eccleſia ex obliuione perdat illam rem. *Clement. ambitioſè de rebus Eccleſiæ non alienandis, & ibi. DD.*

6 Quæ requiritur ad veram alienationem rei Eccleſiaſticæ?
Reſp. Primò tres tractatus ſolemnes inter Epiſcopũ, & capitulum. Secundò cõſenſus Epiſcopi, & capituli in ſcriptis. Tertiò quod fiat pro vtilitate Eccleſiæ, & ea conſtet. Quartò petere a Summo Pont. licentiam per reſcriptum, in quo debet eſſe euidens Eccleſiæ vtilitas, & virtute eiuſdem reſcripti probare ante Iudices, & Commiſſarios nominatos à Papa utilem, & neceſſariam eſſe Eccleſiæ talem alienationem per teſtes idoneos; & tunc alienatio vale ſine alio conſenſu Papæ; dummodo in ſcriptura dicatur ſaluo conſenſu Romani Pont. neq; aliter, neq; alio modo. *tenet Mandoſius tractatus de ſignatur. gratiæ capitulo ſine.*

7 Quid eſt tractatus, qui debet fieri in alienatione Eccleſiaſtica?
Reſp. Eſt quædam diſcurſio, vel indagatio facta inter Epiſcopum, & Canonicos ſolemniter congregatos circa rem in futurum perpetuò alienandam, ſuffragia, & opiniones omnium debent in ſcripta redigi, cum rationibus à quolibet prælato adductis in fauorem alienationis, vel contra alienationem. *tenet Abb. c. tua nuper de his, quæ fiunt à prælatis ſine, &c. nu. 3. & 5.*

8 In alienatione requiritur conſenſus omnium Canonicorum, vel omnium Clericorum, ſi ſit res alicuius Eccleſia Parochialis, vel ſufficit conſenſu maioris partis?
Reſp. Requiritur conſenſus omnium Canonicorum vel Clericorum, quia agitur de re grauiſſima, & neceſſariò requiritur mandatum Apoſtolicum antea, vel poſtea, quod eſt obſeruandum ad vnguem. *Abb. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælati ſine. num. 2.*

9 Alienatio perpetua rei Eccleſiaſticæ, ſcilicet prædij, vel domus, facta cum omnibus ſolemnitatibus ſine conſeſu cap. valebit ne?
Reſp. Non valebit, neq; ullo tempore tenebit, quia ingreſſus à principio fuit uitioſus. *tenet Abb. in c. noſcitur de his, quæ fiunt à Prelatis ſine conſenſu capit. numer. 8.*

10 Si prælatus alienet res temporales, ut fructus, uel ueſtes uel triticum, quis conſenſus capituli requiritur?
Reſp. Tunc ſufficit taciturnitas capituli, quia habetur pro conſenſu, quia rati habitio mandato non eſt dubium comparari, *capitulo 2. de his, quæ fiunt ſine &c.*

11 Si aliqua alienatio rei magnæ fiat ab Epiſcopo ſine conſenſu capituli, & cum cæteris requiſitis, & poſtea capitulum conſentiat, ualebit ne talis alienatio?
Reſp. Si conſentiat in ſcriptis factis tractatis de ſolemnitatibus ualebit alienatio, quia cautè ſuppletur, quod per negligentiam omiſſum fuit, *Abb. c. 2. &c. cum nos de his, quæ fiunt à Prælatis ſine &c.*

12 In Eccleſijs parochialibus ad alienationem perpetuam rei Eccleſiaſticæ illius parochiæ, requiritur ne conſenſus Canonicorum, uel conſenſus Clericorum?
℞. Requiritur ſolus conſenſus Clericorum illius Parochiæ, quia iſti ſuccedunt loco Canonicorum, & in his rebus nullam habent dependentiam cum Canonicis, ſed ſolum cum ſuo Epiſcopo, ſed debent ſeruare omnes alias ſolemnitates ſuprapoſitas. *tenet Abb. de his, quæ fiunt à Prelatis ſine &c.*

13 Conſuetudo alienãdi rem Eccleſiaſticam ſine ſolemnitatibus requiſitis à Iure ſuprapoſitis ualebit ne?
℞. Non ualet imò eſt corruptela. *tenet Abb. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine nu. 3.*

14 In alienatione, quæ debet fieri de neceſſitate iuris requiritur ne neceſſariò conſenſu capituli?
℞. In alienatione neceſſaria, ut ſi Eccleſia per ſententiam perdat aliquod prædium, vel rem, & à Iudicibus ſpolietur, non requiritur conſenſus capituli, ratio eſt, quia iſti conſenſus ſolum requiruntur in alienatione uoluntaria, ubi agitur de maiori bono Eccleſiæ. *tenet Abb. in cap. paſtoralis de his, quæ fiunt a prælatis ſine. nu. 5.*

15 Epiſcopus hodie poterit alienare rem aliquã magnam, uel paruam cum conſenſu capituli ſeruatis alijs ſolemnitatibus in conſulto Summo Pont.?
℞. Licèt *in c. 1.* de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli: detur hæc facultas Epiſcopi; Tamen hodie

hodie iurant in manibus Summi Pontif. & in manibus Epiſcopi conſecrantis ſe non alienaturos rem aliquam ſuæ Eccleſiæ, vel menſæ in conſulto Summo Pontif. ideo ratione iuramenti non licet illis alienare rem ſtabilem in conſulto *Summo Pont. tenet Abb. in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine. nu. 5.*

16 Quæ ſolemnitates requirunt in alienatione bonorum mobilium Eccleſiæ?

Reſp. Conſiderandũ eſt ſi bona nobilia ſeruari poſſunt ſicut aurum, & argentum, & ſunt magni valoris, & tunc ſolemnitates ſuprapoſitæ ſeruari debent; ratio eſt, quia in Iure æquiparantur bonis immobilibus, ſi verò bona mobilia ſeruari non poſſunt, quia tempore conſumuntur, non requiruntur iſtæ ſolemnitates; quia reputantur, vt venditiones. *tenet Abb. in c. inter tua de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſ. cap. n. 3. & 7.*

17 Si alienatio ſit antiquiſſima rei Eccleſiaſticæ quid præſumitur, ſi ſcriptura non appareat?

Reſp. Præſumitur, quod ſeruatæ fuerunt omnes ſolemnitates, niſi per aliquam ſcripturam contrarium appareat; ſcilicet defeciſſe aliquam ſolemnitatem, vel conſenſum alicuius de capitulo, vel Eccleſiam enormiter fuiſſe læſam tẽpore donationis. *tenet Abb. cap. ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælatis. nu. 8.*

18 Laicus acquirit titulum rei Eccleſiaſticæ, ſi eam poſſederit tanto tempore, vt memoria hominum non ſit in contrarium?

Reſp. Negatiuè, quia laicus eſt incapax rei Eccleſiaſticæ, & ſic poſſeſſio illi nihil prodeſt. *tenet Abb. in cap. cum de his. quæ fiunt à prælatis ſine. nu. 12.*

19 In quo caſu poterit Eccleſia reclamare in alienatione, in qua ſeruatæ fuerunt omnes ſolemnitates iuris?

Reſp. Quotieſcumq; Eccleſia fuit enormiter læſa per negligentiam Iudicum, vel Commiſſariorum, vel per fraudem Canonicorum, vel alia ex cauſa; tunc poterit Eccleſia reclamare, etiam ſi omnes ſolemnitates fuerint ſeruatæ; ratio eſt, quia ſi hoc priuilegium in emptione, & venditione laicis datur, multo magis debet dari Eccleſijs in alienationẽ rei perpetuę, cum ſit maioris præiudicij, & Eccleſia magis priuilegiata. *tenet Abb. in c. tua nuper de his, quæ fiunt à Prælatis, ſine conſ. nu. 8.*

20 Læſio enormis, in qua quantitate debet eſſe?

Reſp. Debet eſſe in medietate iuſti pretij, vt tenent omnes DD. & debet euidenter, & non per coniecturas probari.

21 Iſta læſio enormis à quo tempore debet computari?

Reſp. Iſta læſio debet eſſe eo tempore, in quo res fuit alienata, quia ſi res creuit beneficio, aut induſtria poſſidentis, vel anni fœcunditate, vel caſu; tunc non dicitur læſio, ſed augmentum rei; quod cædit in fauorem poſſidentis.

22 Commiſſarij miſſi à Summo Pont. vel Canonici, qui dant ſua ſuffragia in alienatione rei Eccleſiaſticæ, ſi forte per gratam complacentiam, vel timorem contra vtilitatem Eccleſiæ in fauorem recipientis aliquid faciant, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Si ſit Epiſcopus eſt ſuſpenſus per annum, ſi ſit Commiſſarios, vel Canonicus excommunicatus à Iure, & vterque tenetur ad reſtitutionem quantitatis amiſſæ ab Eccleſia.

23 Quando in alienatione interuenit conſenſus Papæ, requiritur ne alia ſolemnitas facienda ab Epiſcopo?

Reſp. Non eſt neceſſarium. *tenet Dec. conſ. 371.*

24 Epiſcopus poteſt ſolus ſine conſenſu capituli concedere aliquam Eccleſiam fratribus alicuius religionis, vel vnire vnam Eccleſiam alteri?

Reſp. Non poteſt, quia eſt genus alienationis, & res grauiſſima, & ideo neceſſariò requiritur conſenſus capit. *Abb. cap. tua nuper de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu c. nu. 3. & 4.*

25 Si laicus habeat decimas alicuius Eccleſiæ, vel illas donet alteri Eccleſiæ, quæ ſolemnitates requiruntur?

Reſp. Solus conſenſus diœceſani, in cuius diœceſi ſunt decimæ. *c. cum Apoſtolica de his, quæ fiunt à prælatis ſine conſ. c. & Abb. ibi. nu. 5.*

26 Clerico poſſunt ne alienare bona Eccleſiæ titulo transferendi dominum directum, vel vtile de ſua authoritate?

Reſp. Negatiuè, ſine licentia Summi Pont. vel ſui Epiſcopi in caſibus in quibus illam poteſt dare, neque illam poſſunt vendere, donare, permutare, pignorare, locare vltra trienium. *c. nulli liceat de rebus Eccleſiæ non alienandis extrauag. ambitioſè eodem titulo Nauarr. de redditibus Eccleſiæ. ca. ſi quis presbyterorum. cap. poſſeſſionem eodem titul. Couar. variar. capitulo 16. Quaranta in ſumma bullarum. verb. alienatio. Triden. ſynod. ſeſſ. 22. c. 11.*

27 Quę bona non poteſt clericus ſua authoritate alienare?

Reſp. Ædes, fundos, prædia, vrbana ruſtica, cappellas cœmeteria, Eccleſiæ reditus, cenſus, calices, vaſa aurea, theſauros, arbores, radices, & ſimilia. *Clemen. ambitioſ. de rebus Eccleſiæ non alien. & c. nulli, &c. poſſeſſiones eod. tit.*

28 Quis poteſt repetere res alienatas ſine authoritate Superioris?

Reſp. Epiſcopus, fiſcus ipſe, qui alienauit res, etiam ſi iuraſſe non petiturum, Clerici eiuſdem Eccleſiæ, parochiani, quia ipſorum intereſt; ne Eccleſia pauper fiat. *Abb. in cap. ſi quis Presbyterorum eodem titulo num. 12.*

29 Contractus factus per Clericos, vel capitulum, in quo alienantur aliquę ex ſupradictis rebus, valet ne?

℞. Ab initio inſtrumentum de his confectum nullas vires habuit. *cap. ſi quis presbyterorum eod. tit. & gloſſ. in verb. nullus, & Abbas ibi nu. 4. vbi dicit iure nullum eſſe.*

30 Quam pęnam incurrit Clericus, qui ſine ſolemnitate, & licentia Superioris alienauit bona Eccleſiæ?

℞. Si ſit Clericus incidit in excommunicationem ipſo facto, & priuatur beneficio Eccleſiaſtico ſine alia declaratione, neque illi vltra conferri poteſt. *Clem. ambitioſè. eod. tit.* ſi ſit Epiſcopus, vel Abbas, priuantur ingreſſu Eccleſiæ per ſex menſes, & poſt illos ſuſpenduntur, & ſi duret pertinacia, deponi poſſunt. *Abbas in capitulo monemus. ſecunda, quæſtione ſecunda.*

31 Si Clericus alienat res Eccleſiæ cum clauſula (ſaluo conſenſu Papæ, nec aliter, nec alio modo) & ante aſſenſum tradat poſſeſſionem rei alienatæ, quam pęnam incurrunt?

℞. Excommunicationis reſeruatæ Papæ, & poſitæ in ex-

Reſp. Aliqui putant quod non eſt adimplendum, quia eſt illicitum, & illud adimplere eſt cum diſpendio vitæ æternæ?

11 Pactum vſurarium vitiat ne totum contractum?
Reſp. Si ſit ſeparatum, vitiat ſolùm pactum; ſi verò non ſit ſeparatum, vitiat totum contractum. *Tolet. in ſum. lib. 5. c. 30 nu 5.*

CAPVT XII.

De rebus Eccleſiæ non alienandis.

1 QVid eſt alienatio?
℞. Eſt transferre dominium vtile, & directũ alicuius rei in aliquam perſonam. *Iſidor. in etimologijs verb. alienatio.*

2 Quotuplex eſt alienatio?
Reſp. Duplex, alia perpetua, alia temporalis, *Abb. in c. continebatur de his, quæ fiunt à Prelatis, ſine conſenſu capituli.*

3 Quæ dicitur alienatio temporalis?
Reſp. Illa, quæ tranſacto aliquo tempore limitato, reuertitur dominium vtile ad eandem perſonã, quæ rem alienauit *Abb. in dicto loco.*

4 Quæ eſt alienatio perpetua?
Reſp. Illa, quæ in perpetuum durat in fauore alicuius hominis, & ſuorum ſucceſſorum, ita vt res alienata nunquam reuertatur ad proprium dominum *Abb. vbi ſup.*

5 Alienatio rei Eccleſiaſticæ facta durante vita alicuius hominis ea conditione, vt illo mortuo, verbi gratia domus, vel tale fundum reuertatur ad Eccleſiam erit perpetua, vel temporalis?
Reſp. Talis alienatio, ſiue ſit durante vita vnius, vel plurium, iure vocatur alienatio perpetua, & prohibita eſt, quia durat per longum tempus cum periculo, vt Eccleſia ex obliuione perdat illam rem. *Clement. ambitioſæ de rebus Eccleſiæ non alienanandis, & ibi DD.*

6 Quæ requiritur ad veram alienationem rei Eccleſiaſticæ?
Reſp. Primò tres tractatus ſolemnes inter Epiſcopũ, & capitulum. Secundò cõſenſus Epiſcopi, & capituli in ſcriptis. Tertiò quòd fiat pro vtilitate Eccleſiæ, & ea conſtet. Quartò petere a Summo Pont. licentiam per reſcriptum, in quo debet eſſe euidens Eccleſiæ vtilitas, & virtute eiuſdem reſcripti probare ante Iudices, & Commiſſarios nominatos à Papa utilem, & neceſſariam eſſe Eccleſiæ talem alienationem per teſtes idoneos; & tunc alienatio vale ſine alio conſenſu Papæ; dummodo in ſcripturã dicatur ſaluo conſenſu Romani Pont. neq; aliter, neq; alio modo. *tenet Mandoſius tractatus de ſignatur. gratiæ capitulo ſine.*

7 Quid eſt tractatus, qui debet fieri in alienatione Eccleſiaſtica?
Reſp. Eſt quædam diſcurſio, vel indagatio facta inter Epiſcopum, & Canonicos ſolemniter congregatos circa rem in futurum perpetuò alienandam, ſuffragia, & opiniones omnium debent in ſcripta redigi, cum rationibus à quolibet prælato adductis in fauorem alienationis, vel contra alienationem. *tenet Abb. c. tua nuper de his, quæ fiunt à prælatis ſine, &c. nu. 3. & 5.*

8 In alienatione requiritur conſenſus omnium Canonicorum, vel omnium Clericorum, ſi ſit res alicuius Eccleſia Parochialis, vel ſufficit conſenſu maioris partis?
Reſp. Requiritur conſenſus omnium Canonicorum vel Clericorum, quia agitur de re grauiſſima, & neceſſariò requiritur mandatum Apoſtolicum antea, vel poſtea, quod eſt obſeruandum ad vnguem. *Abb. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælati ſine. num. 2.*

9 Alienatio perpetua rei Eccleſiaſticæ, ſcilicet prædij, vel domus, facta cum omnibus ſolemnitatibus ſine conſeſu cap. valebit ne?
Reſp. Non valebit, neq; ullo tempore tenebit, quia ingreſſus à principio fuit uitioſus, *tenet Abb. in c. noſcitur de his, quæ fiunt à Prelatis ſine conſenſu capit. numer. 8.*

10 Si prælatus alienet res temporales, ut fructus, uel ueſtes uel triticum, quis conſenſus capituli requiritur?
Reſp. Tunc ſufficit taciturnitas capituli, quia habetur pro conſenſu, quia rati habitio mandato non eſt dubium comparari, *capitulo 2. de his, quæ fiunt ſine &c.*

11 Si aliqua alienatio rei magnæ fiat ab Epiſcopo ſine conſenſu capituli, & cum cæteris requiſitis, & poſtea capitulum conſentiat, ualebit ne talis alienatio?
Reſp. Si conſentiat in ſcriptis factis tractatis de ſolemnitatibus ualebit alienatio, quia cautè ſuppletur, quod per negligentiam omiſſum fuit, *Abb. c. 2. & c. cum nos de his, quæ fiunt à Prælatis ſine &c.*

12 In Eccleſijs parochialibus ad alienationem perpetuam rei Eccleſiaſticæ illius parochiæ, requiritur ne conſenſus Canonicorum, uel conſenſus Clericorum?
℞. Requiritur ſolus conſenſus Clericorum illius Parochiæ, quia iſti ſuccedunt loco Canonicorum, & in his rebus nullam habent dependentiam cum Canonicis, ſed ſolum cum ſuo Epiſcopo, ſed debent ſeruare omnes alias ſolemnitates ſuprapoſitas. *tenet Abb. de his, quæ fiunt à Prelatis ſine &c.*

13 Conſuetudo alienãdi rem Eccleſiaſticam ſine ſolemnitatibus requiſitis à Iure ſuprapoſitis ualebit ne?
℞. Non ualet, imò eſt corruptela. *tenet Abb. c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine nu. 3.*

14 In alienatione, quæ debet fieri de neceſſitate iuris requiritur ne neceſſariò conſenſu capituli?
℞. In alienatione neceſſaria, ut ſi Eccleſia per ſententiam perdat aliquod prædium, vel rem, & à Iudicibus ſpolietur, non requiritur conſenſus capituli, ratio eſt, quia iſti conſenſus ſolum requiruntur in alienatione uoluntaria, ubi agitur de maiori bono Eccleſiæ. *tenet Abb. in cap. paſtoralis de his, quæ fiunt a prælatis ſine. nu. 5.*

15 Epiſcopus hodie poterit alienare rem aliquã magnam, uel paruam cum conſenſu capituli ſeruatis alijs ſolemnitatibus in conſulto Summo Pont.?
℞. Licèt in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli: detur hæc facultas Epiſcopi; Tamen hodie

hodie iurant in manibus Summi Pontif. & in manibus Epiſcopi conſecrantis ſe non alienaturos rem aliquam ſuæ Eccleſiæ, vel menſæ in conſulto Summo Pontif. ideo ratione iuramenti non licet illis alienare rem ſtabilem in conſulto *Summo Pont. tenet Abb. in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine. nu. 5.*

16 Quæ ſolemnitates requirunt in alienatione bonorum mobilium Eccleſiæ?

Reſp. Conſiderandũ eſt ſi bona nobilia ſeruari poſſunt ſicut aurum, & argentum, & ſunt magni valoris, & tunc ſolemnitates ſupra poſitæ ſeruari debent: ratio eſt, quia in Iure æquiparantur bonis immobilibus, ſi verò bona mobilia ſeruari non poſſunt, quia tempore conſumuntur, non requiruntur illæ ſolemnitates, quia reputantur, vt venditiones. *tenet Abb. in c. inter tua de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſ. cap. n. 3. & 7.*

17 Si alienatio ſit antiquiſſima rei Eccleſiaſticæ quid præſumitur, ſi ſcriptura non appareat?

Reſp. Præſumitur, quod ſeruatæ fuerunt omnes ſolemnitates, niſi per aliquam ſcripturam contrarium appareat; ſcilicet defeciſſe aliquam ſolemnitatem, vel conſenſum alicuius de capitulo, vel Eccleſiam enormiter fuiſſe læſam tẽpore donationis. *tenet Abb. cap. ea noſcitur de his, quæ fiunt à Prælatis. nu. 8.*

18 Laicus acquirit titulum rei Eccleſiaſticæ, ſi eam poſſederit tanto tempore, vt memoria hominum non ſit in contrarium?

Reſp. Negatiuè, quia laicus eſt incapax rei Eccleſiaſticæ, & ſic poſſeſſio illi nihil prodeſt. *tenet Abb. in cap. cum de his. quæ fiunt à prælatis ſine. nu. 12.*

19 In quo caſu poterit Eccleſia reclamare in alienatione, in qua ſeruatæ fuerunt omnes ſolemnitates iuris?

Reſp. Quotieſcumq; Eccleſia fuit enormiter læſa per negligentiam Iudicum, vel Commiſſariorum, vel per fraudem Canonicorum, vel alia ex cauſa; tunc poterit Eccleſia reclamare, etiam ſi omnes ſolemnitates fuerint ſeruatæ; ratio eſt, quia ſi hoc priuilegium in emptione, & venditione laicis datur, multo magis debet dari Eccleſiis in alienatione rei perpetuę, cum ſit maioris præiudicij, & Eccleſia magis priuilegiata. *tenet Abb. in c. tua nuper de his, quæ fiunt à Prælatis, ſine conſ. nu. 8.*

20 Læſio enormis, in qua quantitate debet eſſe?

Reſp. Debet eſſe in medietate iuſti pretij, vt tenent omnes DD. & debet euidenter, & non per coniecturas probari.

21 Iſta læſio enormis à quo tempore debet computari?

Reſp. Iſta læſio debet eſſe eo tempore, in quo res fuit alienata, quia ſi res creuit beneficio, aut induſtria poſſidentis, vel anni fœcunditate, vel caſu, tunc non dicitur læſio, ſed augmentum rei, quod cædit in fauorem poſſidentis.

22 Commiſſarij miſſi à Summo Pont. vel Canonici, qui dant ſua ſuffragia in alienatione rei Eccleſiaſticæ, ſi forte per gratam complacentiam, vel timorem contra vtilitatem Eccleſiæ in fauorem recipientis aliquid faciant, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Si ſit Epiſcopus eſt ſuſpenſus per annum, ſi ſit Commiſſarios, vel Canonicus excommunicatus à Iure, & vterque renetur ad reſtitutionem quantitatis amiſſæ ab Eccleſia.

23 Quando in alienatione interuenit conſenſus Papæ, requiritur ne alia ſolemnitas facienda ab Epiſcopo?

Reſp. Non eſt neceſſarium. *tenet Dec. conſ. 371.*

24 Epiſcopus poteſt ſolus ſine conſenſu capituli concedere aliquam Eccleſiam fratribus alicuius religionis, vel vnire vnam Eccleſiam alteri?

Reſp. Non poteſt, quia eſt genus alienationis, & res grauiſſima, & ideo neceſſariò requiritur conſenſus capit. *Abb. cap. tua nuper de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu c. nu. 3. & 4.*

25 Si laicus habeat decimas alicuius Eccleſiæ, vel illas donet alteri Eccleſiæ, quæ ſolemnitates requiruntur?

Reſp. Solus conſenſus diœceſani, in cuius diœceſi ſunt decimæ. *c. cum Apoſtolica de his, quæ fiunt à prælatis ſine conſ. c. & Abb. ibi. nu. 5.*

26 Clerico poſſunt ne alienare bona Eccleſiæ titulo transferendi dominum directum, vel vtile de ſua authoritate?

Reſp. Negatiuè, ſine licentia Summi Pont. vel ſui Epiſcopi in caſibus in quibus illam poteſt dare, neque illam poſſunt vendere, donare, permutare, pignorare, locare vltra trienium. *c. nulli liceat de rebus Eccleſiæ non alienandis extrauag. ambitioſè eodem titulo Nauarr. de redditibus Eccleſiæ. ca. ſi quis presbyterorum. cap. poſſeſſionem eodem titul. Couar. variar. capitulo 16. Quaranta in ſumma bullarum. verb. alienatio. Triden. ſynod. ſeſſ. 22. c. 11.*

27 Quę bona non poteſt clericus ſua authoritate alienare?

Reſp. Ædes, fundos, prædia, vrbana ruſtica, cappellas cœmeteria, Eccleſiæ reditus, cenſus, calices, vaſa aurea, theſauros, arbores, radices, & ſimilia. *Clemen. ambiton. de rebus Eccleſiæ non alien. & c. nulli, & c. poſſeſſiones eod. tit.*

28 Quis poteſt repetere res alienatas ſine authoritate Superioris?

Reſp. Epiſcopus, fiſcus ipſe, qui alienauit res, etiam ſi iuraſſe non petiturum, Clerici eiuſdem Eccleſiæ, parochiani, quia ipſorum intereſt, ne Eccleſia pauper fiat. *Abb. in cap. ſi quis Presbyterorum eodem titulo num. 12.*

29 Contractus factus per Clericos, vel capitulum, in quo alienantur aliquę ex ſupradictis rebus, valet ne?

℞. Ab initio inſtrumentum de his confectum nullas vires habuit. *cap. ſi quis presbyterorum eod. tit. & gloſſ. in verb. nullus, & Abbas ibi nu. 4. vbi dicit iurè nullum eſſe.*

30 Quam pęnam incurrit Clericus, qui ſine ſolemnitate, & licentia Superioris alienauit bona Eccleſiæ?

℞. Si ſit Clericus incidit in excommunicationem ipſo facto, & priuatur beneficio Eccleſiaſtico ſine alia declaratione, neque illi vltra conferri poteſt. *Clem. ambitioſè. eod. tit.* ſi ſit Epiſcopus, vel Abbas, priuantur ingreſſu Eccleſiæ per ſex menſes, & poſt illos ſuſpenduntur, & ſi duret pertinatia, deponi poſſunt. *Abbas in capitulo monemus. ſecunda, quæſtione ſecunda.*

31 Si Clericus alienat res Eccleſiæ cum clauſula (ſaluo conſenſu Papæ, nec aliter, nec alio modo) & ante aſſenſum tradat poſſeſſionem rei alienatæ, quam pęnam incurrunt?

℞. Excommunicationis reſeruatæ Papæ, & poſitæ in ex-

in extrauag. ambitioſè, *de reb. Eccl. non alienan. ſic declarauit Clemens VIII. die 17. Decembris 1599.*

32 Quibus in caſibus alienans non incurrit prędictas pœnas?

Reſp. Primo; ſi habeat licentiam Papæ. Secundo ſi res ſolita ſit dari in emphyteuſim, & quadraginta annos duæ conceſſiones inueniatur. Tertio, ſi res locatur ad triennium ſolum. *Stephan. Quarãta in ſum. bull. verb. alienatio. ſed lege Bullam Vrbani VIII. de hac re recens editam.*

33 In quibus caſibus, qui alienat rem Eccleſię ſinę licentia Superioris non incurrit excommunicationẽ?

Reſp. Primo ſi bona fide alienauerit exiſtimans ſe alienare poſſe: nam dicta extrauag. ambitioſe punit ſumentes, & præſumens dolum, & temeritatẽ qualis non eſt probabiliter ignorans dictam extrauagãtem, quare euadit excommunicationem in ea contentam. *Nauar. conſil. 10. de ſepult. Gloſ. in cap. Apoſtolicæ. de cler. excom. celebr.* Secundo, vbi recepta non eſt huiuſmodi extrauagans, non incurritur aliqua excommunicatio, quia lex non recepta habetur pro derogata, & non ligat. *Quarant. in ſum. bull. ver. alienatio nu. 48.*

34 Quando non excuſat ignorantia ab excommunicatione?

Reſp. In facto alias damnato, quod vltra pœnam ſecum portat excommunicationem, puta ſacrilegiũ, furtum in Eccleſia, percuſſio Clerici, ſed multò probabilius eſt, quod in hoc caſu excuſet ignorantia, vt pluribus probat Suarius; ſed in facto alias licito, vel indifferenti, puta emptione, venditione, ambulatione per aliquam Eccleſiam, tunc ignorantia excuſat ab excommunicatione; quia ad eam incurrendam requiritur contemptus, vel pertinatia, & in ignorantes non cadunt. *Abb. in c. nobis de ſent. excom. Couarr. in c. alma mater. de ſent. excom. in 6. §. 4. nu. 8.*

35 Qui alienauit rem ſine licentia, & intendit, ſe defendere dicendo, quòd dicta extrauag. non eſt recepta in illa Prouincia, quid debet probare?

Reſp. Quòd populi vſu non fuit recepta, nec moribus approbata, & legiſlator hoc ſciens, & videns tacet, & impunes reliquit non obſeruantes; ſed hęc probatio difficillima eſt. *Couar. var. reſol. lib. 2. c. 16. nu. 6. verſ. 5. Quaranta verb. alienatio. nu. 48.*

36 Quæ probationes ſunt neceſſariæ, vt Clerici poſſint allegare ſe habere conſuetudinem alienandi, vel infeudandi bona Eccleſiæ, ſine licentia Papæ?

Reſp. Primò debent moſtrare plures alienationes de rebus immobilibus factas intra ſpatium quadraginta annorum ſine licentia Papę, & hoc per publicas ſcripturas, Secundò debent probare, quò talis conſuetudo ſit vtilis, & non damnoſa Eccleſiæ. *Iulius Clarus. q. 13. §. feudum.*

37 Quas res poteſt Clericus alienare cum licentia ſui Epiſcopi?

Reſp. Res parui momenti, & non vtiles Eccleſiæ. *c. terrulas. c. fugitiui. c. non. licet. q. 12.*

38 Poteſt Epiſcopus alienare aliqua bona Eccleſiæ, ſcilicet ſuæ menſæ, vel bona capituli abſq; licentia Papæ.

Reſp. Negatiuè, imò indiget maiori licentia, quia ter iurat ſe non alienaturum bona ſuæ menſæ ſine licentia Pontifical. *de conſecr. electi in Epiſc. & ſic vltra pænas periurus eſt.*

39 Quæ res Eccleſiæ poſſunt alienari cum licentia Epiſcopi ſine conſenſu Papæ?

Reſp. Prædiola, terrulæ parui momenti, & bona mobilia, vt vaſa, veſtes, campanæ, & aliæ vetuſtate conſumptæ. *c. terrulas. 12. q. 2. cap. 1. de his, quæ fiunt à prælatis ſine conſ. cap.*

40 Quanti valoris debet eſſe res Eccleſiæ, vt poſſit alienari ſine licentia Papæ, ſed ſolum Epiſcopi?

Reſp. Variæ ſunt opiniones, *Gloſ. in c. terrulas.* declarauit poſſe alienari, quod poteſt valere viginti aureos: aliqui dicunt; quadraginta; aliqui, quod non debet excedere quinquaginta in principali pretio, ſed hoc relinquitur arbitrio boni iudicis, & prudentis, qui conſiderata Prouincia, neceſſitate Eccleſiæ, valore rei debet dare talem licentiam. *Quaranta. verb. alienatio. nu. 41. c. ſi quos 22. q. 2. Archidiac. cap. terrulas, Hoſtienſ. in ſum. verb. alienatio.*

41 Epiſcopus quid debet attendere, cum dat facultatem alienandi aliquam rem Eccleſiæ, & quid debet obſeruare?

Reſ. Debet facere proceſſum, & informationem per teſtes idoneos, primum de valore talis alienationis, quod ſit vtilis, verum pro minima quantitate non conſueuit peti licentia. *Clem. ambitioſe. de reb. Eccl. nõ alienand.*

42 Vaſa ſacra, reliquiarij, & veſtes vetuſtate cõſumptæ poſſunt ne vendi?

Reſp. In neceſſitate poſſunt ratione materię. *cap. aurum. 10. q. 2. Sylu. verb. ſimonia §. 12. Abb. c. ad abolendam de ſepultur.*

43 Si Dominus beneficij cædit aliquas arbores fructiferas, & eas conuertit in proprium commodum, incurrit ne excommunicationem poſitam in *Trident. ſynod. ſeſſ. 22. c. 11.*

℞ Non incurrit, neq; domini laici, ſi non conuertat in ꝓprios vſus. ſed in redimẽda neceſſitate Eccleſiæ.

44 In quibus caſibus non poteſt Epiſcopus infeudare, vel concedere in feudum res ſolitas concedi?

Reſp. In pluribus, Primo, quãdo ceſſauit prima cauſa conceſſionis, Secundo, quando Eccleſia antea erat diues, nunc pauper. Tertio, quando res eſt incorporata menſæ Eccleſiæ. Quarto, quando talis conſuetudo infeudandi inducta eſt per vim, vel fraudem. Quinto, quando res eſt data Eccleſiæ cum pacto, vt non alienetur. Sexto, quando ceſſauit vtilitas Eccleſiæ. *Abb. in c. vt ſemper. de reb. Eccleſ. non alienand. Archidiac. in c. 1. q. 8.*

45 Si Epiſcopus infeudauerit rem Eccleſiæ ſolitam infeudare, poterit ne mutare formam feudi; puta ſi ſolitum ſit dari viris, poterit dari fœminis, vel minuere conditiones feudi?

Reſp. Non poterit mutare formam infeudãdi, nec minuere conditiones, quæ ſunt in vtilitatẽ Eccleſiæ, ſed potius poterit eas augere, & minuere, quæ ſunt contra Eccleſiam, quia facultas infeudandi data eſt Epiſcopo in vtilitatem, & meliorationem Eccleſiæ, non in damnum. *Abb. in c. vt ſemper. de reb. Eccleſ. non alien. Archid. c. 1. fol. 132. q. 8.*

46 Locationes factæ rerum Eccleſiarum, à quo tempore irritantur?

Reſp. A triginta annis ante publicationem Concilij, *Trid. vbi habetur ibi ſeſſ. 25. c. 2.*

47 Licet ne locare iuriſdictiones Eccleſiaſticas, & facultatem nominandi Vicarium in ſpiritualibus?

Reſp. Negatiuè, ſi ad hoc facultas conceſſa fuerit à Sede Apoſtolica ſubreptitia cenſeatur.

48 Capi-

48 Capituli ſede vacante poteſt ne alienare aliquid?
Reſp. Non poteſt, & alienatio erit nulla, & alienantes incurrunt excommunicationem poſitam à Concilio Tridentino. *in cap. fraternitatis. de cler. non renſident. n. 6.*

49 Vſque ad quod tempus valet locatio domorum, & prædiorum Eccleſiaſticorum?
Reſp. Vltra triennium non extenditur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 11.*

50 Locationes per triennium poſſunt fieri ſine ſolẽnitate, & licentia?
Reſp. Poſſunt fieri à poſſidente beneficium, ſed durat per eius vitam, ne damnum fiat Succeſſori. *extrau. ambitioſe de reb. Eccl. non alienand.*

51 In quibus caſibus res Eccleſiæ poſſunt vendi, conſumari, & impignorari?
Reſp. In redimendis captiuis, ædificandis Eccleſijs, ſuſtentandis pauperibus tẽporis famis, tunc Eccleſia tenetur ſubuenire, quantum eius facultates, & commoda ferunt. *Abb. cap. 1. de pignoribus nu. 2.*

52 Vaſa argentea Eccleſiæ, & candelabra quando poſſunt, vendi & conſummare pretium illorum?
Reſp. Tempore peſtis, & belli finito peculio Epiſcopi, & clericorum, poſſunt ſacra vaſa Eccleſiæ vendi, & dari pauperibus; ratio eſt, quia eſt extrema neceſſitas, & ſic ipſa neceſſitas dat licentiam in conſulto Summo Pontifice, & cum dilatio ſuſtentationis eſt nociua, ſufficit, ſi poſt factum fiat certior ab Epiſcopo quia certiſſimum eſt, quod Summus Pontifice, in ſimili neceſſitate idem faceret, vt late dixi *lib. 4. c. 45. de Parochis.*

53 Decimæ poſſunt ne dari in feudum laicis?
Reſp. Negatiuè, & requiritur expreſſa bulla Summi Pontificæ, ratio eſt quia eſt alienatio vera, *vt tenet Abb. in c. cum de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſ. c. nu. 3. & 11.*

54 Feudatarius Eccleſiæ peterit alienare, ſeu vendere feudum irrequiſita Eccleſiá?
Reſp. Negatiuè, ne Eccleſia defraudetur Iure laudemij, ſed bene poteſt irrequiſita Eccleſia feudum donare gratis, vel hæredibus relinquere, vel donare aut dotare filiam cum feudo, ratio eſt, quia ius laudemij non debetur, niſi ſolum in contractu venditionis, quando dominus directi domini ſibi accipit pecunias, & alteri dat vtile dominum feudi *tenet Ab. in c. cum de his, quæ fiunt à Prælati ſine conſenſ. ca. nu. 3. & nu. 10.*

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER

LIBER QVARTVS DE ELECTIONE, EXAMINE, CONSECRATIONE, Offitio, & poteſtate Epiſcopi.

CAPVT PRIMVM. De Sede Vacante, & Electione Vicarij.

1 Quid eſt agendum cum Eccleſia vacat?

℞. Cum primum Eccleſia vacauerit ſupplicationes, & proceſſiones habeantur per ciuitatem, & diœceſim à c. clero, & populo poſtulantibus bonum Prelatum, & vtilem ſuæ Eccleſiæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. de reform.*

2 Capitulum ſede vacante quid debet agere?

Reſp. Quando ad capitulum pertinet adminiſtratio iuriſdictionis, & adminiſtratio bonorum menſæ Epiſcopalis, vt in vniuerſis Regnis Hiſpaniæ, & Eccleſijs Cathedralibus contigit, tūc Decanus congregabit capitulum, & curabit conſtituere vnum, vel plures Canonicos œconomos, qui reddant rationem Epiſcopo venturò, & etiam eis, ad quos pertinebunt fructuum ſedis vacantis, & ſtatim capitulum debet eligere per ſuffragia ſecreta, vel publica Vicariū ad adminiſtrationem iuſtitiæ, & prouidere omnia officia, quę Epiſcopus prouidet, qui de nouo ſuccedit veluti Fiſcalem carcerarium Viſitatorem, & illis dare procuras, & titulos in forma. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 16.*

3 Intra quot dies tenetur capitulum eligere Vicarium generalem, & quas conditione, qualitates debet habere talis Vicarius?

Reſp. Intra octo dies à morte Epiſcopi, & debet eſſe de capitulo Licentiatus, vel Doctor in Iure Canonico, vel in ſacra Theologia ſi fieri poteſt, vel ſaltē idoneus, vel etiam poſſunt confirmare Vicarium Epiſcopi mortui. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 16.*

4 Tempus octo dierum ad eligēdum Vicarium cōputatur ne à die mortis, vel a die notitiæ?

℞. A die notitiæ ſi Epiſ. ſit abſēs. *Tri. ſyn. ſeſſ. 24. c. 16*

5 Quam pœnam incurrit capitulum, ſi intra octo dies non eligat Vicarium?

Reſp. Electio deuoluitur ad Metropolitanum, & ſi mortuus, ſit vel abſens Metropolitanus, ad Epiſcopū antiquiorem. *Trid. ſyn. vbi ſup. & c. non licet 12. queſt. 2. & c. finali de ſupplenda negligentia prelatorum.*

6 Vicarius ſede vacante a capitulo electus, poteſt ſine cauſa ab ipſo capitulo reuocari?

Reſp. Capitulum poterit liberè ad libitum ſuum reuocare Vicarium generalē à ſe electum, & cōfirmatū & Viſitatorem, & omnes alios officiales cū cauſa, & ſine cauſa, ratio eſt, quia corpus capituli ſuccedit in omne ius Epiſcopi, & ex eo emanat ad Vicarium, & alios officiales, & ſicut Epiſcopus liberè cum cauſa & ſine cauſa poteſt amouere ad libitum Vicarium, & omnes officiales, ſic capitulum poterit amouere ſuum Vicarium, & intra octo dies eligere alterum cum cauſa, & ſine cauſa abſque eo, quòd teneatur dare rationem, quare amouet ſuum miniſtrum, alias iuriſdictio capituli eſſet limitata, & non tam ampla ſicut iuriſdictio Epiſcopi, ita declarauerunt Illuſtriſſimi Cardinales ſuper *c. 16. ſeſſ. 24.*

7 In Eccleſijs, vbi eſt conſuetudo, vt eligantur tres prouiſores, vel duo, qui ſimul, vel diuiſim iudicant, quid erit faciendum?

Reſp. Si talis conſuetudo fuerit legitimè introducta erit ſeruanda; ſed illi duo, vel tres electi reputantur pro vna iuriſdictione, & habebunt facultatem *à Conc. Trid. traditam. c. 16. ſeſſ. 24.*

8 In electione Vicarij ſede vacante ſi ſint Canonici, Doctores, vel licentiati, & eligatur vnus non graduatus, valebit ne electio?

Reſp. Non valere, ſed deuoluitur ad Metropilitanū & ipſo mortuo, ad Epiſcopum antiquiorem, *c. non licet 12. q. 2. c. finali de ſupplenda negligentia prælatorū*

9 In Ecleſijs, vbi eſt conſuetudo, vt ſingulis menſibus eligatur Vicarius, quid agendum?

℞. Talis conſuetudo eſt ſeruanda, ſi fuerit legitima.

10 Si in capitulo ſit aliquis Doctor, vel licent iatus poterit aliquis Canonicus non graduatus eligi in Vicarium?

Reſp. Non poſſe, quia facultas eligendi magis idoneū non graduatum data à *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 16.* habet vim, quando nō inueniuntur graduati, & in defectum eorum.

11 Poteſt ne eligi in Vicarium tempore ſedis vacantis aliquis, qui non eſt de capitulo?

Reſp. Non, ſed ſolum poteſt eligi Vicarius Epiſcopi mortui, quia actualiter exercet officium, etiam ſi nō ſit de capitulo; ratio eſt, quia hæc facultas data eſt Canonicis *à Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 16.* forſan ad tollendas controuerſias, quæ inter ipſos Canonicos ſolent oriri tempore electionis.

12 Quare capitulū poterit cōfirmare Vicarium præexiſtenti Epiſcopi mortui, & nō poterit eligere in Vicarium aliquem Doctore hominem eminentem extra capitulum?

Reſp. Ratio eſt. Primò propter honorem Epiſcopi mortui. Secundò, quia talis Vicarius iam eſt approbatus, & habet requiſita neceſſaria, & habet cognitionem iuriſdictionis illius diœceſis, & ſic habetur ſicut vnus de Can. Tertiò, quia cū iuriſdictio eadem ſit cum iuriſdictione Epiſcopi mortui, ideò capitulum, & Epiſcopus mortuus pro vna; eademq; perſona reputan-

putantur,& ideo non vocatur electio, ſed confirmatio, quia ille, qui habebat iuriſdictionem tempore Epiſcopi, confirmatur à ſuccedentibus in hac iuriſdictione. *ita tenetur DD. ſuper c. 16. ſeſſ. 24.*

13 Ad confirmationem Vicarij Epiſcopi mortui,quę pars Canonicorum requiritur?
Reſp. Maior pars capituli,& non totum capitulum; ratio eſt,quia maior pars capituli in omnibus rebus repræſentat epiſcopum mortuum in iuriſdictione. *ita tenent DD. loco allegato.*

14 Vicarius Epiſcopi mortui poterit ne ingredi in ſcrutinium cum Canonicis ſicut vnus ex ipſis, quando eligunt Vicarium?
Reſp. Non poſſe, quia ipſe non habet aliquã actionem in electione Vicarij, & ſic cum nullo Canonico poteſt concurrere, ſolum capitulum habet facultatem,ſi voluerit, eum confirmandi in ſuo officio propter rationes dictas. *Trid.ſyn.ſeſ.24. c.16.*

15 Si ſint in capitulo aliqui Canonici licentiati, vel Doctores,vel alius Canonicus aptus ad gubernationem ſedis vacantis, ſunt ne præferendi Vicario Epiſcopi mortui, & eligendi in Vicarium?
Reſp. Affirmatiuè, & hoc debet iudicari à maiori parte capituli. Primò propter authoritatem ipſius capituli. Secundò,quia in Conc.Trid.primò ponitur electio Vicarij, & in ſecundo loco confirmatio præexiſtentis. Tertiò,quia iuriſdictio radicata eſt in capitul.ſicut erat in Epiſcopo mortuo,& ſicut Epiſcopus præferendus eſt ſuo Vicario, ita idoneus de capitulo præferendus eſt Vicario Epiſcopi mortui; ipſe enim repræſentat totum capitulum;ſic ſenſuerunt *DD.d.loc.cit.*

16 Epiſcopus reliquit Vicarium non graduatum, poterit ne capitulum eum confirmare?
℟. Non,ſed neceſſario tũc debet eligere Doctorem, vel Licentiatum, vel in eorum defectu aliquem Canonicum idoneum de capitulo;ratio eſt,quia ſi concilium requiſiuit ſcientiã in Canonicis, qui ſuccedũt Epiſcopo, multo magis requirit eã in Vicario Epiſcopo mortui,pręcipuè cum ſemper debeat ſupplere vices Epiſcopi, qui ſemper eſt graduatus, & doctus.

17 Quare Epiſcopus poterit pro ſuo arbitrio habere Vicarium non graduatũ, & capitulum debet eligere Vicarium graduatum ſi fieri poſſit, & ſi non ſaltem Canonicum idoneum?
Reſp. Quia Epiſcopus ſemper eſt graduatus, & poteſt ſupplere vices ſui Vicarij, & Canonicus, qui eligitur in Vicarium, ſupplet vices Epiſcopi, & conſtituitur loco Epiſcopi; & ideo concilium in eo deſiderat qualitates,quæ deſiderantur in Epiſcopo;ſic cenſuerunt *DD.ſeſſ.24. c.16.*

18 Vicarius tempore ſedis vacantis debet ne neceſſario eſſe ſacris?
Reſp. Licèt Concilium *Trid.ſeſ.24. c.16.* hanc qualitatem non petat, tamen eſt Bulla Clement. VIII. ſum.Pont.qui expreſsè iubet, vt Canonicus, qui non eſt in ſacris, non poſſit eſſe Vicarius tempore ſedis vacantis, ſicuti neque aliquis Doctor, vel Licentiatus poſſit eſſe Vicarius alicuius Epiſcopi, ſi non ſit ordinatus;ratio eſt,quia non eſt decens, nec rationi conſonat, vt qui non eſt ordinibus initiatus iudicet ſacerdotes, vt habetur in dicta bulla.

19 In Eccleſijs collegiatis eſt neceſſarium, vt Vicarius in ſede vacante ſit graduatus?
Reſp. Negatiuè,ratio eſt,quia *Conc.Trid.ſeſ.24.c.16.* non loquitur de Eccleſijs collegiatis, ſed ſolum cum Cathedralibus,quia loquitur de iuriſdictione Epiſcopi mortui, & epiſcopus ſemper habet Eccleſiam Cathedralem. Secundò, quia Eccleſiæ Collegiatæ aliquando ſunt tenues, & habēt exiguum numerum Canonicorum, & vbi non imponitur onus Eccleſiæ Collegiatæ, non eſt eis imponendum; ſed quando eccleſiæ Collegiales ſunt inſignes; ſicut ſunt aliquæ in Hiſpania,ſemper ſequuntur formam, & normam eccleſiarum Cathedralium?

20 Si Capitulum ſit regularium, & regulares ſint Canonici alicuius Eccleſiæ Cathedralis, & habeant Epiſcopum, vel Archiepiſcopum tempore ſedis vacantis, poterunt ne eligere Vicarium ſicut faciunt Canonici ſæculares?
Reſp. Si in illa Eccleſia non ſunt Canonici ſæculares,& dicti regulares habeant priuilegium eligendi, tunc ſuccedunt in iuriſdictione Epiſcopi, & debent eligere Vicarium graduatum ad adminiſtrationem iuſtitiæ,ſed in hoc tamquam in caſu raro ſeruanda eſt conſuetudo illius Eccleſiæ.

21 Dicti fratres regulares,qui habent Eccleſiam Cathedralem,& Epiſcopum,vel Archiepiſcopum, poſſunt eligere vnum fratrem regularem in Vicarium, vt adminiſtret iuſtitiam?
Reſp. In hoc etiam ſeruanda eſt conſuetudo illius Eccleſiæ,quia licèt non repugnet de Iure, quòd aliquis frater regularis habeat ſubditos clericos,& cognoſcat eorum delicta; tamen cum hoc debeat eſſe cum bulla,vel priuilegio Apoſtolico, cum ſint clerici,& regulares diſtincti ordinis:ideo requiritur,vt in electione Vicarij ſeruetur conſuetudo,vel priuilegiũ, quod dicti fratres habent.

22 Dicti fratres poſſunt ponere œconomos ad adminiſtranda bona menſæ Epiſcopalis, ſicut faciunt ſæculares?
Reſp. Si ad dictos fratres regulares pertineat munus fructuum percipiendorum ſicut ad ſæculares, poterunt ponere vnum,vel plures œconomos: ſi autem ad eos non pertineat munus percipiendi tales fructus, poterit ponere œconomos illa perſona, ad quã pertinet quia cũ ea loquitur *Conc.Tr.ſeſ.23.c.16*

23 Si Capitulum Canonicorum ſęcularium diſcordet in electione Vicarij, & eligat plures Vicarios, quis eorum debet remanere?
Reſp. Ille qui habuerit qualitates à Concilio poſitas *ſeſſ.24.c.16.*

24 Capitulum ſede vacante poterit abſoluere à delictis occultis,& irregularitate facultate tradita epiſcopis *ſeſſ.24.c.6.*
Reſp. Poterit Vicarius Capituli; ratio eſt, quia in iuriſdictionalibus habet plenariam facultatem ſicut Epiſcopus, vt tenet *Abb. in c.cum olim de maioritate, & obedientia cap.vni eodem titul.*

25 Quam poteſtatem habet Vicarius ſede vacante?
Reſp. In iuriſdictionalibus omnem, quam habet Epiſcopus, quia omnis facultas Epiſcopalis in Vicarium tranſlata eſt. *Trid.ſyn.vbi ſup.ſeſ.23. c.16.*

26 Vicarius recuſetur tanquam ſuſpectus quis debet eligere arbitros, vt de eius ſuſpectione iudicent?
Reſp. Capitulum eo modo,quo poterat Epiſcopus eos eligere.

27 Vicarius ſede vacante poteſt inſtituere præſentatum à Patrono?
Reſp. Poteſt ſicut Epiſcopus.

28 Vicarius procedens contra Canonicos, debet ne adhibere adiunctos?

℞. Si Eccleſia gaudeat priuilegio adiunctorũ, debet eos adhibere, ſicut Epiſcopus faciebat, dum viuebat.

29 Vicarius ſede vacante poteſt ſine capitulo prouidere Parochiales Eccleſias, deputare Vicarios idoneos, & ponere edicta, & facere concurſum?

℞. Poteſt, quia ad illũ ſpectat obire omnia illa munera, quę ex *Conc. Trid. ad Epiſcopum pertinebant.*

30 Vicarius ſede vacante poterit dare excommunicationem ad finem reuelationis?

Reſp. Poterit, quia ſuccedit in omne ius Epiſcopi, & debet habere omnia neceſſaria ad exercendam iuriſdictionem.

31 Capitulum ſede vacante, vel Vicarius intra quod ſpatium temporis poteſt dare litteras dimiſſoriales?

Reſp. Infra annum à die vocationis. *Trid. ſynod. ſeſſ. 7. cap. 10.*

32 Quibus poteſt capitulum, & Vicarius ſede vacante dare litteras dimiſſoriales?

Reſp. Solùm arctatis, videlicet obtinentibus curatum, præbendam, vel capellaniam, ſi requirant ordinem ſacrum, & hoc propter neceſſitatem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 10.*

33 Clericus non ob has cauſas accipiens litteras dimiſſoriales, quam pœnam incurrit?

Reſp. Si ſit in minoribus ordinibus, non gaudet priuilegio Clericorum in criminalibus; ſi ſit in maioribus, eſt ſuſpenſus ipſo Iure ad beneplacitum Epiſcopi venturi. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 10. & hoc ad beneplacitũ Epiſcopi.*

34 Capitulum, & Vicarius quam pœnam incurrunt, ſi ante annum dederint litteras dimiſſorias?

Reſp. Capitulum interdicitur, & Vicarius priuatur officio, & beneficio per annum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 10. & ſeſſ. 23. c. 10.*

35 Emolumenta prouenientia ex iuriſdictione, ſigillo, & ex actis pęnis tempore ſedis vacantis, ad quem pertinent, ad Capitulum ne vel ad Epiſcopum venturum?

Reſp. De Iure ad Epiſcopum venturum, niſi Apoſtolico priuilegio capitulo conceſſa fuerint. *Abb. c. cum vos. de offic. iud. Ordin. num. 3. c. ſtatutum in Clem. 1. de electione in 6.*

36 Salarium Vicario aſſignandum, quale debet eſſe; & vnde ſolui?

℞. Debet eſſe congruum, vt decet ad ſuſtentandam authoritatem, & debet ſolui ex dictis emolumentis.

37 Si Capitulum habeat priuilegium percipiendi emolumẽta ſedis vacãtis, quomodo det ea diuidere?

Reſp. Si Capitulum ſit Canonicorum ſæcularium, æqualiter inter ſe; ſi ſit regularium, qui emittunt votum paupertatis, in communi debent ea expendere.

38 Quis poteſt Viſitare Vicarium ſede Vacante, & eius officiales?

Reſp. Epiſcopus de nouo ingrediens. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. cap. 16.*

39 Quis tenetur Epiſcopo de nouo intranti reddere ſcripturas, priuilegia, & rationes fructuum?

Reſp. Capitulum, Vicarius, & œconomi, qui ſede vacante adminiſtrauerunt. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

40 Capitulum ſede vacante poteſt dare licentiam, vt in ſua diœceſi aliquis Epiſcopus edat Ordines, Chriſma, aut Confirmationem?

℞. poteſt elapſo anno, & non ante. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

41 Talis Epiſcopus cum illa licentia, quos poterit ordinare?

Reſp. Non ſolum Clericos illius diœceſis, ſed etiam exteros venientes ad ſecum litteris dimiſſorialibus.

42 Si omnes Canonici ſint diſperſi, vel hæretici, & vnus reſideat, quis debet dare dimiſſorias?

Reſp. In iſto caſu vnus facit Capitulum, & poterit dare dimiſſorias.

43 Si omnes Canonici ſint diſperſi, & Epiſcopus ſit hæreticus tempore ſedis vacantis ſubditus poteſt adire Metropolitanum pro dimiſſorijs?

Reſp. Non poteſt; ſed debet adire ſummum Pontif. ratio eſt, quia talis facultas nullibi eſt data Metropolitano, & in iuriſdictionalibus, vbi agitur de acquiſitione iuris alterius, quod non eſt conceſſum; expreſsè intelligitur prohibitũ, ſicut è contra vbi nulli ſit iniuria, neque agitur de damno alterius, quod non eſt prohibitum, intelligitur conceſſum, vt habetur in *c. inter corporalia de translatione.*

44 Capitulũ ſede vacante, vel eius Vicarius electus ſuccedit in ius conferẽdi prębẽdas debitũ epiſcopo?

Reſp. Non; ſed hoc ius deuoluitur ad ſummũ Pont. & hæc regula generalis obſeruanda eſt; capitulum ſuccedit in omne ius, in omni iuriſdictione debita Epiſcopo, poſt eius confirmationem, ſed non ſuccedit in iuribus prærogatiuis debitis Epiſcopis poſt eius conſecrationem, vt in ordinationibus faciendis, conſecrandis altaribus, & ideò ius conferendi præbendas per regulas Cancellariæ deuoluitur ad ſum. Pont. *c. 2. ne ſede vacante aliquid innouetur.*

45 In beneficijs, quæ vacant ſede vacante, quam poteſtatem habet Capitulum, & Vicarius Capituli, & quid debent agere?

Reſp. Cum diſtinctione; ſi beneficia ſint ſimplicia, canonicatus, vel dignitates, certiorem facere debere ſummum Pont. vt ipſe prouideat de ſucceſſore; ſi verò beneficia habeant curam animarum annexam, vel aliquod munus, vel onus annexum, vt dare eleemoſynas, dicere aliquas miſſas, tunc Vicarius debet committere curam Eccleſiarum, & animarum, vel onus annexum alicui idoneo Sacerdoti cum cõgrua portione, donec fuerint prouiſa dicta beneficia a Papa, ne Eccleſia debitis ſibi muneribus fraudetur, & ſi beneficia fuerint curata, debent ponere edictum, facere concurſum, & eligere digniorem, dare illi litteras, vt per ſuum procuratorem ſe præſentent ante ſummum Pont. vt obtineat bullam Apoſtolicam, ſicut latè dixi iſto *lib. 4. c. 44.* de examine, & prouiſione Parochialis Eccleſię, vt tenet *Abb. in c. illa num. 4. ne ſede vacante aliquid innouetur.*

46 Si Eccleſia habet ſimultaneam mortuo epiſcopo, poterit prouidere canonicatum, vel præbendam?

Reſp. Affirmatiuè, ratio eſt, quia quando ſunt duo collatores æquales vno mortuo, alius ſuppleteius vices, vt latè dico in iſto *lib. 4. c. 52. de collationibus prope medium, & habetur in cap. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

47 Capitulum poteſt ne ſede vacante recipere reſignationem beneficiorum ſpectantium ad collatione Epiſcopi?

℞. Nõ põt, quia fieret iniuria, & dãnũ Epiſcopo vẽturo; tũc. n. recurrẽdũ eſt ad ſũmũ Põt. ratio eſt, quia capitulũ ſolũ ſuccedit in iuriſdiction. in quibus ſi nõ eſſet aliquis, qui illicò ſupplet vices, Eccleſia detrimẽtum pateretur. *c. illo ne ſede vacante aliquid innouetur.*

CAPVT

CAPVT II.

De ſede vacante aliquid innouetur.

1 QVando dicitur vacare ſedes?
Reſp. Quando caret Epiſcopo, qui eſt mortuus,& non gubernatur per proprium,& verum Eccleſiæ ſponſum,ſed per Capitulum, & per Vicarium à Capitulo electum, & per adminiſtratores à capitulo poſitos, tunc enim Eccleſia habetur, vel vt vidua,& orfana,& gaudet priuilegijs conceſſis viduis, orfanis,& minoribus. *tenet Abb. in c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur*.

2 Vicario ſedis intelligitur ne ſolum de ſede Epiſcopali?
Reſp. Principaliter intelligitur de ſede Epiſcopali, & etiam intelligitur de quacumque dignitate, canonicatu, præbenda, vel beneficio, dum caret poſſeſſore ad hoc, vt gaudeat talis Eccleſia priuilegijs prerogatiuis à Iure conceſſis Eccleſiæ vacanti, vt non poſſit contra eam præſcribi, & ſic omnia iura, quæ loquuntur de ſede Epiſcopali, loquũtur de ſede cuiuſcumque beneficij etiam minimi; Eccleſia enim omnes filios æqualiter ãplectitur. *tenet Ab. in c. 1. iſto tit.*

3 Vicarius ſpirat ne mortuo Epiſcopo?
Reſp. Affirmatiuè,& alius eligitur à Capitulo, vt dictũ eſt; ratio eſt, quia eius iuriſdictio pendebat à voluntate,& poteſtate Epiſcopi. *tenet Abb. in c. 1. iſto tit.*

4 Qui ſuccedit Epiſcopo mortuo in gubernatione?
Reſp. Capitulum in omni iuriſdictione, vt latè dictum eſt *c. 1. & tenet Abb. in c. 1. iſto tit.*

5 Vacante ſede, Eccleſiæ ſtatus poteſt ne mutari?
Reſp. Non, quia diſtituta eſt ſolatio paſtoris,& defenſoris, & non eſt, qui eam defendat, vt habetur in *cap. 1. iſto titulo.*

6 Eccleſia vacante poſſunt bona Epiſcopi, vel Eccleſiæ alienari, vel permutari, vel aliquid in eis immutari?
℞. Nõ poteſt ſub grauiſſimis penis; omnia enim debent eſſe in eodem ſtatu, in quo Epiſcopus mortuus eam relinquit; ratio eſt, quia neq; ſummus Pont. Eccleſia vacante aliquid innouat, quia non eſt, qui defẽdat ius Epiſc. neq; qui pro ſede loquatur *c. 1. iſto tit.*

7 Capitulum Canonicorum ſæcularium, vel Canonicorum regularium poterit alienare aliquid de bonis Epiſcopi ſede vacante?
Reſp. Non poteſt, neque paruas terrulas, neque eas permutare, neque vendere ſub grauiſſimis pœnis infra poſitis. *c. 1. iſto tit.*

8 Capitulum Canonicorum ſæcularium, vel fratrũ regularium Cathedralium Eccleſiarũ, vel Collegiatarum, vel cuiuſcumq; Eccleſię etiam minimę, quam pęnam incurrunt, ſi bona Eccleſiæ ſede vacante in proprios vſus conuertunt, vſurpent, vel alienent, vel vẽdãt, vel conſentiãt vſurpare, alienare, vel vendere?
Reſp. Excommunicationis à Iure,& ſuſpenſionis,& priuantur beneficijs obtentis, & inhabilitantur ad obtinenda,& ſi fuerit patronus, priuatur Iure patronatus, & ab hac excommunicatione ſolum à Papa abſoluuntur poſt factam integram reſtitutionem,& hęc excommunicatio comprehendit Imperatorem, Reges, & Principes, & ponitur non ſolum vſurpantibus tempore ſedis vacantis, ſed etiam viuo Epiſcopo & contradicente; ratio eſt, vt Eccleſiæ bona defendantur timore tàm magnæ pœnæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 11. & in Clem. ſtatutum ne ſede vacante aliquid innouetur, & in c. quia ſæpe. c. generali de electione in 6.*

9 Clericus, qui vſurpauit, alienauit, vel conſenſit alienare bona Eccleſiæ poſt reſtitutionem integram factam, & abſolutionem obtentam à Summo Pont. habet ne aliam pœnam?
Reſp. Poſt dictas pęnas ſuſpenditur arbitrio ſui ordinarij,& per tempus ordinario bene viſum; ratio eſt vt poteſtas Epiſcopi manifeſtetur,& eius timore arceantur à tali crimine, & tàm pernicioſo Eccleſiæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 11. in fine.*

10 Contractus factus à Canonicis, vel à Clericis ſuper bonis Eccleſiæ, vel conceſſiones ab eis factæ aliquibus perſonis, & etiam alijs Eccleſijs, vel Confraternitatibus Epiſcopo mortuo, & ſede vacante tenent ne?
Reſp. Negatiuè, neque habent aliquam firmitatem, imò ipſo Iure ſunt nullæ abſque aliqua declaratione,& ſententia, & ſucceſſor in beneficio poterit ſua propria authoritate recuperare dicta bona, tamquã ſi non eſſent alienata, imò excommunicatur, ſi id nõ faciat,& omnibus vijs,& remedijs non recuperet dicta bona,& defendentes,& retinẽtes dicta bona ſunt etiam excommunicati, vt habetur in *c. 1. & fin. ne ſede vacante aliquid innouetur.*

11 Oeconomus Eccleſiæ, vel Epiſcopi tempore ſedis vacantis, ceſſat ne eius officium?
Reſp. Cum diſtinctione in rebus pręiudicialibus Eccleſiæ, ſcilicet, vt citetur ad lites, vel ad receptionem teſtium ceſſat eius officium, ne Eccleſiæ præiudiciũ inferatur; ſed ad hoc, vt defendat Eccleſiam, vt non procedatur contra eam, & vt demonſtret ſedem vacare,& non ſolum debet admitti ęconomus, qui fuit Epiſcopi, vel Eccleſiæ, ſed quilibet Parochianus de populo; ratio eſt, quia defenſio Eccleſiæ æqualiter ad omnes pertinet, vt habetur in *c. conſtitutus ne ſede vacante aliquid innouetur.*

12 Sententia lata contra Eccleſiam ſede vacante tenetur?
Reſp. Negatiuè, neque proceſſus factus, neque receptio teſtium, neque vllus actus iudicialis; tandem nihil tenet, quod Eccleſiam pręiudicari poſſit, vt habetur in *c. 1. & vlt. iſto tit.*

13 Præſcriptio currit contra Eccleſiam tempore ſedis vacantis?
Reſp. Negatiuè, ſed quieſcit, ratio eſt, quia vbi non eſt negligentia, præſcriptio non currit *c. illa iſto tit.*

14 Capitulum poteſt abſoluere excommunicatum ab Epiſcopo mortuo?
Reſp. Poterit, quia eſt actus iuriſdictionis. *tenet Ab. in c. illa ne ſede vacante aliquid innouetur.*

15 Archiepiſcopus poteſt ne mittere Viſitatorem ad Eccleſiam vacantem ſui ſuffraganei?
℞. Nõ põt, neq; in ea exercere aliquã iuriſdictionem niſi illã quã habebat epiſcopo viuo, niſi forte propter neglig ẽtiã capituli ad eũ deuoluatur aliqua iuriſdictio, ſicut deuolueretur, ſi epiſcopus fuiſſet viuus. *tenet Abb. c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur.*

CAPVT III.

De poſtulatione Prælatorũ.

1 QVid eſt poſtulatio?
Reſp. Eſt petitio facta coram Summo Pont. à populo, vel à clero poſtulante Prælatum. *cap. bonæ memoriæ de poſtulatione.*

2 Quæ differentia eſt inter poſtulationem, & electionem?
Reſp. Poſtulatio videtur quod ſemper ſit de aliqua perſona alias docta, benemerita, ſed intelligibilis propter aliquem defectum particularem, verbi gratia, ſi non eſt legitimus, vel ſi non habet ætatem, & ſic ſuperior non tenetur admittere poſtulationes, ſi non vult; at verò electio eſt de perſona capaci, & ſic ſuperior debet illum confirmare. *cap. vnico de poſtulatione Prælatorum in 6.*

3 Poſtulatio ad quem fit?
Reſp. Ad Papam, Imperatorem, vel Regem, non ad Epiſcopum, neque ad iudices inferiores, niſi in his rebus, in quibus ipſi poſſunt diſpenſare. *c. vnico de poſtulatione Prælatorum in 6.*

4 Qui debent poſtulari?
Reſp. Qui moribus, vita, ætate exemplo, & doctrina refulgent, & habent teſtimonium, & gradum ſuæ ſcientiæ in aliqua publica vniuerſitate, licet alias patiantur aliquem defectum, ſine culpa ipſorum, *c. cum in cunctis de electione.*

5 Qui non debent poſtulari?
Reſp. Qui violauerunt interdictum poſitum à ſummo Pont. vel ſunt excommunicati, vel non præſtiterunt obedientiam ſummo Pont. vel ſunt hæretici. *c. 1. de poſtulatione Prælatorum.*

6 Quis habet actionem poſtulandi?
Reſp. Capitulum, Collegium, Communitates, Vniuerſitates, *c. gratum de poſtulatione.*

7 Poſtulatio à quo numero perſonarum ex his Cōmunitatibus debet fieri?
Reſp. Ad minus à tertia parte Collegij, vel Communitatis, aliter non eſt admittenda: ratio eſt, quia ius poſtulandi non competit particulari perſonæ, ſed ſolum Cōmunitati, cum in ea reſpiciatur ad bonũ Communitatis, *c. bona memoriæ de poſtulatione.*

8 Quæ Communitas priuatur actione poſtulandi?
Reſp. Illa Communitas quæ poſtulat perſona indignam, ſicut, qui eligit indignum priuatur electione. *c. gratum de poſtulatione Prælatorum.*

9 Communitas, quæ habet ius poſtulandi quando poteſt variare poſtulationem?
Reſp. Antequam præſentetur ſuperiori poſtulatio, nam poſtquam poſtulatio eſt præſentata, non eſt locus variandi, ratio eſt, quia poſtulatio nō habet duos actus ſucceſſiuos, ſed vnum. *c. bonæ memoriæ. c. poſtulationem de poſtulatione Prælatorum.*

10 Per poſtulationem ſæpè factam acquirit ne ius poſtulandi aliqua communitas, vel capitulum, ita vt electio fieri non poſſit à Principe, vel ſuperiori niſi præcedente poſtulatione?
℞. Nō acquiritur aliquod ius, quia poſtulatio, & eligere poſtulatũ; taliter dependent à gratia, & mera liberalitate Principis, quòd ſi ipſe voluerit, poterit ante poſtulationem, & poſt poſtulationem eligere alium, & non poſtulatum, *c. 1. de poſtulatione, & Abb. ibi.*

11 Poteſt Epiſcopus eligi in aliam Eccleſiam?
Reſp. Non poteſt, ſed bene poteſt poſtulari ad aliã Eccleſiam; ratio eſt, quia Epiſcopus habet coniugiũ ſpirituale cum ſua Eccleſia, tamquam cũ vera ſponſa, & eſt illi matrimonialiter ligatus, & ideo antequã deſponſetur cum ſecunda ſponſa, debet à Sum. Pont. ſolui primum vinculũ, vt latè dixi *lib. 4. c. 11. de trãslatione Epiſc. n. 6, 7. 8. 9. 10. & 11, & habetur in c. honor in gloſſa, & in c. ex vnanimiter de poſtulatione Prælatorum, & in c. 2. de translatione Epiſcopi.*

12 Poteſt quis ſimul poſtulari, & eligi?
Reſp. Negatiuè, quia poſtulatio, & electio ſunt diſtincta iura, & fiunt à diſtinctis perſonis, nam poſtulatio fit ab inferiori, electio à Superiori, vt habetur *in c. 1. de poſtulatione Prælatorum in 6.*

13 Ad quid prodeſt poſtulatio?
Reſp. Ad hoc, vt Princeps intelligat voluntatē ſubditorum, & accommodando ſe eorum deſiderio, det illis Prælatum ſibi gratum. *tenet Abb. in c. 1. de poſtulatione Prælatorum.*

14 Clerici, Canonici, Dignitates, Abbates, poſſunt ne poſtulari, & eligi in Epiſcopos, liberè abſque aliqua diſpenſatione?
Reſp. Iſti tales poſſunt liberè eligi in Epiſcopos, & aſcendere, à ſuis præbendis ad munus Epiſcopale, abſque aliqua diſpenſatione: ratio eſt, quia licèt ſint vni Eccleſiæ aſtricti, non tamē ſunt illi matrimonialiter alligati, vt Epiſcopi: cum Eccleſia ſolum vnum habeat ſponſum, vt habetur in *c. etiam ſi honor in gloſ. de poſtulatione Prælatorum iſto titulo, & c. ſi Abbatem de electione in 6.*

15 Sæcularis poteſt poſtulari: vt eligatur in Epiſcopum in Cathedralem?
Reſp. Si habeant vigeſimũ ſeptimum annũ, & reliquas qualitates, benè poſſunt poſtulari, quia D. Ambroſius cum eſſet iudex ſæcularis acclamatione populi poſtulatus fuit in Archiepiſcopum Mediolanēſem, vt habetur in *extrauag. communi de poſtulatione Prælatorum. c. diſpendijs, ſed poſt Concilium Trid. debet habere quis triginta annos ætatis, vt eligatur in Epiſcopũ.*

CAPVT IV.

De electione, & electi poteſtate.

1 DE Iure antiquo ad quem pertinebat electio Epiſcopi in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis?
℞. Electio Epiſcòpi de Iure antiquo pertinebat ad Collegiũ Canonicorũ Eccleſię Cathedralis, & Collegialis, & cōfirmatio ad Sum. Pont. facto prius ſufficiente examine de vita, & moribus electi, ſed hodie per diuerſa priuilegia Summorũ Pont. Reges, & plurimi Principes ſæculares habent præſentationē Epiſcoporum in ſuis regnis, & Summus Pont. habet electionem, confirmationem, approbationem, & conſecrationem, vt habetur in *c. 1. & c. poſtquam de elect.*

2 Popu-

2 Populus poteſt eligere Prælatum communi clamore, ſicut contigit in electione ſancti Ambroſij Archiepiſcopi Mediolanenſis?
Reſp. Non poteſt, imò clamor populi ab electione repellendus eſt; ratio eſt, quia ex hoc poſſunt prouenire plurimæ diſſenſiones, & in electione Diui Ambroſij miraculosè poſtulatus fuit à populo, *c. totius Epiſcopus de electione. c. cum terra. iſto tit.*

3 Intra quot menſes debet Prælatus eligi in Cathedrali, vel Collegiali Eccleſia?
℞. De Iure intra tres menſes, aliàs deuoluitur electio ad ſuperiorē, ratio eſt, ne Eccleſia tanto tēpore deſtituatur ſolatio paſtoris. *c. ne pro defectu de elect.*

4 Quis debet eligi in Epiſcopum?
Reſp. Qui natus eſt ex legitimo matrimonio, dignus ſcientia, virtute, moribus, ætate, & graduatus in Iure Canonico, vel in ſacra Theologia. *c. cum in cunctis de electione.*

5 Quam ætatem debet habere Epiſcopus electus?
Reſp. Triginta annorum completorum, vt maiori prudentia, & ſcientia fulgeat, & gubernet. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 1. de refor. & c. cum in cunctis de elect.*

6 Schiſmaticus, qui fecit pœnitentiam, ad Eccleſiam controuerſus, poteſt ne eligi in Epiſcopum?
Reſp. De Iure talis electio facta à Canonicis nulla eſt, ſed Papa poteſt diſpenſare, ſi perſona ſit tam digna, & neceſſaria Eccleſiæ Dei. *c. quia diligentiā de elc.*

7 Illegitimus poteſt ne eligi in Epiſcopum?
Reſp. Negatiuè, imò talis electio eſt nulla ipſo Iure & electores priuantur poteſtate eligendi pro illa vice, & electio deuoluitur ad ſuperiorē, ratio eſt, quia eligunt perſonam incapacem, ſed illegitimus benè poteſt poſtulari abſq; aliqua pœna, cum aliquando illegitimi ſint doctiſſimi, & homines magnæ virtutis, quia illegitimatio non vitiat mentem, neque animā, neque eſt in culpa hominis. *c. innotuit de elect.*

8 Cardinalis, ſi eſt vtilis vniuerſali Eccleſiæ, debet ne eligi in Epiſcopum?
Reſp. Negatiuè, ſed alijs præmijs honorari, & ſuſtētari; ratio eſt, quia bonum vniuerſale præfertur bono particulari, ſicut caput præfertur alijs membris, vt habetur in *c. bonæ memoriæ de poſtulatione.*

9 Cardinalis in quibus rebus debet eſſe vtilis vniuerſali Eccleſiæ, vt non eligatur in Epiſcopum?
Reſp. In confutando hæreticos, in cōſiliando, adiuuando Summum Pontificem in negotijs Eccleſiæ, vt habetur in c. bonæ memoriæ de poſtulatione Prælatorum; imò ſi talis ſit Epiſcopus, ex iſta cauſa excuſatur à reſidentia, vt latè dicitur iſto *lib. 4. c. 5. de reſidentia Epiſcopi.*

10 Electus in Epiſcopum intra quod tempus debet acceptare ſuam electionem?
Reſp. Intra menſem à die notitiæ, vt habetur in *c. quàm ſit de electione in 6.*

11 Si Religioſus eligatur in Epiſcopum, & conſentiat abſque licentia ſui Superioris, valebit ne talis acceptatio?
Reſp. Non valebit, ſed iterum debet dari alius conſenſus cum licentia ſui Superioris; ratio eſt, quia religioſus, dum non eſt abſolutus, & liberatus à voto obedientiæ per Summum Pont. non eſt ſui iuris, neq; habent velle, neque nolle. *c. ſi religioſus de elect. in 6.*

12 Si tempore electionis aliquis ſit idoneus ad Epiſcopatum obtinendum, & ante confirmationem ex aliquo accidenti, vel delicto fiat inſidignus, debet ne attendi tempus ad conſiderandam validitatem electionis eius?
Reſp. Affirmatiuè, & non ſolum tempus electionis in electo, verum etiam in electoribus; ratio eſt, quia de futuris nulla ſcientia eſt in hominibus, vt habetur in *c. dudum de electione.*

13 Quando vacant beneficia Canonicatus, vel dignitates, quas poſſidet electus in Epiſcopum?
Reſp. Poſtquam eſt confirmatus, & conſecratus, & pacificam poſſeſſionem adeptus, tunc beneficia ipſo Iure vacant, & non antea; ratio eſt, quia non debet quis ſpoliari bonis, quibus ſuſtentatur, donec pacificè poſſideat alia bona, ad quæ aſcendit per Epiſcopatum, quia aliter eſſet facere illi iniuriam, & non honorem, aut vtilitatem; nam ratione conſentaneum eſt, vt Epiſcopus, & alius electus in Canonicum non amittant fructus primi beneficij, donec incipiant percipere fructus ſecundi beneficij, vt expreſsè tenet *Abb. in c. de multa de præbendis, & dignitatibus nu. 12. & cum illo omnes DD. in c. cum in cunctis, & in cap. cum verò de electione, & ibi gl. expreſſe. Clem. ſi. de electione, & c. licet de præbendis lib. 6.*

14 Electus ante eius conſecrationem poteſt renunciare beneficia, quæ poſſidet certæ perſonæ?
Reſp. Non poteſt, quia hoc eſſet in fraudem ſedis Apoſtolicæ, ad cuius diſpoſitionem vacant dicta beneficia, licèt in Regnis Hiſpaniæ ex antiqua conſuetudine, & vſu cum quis eligitur in Epiſcopum, renūciat beneficia, quæ poſſidet in fauorem alicuius perſonæ à Rege nominatæ, quæ ſemper eſt perſona magni meriti. *c. noſti de electione.*

15 Si quis electus in Epiſcopum ſua culpa, vel infirmitate nolit conſecrari, quando vacant eius beneficia, vel dignitates?
Reſp. Poſt tres menſes illi datos ad eius cōſecrationem, hoc intellige, ſi aſſequutus fuerit poſſeſſionem fructuum Epiſcopatus, vt tenent *DD. loco allegato.*

16 Si quis conſecratus fuit, & non adeptus poſſeſſionem, neque fructus ſui Epiſcopatus vacant ne eius beneficia poſt conſecrationem?
Reſp. Non vacare, quia non ſolum attenditur conſecratio, ſed poſſeſſio Epiſcopatus, & beneficij ſecūdi, vt ex eius fructibus commodè ſuſtentetur, ne mēdicet. *tenent DD. ſupr. allegat.*

17 Quis debet confirmare electum in Epiſcopum?
Reſp. Solus Summus Pont. cum confirmatio Epiſcopi ſit de rebus maioribus Eccleſiæ Catholicæ, vt habetur in *c. venerabilem de electione.*

18 Si electus in Epiſcopum ante cōfirmationem adminiſtrat Epiſcopatum, vel inueniatur, quòd non habet ſcientiam neceſſariam, quam pœnam incurrit?
Reſp. Amittit electionem de ſe factā; ratio eſt, quia per ſolam electionem non datur illi aliqua iuriſdictio, ſed eſt quaſi lutum poſitum in manu figuli, ſed ſi erat Canonicus eiuſdem Eccleſiæ, & adminiſtrat, vt Canonicus non incurrit pœnam. *c. qualiter, & cap. auaritiæ de electione. c. bonæ memoriæ iſto titu. c. auaritiæ iſto tit. in 6.*

19 Electus, & confirmatus in Epiſcopum ante eius conſecrationem, quam poteſtatem habet?
Reſp. Poteſt exercere omnia, quę ſunt iuriſdictionis, ſententiare, dare licentiam ſubditis, vt adminiſtrent Sacramenta, prouidere beneficia vacantia, & poſt conſecrationem poteſt exercere ea, quæ ſunt ordinis, & non antea, vt habetur in *c. tranſmiſſa de elect.*

§.

De Electione Canonici in Eccleſijs Cathedralibus, & collegiatis.

20 Electio Canonici debet eſſe libera?
Reſp. Non ſolum debet eſſe libera, ſed eſt poſita in Iure pœna grauiſſima excommunicationis ipſo facto incurrenda Potentatibus,& perſonis potentibus, vel cuicumque perſonæ cuiuſcumq; conditionis ſit, qui minatur Canonicos, vt ferant ſuffragium pro aliqua certa perſona, quam ipſe vult, vel ijs,qui aggrauant Canonicos, eorum parentes, uel famulos, uel uſurpant eorum bona,eò quòd non tulerunt ſuffragium pro illa certa perſona, ut habetur in *capit. ſciam de electione in ſexto.*

21 Canonico mortuo, & non ſepulto poteſt fieri electio ab Epiſcopo, uel à Capitulo?
Reſp. Siue electio pertineat ad Epiſcopum ſolum, ſiue ad Epiſcopum, & capitulum ſimul,talis electio non ualet,& eſt irrita, ratio eſt, quia iniquum eſt, ſiue in bello,ſiue in pace,ut officium,uel beneficium prouideatur in alium ante eius ſepulturam, & requiem, & denotat nimiam cupiditatem in electore, ut habetur in *c.bonæ memoriæ de electione.*

22 In electionibus eſt ne ſeruãda cõſuetudo Eccleſię?
Reſp. Eſt ſeruanda cum tanto rigore, quòd licèt de Iure electio Canonicorũ pertineat ad Epiſcopum,& Canonicos ſimul,ſi in aliqua Eccleſia ſit cõſuetudo, ut iſta electio pertineat ad ſolos Canonicos, Epiſcopus non habet ſuffragium, ſed debet relinquere eos in ſua conſuetudine; ratio eſt, quia ius eligendi præſcribitur,& Canonici ſunt capaces pręſcribendi contra Epiſcopum, ut habetur in *c.cum Eccleſia de elect.*

23 Qui ſunt modi eligendi?
Reſp. Tres,per compromiſſum, per inſpirationem Spiritus ſancti,uel oretenus, per ſcrutinium ſecretũ, uel publicum *c. quapropter de electione.*

24 Quæ eſt electio per compromiſſum?
℞. Quando omnes electores nemine diſcrepante compromittunt electionem alicuius præbendæ in aliquas certas perſonas doctas, & bonæ uitæ, ut tollantur diſſenſiones, & benè eligatur. *c.cauſam.cap.in cauſis de electione.*

25 Quare in compromiſſo debẽt concurrere omnes Canonici nemine diſcrepante, & non ſufficit maior pars cum compromiſſum dirigatur ad pacem?
Reſp. Ratio eſt,quia quilibet Canonicus elector habet ius proprium eligendi, & illo priuari non poteſt à maiori parte capituli, ideò omnes debent concurrere, & poſtquam factum fuit compromiſſum ab omnibus, à maiori parte non poteſt reuocari. *c.cauſam c.in cauſis de electione.*

26 Compromiſſarij ad electionem Canonici unde debent aſſumi?
℞. De ipſo capitulo,& poſſunt eligere unum ex ipſis compromiſſarijs,ſi hoc in compromiſſio expreſsè non ſit prohibitum, & poſſunt eligere ſuos fratres, & propinquos. *c.cum in Iure de electione.*

27 Compromiſſarij ſemel electi poſſunt ne reuocari à toto Capitulo?
Reſp. Si non cœperunt exercere compromiſſum, benè poſſunt reuocari, quia res eſt integra; ſi autem cœperunt exercere compromiſſum,non poſſunt amplius reuocari à toto Capitulo,quia iam radicata eſt iuriſdictio in eis. *c. cum inter de electione 3.*

28 Canonici tenentur ne neceſſariò acceptare electũ per compromiſſarios,ſiue ſit dignus,ſiue non ſit magis dignus?
Reſp. Si fuit ſeruata forma compromiſſi,neceſſariò tenentur acceptare electum per compromiſſarios, quamquam non ſit magis dignus,ratio eſt,quia omnis poteſtas Canonicorum eligendi eſt in compromiſſarios tranſlata, & ſicut ſi Canonici per ſe ipſos eligant nõ magis dignum,ſed dignum,tenet electio, ſic tenet hæc eadem electio facta per compromiſſarios, vt habetur in *c. cum dilectus de electione.*

29 Compromiſſarij quem tenentur eligere?
Reſp. In conſcientia tenentur eligere magis idoneũ ad regimen Eccleſiæ, ſed ſi eligant ſolum idoneum, ſufficit,& facta vna electione non poſſunt reeligere, etiam ſi non ſit publicata. *c. cauſam de electione.*

30 Si compromiſſarij eligant indignum,Canonici tenentur eum acceptare, & dare illi poſſeſſionem?
Reſp. Non;imò poteſtas eligendi ceſſat,& deuoluitur ad electores: ratio eſt,quia compromiſſarij fecerunt contra formam compromiſſi, & eorum iuriſdictio eſt limitata,& arctata ad ſolum compromiſſum *c. ſi compromiſſarij de electione in 6.*

31 Si compromiſſarij non elegerint intra tẽpus conſtitutũ in compromiſſio, ad quẽ deuoluitur electio?
Reſp. Diſtinguendo; ſi compromiſſarij conſumpſerunt totos tres menſes vtiles, quos Canonici habent ad eligendum, & non elegerunt, deuoluitur electio ad ſuperiorem, tamquam ſi Canonici eos conſumpſiſſent ſine electione; ſi verò tempus cõpromiſſi fuit per duos menſes, & in illo tempore non elegerunt, deuoluitur electio ad Canonicos, vt in alio tertio menſe vtili eligant; ratio eſt, quia finito tempore ſpirat compromiſſum, & Canonici reſtant cum ſua libertate. *c.ſi compromiſſarij de electione in 6.*

32 Si ſint ſeptem Canonici compromiſſarij, & electio ſit de Epiſcopatu,vel de aliqua dignitate,& tres eligant vnum de Capitulo in Epiſcopum, & alij tres vnum ex compromiſſarijs, nempè ſeptimum, quis horum erit Epiſcopus?
Reſp. Ille, qui fuit electus ex compromiſſarijs obtinebit Epiſcopatum; ratio eſt, quia quando electus fuit in iudicem compromiſſarium, reputatus fuit ab vniuerſo Capitulo tamquam magis dignus,& habet qualitatem iudicis compromiſſarij, & alius de Capitulo habet ſolam qualitatem Canonici, vt habetur in *c. cum de Iure electione.*

33 Quæ eſt electio oretenus, & vbi eſt magis vſitata?
Reſp. Quando aliquis Epiſcopus, vel perſona docta præeſt electioni,& omnes electores veniũt ad ipſum ſingulariter, & notario præſenti, vel illi, qui ſcribit electionem,dicunt proprio ore,eligo Petrum, & ipſe notat in carta, & poſtea facta regulatione dicit, Ioannes canonicè electus eſt per maiorem partem ſuffragiorum,& hæc electio magis vſitata eſt inter moniales, quia cum ſint mulieres, non omnes neſciunt legere, & ſcribere.

34 Quæ

34 Quæ eſt electio per inſpirationem Spiritus Sancti, ſiuè, per acclamationem vitæ vocis oraculo?
Reſp. Quando omnes electores vna voce, vel ſaltem maior pars eorum acclamantes dicunt omnibus audientibus, eligimus Petrum in Epiſcopum, vel Canonicum, & iſta electio erat magis vſitata in electione Summi Pontificis vſq; ad Gregorium XV. qui eam irritauit, vt infra dicemus. *c. quia propter de electione.*

35 Quæ eſt electio per ſcrutinium, & quotuplex eſt ſcrutinium?
Reſp. Scrutinium eſt duplex, publicum, & ſecretum, ſecretum quando omnes electores congregantur, & per ſuffragia ſecreta faciunt electionem; publicum, quando quilibet in ſuo loco vnus poſt alterum ſeruata ſua antiquitate dicit eligo Petrum, alius dicit eligo Ioannem, & poſtea de his duobus fit ſcrutiniũ. *c. quia propter de electione.*

36 Ad Canonicam electionem per ſcrutinium faciẽdam, quæ pars Canonicorum requiritur?
℞. Maior pars totius capituli, ita vt ſi ſint viginti Canonici electus debeat habere neceſſario vndecim ſuffragia, & ſi non habeat niſi decem, & alij decem in alios appoſitores diuidantur, fit ſecundum ſcrutinium, & poſtea fit tertium inter duos, vſq; dum deueniatur ad hoc, vt vnus habeat electionem Canonicam cum maiori parte capituli. *c. Eccleſia veſtra. c. cumana de electione.*

37 Debent ne omnes Canonici electores aſſiſtere ad collationem ſuffragiorum in ſcrutinio?
Reſp. Debet aſſiſtere ſaltem maior pars capituli; ratio eſt quia eſt actus ſubſtantialis, & debet iuridicè fieri ad ſatisfactionem omnium electorum, qui in eadem re ſunt iudices æquales.

38 Suffragium, ſeu votum Canonici in electione quomodo debet eſſe?
Reſp. Certum, & determinatum pro vna, certaq; perſona abſq; aliqua ambiguitate, vt habet in *c. in electionibus de electione in 6.*

39 Suffragia conditionalia, vel incerta, vel alternatiua, vt ſi quis dicat eligo Petrum, vel Ioannem, vel dicat eligo Ioannem, ſi ſit doctoratus, vel digat eligo hominem doctum, vel virtute preclarum, & hoc ponat in ſchedula, qua mittit in ſcrutinio, iſta ſuffragia ſi inueniantur, quid operantur?
Reſp. Habentur, vt nulla, vnde electio non annullatur, ſed illud ſuffragium reijcitur. *c. in electionibus de electione in 6.*

40 Si quis eligat plures, vel duos, & dicat eligo Petrum, & Franciſcum iſta electio quid operatur?
Reſp. Electio plurium non eſt electio, ſed nominatio, & hoc ſuffragium repellitur, & cęteri, qui purè elegerunt faciunt electionem, vt habetur in *c. cum ſicut de electione.*

41 Quis debet eligi Canonicum?
Reſp. Magis idoneus ad regendam illam præbendam, ſcilicet, qui habuerit maiorem ſanctitatem, & virtutem, præferatur illi, qui habet maiorem ſcientiam; ratio eſt, quia hic agitur de maiori vtilitate Eccleſię. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. Gonzalez ad regulam. 8. Cancellariæ, gloſ. 4. nu. 112. Garcia de beneficijs part. 9. c. 2. numero 111.*

42 Quis dicitur abſolutè magis ideoneum?
℞. Magis idoneus, dupliciter ſumitur, ſcilicet per ſe, vel per accidens; aliquis poteſt eſſe per ſe magis idoneus, quia eſt ſanctior, & doctior alio, & poteſt alius eſſe magis idoneus per accidens, quia habet maiorẽ prudentiam, animum magis quietum, maiorem cognitionem, & experientiam illius officij, vel aliam qualitatem magis neceſſariam, ad regimen illius præbendæ, & hæc omnia ſunt conſideranda à Canonico electore, ſemper attendendo maiorem quiete, & vtilitatem illius Eccleſiæ, *vt tenet Conar. in regula peccatum p. 2. §. 7. num. 4.*

43 Quas qualitates debet conſiderare Canonicus in oppoſitoribus, vt eligat magis idoneum?
Reſp. Variæ ſunt Doctorum opiniones, quas refert Petrus Auguſtinus Barboſa in remiſſionibus doctorũ ſuper *c. 18. ſeſſ. 24. Conc. Trid.* ſed mihi videtur tutius eſſe, vt qualitates conſiderentur eo ordine, quo concilium eas poſuit, nempè vt ſemper eligatur magis idoneus reſpectu Eccleſiæ, ſi virtutes, & mores ſint approbatæ, & Canonicus nunquam errabit, ſi ſemper quæſierit, & inueſtigauerit, maius bonum Eccleſiæ ſine aliqua affectione, *vt tenet Gõzalez & Nicolaus Garcia ſup. cit.*

44 Si aliquis è capitulo, vel de Eccleſia ſit litteratus, & ſe opponat cum alijs, eſt ne præferendus?
Reſp. Si Canonici eligant Epiſcopum, & in eadem Eccleſia ſit Canonicus idoneus, ille debet aſſumi in Epiſcopum, & non debet eligi de alia Eccleſia, ſimiliter ſi aliqua præbenda, dignitas, vel portionarius, ſe opponat ad Canonicatum; & ſit dignus, ille eſt omnibus aliis præferendus; ratio eſt, quia in electione illius, tota Eccleſia honorantur, cum ſit omnium frater, & membrũ totius Eccleſiæ. *c. ne pro defectu. c.* cum inter, & ibi gloſſa notabiles, & verbo aliam de electione.

45 Qua pœna puniuntur electores, ſi ſcienter eligant indignum?
Reſp. Priuantur poteſtate eligendi, & deuoluitur electio ad illos, qui non peccauerunt, & elegerunt dignum, & etiam priuãtur beneficijs per triennium, vt habetur in *c.* cum Victorienſis Eccleſia. *c. per inquiſitionem de electione.*

46 Si quis ſcienter ferat ſuffragium pro indigno, & ille indignus non obtineat canonicatum, qua pœna punitur?
Reſp. Peccat mortaliter, ſed quia electio non ſortita fuit effectum, non priuatur poteſtate eligendi, neque beneficijs, ratio eſt, quia cum ſit Iudex in re graui iniuſtè iudicauit, & per ſuum ſuffragium potuit alius dignus perdere ſuum honorem, & præbendam, vt habetur *in capitul. perpetuò de electione in 6.*

47 Quod tempus habent canonici ad eligendum canonicum in Eccleſijs, vbi electio canonicorum ad canonicos pertinet, vel in electione canonici Doctoralis, Magiſtralis, vel lecturę, qui per bullas Apoſtolicas eliguntur in qualibet Eccleſia?
Reſp. Tres menſes à die mortis vltimi poſſeſſoris, vel die notitiæ; ratio eſt, ne pręberida ſtet ſine poſſeſſore, & Eccleſia fraudetur ſeruitio, & miniſterio illius canonici. *c. his quibus de electione.*

48 Si electus in canonicũ non acceptet ſuam electionem, vel moriatur ante poſſeſſionem, vel electio irritetur ex modo eligendi, vel ex alijs cauſis, quod tempus habet canonici ad faciendam ſecundam electionem?
Reſp. Alios tres menſes vtiles, dummodo non interueniat fraus; ratio eſt, quia omnia facta in prima electione ſunt irrita, & nihil operantur in ſecunda electione

ctione. *c.ſi electio de electione in 6.*

49 Quid debent facere canonici in electione alterius canonici, vt ritè fiat?

Reſp. Poſt mortem poſſidentis, vel poſt legitimam vacationem illius præbendæ, ſiue ſit per accenſionē ad Epiſcopatum, vel alio modo, Decanus debet congregare capitulum, & citare omnes canonicos, & ante eos legere bullam, & priuilegium Summi Pontific. in cuius virtute illa Eccleſia poteſt prouidere illam præbendam, & obſeruare bulla ad vnguem. Secundò debet monere ſuos canonicos, vt in illa electione eligant magis dignum ad gubernationem illius Eccleſiæ. Tertiò debet committere duobus de capitulo, vt faciant edictum cum omnibus conditionibus poſitis in dicta bulla, & illud affigant ad valuas Eccleſiæ, & ad portas ſtudiorum generalium, vt omnibus ſit notum, & concurrant homines docti ad illam præbendam?

50 Poterit capitulum finito tempore edicti prolongare edictum, & illud aperire, vt alij veniant ad cōcurrendum, qui in tempore edicti non potuerunt venire?

Reſp. Si intra terminum edicti Eccleſia voluerit illud terminum prorogare ad alios viginti vel triginta dies, bene poterit, quia ſicut fuit libera ad ſtatuendū terminum trigita dierum, eſt libera ad prorogandū dictum terminum; ſi verò elapſo termino edicti aliquis compareat, & petat, vt admittatur, tunc Eccleſia non poterit aperire terminum edicti; ratio eſt, quia ſit iniuria alijs, qui comparuerunt intra tempus vtile, & quamuis *Concil. Trident. cap.* 18. *ſeſſ.* 24. loquēdo de beneficijs curatis dicat, quoque omnes ſcripti examinentur, intelligitur, ſi comparuerunt in tempore habili, vt habetur in *capit. cupientes de electione in 6.*

51 Si aliquis ex oppoſitoribus per ſuum legitimum procuratorem fuit ſcriptus ad examen, & ſi conſtituto die non venit perſonaliter ad legendum, & poſtquam omnes legerunt, ipſe compareat ante prouiſionem, eſt ne audiendus?

Reſp. Si probauerint eſſe detentum infirmitate, vel legitimo impedimento, debet admitti ad faciendam ſuam lectionem, ſe non ideo, debet poni edictum de nouo, ratio eſt, quia legitimè impedito nulla currit pæna, neque mora, ſic cenſuerunt Illuſtriſſimi Cardinales congregationis *Concil. ſuper c.* 18. *ſeſſ.* 24.

52 Cum vacat aliqua præbenda doctoralis, vel lectura ad prouiſionem capituli, poterit capitulum illam dare alicui homini eminenti, & docto abſq; edicto, & abſq; concurſus?

Reſp. Si omnes Canonicis nemine diſcrepante concurrāt in electione talis perſonę propter eius magnā authoritatem, & eminentiam, benè poterunt illum eligere ſine aliquo concurſu, & erit quaſi electio viuæ vocis oraculo, niſi in bulla Summi Pontific. pro forma ſubſtātiali poſitum fuerit, quòd ponatur edictum, & quòd examinentur omnes concurrentes, tunc enim illa forma ſeruanda eſt, ſicut poſitum fuit in *cap.* 18. *ſeſſ.* 24. *Concil. Trid.* Parochialis enim Eccleſia ſine concurſu prouideri non poteſt.

53 Cum oppoſitores peruenerint ad ciuitatē, & Eccleſiam, quid eſt agendum?

℞. Decanus, & Canonici debent illos honorare, & benignè recipere, & curare, vt hoſpitentur in monaſterijs, vel in hominibus aliquorum clericorū, qui non ſint de capitulo. Secūdò debent nominari duos canonicos, qui cum ſuo ſecretario videant titulos oppoſitorum, gradus, & antiquitatem, & ordines, & referant in capitulum. Tertiò capitulum debet aſſignare diem, & horam, & ordinem legendi, & diſputandi. Quartò omnes canonici debent aſſiſtere ad lectiones, conciones, & diſputationes in loco cōſueto. Quintò finitis lectionibus debent aſſignare diem prouiſionis, & in illo die dare vnicuique ex oppoſitoribus pecunias ad reuertendum, & eos mittere in pace.

54 Si aliquis canonicus non aſſiſtat ad omnes lectiones, vel ad nullam, ex hoc poterit ne recuſari, vel ſit in habilis ad ferendum ſuffragium?

Reſp. Non, quia hæc eſt leuis cauſa, & poterit ſe informare de ſcientia oppoſitorum, ſed ſi declaret ſuū votum, vel promittat, vel faciat ſcripturam, quòd ipſe feret ſuffragium pro tali perſona ex his cauſis, & ex alijs in Iure expreſſis, vt ex cauſa conſanguinitatis poterit recuſari ſicut iudex, vt latè diximus *in tit. de recuſationib.*

55 In die electionis eſt ne neceſſaria expreſſa citatio omnium canonicorum ad electionem faciendam?

Reſp. Neceſſarium eſt obſeruare conſuetudinē Eccleſiæ, & ſtatutum, cum ſi res grauis, de qua agitur, bonum eſt citare omnes canonicos, qui ſunt in ciuitate, licèt omnes teneantur venire ad Eccleſiam ſuā ordinandam, vt habetur in *c. inter de electione.*

56 Si aliquis canonicus, qui eſt in ciuitate vocatus à miniſtro capituli, neglexerit venire ad electionem, vel ex aliquo accidenti non veniat, quid eſt agendū?

Reſp. Cæteri canonici faciāt electionem ſine illo, & ſi facto ſcrutinio venerit, non admittatur; ratio eſt, quia poteſtas eligendi illius canonici in alios transfertur, vt habetur in *c. cum nobis. cap. inter eodem, cap. coram de electione. c. Eccleſia ſecundus eod. tit.*

57 Si aliquis canonicus ſit extra ciuitatem, vel diſtet longè à ciuitate, eſt ne vocandus ad electionem.

Reſp. Non eſt, etiam ſi ſit Decanus, vt habetur in *c. inter de electione.*

58 Si canonicus abſens voluerit, poterit ne per litteras exprimere ſuum votum?

Reſp. Non poteſt, ratio eſt, quia non erit ſecretum, vt habetur in *c. ſi quis §. abſens de electione.*

59 Si canonicus ſit in ciuitate infirmus, vel occupatus, poterit ne per procuratorem dare ſuffragium in electione canonici?

Reſp. Affirmatiuè, ſi procurator ſit de capitulo, quia aliàs non eſt admittendus; ratio eſt, quia non erit ſecretum, & quia ad talem actū nullus admittitur, niſi ſit de capitulo, & iſte procurator debet eſſe vnus in ſolidum, & cum ſpeciali mandato ad iurandum, vel poteſt ex ſua domo mittere ſcriptum, & ſigillatum ſuum votum, ſicut faciunt iudices magni conſilij Regis, ſed in omnibus his conſuetudo, & ſtatutum cuiuſcumque Eccleſiæ eſt ſeruandum, *cap. ſi quis de electione in 6.*

60 Expenſæ, quę ſiunt in electione canonicorum, à quo debent ſolui?

Reſp. Expenſæ neceſſariæ, & moderatæ ſolui debent à canonico de nouo ſuccedente; ratio eſt, quia agitur de eius commodo in illa electione. *c. vt præterita de electione.*

61 Cum capitulum eſt congregatum ad faciendam electionem, quid debet facere?

℞. Hæc

Reſp. Hæc tria debent eſſe ſimul in eodem capitulo, vel in eadem, ſeſſione, vel ſaltim in eodem die electio per ſuffragia ſecreta, ſcrutinium, publicatio, & collatio; ratio eſt quia cum ſemper intercedere ſoleant aliquæ diſſenſſionem, affectiones, ſeù paſſiones inter electores tollitur occaſio, ne inſurgat aliquæ lites mediante appellatione, *c. Eccleſia veſtra. c. cumana de electione*.

62 Facta electione, & publicato ſcrutinio in ipſo capitulo, priuſquam portæ aperiantur, & antequam electus ſciatur; poſſunt ne omnes electores de cōſenſu omnium variare, & eligere alium, vel facere nouum ſcrutinum, & irritare ſcrutinium iam factum?

Reſp. Publicato ſcrutinio poſſunt variare electores, ēt ſi omnes conſentiant; at verò ante publicationem ſcrutinij, vel antequàm vlla ſchedula legatur, cum illas numerant, ſi inuenerint eas pauciores, vel plures, quàm ſunt electores, poſſunt omnes ſimul in ignem proijcere, & nouas ſchedulas dare, vt tollantur lites, & dubitationes; ratio eſt, qu a facto iuridicè ſcrutinio, & publicato inter canonicos, eſt quaſi vinculum coniugale, inter electum, & electore, quod diſſolui nō poteſt per ſolā voluntatē electorū, electus per primum ſcrutinium acquirit ius, quod ab illo auferri non poteſt *cap. publicato. c. cum inter de electione*.

63 Electus intra quod tempus debet acceptare electionem de ſe factam in canonicum?

Reſp. Si ſit præſens intra vnum menſem à die electionis, ſi ſit abſens infra menſem à die notitiæ; aliàs canonici poſſunt iterum de nouo eligere. *c. quem ſit de electione in 6*.

64 Electus in canonicum intra quot menſes debet confirmari, & petere ſuam poſſeſſionem?

Reſp. Intra tres menſes debet petere cōfirmationē, & poſſeſſionem a ſuperiore, aliàs electio nullas erit, quia videtur ille renuntiare; hoc intellige ſublato legitimo impedimento. *c. quamuis de electione in 6*.

65 Si electio fiat à minori parte capituli, & poſtea maior pars conſentiat in tali electione, erit ne valida talis electio?

Reſp. Non erit, ſed iterum debet eligi; ratio eſt quia eſt irrita ipſo iure, cum ibi non fuerit maior pars capituli, & actus, qui à principio nullus fuit, non conſolidatur, neq; reualidatur per conſenſum ſequentē. *cap. auditis de electione*.

66 Si electio fiat à maiori parte capituli ſcienter in perſona indigna, & minor pars eligat dignum, quæ electio valebit?

Reſp. Ea, quę facta eſt à minori parte capituli ſine nouo ſcrutinio; ratio eſt, quia maior pars capituli eligendo indignum priuatur pro illa vite poteſtate eligendi, & deuoluitur ad minorem, quia ignorantia, ſeù defectu ſcientiæ impedit promouendum, & deijcit promotum. *c. vult. ætate*, & qualitate ordinandorum, *& c. congregato. de electione*.

67 Quis debet iudicare, an electus per maiorem partem ſit indignus, uel excommunicatus, vel laicus, vel incapax ex aliquo defectu notabili?

Reſp. Iudex ſuperior per ſententiam vltimam, & diffinitiuam, antequam ille indignus electus à maiori part e tollatur à ſua poſſeſſione, quia nemini poteſt tolli ius acquiſitum, niſi audiatur in iuditio, & iuſtè condemnetur.

68 Si inter plures canonicos ſit vnus excommunicatus maiori excommunicatione, & admittatur ad electionem ſcienter, qui agendum?

Reſp. Talis electio irrita eſt, & debet iterum fieri, etiā ſi electus in illa electione habeat omnia ſuffragia, etiam ſi ille excommunicatus nō ferat ſuffragiū pro electo, ſed pro alio; ratio eſt, tunc quia pauca maſſa putrida totam maſſam corrumpit, tùm quia excommunicatus maiori excommunicatione, neq; poteſt eligere, neque eligi, & electio debet conſtare ex omnibus electoribus nullo defectu excommunicationis, irritetis, & eadem; ratio eſt, ſi admmitteretur aliquis laicus inter canonicos ad eligendum, electio irritaretur, *c. illo quotidiana de electione*, & gloſſa ibi, *& c. ſi celebrat de clerico excōmunicatio celebrante. & c. cum inter de electione*.

69 Si omnes Canonici ſint inhabiles ad electionem, vel omnes excommunicati, vel moriantur, & remaneat ſolus vnus habilis; ad quem deuoluitur electio?

Reſp. Si vnus ſolus remaneat habilis, ille ſolus poteſt eligere, & exprimere ſuum votum, & voluntatem coram Notario, & teſtibus, ſed non poterit ſe ipſum eligere, etiam ſi ſit capax illius dignitatis, de qua ſit electio: ſi verò omnes moriuntur, vel omnes ſunt inhabiles, deuoluitur electio ad ſuperiorem; ratio eſt, quia in vno ſolo homine conſeruatur ius omnium electorum, & ille ſolus repreſentat totum capitulum, & communitatem, gloſſa in *cap. 2.* de poſtulatione verbo pauciores ſumma de *Sà verb. electio. capit. bonæ memoriæ de electione capit. idem poſtulatione Prelatorum*.

70 Si electio facta annulletur propter modum eligēdi, poterit ne talis electio iterum fieri in eadem perſona?

Reſp. Poterit; ratio eſt, quia cum electio non vitietur propter defectum electi, iterum, & iterum poterit eligi ſeruata dicta forma. *capit. ſuper eo de electione*.

71 Electus ante electionem, poteſt ne conſentire?

Reſp. Negatiuè, ſed poteſt deſiderare, & facere mandatum, vt procurator pro illo conſentiat ſuo tempore. *c. cum poſt petitam de electione*.

72 Impubes poteſt eligi in Canonicum Eccleſia Cathedrali?

Reſp. Doctorum opinio eſt, quòd ad beneficia, quæ requirunt perſonalem reſidentiam, diſcretio animi requiritur, & ſic debet eſſe pubes, & habere quatuordecim annos; verùm hodie cum Canonicatus habeat ordinem ſacrum annexum ex *Concil. Trident.* eſt neceſſarium, vt aliquis habeat diſpenſatione Apoſtolicam, vt Canonicatum obtineat, poteſt tamen obtinere beneficia ſimplicia, cum ætate poſita à *Concil. Trid. c. ex eo de electione in 6*.

73 Si quis non vocetur ad electionem, nec excludatur violenter ab illa, & poſtea cenſerit electioni; talis electio debet ne repeti?

Reſp. Non debet; ratio eſt, quia cum ratihabitione cenſetur eſſe facta, cum præſertim per ſubſequentem cōſenſum eam roborauerit. *cap. quod ſicut de electione*.

74 Qui eligunt, vel conſentiunt electioni poſſunt opponere aliquid poſtea contra electum?

Reſp. Negatiuè, quia iā illum approbauerunt, niſi forte ad eorum notitiam veniat aliquis defectus electi poſt factam electionem, vt habetur in capitul. *nulli*

nulli licet de electione in 6.

75 Si ante electionem Canonici petant conſenſum electi, & dicant, vt conſentiat per Notarium, & ſcripturam ante teſtes electionis de ſe faciendę, talis electio erit ne valida?

Reſ. Non erit, imò erit irrita; ratio eſt, quia eſt proceſſus inordinatus, cum primum debeat precedere electio. Secundò publicatio electionis. Tertiò conſenſus electi, vt habetur in *cap. cum poſt de electione.*

76 Quando Papa mandat, vt electio fiat cum conſilio alicuius, vel quod aliquis Cardinalis, vel Epiſcopus aſſiſtat in electione; ſi electio fiat ſine aſſiſtentia illius, erit ne valida?

Reſp. Erit nulla, licèt Summus Pont. in mandato, vel in breui non ponat pœnam talem; ratio eſt, quia ipſo facto, quòd mandat, vt electio fiat præſidente aliquo, eneruat, & ſuſpendit vires electorum, illa conditione non adimpleta. *c. cum in veteri de electione.*

77 Electus in duabus Eccleſijs quid tenetur agere?

Reſp. Neceſſariò debet eligere vnam de illis, & de illa petere confirmationem, & poſſeſſionem, & non poteſt acceptare ſub aliqua conditione, dicendo, ſi hæc electio mihi non erit tuta vel bona, eligo ſecundam in me factam in tali Eccleſia; ratio eſt, quia alia Eccleſia non tenetur expectare futurum euentum, & commoditatem electi, vt habetur in *c. vt quis duas de electione in 6.*

78 Si quis eligatur habens plures dignitates, electio valebit ne?

Reſp. Si illas obtineat ſine diſpenſatione Apoſtolica non valebit electio in pœnam peccati; ratio eſt, quia indignus eſt noua, & maiore dignitate, qui obtinet iniuſtè contra ius, & contra Concil. Trid. duas dignitates, *vt tenet Abb. in cap. cum iam dudum de præbendis, & dignitatibus.*

79 Per electionem ſecundę dignitatis, vel beneficij vacat ne primum?

Reſp. Non vacat, niſi per poſſeſſionem paciſficam; ratio eſt, quia nemo debet ponere in periculo beneficiũ, de quo pacificè alitur, donec obtineat per poſſeſſionem pacificam aliud beneficium maioris valoris. *tenet Abb. in cap. ſtirpandæ de præbendis, & dignitatibus.*

80 Si duo eligantur ſimpliciter ad vnam præbendam cui debetur de Iure?

Reſp. Nulli, quia non poteſt diuidi præbenda in duos, & talis electio eſt nulla, quia eſt contra ius; ratio eſt, quia electio debet eſſe certa in vna perſona. *c. tuæ fraternitati de præbend. & dignit.*

81 Nouitius in aliqua religiones, & non profeſſus ſi habeat magnam ſcientiam, & virtutem, poteſt elegi in Abbatem, vel in Epiſcopum?

Reſp. Cum diſtinctione ad regendam Eccleſiam regularem non poteſt eligi: ratio eſt, quia non aratur in aſino, & boue: at verò ad regendam Eccleſiam ſecularem benè poteſt eligi in Epiſcopum, vel Decanum, ratio eſt, quia nouitiatus non facit eum incapacem, imò addit actum virtutis, vt habetur in *c. cum cauſam de electione.*

82 S in electione Moniales, Monachi, vel Canonici electores diſcordent inter ſe, & duo habeant eiuſdem prorſus nominis ſuffragia: in iſto caſu quid erit agendum?

Reſp. Si in illa religione, vel Eccleſia ſit aliquod ſtatutũ confirmatum à ſede Apoſtolica, vt in iſto caſu eligatur ille, qui alium pręcedit, & ſuperat in aliqua virtute, vel qualitate videlicet in gradu, vt ſi vnus eſt Licentiatus, & alius Doctor; vel in cathedra, vt ſi vnus gubernat cathedram primam, & alter veſpertinam; vel in ætate, aut ordine ſacro, aut nobilitate, vt ſi quis ſit nobilis, alter ignobilis, tunc illud ſtatutum dirimens difficultatem erit obſeruandum in tali religione, vel Eccleſia, ſed non in alia, vbi non eſt tale ſtatutum, quia iura particularia non faciunt legem generalem, & exemplis non eſt iudicandum.

83 Si non ſit tale ſtatutum, in electionem vota ſint inter duos paria, vel ſi ambo habeant æquales qualitates in tali ſtatuto contentas, tunc quid erit agendum in iſta electione?

Reſp. Qui præeſt electioni, moneat electores, vt ſe conforment ad faciendam quietam, pacificam, & canonicam electionem, vel compromittant electionem in tres vel quinque electores diſpari numero, vt controuerſia diſſoluatur; & ſi iſtæ monitiones nihil proſint, faciat fieri tria, vel quatuor ſerutinia ſecreta, & ſi perſeuerent electores, & ſemper ſint para ſuffragia, tunc de iure communi incurrendum eſt ad Superiorem immediatum, nempè ad Epiſcopum Metropolitanum, vel Prouincialem, qui aſſignabit eis certum tempus limitatum ad eligendum vnum ex illis duobus; & ſi tranſacto tempore non eligatur, tũc electio diuoluitur ad ipſum ſuperiorem, qui poterit eligere vnum ex illis, & talis erit electus, & illi debet dari poſſeſſio. *Gl. ſingularis decidens hunc caſum in c. duobus de reſcrip. lib. 6. verb.* teneantur; ratio eſt, quia ſicut aliquando inferiores ſupplent vices Superiorum, ſic aliquando è conuerſo, & neceſſariò Superiores ſupplent deffectus inferiorum, *vt in c. veniens de elect. & c. cum ſimus 9. q. 3. gl. 3. c. vltimo. de ſuppl end. neglig. Prælator. in 6. c. frequens de reſtit. ſpol. in 6. & c. ſi tibi de præbend.*

84 Si in aliqua Eccleſia Epiſcopus habeat votum in capitulo ſicut vnus de Canonicis, & in electione alicuius Canonici ſuffragia ſint paria, tunc erit ne recurrendum ad ipſumet Epiſcopum tanquam ad Superiorem, vel ad Metropolitanum?

Reſp. Si in tali Eccleſia non ſit ſtatutum, quòd in ęqualitate ſuffragium Epiſcopi præualeat, erit recurrendum ad Metropolitanum, quia Epiſcopus ibi nõ reputatur, vt Superior, ſed & vnus ex electoribus, & æquali lege eſt iudicandus: ſi verò Epiſcopus nullum habeat ſuffragium, ſed electio tãtum pertineat ad Canonicos, tunc reccurrendum erit ad Epiſcopũ tanquam ad immediatum Superiorem, vt ſatis apparet ex ſupra dicta Gloſſ.

85 Cum Superior aſſignat electoribus certum tempus, vt electione alicuius conueniant, poterunt ne tunc tales electores variare, & eligere tertium, & relinquere illos duos, inter quos ſunt ſuffragia paria?

Reſp. Poterunt, quia ex eo, quòd quis habeat vota paria, nullum ius ſibi acquirit; imò ſepiſſimè contigit eligere tertium, vt diſcordiæ dirimantur, & poterunt conuenire in eligendo vno ex duobus, ſi ſibi placuerit. *Gl. ſupradicta. in cap. duobus de reſcript. in 6.* vbi dicitur diſiunctiuè, & aſſignatur tempus electoribus eligendum.

86 Quando electio deuoluitur ad Superiorem, poterit ne Superior elegere tertium, & relinquere illos duos,

duos, qui habent paria ſuffragia?
Reſp. Non poteſt, ſed neceſſariò debet eligere vnũ ex illis duobus; ratio eſt, quia non eſt deuoluta ad Superiorem poteſtas libera, & abſoluta eligendi, ſed ſolum ſupplendi illum defectum cōcordiæ, & ad tollendam deſſenſionem ortam in animis electorum inter illos duos, & non eſt rationi conſentaneum, vt abſolutè diſcedatur à voluntate electorum, ad quos de iure ſpectat electio; *vt in c. veniens. de elect. & dicta gloſ. ſatis apparet.*

87 Superior, quem ex illis duobus tenetur eligere?
Reſp. Illum quem ipſe crediderit magis idoneum, & neceſſarium dictę gubernatione. *tenet Abbas in c. veniens de electione.*

88 Appellare ab electione facta, vel facienda quando eſt licitum.
℟. Primò, quando non ſeruatur modus eligendi, vel non ſeruatur conſuetudo, vel bulla electionis. Secundò, quando aſſiſtit in electione, qui non debet aſſiſtere, & qui in ea non habet ſuffragium, vel quando reijcitur aliquis canonicus iniuſtę, vel non admittitur. Tertiò, quando non ſunt omnes electores vocati, neque congregati, vel quando non ſunt in loco capituli. Quartò, quando eligitur indignus, vel quando opponitur cōtra aliquem ex appoſitoribus, vel canonicis aliqua inhabilitas, vel defectus perſonæ, qui eam reddit indignam. Quintò, quando aſſiſtit in electione aliquis excommunicatus, vt habetur *in c. conſiderauimus de electione.*

89 Appellatio in electione poteſt eſſe iudicialis?
Reſp. Non poteſt, ſed neceſſariò debet eſſe in iudicio, & notificari iudici, & partibus, alias eſt vana, vt habetur in *c. quis contra. c. vt circa de electione in 6.*

90 Appellatio in electionibus quotuplex eſt?
Reſp. Duplex; vna appellatio extenuat ſuffragium, vel electionem, ſcilicet, quando ponitur, quòd minor pars electorum ſit maioris authoritatis, quam maior, vel quòd electus à minori eſt doctor, vel dignior, quam ille, qui electus eſt à maiori parte; alia appelatio annullat electionem, vt quando ponitur, quòd electus eſt excommunicatus maiori excommunicatione, vel ſuſpenſus, vel quòd non eſt graduatus, vel quòd non eſt ordinatus aliquo ordine, vel quòd eſt diſpenſatus, ſiue per verba de præſenti, ſiue de futuro, vel quando ponitur quòd aliquis canonicus, qui interfuit electioni, erat excommunicatus maiori, vel quòd non erat ordinatur ordine Subdiaconatus, vt habetur in *cap. ſi quando de electione in 6.*

91 Si electus faciat aliquam compoſitionem, vel aliquis ex oppoſitoribus renuntiet appellare; poterit ne poſtea reaſſumere ſuum ius, & appellare?
Reſp. Non poteſt ratio eſt, quia iam ceſſit ſuo iuri, & perpetuum, & non ad tempus, vt habetur in *c. cum inter de electione.*

92 Si appelletur ab aliquo canonico proteſtando, & dicendo, quòd electio fiat canonicè, & non expectata declaratione a Iudice huius appellationi fiat electio canonicis; talis electio erit ne valida?
Reſp. Erit valida; ratio eſt, quia effectus habet hic vicem ſententiæ, & per effectum dicta appellatio fuit vacua, quia obtinuit plenum ius, tanquam ſi eſſet ſententia, vt habetur *in c. cum nobis electione.*

93 Si appelletur ex eo, quòd aliquis canonicus, qui aſſiſtit electionis, eſt inhabilis, & ipſe propter bonum pacis renuntiet votum ante declarationem factam a iudice ſuper dicto articulo, valebit ne talis electio?
Reſp. Si ipſe canonicus renuntiet ſuum ius coram Notario, & teſtibus, talis electio valebit; ratio eſt, quia ſublata cauſa, & impedimento res remanet integra, & ius eligendi illæſum apud cæteros canonicos, vt habetur *in c. cum nobis de electione.*

94 Si ante electionem ſit mortalis, & ponatur aliquod impedimentum, & appelletur ab electione futura, debet ne fieri electio?
Reſp. Si impedimentum ſit talis conditionis, quod probatum annullet electionem, vel redat inhabilem, & incapacem aliquem ex oppoſitoribus, non eſt procedendum vlterius in electione, donec tale impedimentum ſententietur à Iudice; vt habetur in *capitul. conſiderauimus de electione.*

95 Si appellatio fiat facta electione, debet ne fieri ſecunda electio?
Reſp. In iſto caſu debet fieri publicatio, & acceptatio electi, ſed non debet fieri ſecunda electio; ratio eſt quia eſt in præiudicium electi, qui electionem, & acceptationem acquiſiuit ius, & ſic ſecunda electio nō habet locum, donec prima electio per vltimam ſententiam irritetur. *cap. conſiderauimus de electione.*

96 Appellans ab aliqua electione facta, vel facienda quid tenetur facere?
Reſp. Neceſſario debet exprimere in ſcriptis, & in libello defectum contra oppoſitorem vel contra modum eligendi, & iurare, & illud notificare parti, alias non admittitur; ratio eſt, quia in dicta appellatione non ſolum agitur de damno appellantis, ſed authoritate capituli, & de vtilitate, & honore electi, vel eligendi, quæ non debet eſſe in mora, vt habetur in *c. ab eo, qui c. quamuis. cap. ſi forte de electione. cap. qui contra cap. vt circa de electione in 6.*

97 Qui appellat, intra quod tempus debet comparere in Romana Curia, vel ante Iudicem ſuper orem?
Reſp. Intra menſem, alias appellatio eſt nulla, & cauſa deuoluitur ad electores, vt habetur in *cap. cauſam in clement. prima de electione, & in cap. concertationes de appelationibus.*

98 Qui non appellat, tenetur ne intra menſem comparere in Romana Curia?
Reſp. Non eſt poſita hæc pœna non appellanti; ſed in fauorem eius, contra quem ſit appellatio, vt habetur *in dicta Clem. 1.*

99 Appellatio in electione quem effectum habet?
Reſp. Habet ſolum effectum deuolutiuum, ſed non ſuſpenſiuum; ratio eſt, Primò, quia electus acquirit ius perſonalem electionem, & ab illo iure reijci non debet per ſolam appellationem, ſed per vltimam ſententiam. Secundò, quia electio vnico actu, & ſcrutinio finitur, & habet eandem vim, quaſi ſi ille, qui proprio Iure poſſideret, & ſic appellatio non debet habere effectum ſuſpenſiuum poſſeſſionis, ſicut in reliquis cauſis Eccleſiaſticis, in quibus appellatio habet effectum ſuſpenſiuum, & deuolutiuum, quia non finiuntur vſque ad tertiam ſententiam, & ſic electus debet habere fructus, & poſſeſſionem ſuæ electionis donec per tres conformes ſententias contrarium declaretur, vt habetur in *Clemen. 1. de electione.*

100 Abſentes ab Eccleſia cauſa appellationis, quos fructus percipiunt?
Reſp. Tam actores, quam rei percipiunt fructus ſuæ præbendæ, exceptis manualibus, & diſtributionibus quotidianis, toto tempore neceſſario ad proſequen-

dam litem, quæ neceſſitas debet conſtare capitulo per teſtimonium iudicis, ante quem appellatio proſequitur, ne Eccleſia velamine, & pallio appellationis defraudetur debito ſeruitio. *c.cum non deceat, & ibi gloſſa de electione in 6.*

101 Quæ eſt pœna appellantis,& obijcientis aliquod defectum in electione, & non probantis?
Reſp. Primò debet ſoluere ſpenſa, parti, & priuatur beneficijs per trienniũ,vt habetur *in c.1. de electione.*

102 In appellatione interpoſita in aliqua electione, quomodo eſt procedendum?
Reſp. Si appellatio interponatur ante confirmationem electi, procedendum eſt in negotio breuiter, & ſummariè,& debet à iudice dari præfixus, & limitatus terminus actori ad probandam ſuam actionem, & finito tempore, ſi non probauerit,non eſt amplius admittendus; ratio eſt, ne velamine appellationis quis habeat in dubio ſummo honore, vt habetur in *c.quoniam de electione in 6.*

§. De electione Imperatoris.

103 Mortuo Imperatore poteſt quis retinere, vel aſſumere nomen Vicarij, vel exercere aliquod officiũ Imperiale ſine licentia Summi Pontificis?
Reſp. Non poteſt ſub pœna excommunicationis ipſo Iure; ratio eſt,quia a poteſtate Summi Pontificis dependet poteſtates Imperialis. *c.ſi fratrum,ne ſede vacante aliquid innouetur in extrauaganti Ioannis 22. titulo.5.*

104 Electio Imperatoris ad quem ſpectat?
Reſp. Ad ſeptem Principes Germanos tres Eccleſiaſticos,& quatuor ſeculares,& maior pars eorum ſufficit. *c.venerabilem de electione.*

105 Iſti ſeptem electores poſſunt ne eligere inter ſe ipſos aliquem?
Reſp. Poſſunt eligere vnum ex ipſis Electoribus,vel alium Principem, qui non habet ius eligendi conſiderando ſemper perſonam magis idoneum ad gubernationem, & defendendam, & tuendam Eccleſiam Catholicã, pro qua Imperator tenetur primum omnium etiam mori, ſi neceſſarium fuerit, vt habetur *in c.venerabilem. de electione.*

106 Si ſuffragia ſint paria,vel Electores nolint eligere ad quem deuoluitur electio Imperatoris?
Reſp. Ad Summum Pont.Petri ſucceſſorem,& Chri Domini Vicarium, vt habetur in *c. venerabilem de electione.*

107 Confirmatio Imperatoris electi, & coronatio ad quem ſpectat?
Reſp. Ad Summum Pont. & coronatur tribus coronis,aurea, argentea, & ferrea, ad denotandum eius fidem, eius poteſtatem,& eius fortitudinem.

108 Ex qua cauſa poteſt Imperator electus non confirmari, ſed reicij?
Reſp. Si eſt ſacrilegus, excommunicatus, tirannus, hereticus, periurus,perſequutor Eccleſiæ, vel fatuus, ex qualibet cauſa ex iſtis Imperator electus non confirmatur, vt habetur. in *c.venerabilem de electione.*

§. De Electione Summi Pontificis.

109 Electio Sũmi Pontificis in quo loco debet fieri?
Reſp. In loco, & ciuitate vbi prædeceſſor mortuus fuit & ibi debet fieri conclaue clauſum,more ſolito, vt habetur in *c.vbi periculum de electione in 6.*

110 Cardinales,qui aſſiſtunt Pontifici, poſt eius mortem quantum temporis debet expectare alios Cardinales ad faciendam nouam electionem?
Reſp. Decem dies, quibus tranſactis poſſunt iuridicè eligere, Summum Pont.nouum, & electio erit valida, vt habetur in *c.vbi periculum de electione in 6.*

111 Ad electionem Summi Pontificis,quæ pars Cardinalium requiritur,& quomodo fit iſta electio?
Reſp. De Iure ad electionem Summi Pontif. requiruntur ad minus duo partes Cardinalium conformes ratio eſt, quia cum ſit res tanti momenti, non ſufficit vnus extra medietatem, vt habetur in alijs canonicis electionibus, vt habetur in *cap.licet de electione*, ſed modum eligendi nouum futuris temporibus dedit Greg.XV.Summus Pont.

112 Quot ſunt modi eligendi Summum Pontific.?
℞. Tres. Primo per quaſi inſpirationem. Secundo per ſcrutinium ſecretum. Tertio per compromiſſum: Cæteri eligendi modi irritati, ſunt, & annullati per bullam Gregorij XV. datam anno 1621. primo decimo ſeptimo Kalẽdas Decẽbris Põtificatus anno 1.

113 Quæ eſt electio, per quaſi inſpirationem?
℞. Quando in conclaui clauſo, omnes Cardinales, nemine diſcrepante,neque diſſentiente, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, per verbum eligo intelligibili voce prolatum, aliquis eligitur in Summum Pontif.& hæc electio vocatur per quaſi inſpirationem, quia quaſi miraculum eſt; quòd tot electores diuerſarum nationum concurrant in vnam, eamdemque perſonam nemine diſcrepante;hoc enim magis diuinum quam humanum reputatur bulla Greg.XV.*ſup.alleg.*

114 Quæ eſt electio per viam ſcrutinij?
℞. Quando aliquis per ſuffragia ſecreta,& per ſchedulas impreſſas, ſi fieri poteſt, vel manu vnius ſcriptas eligitur duabus partibus Cardinalium in vnam eamdemq; perſonam conſpirantibus, vt habetur in dicta Bulla.

115 In ſcrutinio ſecreto,poteſt quis pro ſe ipſo ferre ſuffragium?
Reſp. Licèt de Iure poterit, tamen per dictam bullã prohibitum eſt, vt nemo ex Cardinalibus, ſiue pro ſe ipſo ferat ſuffragium, ſiue electio fiat per ſcrutinium ſiue per acceſſum, ſiue per compromiſſum.

116 Si contingat quod in ſcrutinio ſint plures nominati, & nullus habeat duas tertias partes integras Cardinalium quid agendum?
Reſp. Tunc ſcribuntur nomina eorum, qui habuerunt ſuffragia,dantur Cardinalibus ſecũdæ ſchedulę, vt quilibet accedat ad illam perſonam, quam voluerit ex illis, qui habuerunt ſuffragia in ſcrutinio, vt habetur in dicta bulla.

117 In ſcru-

117 In ſcrutinij acceſſu poteſt quis accedere ad eum, cui in ſcrutinio tulit ſuffragium?
Reſp. In acceſſu poteſt quis dicere nulli accedo, ſed ſi accedat alicui, debet eſſe ille, per quē ipſe in ſcrutinio non tulit ſuffragium; alias illud ſuffragium acceſſus nullum erit.

118 Quando Cardinales ferunt ſuffragium ſecretum intra calicē ſibi paratum, quod iuramentū faciunt?
Reſp. Supra altare calix magnus eſt poſitus patena coopertus, & ibi accedit Cardinalis, & genuflexus ali quantulum orat, deinde ſurgens alta, & intelligibili voce iurat ſub hac forma; teſtor Chriſtū Dominum, qui me iudicaturus eſt, me eligere, quem ſecundum Deum iudico eligi debere, & quòd idem in acceſſu præſtabo: deinde ſchedulam, quam duobus digitis primis tenet in patena ponit, & per patenam mittit in calicem, præſentibus, & videntibus ſcrutatoribus, quo facto inclinabit ſe ad altare, & ad ſuum locum reuertetur, ita dicta bulla.

119 In acceſſu, vel ſcrutinio licet ne nominare plures?
Reſp. Negatiuè, niſi vnū; & in ſchedula, in qua plures nominati fuerint, ſuffragium nullum eſt, vt habetur in dicta bulla.

120 Acceſſus quoties debet fieri?
Reſp. Semel in vno ſcrutinio.

121 Si ſchedulæ inter numerandum inueniantur plures, vel pauciores, quā ſint Cardinales, quid agendū?
Reſp. Antequā ſchedulæ, ſiue ſcrutinij, ſiue acceſſus aperiantur, tres Cardinales ſcrutatores debent diligentiſſimè nominare omnes ſchedulas, & ſi ſint plures, quam Cardinales, in conclaue præſentes omnes comburātur omnibus vidētibus, & iterum ad ſuffragia ſtatim deueniatur.

122 Si aliquis Cardinalis ſit infirmus in ſuo cubiculo, quomodo debet ferre ſuffragium?
Reſp. Conuenientibus omnibus Cardinalibus in capellam, antequam ſcrutinium fiat, inter omnes mittuntur ſortes nullo ordine ſeruata diſtinctione, & per vltimum Diaconum extrahuntur tres, qui cum caſula clauſa vadunt ad cubiculum infirmi, & per forame infirmus mittit ſuum ſuffragium, & reuerſi ad altare ſcrutatores aperiunt caſulam, & vidētibus omnibus mittunt ſuffragium ſuper patenam, & poſtea in calicem, & hæc ceremonia noua fit quotieſcumque faciendum eſt ſcrutinium.

123 Quoties in die fit ſcrutinium, & quando?
Reſp. Bis ſingulis diebus peragitur ſcrutinium, ſcilicet mane poſt dictam Miſſam, & in prima die omnes Cardinales communicant in illa Miſſa, & Veſpere hora competenti poſt ſignum Veni creator Spiritus, & poſt orationem Spiritus ſancti.

124 Quæ eſt electio per compromiſſum, & quomodo fit?
Reſp. Quando omnes Cardinales nemine diſcrepāte in conclaue exiſtentes faciunt ſcripturam, & eligunt duos, vel tres Cardinales, vt nomine omnium eligant Summū Pontific. & iſti compromiſſarij electi nullum ex ſe ipſis poſſunt eligere, vt habetur in dicta bulla.

125 In compromiſſo, quæ conditiones debent explicari?
Reſp. Plurimæ. Primò, ſi poſſint eligere vnū de collegio, vel alium extra collegium. Secundò, tempus, in quo debent eligere. Tertiò, an omnes compromiſſarij debeant vnanimiter concurrere in electione, vel ſufficiat maior pars, quas conditiones compromiſſarij tenentur ſeruare ad vnguem.

126 Quis eſt modus eligendi per compromiſſum, & quomodo fit electio?
Reſp. Facto mandato in forma compromiſſi Cardinales compromiſſarij ſe conferunt in locum ſecretum, & ſeparatum, & faciunt proteſtationem, quòd per quamcumque prolationem verborum non intelligunt dare ſuum conſenſum, niſi in ſcriptis illum expreſsè ponant, & hæc proteſtatio eſt neceſſaria, vt verbis humanis, & reuerētialibus inter ſe vti poſſint, & in re tanti momenti nulla ſit dubitatio.

125 Pactiones, promiſſiones, & ſigna, obligationes, minæ, ſigna ſuffragiorum, & ſchedularum, tam reſpectu incluſionis, quàm excluſionis veluti creaturarum de ſuffragio dando, vel non dando ſunt licita?
Reſp. Non eſſe licita, imò prohibita ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſed non vetantur ex hoc tractatus neceſſarij habendi pro electione, vt meliùs electio fiat.

126 Excommunicationes poſitę contra electores, qui non ſeruant dictam bullam, quomodo intelligūtur?
Reſp. Iſtę excommunicationes nullum Cardinalem excludūt à voce actiua, & paſſiua, neque excommunicantur durante conclaue illi, qui communicant, & participant cum Cardinalibus excommunicatis, ſi fortè ſint, & hoc vt tollantur maiores lites, & diſſenſiones?

127 Qui ſunt executores huius bullæ?
℞. Tres Cardinales deputati ad congregationes agendas ſingulis diebus, qui diuerſis negotijs reſpōſa dant, & cū his Camerarius Sāctę Romanę Eccleſiæ.

128 Hæc bulla quoties, & quando iuratur à Cardinalibus?
Reſp. Primò, cum quis ad Cardinalatus honorem promotus eſt. Secundò ab omnibus Cardinalibus in prima Congregatione, quæ habetur poſt obitum Pont. Tertiò, poſt ingreſſum conclauis, vt præcipitur, & habetur in dicta bulla.

129 Cardinalis, qui non eſt de Epiſtola, poteſt habere ſuffragium?
Reſp. Non poteſt, niſi habeat priuilegium expreſſum à Pont. mortuo; Cardinalis verò, qui habet os clauſum, ſi ſit in ſacris poterit ferre ſuffragium, quia iam declaratum fuit per Pium V. hanc ceremoniam introductam eſſe, vt Cardinales diſcant modum loquendi, & poſtea loquantur in Conſiſtorijs, quia ſunt de conſilio Sanctiſſimi.

130 Omnia ſupradicta fuerunt obſeruata in electione Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. anno 1623. in qua interfuerunt quinquaginta, & quinque Cardinales, & fecerunt omnia iuramenta, & ſolemnitates, quæ in dicta bulla Gregorij XV. continentur, & omnes bullę, & conſtitutiones etiam poſitę in corpore iuris, ſi fuerint contrariæ huic bullæ, per iſtam bullam derogantur, quæ eſt vltima, & obſeruatur, ſi verò non fuerint contrariæ, neque limitatæ, manent in ſuo loco, vt habetur in dicta bulla.

131 Viuo Papa poteſt tractari de electione Summi Pontificis?
Reſp. Non poteſt ſub pœna priuationis dignitatis, vel excommunicationis. *c. ſi quis Papa diſt. 79.*

132 Quare electio Summi Pont. pertinet ad Cardinales, & non ad alias perſonas?
℞. Quia prima ſedes cunctis in orbe terrarum pręfertur

fertur Eccleſijs, & ideò Metropolitanum habere non poteſt, & Cardinales Epiſcopi faciunt officium Metropolitani, & adhibent ſecum Cardinales, qui ſunt in ſacris loco Epiſcoporum, & ideò ad eos pertinet nomine vniuerſalis Eccleſię eligere Summum Pont. quia de Iure antiquo electio Epiſcoporum ad Metropolitanum pertinebat cum concilio Epiſcoporum ſuffraganeorum, ita decreuit Nicolaus Papa II. *diſt.* 23.

134 De quo gremio debet eligi Papa?
Reſp. Primo de gremio ipſorum Cardinalium, deinde de gremio Eccleſiæ Romanæ, ſi ibi magis vtilis, vel idoneus inueniatur; ratio eſt, quia Chriſtus omnes fideles æqualiter amplectitur, neque apud eum eſt acceptio perſonarũ, ita habetur in dicta *diſt.* 23.

135 Papa electus ante eius coronationem, & intronizationem, quam poteſtatem habet?
Reſp. Omnem illam poteſtatem, quam habet poſt ſuam coronationem; ratio eſt, quia electio canonica facta ſecundum bullas, & canones Cardinalium, qui repræſentant vniuerſalem Eccleſiam Catholicam, dat electo omnem poteſtatem; coronatio verò eſt quædam cæremonia ſignificans eius magnitudinem, & eſſe ſupra Imperatores, & Reges, & caput vniuerſalis Eccleſiæ, vt habetur in dicta diſt. 23.

136 Mortuo Summo Pont. quid tenentur facere omnes Chriſti fideles?
Reſp. Habita certitudine obitus Eccleſię Cathedrales, Collegiales, Parochiales, Eccleſiæ monachorum, & monialium tenentur vna cum populo, quælibet pro ſua poſſibilitate, facere ſolemnes exequias pro Pontifice defuncto faciendo tumulum, cãtando Miſſam, & officium Defunctorum, deinde ſingulis diebus debent orare pro electione Summi Pontif. ponẽdo in Miſſis aliquam collectam, vel dicendo Litanias ſingulis diebus, vel faciendo proceſſionem, vel aliam publicam deuotionẽ, vt benè viſum fuerit Epiſcopo, & Capitulo in qualibet diœceſi, ita determinauit Greg. X. in concilio Ludonenſi, vt habetur in Clementina ne Romani de electione.

137 Cardinales ſede vacante quã poteſtatem habent?
℞. Solum habent gubernationem temporalem, & ſpiritualem neceſſariam ad gubernationem Reipub. ſed non poſſunt mutare ſtatu Eccleſiæ, neque aliquid alienare, neque prouidere beneficia, diſpenſare, eligere Epiſcopos, & confirmare, vt habetur in dicta Clement. ne Romani, & determinatum fuit à Clemen. V. in Concilio Vienenſi; ratio eſt, quia poteſtas Pontificia, quæ data fuit Petro à Chriſto Domino ſoluendi, atque ligandi, non remanet penes Cardinales; ſed iſta integra, ſicut eã relinquit prædeceſſor, datur nouo electo, vt habetur in dicta Clement.

138 Si omnes Cardinales, qui ſunt in conclaue, cauſa infirmitatis, peſtis, belli, vel alicuius diſſenſionis exeant à conclaue Pontifice non electo, quid erit agendum?
Reſp. In iſto caſu Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, qui ſunt cuſtodes conclauis, & oratores Regum, & omnis Eccleſia debent omnibus vijs, & modis curare, vt iterum reuertantur in conclaue, vel faciant in alio loco magis apto, & minus periculoſo aliud conclaue, & notificare illis bullam Clementis V. factam in Concilio Vienenſi editam anno 1310. quæ refertur in Clemẽtina, ne Romani de electione, quia dum ipſi non eligunt, ſedis vacat.

139 Cardinales in conclaui, quos ſeruos debent habere, & quas qualitates debent habere ſerui?
Reſp. Quilibet poteſt habere duos ſeruos, ſiue laicos, ſiue clericos, & nõ debent eſſe fratres, neque nepotes Cardinalium, etiam ſi eos in ſua domo ſuſtentent tamquam ſeruos, ſed neceſſariò debent eſſe ſerui, qui ad minus per vnum annum ante obitum Pont. expenſis ipſius Cardinalis aliti tali Cardinali ſeruitutem præſtauerunt, & hæ cõditiones ante ingreſſum conclauis examinandæ ſunt à tribus Cardinalibus, ita decreuit Pius IV. in bulla edita anno 1562. & ſi ſemel egrediatur famulus ex quacumque cauſa, iterum ingredi non debet, neque alius pro eo, ne fortè portet litteras, vel alia prohibita.

139 Cardinales in conclaui quibus poſſunt veſci?
Reſp. In prandio, & in cœna ſolum poſſunt veſci duobus ferè ferculis, carnium altero, aut piſcium, ſeu ouorum, altero iuris, vel alicuius ſimilis alimenti, & hoc præter panem, vinum, & aquam, condimenta, ſalſamenta, & herbas, ac caſeum, fructus, ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur, niſi ad condimentum fieret; nullus verò de alterius ferculo veſci poteſt, neque vnus Cardinalis poteſt in cubiculo alterius veſci, vt habetur in dicta bulla Clementis VI. & Pij IV.

140 Contra electionem ſummi Pont. factam per duas partes Cardinalium, vel per omnes Cardinales quid poteſt opponi?
Reſp. Solum crimen ſimoniæ, quod poteſt cõmitti dando, promittendo, recipiendo pecunias, bona, caſtra, honores, officia, vel beneficia, vt habetur in bulla Iulij II. edita anno 1405.

141 Papa electus per ſimoniam, quã pœnam incurrit?
Reſp. Electio eius nulla eſt, & ipſe, & fautores & interuentores, & electores excommunicantur, priuantur officijs, & beneficijs obtentis, & obtinendis, & honore Cardinalatus; & cuilibet ex Cardinalibus, vel clero Romano licet opponere hoc crimen ſimoniæ; imò & Cardinales, qui ſimoniæ non interfuerunt, etiam ſi ſint in minori numero poſſunt eligere alium Papam, & ille erit verus Petri ſucceſſor, vt habetur in dicta bulla Iulij II. alia crimina non opponuntur, ne electiones cauillationibus deferantur.

142 Conclaue quam formam debet habere?
Reſp. Debet eſſe clauſum, & tantæ amplitudinis, vt in eo poſſint eſſe cellæ pro omnibus Cardinalibus, & ſeruientibus, quę cellæ ſorte diſtribuuntur, & Capellas, & locus, vbi poſſint Cardinales ambulare, & per conclaue nulla habitatio debet eſſe, quæ commoditas relinquitur ad arbitrium Cardinaliũ, qui faciunt electionem, vt habetur in dicta bulla.

143 Qui debent cuſtodire conclaue?
Reſp. Archiepiſcopi, epiſcopi deſignati à Cardinalibus in numero conuenienti, qui debent iurare de officio fideliter exercendo, & videre, & inſpicere fercula diligenter, ne ſub earum rerum velamine litteræ, aut notæ, vel ſigna aliqua tranſmittantur, & ſi inuenerint aliquam familiam alicuius Cardinalis in hoc delinquere, debent totam familiam delinquentem tradere Gubernatori Vrbis, vt eam incarceret, vſque ad electionem ſummi Pontific. intus verò cuſtodiunt conclaue tres Cardinales ad hoc deputati, vt poſt clauſuram conclauis ſolemniter factam loquantur verbo, vel ſcripto cum aliquo, qui foras exiſtit, vt habetur in bulla Pij Papæ IV. edita anno 1562.

144 Quæ

144 Quæ perſonæ debent ingredi conclaue?
Reſp. Primò, omnes Cardinales, quilibet duobus famulis comitatus. Secundò Sacriſta cum vno Clerico Coadiutori in officio. Tertiò duo Magiſtri ceremoniarum. Quartò vnus religioſus pro confeſſionibus audiendis à maiori parte Cardinalium per ſecreta ſuffragia electus. Quintò vnus Secretarius Collegij. Sextò duo Medici periti. Septimò vnus chirurgus. Octauò vnus Aromatarius cum vno, vel duobus ſeruientibus. Nonò vnus faberlignarius. Decimò vnus cementarius. Vndecimò duo barbitonſores cum vno, vel duobus ſeruientibus. Duodecimò octo, aut decem ſeruientes publicæ vtilitati, & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrẽdo conclaui, & ſimilibus neceſſitatibus miniſtrandis. Iſti omnes eligi debent per ſuffragia ſecreta à collegio Cardinalium, ita tamen, vt is obtineat, qui plura vota tulit, & nullus eorum debet eſſe de familia alicuius Cardinalis, mercedes iſtorum de publico perſoluuntur, vt habetur in dicta bulla Pij IV.

145 Pro exequijs Pontif. mortui quantum poteſt expendi?
Reſp. In exequijs celebrandis, Miſſis dicendis Cardinales poſſunt expendere ad ſummam decem millia ducatorum, quæ ſumma diſtribuitur per nouem dies continuos, in quibus à Cardinalibus inſepulto corpore defuncti, & in throno poſito exequiæ fiunt Pont. mortuo.

146 In quibus rebus poſſunt Cardinales facere expẽſas Ærario Pont. vel de ſtatu temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ?
Reſp. Primò pro exequijs Pont. mortui poſſunt expendere ſummam ſupradictam. Secundò pro victu familiæ Pontificiæ ante ingreſſum conclauis, & poſt ingreſſum, vſque ad electionem noui Pontif. poſſunt expendere victum neceſſarium. Tertiò pro eleemoſynis ſede vacante fieri conſuetis. Quartò pro prouiſione terrarum Eccleſiæ. Quintò pro cuſtodia Vrbis, & conclauis, & pro ſecuritate, & pro prouiſionibus conclaui neceſſarijs, quantitatem autem harum ſpenſarum Cardinales debent determinare per ſuffragia ſecreta, ita vt maior pars obtineat; in reliquis autem omnibus Collegium Cardinalium ſede vacãte nullam omnino poteſtatem, neque poſſunt Cardinales aliquid ſpendere de ſtatu temporali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, neque de pecunijs Cameræ Apoſtolicæ, aut datariæ, neque ſoluere debita contracta ante obitum Pontif. ſed omnia integra debent reſeruare futuro Pont. vt habetur in dicta bulla *Pij IV. edita anno* 1562. *& in bulla Alexandri III. Greg. X. Clement. V. & Clement. VI. Iulij II. quæ bullæ iſtas conſtitutiones, & alias diſponunt ad electionem Summi Pontif. neceſſarias.*

CAPVT V.

De examine Epiſcopi.

1 QVando in electione Epiſcopi requiritur aſſenſus Patriarchæ illius Prouinciæ, vel Regis illius Regni.
Reſp. Quotieſcumque in Regno fuerit conſuetudo immemorabilis, vt in electione petatur aſſenſus Patriarchæ, vel Regis, illa hodie ſeruanda eſt, vt habetur in *c. cum terra de electione*.

2 Reges, & Principes ſæculares in electione Epiſcopi in ſuis Regnis, quod debent agere?
Reſp. Si habeant ius præſentandi conceſſum à Romano Pont. per priuilegium, & bullas Apoſtolicas, debent præſentare interea tempus à Iure conceſſum, quem virtute, & ſcientia, ætate, vita, & moribus digniorem iudicauerint ad regendam talem Eccleſiam, & dare illi ſuas litteras in forma ad Romanum Pontific. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. c. terra de electione.*

3 Quas qualitates debet habere epiſcopus electus à Principe, vel à Rege?
Reſp. Debet eſſe ex legitimo matrimonio, ætate matura, triginta annorum, morum grauitate, litterarum ſcientia præditus, conſtitutus in ſacris ordinibus, ſaltem per ſex menſes ante electionem debet eſſe Magiſter, ſeu Licentiatus in Theologia, vel Iure canonico, & habere bonum teſtimonium ſuæ vitæ à ſuo Epiſcopo, vel Legato Apoſtolico, ſi fuerit clericus, ſi Religioſus à ſuo Prælato, *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 2. ſeſſ. 24. c. 1. ſeſſ. 6. c. 1. ſeſſ. 7. cap. 1. de refor. bulla Pij IV.* 114. *& bulla Gregorij XIV. quæ incipit onus Apoſtolicæ ſeruitutis.*

4 In electione Epiſcopi, quam faciunt Principes, & Reges, eſt ne præferendus Theologus, an Iuriſta, ſi alias ſint æquales?
Reſp. Si in illa Prouincia, vel diœceſi pullulent hæreſes, Theologus præferri debet ad defendendam fidem Catholicam; ſi verò non ſint hæreſes, ſed populus ſit Chriſtianus, præferendus eſt Canoniſta, quia aptior eſt ad gubernationem, & ad determinandas per ſe ipſum cauſas ciuiles, & criminales; at verò ſi inueniatur Theologus, & Canoniſta ſimul, vtrique præferendus eſt, tamquam perſona, in qua inuenitur plenitudo ſcientiæ, *tenet Hoſtienſis in cap. cauſis de electione, & Ioannes Andreas c. 3. de conſanguinitate, & affinitate, & Abb. c. 1. eod. tit. num. 9.*

5 Poſtquam Epiſcopus fuerit nominatus à Rege, vel Principe, Nuntius Apoſtolicus, vel Metropolitanus quid debent facere in electione huius Epiſcopi?
Reſp. Poſtquam electus ante Nuntium Apoſtolicum ſe præſentauerit cum teſtimonio ſuæ electionis, debet facere ſufficientem informationem cum teſtibus fidei dignis, de natalibus, vita, ſcientia, doctrina, moribus, qualitatibus illius electi, & in ea debet ponere, in qua ſcientia fuerit graduatus, quas Cathedras gubernauerit, quæ officia exercuerit, quo tempus conſumpſerit in ordinibus ſacris, vel à quo tempore ea ſuſceperit, quas dignitates canonicatus poſſideat tempore electionis, & præſentare debet nouus electus omnes titulos ſuæ ordinationis à prima tonſura, vſque ad presbyteratum, & litteras, ſeu teſtimonium ſui gradus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. de reform.*

6 Facta dicta informatione quid amplius debet facere nouus electus in Epiſcopum?
Reſp. Debet facere profeſſionem fidei in manibus Nuntij Apoſtolici, vel in manu alicuius Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, & in ea neceſſariò debet ſcribere dicendo, ego electus talis Eccl. iuro, & confirmo ſic Deus me adiuuet, & ſancta Euangelia. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. de reform.*

7 Facta profeſſione fidei quid præterea debet facere Epiſcopus?
Reſp. Si ſit in Hiſpania, vbi per longam diſtantiam non poteſt venire ad Romanam Curiam, vt ſubdat ſe examini, debet examinari, & approbari à Nuntio Apoſtolico, vel à Metropolitano, & hoc teſtimoniũ autenticum debet poni cum dicta informatione, & cum iuramento fidei, & curare, vt hæc omnia transmittãtur in Romanam Curiam, in manibus ſui procuratoris ad hoc ſpecialiter electi.

8 Si electus ſit Epiſcopus, vel eligatur in Archiepiſcopum, quid debet agere?
Reſp. Debet committere mandatum alicui in Romana Curia, vt eius loco renuntiet primam Eccleſiam, & acceptet ſecundam, & ſi fuerit electus in Archiepiſcopum, neceſſariò debet dare ſingulare mandatum ad petendum pallium à Santiſſimo Domino per procuratorem.

9 Nuntius Apoſtolicus, vel Metropolitanus, quid debet tranſmittere in Romanam Curiam ad Summum Pontificem?
Reſp. Informationem à ſe factam clauſam, & ſigillatam, profeſſionem fidei factam ab electo, approbationem ſcientiæ, & litteras comendatitias in fauorem illius Epiſcopi de nouo electi.

10 Iſtæ informationes, à quo debent examinari in Romana Curia.
℞. A quatuor Cardinalibus, & vnus eorum faciat relationem in Conſiſtorio Summo Pont. de qualitatẽ Eccleſiç, & perſonæ, & de contentis in dictis informationibus, & Summus Pont. tunc eum ad gubernãdam talem Eccleſiam proponit Cardinalibus, & in Conſiſtorio ſequenti eum eligit in Epiſcopum.

11 Poteſt Papa in vno Conſiſtorio audire merita Eccleſiæ, & Epiſcopi, & eligere, & confirmare eum in Epiſcopum?
Reſp. Poterit, ſi ſibi videbitur, quia cũ ſit Princeps, lege non alligatur.

12 Electus in Epiſcopum debet ne neceſſariò examinari?
℞. Epiſcopi Itali, & Siculi neceſſariò debent comparere perſonaliter in Romana Curia corã Summo Pont. & Cardinalibus ad hoc conſtitutis, & ibi examinari de ſcientia, & approbari; ratio eſt, vt conſtet Romano Pont. Epiſcopi vltramontani, veluti Galli, & Hiſpani approbantur à Nuntijs Apoſtolicis, vel à Metropolitanis, *cap. qui epiſcopus diſt. 23. c. nihil de electione Abb. in c. 1. de poſtulatione Prælatione Prælatorum. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. cap. nihil eſt de electione.* Gregorius XIV. in bulla, quç incipit Apoſtolicæ ſeruitutis edita anno 1591.

13 Epiſcopus ſemel approbatus in vna Eccleſia, ſi poſtea aſcendat ad alteram, vel ad Archiepiſcopatum, debet ne iterum examinari?
Reſp. Nõ debet, quia ex officio Epiſcopi, quod laudabiliter exercuit, non eſt factus peioris conditionis, imò reputatur magis idoneus ad gubernandum ſecundam Eccleſiam?

14 Epiſcopus electus cum primum venerit in Romanam Vrbem, vt approbetur à Summo Pontiſ. quid debet agere?
℞. Primum adire domum Procuratoris proprij Regis, vel Principis, & dare illi litteras, & humiliter proponere ſe eſſe præſentatum ad talem Eccleſiam, & petere ab eo, vt eum dirigat in omni negotio. Secundo præſentare ſe ante Summum Pontific. comitando Oratorem ſui Principis, eius pedes oſculari, humiliter proponere ſe eſſe præſentatum à tali Principe pro tali Eccleſia, petere ab eo diem examinis, & benedictionem. Tertiò luſtrare domos omnium Illuſtriſſimorum Cardinalium, præcipuè eorum, qui debent aſſiſtere examini. Quartò inuiſere Magiſtrũ Camaræ, & Secretarium Summi Pont. vt ab eis accipiat diem, & horam examinis. Quintò inuiſere omnes examinatores, qui ferè ſemper ſunt Auditores Rotæ, vel Aduocati Conſiſtoriales, & aliquis Religioſus Societatis Ieſu, & Magiſter ſacri Palatij, qui ferè ſemper eſt ex ordine S. Dominici, in quorum domibus tractabit priuatim aliquas materias ſuæ profeſſionis, vt ipſi cognoſcant eius ingenium, & capacitatem.

15 Examen Epiſcoporum, quod fit ante Summum Pont. quomodo fit?
Reſp. In examine aſſiſtit ſummus Pontifex cum ſtola ſedens pro Tribunali, aſſiſtunt hinc, & inde ſex, vel octo Cardinales doctiſſimi ad hoc deputati, ſedentes in ſcamnis, poſt illos ſtant diſcooperti Magiſtri ſacri Palatij, Secretarius Santiſſimi D.N. qui dat fidem examinis, vnus, vel duo Magiſtri ceremoniarum, & omnes examinatores, tam iuriſtæ, quàm Theologi.

16 In hoc examine, quæ materiæ exagitantur?
Reſp. Si examinandus ſit Theologus, interrogatur de pluribus materijs Theologiæ, tàm poſitiuç, quàm ſcholaſticæ, vt placet examinatori, qui in domo ſua præparat illas interrogationes, & non faciat certiorem examinandum, de quo debeat interrogare, ſed ipſe debet reſpondere ex tempore: ſi ſit Iuriſtà interrogatur de pluribus materijs, tàm Iuris Ciuilis, quã Canonici, vt placet examinatoribus, & vltimò interrogatur de materia iuriſdictionali, & interrogationes ſunt ſicut iſtæ, quæ in toto noſtro libro exiſtunt per modum dubij.

17 Qui numerus examinatorum examinant electũ?
Reſp. In hoc non poteſt dari certa regula, ſed ferè ſemper interrogant duo, vel tres examinatores, & vltimò vnus ex Illuſtriſſimis Cardinalibus, & interrogationes durant toto eo tempore, quo Sãtiſſimo D. N. placuerit, qui capite, vel nutu facit ſignum cuilibet incipiendi, & finiendi, & materiæ, de quibus interrogatur, ſunt diuerſæ, & diſtinctæ taliter, quòd vnus examinator interrogabit dubia de teſtamẽtis, de ſubſtitutionibus ab inteſtato, de iudicijs, de foro competenti, de excommunicatione, de iure patronatus, de teſtamentaria tutela, & de his omnibus ego fui interrogatus à ſolo vno examinatore corã Summo Pont. Paulo V. ann. 1619. poſtea alij duo examinatores interrogauerunt de alijs materijs de iure ciuili, & vltimo Illuſtriſ. Cardinales Lomelinus interrogauit me de aliquibus dubijs Concil. Trid. pertinẽtibus ad materiam iuriſdictionis Epiſcopatus: vltimo Sanctiſſimus D.N. interrogauit me, an ſi aliquis fidelis venitet ad fidem poſſit permanere cum vxore infideli, quam habebat ante conuerſionem, vel an poſſit liberè relinquere illam, & nubere cum muliere Chriſtiana, vltimò interrogauit, ſi infidelis habeat plures vxores, conuerſus ad fidem, cum qua debeat remanere, & ſic in his omnibus certa Reg. dari non poteſt, compendeant à voluntate Summi Pontif. qui aſſiſtit in examine.

18 Epi-

18 Epiſcopus electus quid debet agere,& quem modum ad præparationem huius examinis obſeruare? Reſp. Mihi videtur, quod examinandus à die ſuæ electionis debeat mandare memoriæ omnes definitiones, & diuiſiones, & terminos communes totius Iuris Canonici, & præcipuè materiam ſacramentorum; ratio eſt, quia aliàs impoſſibile eſt mente retinere totum ius.

19 Aſſignato ſibi die, & hora examinis à Magiſtro Cameræ quid debet agere electus?
Reſp. Adire ſacrum Palatium, & ante omnes comitari Illuſtriſſimos Cardinales intrantes,& examinatores,& poſtquam ipſi ingreſſi fuerint adeundi cauſa ſanctiſſimum, expectare ante portam, & cum à Magiſtro ceremoniarum vocatus fuerit,debet intrare coram Summo Pontifice ſine pileo,& ter vſque ad terram genuflectere oculis demiſſis. Primò in ingreſſu portæ. Secundò in medio itineris. Tertiò in fine,ſcilicet vbi pluuiale ſibi paratū erit; nec in principio examinis oſculantur pedes Summi Pont.verum vltima genuflexione debet ſalutare. c. dimiſſo Illuſtriſſimos Cardin.hinc,& inde ſedentes, & aſſiſtere genuflexus in pluuiali ſibi parato, tunc Summus Pont.cum interrogat,quam ſcientiam profiteris, ipſe clara voce, & humiliter reſpondet ſacram Theologiam, vel ſacros Canones, & in his ſum Licentiatus, vel Doctor tunc Summus Pont. vertit faciem verſus examinatores, & dat ſignum vni ex il is, qui genuflectit & ſine pileo accedit prope examinādum eam partem verſus, vbi ſedent Illuſtriſs. Cardinales.

20 Cum interrogatus fuerit ab aliquo examinatore, quem modum tenere debet examinandus?
Reſp. Debet habere corpus rectum verſus ſummum Pont. ſed vertere faciem ad manum ſiniſtram verſus examinatorem, & voce clara, & intelligibili abſque aliqua turbatione, breuiter, & humiliter ſatisfacere dubio ſibi propoſito, negando, vel concedendo abſque vlla diſputatione,quia coram tanto Principe nō datur locus illi vociferationis, vel prolixæ diſputationis,ſed ſolum debet concedere,negare, vel diſtinguere, ſimiliter debet facere cum alijs examinatoribus,qui poſt illum venerint,qui nutu, vel capite uocantur ſigillatim à ſummo Pontific. finitis omnibus ſurgit,& oſculatur pedes Summi Pontif.& exit foras cum triplici genuflexione, & in ultima, capite ſalutat Illuſtriſſimos Cardinales.

21 Finito examine, quid debet agere epiſcopus electus?
Reſp. Expectare foras propè cancellum, dum Santiſſimus cum Cardinalibus reſoluit ſuam approbationem,uel reprobationem,quam ſcribit Secretarius iſtius congregationis; & in quocumque euentu genuflexus debet in exitu oſculari manus Illuſtriſs. Cardinalium,& ultimum aſſociare, uſque ad portam palatij, poſtea illo, & ſequenti die debet inuiſere dictos Cardinales, & dare illis gratias pro labore ſuſcepto in ſuo examine.

22 Epiſcopus approbatus, quid debet facere?
Reſp. Petere rocchettum,& eum accipere à Santiſſimo hora, & die ſibi aſſignato, & induere ſe habitu Epiſcopali abſq;muzetta,& poſtea facere profeſſionem fidei,& iuramentum fidelitatis. Primò,in manibus Santiſſimi quando accipit rocchettum. Secundò,in manibus Cardinalis, qui præeſt cancellariæ. Tertiò,in manibus officialium,qui præſunt cancellariæ, & de his omnibus debet accipere teſtimonium authenticum. Vltimò debet expedire bullas Apoſtolicas, & bullam ad ſe conſecrandum.

23 Quare Epiſcopi in Romana Curia non portant muzettam, etiam conſecrati?
Reſp. Quia muzetta eſt ſignum iuriſdictionis, & vt oſtendatur, quòd in Romana Curia nemo habet iuriſdictionem,niſi ſolum Summus Pontif.ideò ipſe ſolus, & Cardinales ex eius priuilegio propter magnā dignitatem, quia ſunt de conſilio Sanctiſſimi portāt muzettam, licèt non ſint Epiſcopi, uel ordinati aliquo ſacro ordine.

24 Epiſcopus poſt confirmationem factam à Summo Pont.in Conſiſtorio, & ante conſecrationem, & bullas expeditas,quos actus iuriſdictionis poteſt exercere.
Reſp. Omnia,quæ ſunt iuriſdictionis, ut dare licentiam Sacerdotibus ad ſacramenta adminiſtranda, dare dimiſſorias ſuis ſubditis ad ordines ſuſcipiēdos, ponere Vicarium,& Iudices, & exercere iuriſdictionem ciuilem, & criminalem, uiſitare Vicarium, qui in ſede uacante fecit officium, petere emolumenta ſedis uacantis,petere computum ab œconomis,percipere fructus ſui Epiſcopatus, conſtituere nouos Adminiſtratores, & Receptores fructuum, & prouentuum,prouidere beneficia uacantia per obitum, & per reſignationem,dare licentiam epiſcopo habēti communionem ſedis Apoſtolicæ, ut in ſuo epiſcopatu faciat ordines; ratio eſt, quia iſta omnia ſunt actus iuriſdictionis, & dantur epiſcopo in confirmatione, ut habetur in gloſſa communiter recepta in *c. tranſmiſſam de electione,Felyn.in cap.eam de reſcriptis. Abb.in c.noſtra de electione. Barthol.Vgol.de off. & poteſtate epiſcopi c.1.§.3.*

25 Epiſcopus confirmatus, & non conſecratus,quos actus non poteſt facere?
Reſp. Non poteſt exercere Pontificalia, nec dicere Miſſas Pontificales, neque ordinare aliquem etiam de prima tonſura;ratio eſt, quia hæc poteſtas datur illi in conſecratione *DD.vbi ſup.*

26 Si electus fuerit Archiepiſcopus, quando debet petere pallium?
Reſp. Poſt bullas expeditas in cancellaria, & ſi Archiepiſcopus fuerit in Romana Curia do illi conſilium,ut ante eius diſceſſum accipiat pallium à Santiſſimo D. N. etiam ſi detineatur per aliquos dies in Curia,ratio eſt, quia poſtea eſt laborioſiſſimum, & periculoſiſſimum portare pallium, & ſi pallium capiatur ab inimicis in mari, uel in terra, debet nouum pallium peti, & ſoluuntur ſpenſæ de nouo, & datur cum magna difficultate præcedentibus informationibus, quòd epiſcopus non fuit in aliqua culpa,uel mora, & interim Archiepiſcopus non poteſt dicere Miſſas Pontificales ſine pallio.

27 Epiſcopus poſtquam eſt confirmatus, & conſecratus antea quam diſcedat à Curia, quid debet facere?
Reſp. Petere licentiam,& benedictionem à Santiſſimo,oſculari eius pedes,inuiſere Illuſtriſſimos Cardinales, uiſitare ſeptem Eccleſias, & celebrare Miſſam, dicere itinerarium, & ambulare in pace.

CAPVT VI.

De conſecratione Epiſcopi.

1 IN conſecratione Epiſcopi, quæ litteræ teſtimoniales requiruntur?
Reſp. De neceſſitate litteræ de prima tonſura vſque ad Sacerdotium incluſiuè, & litteræ approbantes eũ eſſe bonæ vitæ,& famæ; de congruentia requiruntur litteræ ſui gradus doctoratus, & litteræ ſuarum dignitatum, vel canonicatus,& officiorum,quos exercuit ante Epiſcopatum, ratio eſt, vt Summus Pont, & Epiſcopus conſecrans,& aſſiſtentes, & Cardinales habeant integram cognitionem meritorum talis electi.

2 Quando Epiſcopus conſecratur, quam cognitionem debent habere Epiſcopi aſſiſtentes,vt tuta conſcientia poſſint reſpondere talem eſſe dignum?
Reſp. Sufficit, vt non habeant ſcientiam in contrarium,ex regula generali quilibet præſumitur bonus, niſi in contrarium probetur malus.*c,1.de ſcrutinio in ordine faciendo*.

3 Intra quod tempus debet Epiſcopus electus, & confirmatus conſecrari?
Reſp. Intra tres menſes, quibus tranſactis perdidit fructus, & ſi per alios tres menſes conſecrari neglexerit, priuatur à ſummo Pont. Epiſcopatu. *Trid.ſyn. ſeſſ.23.c.2.de reform.c.quoniam.diſt.75.§. tempus autẽ conſecrationis*.

4 Quibus in caſibus poteſt Epiſcopus poſt tres, vel ſex menſes non conſecrari,& non incurrere aliquam pœnam?
Reſp. In quatuor caſibus.Primò,ſi morbo impediatur,vel ſi moriatur ille Epiſcopus,ad quem ſummus Pont,commiſit cõſecrationem. Secundo,ſi ſit aliqua cenſura ligatus,& non ſtet per ipſum,quò minus abſoluatur.Tertio,ſi eſt de aliquo delicto accuſatus, & antequam innocentiam probet, tempus conſecrationis elabitur. Quarto,ſi ſit lis,& cõtrouerſia ſuper Epiſcopatum, vel ſi non admittatur à ſubditis, vel ſi in accipienda poſſeſſione ſit aliquod periculum, vel reſiſtentia;ratio eſt,quia lex debet eſſe de re poſſibili,& impedito agere,non currit pœna,neq;tempus, neque terminus, neque præſcriptio, tenet *Fel. in cap. tranſmiſſa de præſcriptionibus.l. impoſſibilium.ff. de reg. iuris.c.quoniam de clerico ægrotante*.

5 A quo die currit tempus conſecrationis?
Reſp. Si ſit præſens à die promotionis; ſi ſit abſens à die notitię,tenet *Calderin.conſ.4.conſ.5.de electione. Tuſc.littera C.concl.743.& 744*.

6 In qua Eccleſia debet fieri conſecratio?
℞. Si ſit in Curia, in quacumq; Eccleſia electa à cõſecrante; ſi ſit extra Curiam,in ſua propria Eccleſia maiori, & ſi id commodè fieri non poteſt in meliori, & comodiori Eccleſia illius ciuitatis electa ab Epiſcopo conſecrante; ratio eſt, quia in illo actu habet authoritatem ſũmi Pont. & ipſe debet omnia ordinare,& inuitat Epiſcopum à ſe conſecratum,& alios duos Epiſcopos, & in omnibus honorat cõſecratum tamquam ſponſum,& filium,*tenet Tuſcus.ſup.citatus.*

7 Quo die debet fieri conſecratio?
Reſp. Die Dominica, & poterit Sabbato recipere presbyteratum,& die ſequenti conſecrari,quandoq; id non eſt prohibitum in Iure,*tenet gloſſa in c. quid à patribus diſt. 75*.

8 A quot Epiſcopis debet fieri conſecratio?
Reſp. A tribus,vno conſecrante, duobus aſſiſtentibus, vel patrinantibus ad exemplum Apoſtolorum, quia B.Iacobus,qui iuſtus dicebatur,fuit conſecratus Epiſcopus Hieroſolymitanus à Petro, Ioanne,& Iacobo Apoſtolis,& ſic Eccleſia ex iſta limitatione ſeruat hunc ritum, ut habetur in *c.fin. diſt.66*.

9 In conſecratione recipit ne Epiſcopus nouum characterem?
Reſp. Secundum *D. Th.lib.4. diſt. 24.* & Theologos ferè omnes non recipit nouum characterem,ſed extenditur character Sacerdotalis ad maiorem poteſtatem,ſcilicet Epiſcopalem; ſecundum verò Canoniſtas Epiſcopus in conſecratione recipit nouum characterem exercendi ordines, ordinando alios, conſecrandi Sacerdotes, aras, & eccleſias.

CAPVT VII.

De reſidentia Epiſcopi.

1 EPiſcopus tenetur ne ad reſidentiam perſonalem?
Reſp. Affirmatiuè de præcepto diuino, etiam ſi ſit Cardinalis, vel Patriarcha, dummodo habeat eccleſiam,quæ non ſit in poteſtate Maurorum,tenetur in ea reſidere. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.1.de reform*.

2 In qua parte ſuæ diœceſis tenetur epiſcopus reſidere?
Reſp. In quolibet loco, in qualibet ciuitate ſui epiſcopatus,& ibi facit fructus ſuos, licet de conſilio iuſtum eſt,vt diebus ſolemnibus aſſiſtat in ſua eccleſia maiori cum ſuis canonicis, ne illis diebus membra ſint ſine capite.

3 Epiſcopus ſi non reſideat in Cathedrali eccleſia, ſed in alio loco ſuæ diœceſis, poterit ibi portare ſuã curiam, & ſuum Vicarium?
Reſp. Poterit in quacumque parte ſuę diœceſis ipſe fuerit, portare ſuum Vicarium, carcerem,& officiales; ratio eſt, quia acceſſorium ſequitur naturã principalioris, & in perſona epiſcopi radicatur vniuerſa iuriſdictio,& ſic vbicumque eſt perſona epiſcopi, ibi eſt Curia,ibi carcer, ibi poteſtas coercendi, componendi,& finiendi lites, ſicut vbicumque eſt perſona epiſcopi,& in quocumque loco ſuæ diœceſis, poteſt facere ordines,conſecrare chriſma, & oleum ſanctũ, & exercere Pontificalia, & licet epiſcopus habeat hanc poteſtatem de iure, iuſtum eſt, vt ipſe, & eius Curia aſſiſtat in parte commodiori epiſcopatus, ne ſubditi patiantur detrimentum; ille tamen locus iudicatur commodior,vbi illius anteceſſores habuerũt ſuam Curiam ab antiquo, ſic cenſuerunt *DD.ſuper c. 1.ſeſſ.23*.

4 Si epiſcopus habeat dignitatem, canonicatum, vel beneficium de reſidentia ſimul cum epiſcopatu per diſpẽſationẽ Apoſtolicam, vel per vnionẽ factã epiſco-

Epiſcopatui ratione congruæ ſuſtentationis, in quo loco tenebitur reſidere?

Reſp. Sufficit, vt reſideat in quolibet loco ſuæ diœceſis, & ibi lucrabitur fructus præbendæ, exceptis diſtributionibus quotidianis, & ad nullum onus perſonale tenebitur: ratio eſt, quia in perſona epiſcopi cōcurrunt gubernatio totius diœceſis, & cura animarū, & iſta præferuntur reſidentiæ, cum ſint res maioris momenti.

5 Epiſcopus excuſatur à reſidentia ſui epiſcopatus ratione infirmitatis perpetuæ?

Reſp. Negatiuè, niſi de licentia Summi Pont. qui in neceſſitatibus, & in alijs paternaliter prouidet, *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 23. Conc. Trid.*

6 Tempore peſtis licet ne epiſcopo relinquere ſuam Eccleſiam?

℞. Imò tunc tenetur magis ad illam venire, ſi abſens ſit; ratio eſt, quia vbi eſt maius periculum, ibi debet eſſe maior reſidentia perſonalis, vt habetur in *c. ſuggeſtum. 7. q. 1.*

7 Epiſcopus quanto tempore poteſt abeſſe à ſua diœceſi, & in quibus feſtis debet aſſiſtere in Cathedrali Eccleſia?

Reſp. Epiſcopus poteſt abeſſe à ſua diœceſi ſine aliqua pœna ad ſummum per tres menſes, in quolibet anno continuos, vel interpolatos, vt ſibi placuerit, & debet epiſcopus curare, vt non ſumat hos tres mēſes in dominicis Aduentus, & quadrageſimæ, neque in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini, Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, quia Eccleſia celebrat has feſtiuitates cum maiori ſolemnitate, & iuſtum eſt, vt caput aſſiſtat. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.*

8 Si in illis tribus menſibus, in quibus epiſcopus abeſt, ſit aliquas feſtiuitas ex ſupra dictis, tenebitur ne epiſcopus adire propriam Eccleſiam ad illam feſtiuitatem celebrandam, & ſi non veniat, incurrit ne aliquam penam?

Reſp. Nullam pœnā incurrit epiſcopus in dicto caſu, imò neq; etiam ſi ſit in ciuitate, vel diœceſi, & nō veniat ad Eccleſiam Cathedralem ad illam feſtiuitatem celebrandam: ratio eſt, quia dies exceptuati à concilio ſunt de cōſilio, & pœna poſita eſt circa trāſgreſſionem temporis trium menſium, *vt tenet Abb. in cap. 1. de vita & honeſtate clericorum, & Trid. ſyn. vbi ſupra.*

9 Epiſcopus debet ne omnibus diebus Dominicis aſſiſtere Eccleſia?

Reſp. Non tenetur, ſed ſufficit, vt aſſiſtat in ſua diœceſi, licèt de conſilio, ſi non ſit impeditus, debeat aſſiſtere ad exemplum aliorum; ſed pęna poſita a concilio epiſcopis non eſt ſupra reſidentiam in Eccleſia, ſed ſupra reſidentiam in dięceſi, *tenet Abb. in c. 1. de vita, & honeſtate clericorum.*

10 Quam pęnam incurrit epiſcopus, qui vltra tres menſes abeſt à ſua diœceſi?

Reſp. Si per ſex menſes abſuerit continuos, vel interpolatos à ſua dęceſi in vno anno, amittit quartā partem fructuum illius anni; fabricæ, & pauperibus applicandam, & ſi per alios ſex menſes abſuerit in illo, vel in alio anno, amittit aliam quartam partem fructuum, ſi verò perſeuerauerit in abſentia, contumacia creſcente priuabitur epiſcopatu à Summo Pont. & vltra has pęnas peccat mortaliter. *Trid. ſyn ſeſſ. 6. c. 1. & ſeſſ. 23. c. 1. de reform. c. peruenit 7. quæſt. 1. c. cum ex eo de electione in 6. cap. ex parte veſtra de clericis non reſidentibus.*

11 Quis debet dare hanc pęnam epiſcopo abſenti?

Reſp. Metropolitanus, & Metropolitano epiſcopus antiquior. *Trid. ſyn. loco alleg.*

12 Si aliquis epiſcopus abſit à ſua dięceſi abſq; iuſta cauſa, & licentia Sum. Pont. per quatuor menſes, & pæna ei non detur à Metropolitano, ad quid tenebitur epiſcopus in conſcientia?

Reſp. Tenebitur ad reſtituendos fructus vnius menſis, & dare illos pauperibus, aut fabricæ Eccleſiæ pro ſuo libitu, & confiteri ſacramētaliter ſuum peccatū; ratio eſt, quia in illo menſe non fecit fructus ſuos ſicut Canonicus, qui non reſidet, *ita tenēt DD. & Abb. in iuribus ſupra allegat. & Trident. ſynod. ſeſſ. 6. cap. 1.*

13 Si Epiſcopus exeat à ſuo epiſcopatu animo reuertendi intra tres menſes, & incidat in infirmitatem, ita vt non poſſit reuerti intra tres menſes, & ſit per alios duos menſes, vel tres extra ſuam dięceſim, tenebitur ne ad pęnam dictam?

Reſp. Non tenetur ad vllam pęnam, neque tenetur reſtituere fructus; ratio eſt, quia non ſtat per ipſum, quo minus reuertatur, & impeditus nō incurrit damnum, *vt tenet Abb. in c. ex parte tua de clericis non reſident. & cenſuerunt DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 6.*

14 Ex quibus cauſis poteſt epiſcopus à ſua dęceſi abeſſe ſine aliqua pęna, & ſine licentia alicuius?

Reſp. Quando aliquis Archiepiſcopus, vel epiſcopus habet aliquod officium annexum ſuæ dignitati, quod pertinet ad regimen Reip. vel Regis ſicut Archiepiſcopus Toletanus eſt totius Hiſpaniæ maior Cancellarius, tunc ſi extra ſuum Archiepiſcopatum Regna congregentur, poterit aſſiſtere toto tempore neceſſario abſque licentia alicuius ratio, eſt quia pręfertur bonum vniuerſale bono particulari, & eſt expreſſè permiſſum in ſimilibus numeribus exercendis, per *Trid. ſyn. ſeſs. 23. c. 1.*

15 Si epiſcopus abſuerit à ſua dięceſi per quatuor menſes, poterit ne fructus male perceptos, quos in pęnam debet erogare pauperibus, facere ſuos, vel ſaltem partem eorum cum bulla compoſitionis?

℞. Non poteſt: ſed realiter tenetur eos reſtituere fabricæ, vel pauperibus, & compoſitio nulla eſt, ratio eſt quia expreſſè eſt prohibita *in Cōcil. Trid. ſeſs. 23. cap. 1.*

16 Quare Canonici, & Parochi poſſunt componere fructus malè perceptos ratione non reſidendi, & Epiſcopus non poteſt illos componere?

℞. Quia reſidentia Epiſcopi eſt magis ſtricta, quàm reſidentia Canonicorum, cum ſit magis neceſſaria ad animarum ſalutem, & quia Epiſcopis hoc expreſſè eſt prohibitum, at Canonicis, & Parochis non eſt.

17 Ex quibus cauſis poteſt Epiſcopus abeſſe a ſua dięceſi vltra tres menſes?

℞. Solum ex cauſis à Iure expreſſis, & hoc cum licentia Superioris. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de refor.*

18 Quæ ſunt cauſæ expreſſæ à Iure, ex quibus poteſt Epiſcopus abeſſe vltra tres menſes?

℞. Quatuor cauſæ exprimuntur a Conc. Trid. Primò Chriſtiana charitas. Secundò vrgens neceſſitas. Tertio debita obedientia. Quartò eiuſdem Eccleſiæ, vel Reip. vtilitas, & iſtæ cauſæ etiam ſi ſint iuſtæ ad non reſidendum, debent ſemper approbari à Superiore. *Trid. ſyn. ſeſs. 23. cap. 1.*

19 Quando, & in quo caſu Chriſtiana charitas eſt

cauſa

cauſa ſufficiens, vt Epiſcopus poſſit abeſſe?
Reſp. Quando extra ſuam diœceſim in aliqua ciuitate pullularet aliqua hæreſis, & Epiſcopus ſua prædicatione eſſet neceſſarius ad extinguendum illũ errorem, hęc cauſa, & alia ſimilis ſufficit, vt ex Chriſtiana charitate Epiſcopus abſit. *cap. de cætero. c. inter quatuor. c. tuæ de clericis non reſidentibus.*

20 Vrgens neceſſitas quando excuſat Epiſcopum à reſidentia?
Reſp. Quando Epiſcopus vouit aliquam peregrinationem, vel haberet aliquod negotium ſuum, vel litẽ magni momenti, & non poſſet per ſubſtitutum eam finire, vel quando non poteſt commorari in aliqua ciuitate ſuæ diœceſis ſine magno vitæ periculo proueniente, vel ex infirmitate, vel ex triſtitia, vel ex aeris intemperię contraria ſuæ ſaluti, vel ex inimicis, tunc erit iuſta cauſa, vt Epiſcopus abſit. *c. non oportet de conſecrat. diſtinct. 5. c. præſentium. 7. q. 1. c. ad ſupplicationem de renuntiatione, cap. relatum. in gloſſa de clericis non reſidentibus.*

21 Debita obedientia quando excuſat Epiſcopum à reſidentia?
Reſp. Quando Epiſcopus detineretur à Sum. Pont. vel à ſuo legato, vel à Iudice ſuperiori, vel ab Imperatore, vel à Rege illius Regni, cui ipſe non poteſt reſiſtere ſed ſolum debet monere Summum Pontific. vt habetur in *gloſ. in c. inter quatuor. in c. de cætero, in c. relatum de cleric. non reſident.*

22 Vtilitas Eccleſiæ, vel Reipublicę quando erit cauſa ſufficiens, vt Epiſcopus non reſideat?
Reſp. Quando propria Eccleſia haberet aliquam litem, vel negotium grauiſſimum, & præſentia Epiſcopi iudicaretur neceſſaria, vel quando Epiſcopus eſt tam doctus vel expertus, vt eſſet neceſſarius ad gubernationem Reip. præſidendo in aliquo conſilio, vel faciendo aliquo negotio pro Regno, vel pro Rege.

23 Cauſæ à quo debent examinari, & approbari?
Reſp. A Summo Pont. & ſi commodè fieri non poteſt, à Metropolitano, cum Concilio Prouinciali. *Tri. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de refor.*

24 Epiſcopus, qui abeſt ex his cauſis, quid debet prouidere in ſua Eccleſia?
Reſp. Vicarium ita doctum, virtuoſum, & peritum, vt ex abſentia Epiſcopi ſubditi non patiantur detrimentum, & debet cõſtituere aliquem virum, qui habeat officium dandi illas eleemoſinas pauperibus, quas ipſe dabat, quando erat præſens, nam hoc intelligitur ſub illo verbo nullum detrimentum poſitũ a Concil. quia non debet eſſe vllus defectus in iuſtitia in gubernatione, neq; in eleemoſinis. *Trid. ſynod. vbi ſup. c. cum ex eo de electione in 6. c. beneficium de regulis iuris in 6.*

25 Poteſt Epiſcopus obtinere duas Eccleſias ſimul in titulum, vel commendam?
Reſp. Non poteſt, etiam ſi ſint Cardinales, imò infra ſex menſem tenetur vnã dimittere, alias de Iure prima vacat ſolum vltima retenta; ratio eſt, quia vna eademque perſona in duabus Eccleſijs diſtinctis reſidere non poteſt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 3.*

CAPVT VIII.

De Officio Epiſcopi.

1 EPiſcopatus eſt ne Ordo?
℞. Eſt Ordo, & competit quatuor diſtinctis perſonis; nam in primo gradu eſt Summus Pont. qui præſul, & caput eſt vniuerſalis Eccleſiæ, verus Petri ſucceſſor, qui à Chriſto eandem poteſtatem habet, quàm habuit ipſe Petrus; in ſecundo ſunt Patriarchę, qui ex poteſtate tradita à Iure, & à Sũmo Pont. pluribus Prouincijs præſunt; in tertio ſunt Archiepiſcopi, qui habẽt iuriſdictionem in vna Prouincia in certis, & limitatis caſibus, ſibi à Iure cõceſſis in quarto ſunt ſimplices Epiſcopi, qui vni diœceſi præſunt omnes iſti ſunt maiores dignitates Eccleſiæ, & pendent à Summo Pontif. à quo habent iuriſdictionem delegatam. *c. 1. diſt. 90. cap. clericos, §. Ordo diſtinctione 21. Bulla Pij V. in ordine 6. & 8. & 5.*

2 Quid eſt Epiſcopatus?
Reſp. Eſt Ordo, & dignitas habens poteſtate conferendi ordines ſui ſubditis, & faciendi Pontificalia, & habens à Iure iuriſdictionem Eccleſiaſticam ordinariam in foro exteriori, & interiori, & mixto, in aliqua diœceſi ad gubernationem ſubditorum, & ſalutem animarũ inuenta. *c. honorem de poteſtate, & vſu pallij.*

3 Vnde dicitur Epiſcopus?
Reſp. A verbo Græco Epos, quod latinè ſignificat ſuper intendere, & ſpeculare, quia eſt ſuperintendẽs, & ſpeculator, & paſtor ſuper gregem ſuum, & ſubditos ſibi commiſſos, vt habetur in *c. clericos. c. legitimus c. Epiſcopatum.*

4 Quomodo vocantur Epiſcopi?
Reſp. Sanctiſſimi Domini legati, Fratres Romani Pont. & Coepiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, & paſtores Eccleſiæ Catholicæ. *Tryd. ſyn. ſeſs. 23. c. 4. clem. 1. §. 1. de pęnitentijs, & ibi gloſſa. Abb. in c. ſcriptum nu. 5. de electione.*

5 Epiſcopi à quo ſunt poſiti, & ad quid?
Reſp. A Spiritu Sancto, & ad bene regendam Eccleſiam Dei, quia Deo redituri ſunt ſtrictam rationem ſubditorum ſuorum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 4.*

6 Epiſcopi in quorum loco poſiti ſunt?
Reſp. In loco Apoſtolorum, quibus immediatè ſucceſſerunt. *Trid. ſyn. ſeſs. 23. c. 4.*

7 Qui habent in Eccleſia Dei ſuperiorem gradum?
Reſp. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi & a Regibus, & Principibus præ cæteris hominibus ſunt honorandi. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. de reform.*

8 Cardinales quales debẽt eſſe, & ex quibus mundi partibus?
Reſp. Debent eſſe ex legitimo matrimonio, ætate matura, morum grauitate, litterarum ſcientia præditi, & debent eſſe ex omnibus nationibus Chriſtianis, ſi commodè fieri poteſt, ratio eſt, vt omnibus proſint, & omnes nationes protegant, & eliguntur à Romano Pontif. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 1.*

9 Quid debet Epiſcopus de ſe cogitare?
Reſp. Non eſſe vocatum ad propria commoda, non diuitias, non ad lucrum, & quietem, ſed ad labores

pro

pro Dei gloria. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 1. de reform.*

10 Epiſcopus quæ exempla debet dare in ſua vita, & conuerſatione?

Reſp. Frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, viuendo cum modeſtia ſuppellectili, ita vt ipſe, & tota eius domus, & familia dent exemplum alijs in humilitate, in caſtitate, in aſſiduitate orationis in verbis, in conuerſatione. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 1. de refor.*

11 Menſa Epiſcopi qualis debet eſſe, & quid in ea debet tractari?

Reſp. Debet eſſe candida, munda, decenter ornata, ſobria, moderata, cui debet adhiberi lectio ſacræ ſcripturæ, vel diſputatio de aliqua ſcientia, vel virtute, ita vt comedentes in ea reficiantur in corpore, & ſaturentur in anima, & videntes, & ſtantes ædificentur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 1. de reform. & ſeſſ. 2. decreto de modo viuendi in concilio.*

12 Epiſcopus quoties tenetur iurare, & emittere profeſſionem fidei?

Reſp. Primò ante conſecrationem in manibus alicuius Epiſcopi, vel Nūtij Apoſtolici, vel ſi eſt in Romana Curia in manibus Cardinalis, qui eſt magnus Cancellarius. Secundò in ipſo actu conſecrationis genuflexus ante conſecrantem. Tertiò poſt conſecrationem in Cancellaria Apoſtolica, & ſemper debet iurare obedientiam, & fidelitatem Romano Pōt. & eius Legato, & non alienare bona Eccleſiæ ſuæ, & menſæ Epiſcopalis ſine conſenſu Romani Pont. imò ſi tempore ſedis vacantis aliqua alienatio facta fuerit, vel à ſuis prædeceſſoribus, tenetur eam repetere. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 1. & Ceremoniale Romanum. c. 1. de conſecratione Epiſcopi.*

13 Poſſunt ne ſedes Epiſcoporum mutari?

Reſp. Nō poteſt ſine licentia Romani Pont. & cauſa cognita, quæ debet eſſe magna, veluti belli, peſtis, vel terremotus, qui ſolo æquaret vniuerſam ciuitatem, ita vt fieret deſerta ſine habitatore, vel ex aeris intemperie, qui generat frequentes infirmitates, & tunc debet mutari cum omnibus oneribus ſibi iniūctis, ita vt primi fundatores, neque perdant memoriam, neque ſuffragia, *c. tempora. 7. q. 1.*

14 Quod eſt onus Epiſcoporum?

Reſp. Onus eſt tam magnum, quod Angelicis humeris ſit formidandum, & ſic Epiſcopi habent duos Angelos cuſtodes vnum ad perſonam, alterum ad officium, & ſic egent ſpeciali gratia Dei. *Trid. ſyn. ſeſ. 2. decreto de modo viuendi in Concilio ſeſſ. 5. c. 2. ſeſ. 23. c. 7. & canones. 8. ſeſſ. 24. c. 7. ſe. 6. c. 1.*

15 Quod eſt officium, & munus Epiſcopi?

℞. Epiſcopus eſt vniuerſalis Parochus totius diœceſis, & debet ad Dei laudes incumbere hoſtias, & preces offerre pro populo, miniſtrare ſacramenta, ordinare ſubditos, cōſecrare, viſitare, & Eccleſias gubernare, tollere abuſus, corrigere mores, ſacramētorum vim, & vſum explicare, prædicare, exhortari fideles ad frequentiam ſacramentorum, per ſe ipſum, & ſi id cōmodè fieri non poteſt, aſſumere idoneos miniſtros, & prædicatores, dare eleemoſynas, benedicere veſtes ſacras, vigilare in omnibus, & laborare, vt miniſterium ſuum impleat, vt habetur in *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 3. c. 2. & ſeſſ. 2. decreto de modo viuendi in concilio ſeſſ. 23. c. 7. & canone 8. ſeſſ. 24. c. 7. ſeſſ. 6. c. 1.*

16 Epiſcopus tenetur viſitare limina Apoſtolorum, & quo tempore, & ad quid?

Reſp. Si ſit Italus, tenetur tertio quoque anno, ſi vltramontanus quoque anno ad recognoſcēdam ſedem Apoſtolicam, & eam venerandam, & ad conſultanda dubia, & negotia, & difficultates, quæ in ſua diœceſi ſe obtulerunt, & ſi Epiſcopus ſit impeditus negotijs, infirmitate, ſenectute, bello, peſte, paupertate debet mittere ſuum procuratorem cum ſpeciali mandato bulla *Sixti V. quæ incipit Rom. Pont. data anno 1585.*

17 Procurator, qui loco Epiſcopi pergit ad viſitanda limina Apoſtolorum quid debet ſecum portare?

Reſp. Speciale mandatum ſui Epiſcopi, teſtimoniū à Medicis infirmitatis, ſenectutis, vel ætatis, vel teſtimonium à poteſtate ſæculari, vel Eccleſiaſtica impedimenti belli, vel peſtis, & debet ſecum portare relationem diſtinctam, & claram omnium Eccleſiarum illius Diœceſis, & redditum, quos habent, & per quos Parochos, vel Beneficiatos gubernantur, & numerum omnium Monaſteriorum, tam virorum, quàm mulierum, & numerum religioſorum, & explicare, an viuant mendicando, an habeant certos redditus; & ſi ſit aliquid de nouo petendum à Romano Pont. vel declarando debet portare omnes rationes, & ſcripturas neceſſarias, vt Romanus Pontif. cognita veritate poſſit determinare; & tandem debet eſſe ita inſtructus in negotijs totius Diœceſis, vt interrogatus fuerit à Summo Pontif. poſſit eum de omnibus certificare.

18 Cum talis Procurator peruenit ad Romanam Curiam quid debet agere?

Reſp. Nomine ſui Epiſcopi oſculari pedes Sanctiſs. Domini, dare ei litteras, quas portat, reddere rationem infirmitatis, vel impedimenti ſui Epiſcopi, accipere à Sanctiſſimo benedictionem, deinde ſe præſentare coram Secretario cōgregationis Epiſcoporum, tradere ei omnes relationes, & ſcripturas, quas portat; procurare, vt in congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium videantur, & examinentur. Viſitare nomine ſui Epiſcopi ſeptem Eccleſias, & offerre cereum, candelam, vel aliud donum; accipere teſtimonium à Notario publico talis viſitationis, & accipere à Secretario Congregationis teſtimonium ſuæ præſentationis, & licentiam ad reuertendum; Vltimo deoſculari pedes Sanctiſſimi Domini, & accipere Benedictionem ad reuertendum prædicta bulla Sixti V.

19 Quam pœnam incurrit Epiſcopus, qui ſuo tempore, ſiue ſit Italus, ſiue vltramontanus non viſitat dicta limina Apoſtolorum?

Reſp. Eſt ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſię, & ab adminiſtratione temporali, & à perceptione fructuum, qui fructus applicantur fabricæ, vel ornamentis Eccleſiæ; bulla Sixti V. incipiens Rom. Pont. data anno 1585. die 13. Ianuarij, & *c. ego de iureiur.*

20 Hæc pœna quando datur Epiſcopo, & quando non datur?

℞. Non datur, quādo Epiſcopus habuit legitimum impedimentum, & fecit certiorem Summum Pontificem, & litteræ caſu accidentali non peruenerunt, quia iam Epiſcopus fecit, quod in ſe erat; & hæc pœna datur Epiſcopo, quia admonitus negligit obſeruare dictam bullam, quia tunc eſt pertinatia, & contumacia, & iuſtè debetur pœna, *vt tenent DD. in cap. alma mater de ſententia excom. in 6.*

21 Qui dicuntur Epiſcopi Itali, & qui vltramontani?

℞. Itali dicūtur omnes Epiſcopi, qui ſunt i omnibus

Regnis

Regnis Italiæ, etiam qui ſunt in Sicilia. Vltramontani dicuntur, qui ſunt in Hiſpania, Gallia,& Portugalo, nam hæc diuiſio ſumitur per Alpes, & montes Pyrenæos, quos Deus,& natura poſuit tanquam ponens fines, & terminos Prouincijs,& Regnis, & tanquam in defenſionem pacis.

22 Epiſcopi, qui ſunt in India Orientali, vel Occidētali in Regnis, quos vocant del Però, Mexico, vel in nouo Regno Granatenſi, tenentur ne facere iſtam viſitationem quinto quoque anno.

Reſp. Sedes Apoſtolica neminem grauat vltras ſuas vires cum Summus Pontif. ſit omnium Pater mitiſſimus, & ſic iſti habent Patriarcham,quem vocant de las Indias; qui nunc eſt Illuſtriſs.ac Reuerendiſs. Dominus D. Didacus de Cuzman. Regis Philippi, magnus, & primus Eleemoſinarius, & Capellanus, ſupremę inquiſitionis,Conſiliarius,vir prudentiſſimus, & magnæ authoritatis, qui pro omnibus Epiſcopis indiarum reddit rationem, ne tam longo, & periculoſo itinere grauentur, & ne Eccleſiæ tam longo tēpore deſtituantur ſolatio paſtoris.

23 Qui tenentur publicare,docere, & nota facere decreta Concilij Trid.

Reſp. Primates Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis diœceſibus tenentur publicare, & nota facere decreta,& deciſiones Concilij Trid.& in Concilio Prouinciali in principio debent omnes pronuntiare, & iurare ipſos firmiter tenere,& defendere dicta decreta Sancti Conc.Trid.ſimiliter DD.& Magiſtri, qui in vniuerſitatibus docent, debent in principio cuiuslibet anni idem iurare, & tenentur ſecundū decreta Concilij Trid.inſtruere diſcipulos ſuos de his propoſitionibus,quæ Catholicam Fidem reſpiciunt. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.2.de reform.*

24 Quis poterit ordinare in Eccleſijs modum canendi cantum figuratum muſicam, organum, & omnia neceſſaria ad cultum diuinum?

Reſp. Concilium Prouinciale, & interim Epiſcopus cum duobus de capitulo, altero nominato ab Epiſcopo, altero electo à capitulo. *Trid.ſyn.ſeſs.24.c.12.*

25 Qui ſunt defenſores concilij, & debent hæreticis reſiſtere?

Reſp. Epiſcopi, Principes Chriſtiani, Reges ſeculares, & præcipuè Imperator, quibus ad gloriam Dei ſuper alios data eſt poteſtas. *Tri.ſyn.ſeſs.25.c.vlt.*

26 Qui tenentur conſeruare, & executioni mandare decreta Concilij Trid.ſacros canones, & ſanctiones?

Reſp. Imperator, Reges Chriſtiani, Principes vniuerſitates, quas vocant Dominationes, quia ſunt protectores Concilij Trid.& religionis Chriſtianæ,vt eorum ope,cultus diuinus deuotè exerceatur,& Prælati, & clerici in officijs ſuis quietè; & ſine impedimento permaneant, *Trid.ſyn.ſeſs.2.c.20.*

27 Si aliquis tenuerit hæc exequi, qua pęna punitur?

Reſp. Pęna excommunicationis, & ſi fuerit Epiſcopus, Epiſcopi Prouinciales ab eius communione ſe abſtineat, & Romanum Pont. certiorem faciant, ſi fuerint alij clerici ab Epiſcopo excommunicetur. *Tri. ſeſs.25.c.2.de ref.*

28 Quis poteſt declarare, & interpretari dubitationes, quæ ſuper decreta Concilij ortæ fuerint?

Reſp. Summus Pont.qui eſt ſupra concilium,& ad id munus exercendum habet in Romana Curia eruditiſſimam cōgregationem Illuſtriſſimorum Cardinalium. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.vltimo.*

29 Quis poteſt cognoſcere de vera ſacræ ſcripturæ interpretatione?

Reſp. Summus Pōt. *Trid.ſyn.ſeſs.4.* decreto de dictione, & vſum ſacrorum librorum.

30 Quæ editio Bibliæ, & ſacrorum librorum eſt tenenda?

℞. Vulgata,& vetus editio tanquam ſecura, & approbata ab Eccleſia. *Trid.ſyn.ſeſs.4.eodem decreto.*

31 Quam pœnam incurrunt, qui detorquent ſenſus ſacræ ſcripturę in profanos vſus?

℞. Feriuntur pœna excommunicationis lata ab Epiſcopo, *Trid.ſyn.ſeſs.4.eodem decreto.*

32 Catechiſmus, Miſſale, index librorum, Breuiarium, officia omnia Beatæ Mariæ Virginis, & alia à quo debent approbari?

℞. A Summo Pont.decreto de indice librorum *ſeſs.5.*

33 Qui debent approbare libros, qui de nouo componuntur, & nouas impreſſiones?

℞. Epiſcopus authoritate à concilio ſibi tradita debet videre, ne ſit aliquid in illo libro contra fidem Catholicam, & dare licentiam, vt imprimatur, vel non imprimatur. *Trid.ſyn.ſeſs.4.eod decreto.*

34 Quam pœnam incurrunt impreſſores, qui typis mandant libros ſine licentia Epiſcopi?

℞. Excommunicationis latæ ab Epiſcopo, *Trid.ſyn. ſeſs.4.eod.decreto.*

34 Quis debet curare, vt doctrina Chriſtiana,& Catechiſmus doceatur in Eccleſijs hominibus, & mulieribus?

℞. Epiſcopus, qui debet aſſignare loca, tempus; & magiſtros ad id munus electos,& curare,vt in vna Eccleſia doceantur pueri, & homines; & in alia Eccleſia ſeparatim doceantur puellæ; & mulieres bulla Pij V.quæ incipit ex debito.

36 Quis debet admonere populum de obſeruationibus,feſtiuitatibus, & ieiunijs?

℞. Epiſcopi,Prælati, & Parochi curam animarum habentes, debent admonere populum Miſſis ſolemnibus,& facere notas feſtiuitates illius hæbdomadę, & ieiunia, ne populus erret. *Trid.ſyn.decreto de ieiunijs.*

37 Quid debet agere Epiſcopus ad exhortādos fideles ad frequentiam ſacramentorum?

℞. Ipſe Epiſcopus, & Parochus diebus feſtiuis, & Dominicis explicent italica lingua, quę ad pręparationem dignam eorum neceſſaria ſunt, & ſi impediti fuerint conſtituant viros doctos, qui id officium impleant. *Trid.ſyn:ſeſs.5.c.2.de refor.*

38 Quis habet poteſtatem concedendi indulgentias?

℞. Sancta Romana Eccleſia,& Epiſcopi poſſunt cōcedere ſubditis ſuis ſuis quadraginta dies, cum celebrāt in Pontificiali,& in allijs feſtiuis diebus. *Trid.ſyn. decreto de indulgentijs ſeſs.25.*

39 Quam pœnam incurrunt, qui hanc poteſtatem negant, vel dicunt eſſe inutile in Romana Eccleſia?

℞. Sunt excommunicati, & vt hæretici puniuntur. *Trid.ſynod.ſeſs.25.de creto de indulgentijs.*

40 Quis poteſt conſtituere feſtiuitates?

℞. Summus Pont.in vniuerſali Eccleſia; Epiſcopus in ſua diæceſi ob legitimam cauſam.

41 Quis poteſt dare licentiam, vt diebus Dominicis, vel feſtiuis aliqua opera ſeruilia fiant?

℞. Epiſcopus, vel eius Vicariū præſertim tempore meſſis, vel vindemiæ, vel ad ædificandum aliquam Eccleſiam, aut monaſterium, vt latè dixi *libro 3. cap.1.*

capitulo 1.in 4.præcepto.

42 Quid debet obſeruare Epiſcopus in danda hac licentia?

℞. Vt homines, qui volunt laborare, primùm audiant Miſſam, & quod dies, in quibus laborant, nō ſint magnæ feſtiuitatis, vt Paſchæ Domini, Beatæ Mariæ, & ſimilium.

43 Quis poteſt ponere nouam Imaginem, vel publicare noua miracula, aut nouas reliquias?

℞. Nemo, niſi prius ab Epiſcopo cū conſilio Theologorum, & Iuriſtarum, & piorum virorum approbentur; vt latè dixi in *c.de Imaginibus.*

44 Quis poteſt cōmutare vltima voluntates, & reducere ad certum numerum Miſſas, quando eleemoſina eſt tenuis?

℞. Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus, vt latè dicam in *c.10.de commutatione vltimarum voluntatum.*

45 Epiſcopus poteſt dare licentiam, vt in priuatis domibus oratoria fiant, & Miſſas celebrentur?

℞. Non poteſt, ſed ſolum Sūmus Pont. qui per bullā Pauli V. hoc ſibi reſeruauit, poterit tamen Epiſcopus talia oratoria viſitare toties quoties, *Trid.ſynod. ſeſs.22.c.7.*

46 Quis poteſt dare licentiam, vt Miſſæ celebrentur in capellis Hæremiticis, quæ habent portas ad vias publicas?

℞. Epiſcopus dūmodo præiudicium non fiat Eccleſiæ Parochiali, quoad percipienda, quæ de Iure ipſi Parochiæ debentur. *Trid.ſyn.ſeſs.22.c.7.*

47 Quis poterit de nouo ædificare Eccleſias, vel vetuſtate dirutas, eas explanare, vel dare religioſis?

℞. Epiſcopus, vt latè dixi *lib.c.39.*de Eccleſijs ædificandis.

48 Epiſcopus quomodo ſe debet habere cū ſuis ſubditis in correctione?

℞. Tanquam pater cum filijs, paſtor cum ouibus, nominando, neq; terrendo, ſed obſecrando, quia ſæpè plus mouet beneuolentia, quàm timor, exhortatio, quam comminatio, *ſeſs.3.c.5.*

49 Si virga opus fuerit ob delicti grauitatem, vel cōtumaciam, quid debet agere Epiſcopus?

℞. Cum miſericordia feueritas adhibenda eſt. *Trid. ſyn.ſeſs.23.c.5.de refor.*

50 Epiſcopus quomodo debet procedere cum quæſtoribus eleemoſinarum, qui publicant indulgentias?

℞. Debet eos abolere in eorum loco ponere duos de capitulo, qui ſuo tempore indulgentias gratis publicent, & eleemoſinas recipiant. *Trid.ſyn.ſeſs.21.cap. 9.que de eis dixi latè lib.6.c.14.*

51 Coadiutor poteſt ne dari Epiſcopo?

Reſp. Poterit dari ſolum in duobus caſibus, primo ſi Epiſcopus ægritudine, vel ſenectute inhabilis ad gubernationem factus fuerit; ſecundo ſi caſu factus fuerit amens, vel ſit ita ignarus, & indoctus, vt gubernationi minimè ſit aptus, nec adminiſtrationi iuſtitiæ; ſicut datur parochis, vt latè dixi *c.de Vicarijs, & Coauditoribus parochorum. c.39.lib.4.*

CAPVT IX.

De Officio Archiepiſcopi.

1 Patriarcha, quæ dignitas eſt?

Reſp. Eſt quædam dignitas, quæ pluribus Prouincijs præeſt, & in qualibet Prouinciā ſunt plurimi epiſcopatus, *c.1.diſt.90.bulla Pij V.in ordine 5.*

2 Patriarchæ in aliena diœceſi alicuius Epiſcopi poſſunt ne exercere Pontificalia de ſua propria authoritate?

Reſp. Non poſſunt, niſi de licentia proprij epiſcopi; ratiò eſt, quia eſt actus ordinis, & iuriſdictionis à Iure commiſſus ſolo epiſcopo, & Patriarcha in his nullā habet iuriſdictionem, niſi in diœceſi, vbi ipſe fuerit epiſcopus, vel Archiepiſcopus, & ſic cenſuerunt DD. ſuper *c.18.ſeſs.24.Concilij Trid.*

3 Patriarcha poteſt dare licentiam alicui epiſcopo, vt in diœceſi alterius epiſcopi exerceat Pontificalia?

Reſp. Non poteſt; etiam ſi talis epiſcopus ſit in prouinciā ſui Patriarchatus; ratio eſt, quia iuriſdictio Patriarchæ eſt limitata de Iure ad caſus expreſſos, & non poteſt ampliare ſuam iuriſdictionem, ſolum Sūmus Pont. eſt vniuerſalis epiſcopus, & dominus in toto mundo, ſic cenſuerunt *DD.loco.ſup.cit.*

4 Si aliquis Patriarcha habeat ius prouidendi beneficijs Parochialibus in aliqua diœceſi alicuius epiſcopi, quis debet facere examē Patriarcha, an epiſcopus?

Reſp. Epiſcopus, in cuius diœceſi eſt tale beneficiū, debet ponere edicta, examinare cum ſynodalibus concurrentes, remmittere omnes approbatos ad Patriarcham, vt ipſe ligat digniorem, & Patriarcha nichil debet agere in concurſu, in edicto, & in approbatione; ratio eſt, quia oues, quas debet paſcere talis Parochus, ſunt ſub cura Epiſcopi, & non Patriarchæ, & ideò epiſcopus debet iudicare Parochum eſſe idoneum; ſic cenſuerunt, *DD.in d.c.*

5 Cardinales in æliena diœceſi poſſunt conſecrare Eccleſias profanatas?

Reſp. Non poſſunt, niſi ex ſpeciali Summi Pōt. commiſſione; nam Cardinales habent dignitatem eminētiſſimam in Eccleſia, & ſunt de conſilio Sūmi Pont. & habent plurima priuilegia ſibi conceſſa, quibus vtuntur, ſed non habent vllam iuriſdictionem ordinariam in aliquo Epiſcopatu, niſi ipſis ſint Epiſcopi, vel Archiepiſcopi.

6 Archiepiſcopus quis dicitur?

Reſp. Ille, qui habet Epiſcopos ſufraganeos, & iuriſdictionem in aliquibus caſibus à Iure ſibi conceſſis in vna prouincia. *cap.clerico, §.Ordo deſtin.21.bulla Pij V.in ordine 6.& 8.*

7 Archiepiſcopatus, quod beneficiū eſt de ſua natura?

Reſp. Eſt beneficium ſimplex, licet habeat iuriſdictionem, niſi aliūde ratione alicuius Epiſcopatus annexi, iniuſta ſit illi cura animarum, & reſidentia, & ſemper Archiepiſcopi habent vnitū ſibi Epiſcopatum, in quo habent iuriſdictionem ordinariam.

8 Archiepiſcopus, quare vocatur Metropolitanus?

℞. Quia habet Metropolim ſub ſua iuriſdictione in caſibus

caſibus à Iure expreſſis, ex ratione ſui Epiſcopatus habet iuriſdictionem ordinariam in ſua diœceſi. *cap. clericos ſupra alleg.*

9 Archiepiſcopus Metropolitanus tenentur ad reſidentiam perſonalem in ſua diœceſi, an verò poteſt etiam reſidere in diœceſi alicuius ſuffraganei?

Reſp. Tenentur ad reſidentiam in ſua propria diœceſi ſicut alij epiſcopi, quia ibi habet proprias oues, & non poterit reſidere in epiſcopatu ſuorum ſuffraganeorum, niſi in aliquibus cauſibus, quando perſonaliter accedit ad faciendum ſuum officium. *Trid. ſyn.ſeſs.*23.*c.*1.

10 Archiepiſcopus tenetur viſitare propriam diœceſim?

Reſp. Tenetur per ſe ipſum, & ſi legitimè impeditus fuerit per ſuum Viſitatorem, ſicuti alij epiſcopi. *Trid. ſyn.ſeſs.*24.*c.*3.

11 Archiepiſcopus quando tenetur viſitare diæceſim & Eccleſiā Cathedralē alicuius Epiſcopi ſuffraganei

Reſp. Solùm quando vrget aliqua cauſa, quæ debet eſſe approbata in concilio Prouinciali, vel quādo habet ſpecialem commiſſionem Summi Pontifi. & non aliter, quia quilibet Epiſcopus de Iure ſingulis annis debet viſitare ſuas oues. *Trid.ſyn.ſeſs.*24.*c.*3.

12 Archiepiſcopus Metropolitanus quam iuriſdictionē habet ſupra Epiſcopos ſibi ſuffraganeos, & quod officium debet facere?

Reſp. Primò poteſt admittere appellationes à ſētētia diffinitiua, vel a grauamine habente vim diffinitiuæ, quæ ante illum veniunt ab Epiſcopis ſibi ſuffraganeis, cum latè diximus *lib.*8.*c.* de appellationibus. Secundò debet dare pœnam Epiſcopo abſenti à ſua diœceſi vltra tres menſes, vt dicitur in Concilio. *Trid.ſeſs.*6.*c.*1. Tertio debet conſecrare ſuos ſuffraganeos. Quartò tenetur conuocare concilium Prouinciale quolibet triennio. *Trid.ſyn.ſeſs.*24.*c.*2.

13 Archiepiſcopus Metropolitanus poterit ne abſoluere ſuffraganeos ſuos, & ſubditos eorum à quibuſcunque delictis occultis, & irregularitatibus virtute, & commiſſione ſibi tradita à *Concilio Trident.ſeſſion.* 24.*cap.*6.

Reſp. Solum poterit abſoluere Epiſcopos ſuffraganeos, ſed non ſubditos eorum ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticos, quia ipſi habent proprium epiſcopum, cui data eſt in ſpeciali hæc commiſſio. *tenet Abb. in c. paſtoralis eod. tit.*

14 Metropolitanus in prima inſtantia poteſt cognoſcere cauſas, quæ pēdet ante epiſcopos ſuffraganeos?

Reſp. Non niſi cauſam ſententiatam diffinitiuè, vel illato grauamine, quod per diffinitiuam reparari nō poteſt. *Trid.ſyn.ſeſs.*13.*cap.*1.

15 Metropolitanus poterit abſoluere appellantem ab excommunicatione lata ab Epiſcopo ſuffraganeos?

Reſp. Non, niſi prius viſis actis, quia in eis fundatur eius iuriſdictio. *Trid.ſyn.ſeſs.* 13.*c.*3 *de reform.*

16 Metropolitanus in cauſa correctionis, vel viſitationis pōt admittere appellātē ab epiſc. ſuffraganeo?

Reſp. Non, neq; debet videre acta ante diffinitiuam ſententiam, etiam ſi appellans ſoluat expenſas, quia hoc eſt impediri viſitationem, & talis appellatio ſolum habet effectum deuolutiuum non ſuſpenſiuum. *Trid. ſyn.ſeſſ.*13.*c.*1 *de reform.*

17 Metropolitanus poterit cognoſcere in ſecunda inſtantia de cauſis, quas epiſcopus ſuffraganeus ſententiauit, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus?

Reſp. Si iuriſdictio delegata cumulatur cum ordinaria, verbi gratia, epiſcopus de Iure communi per textum c. ad ad audientiam de Eccleſijs edificandis poterat diuidere Parochias, ſimiliter ex facultate ſibi tradita à *Conc.Trid.ſeſs.*21.*c.*4. poteſt nunc diuidere eas tanquam delegatus, de hac cauſa in ſecunda inſtantia Archiepiſcopus cognoſcere poterit. Si verò delegatio, quam Papa commiſit tali epiſcopo, mera ſit, & particularis, & non mixta, tunc Archiepiſcopus non poteſt cognoſcere in ſecunda inſtantia de hac cauſa, ſed ad Summum Pont. eſt appellandum, a quo emanabit talis commiſſio, & iuriſdictio DD. ſuper *c.*4.*ſeſs.*21.*Conc.Trid.*

18 Si contigerit committi à ſede Apoſtolica Metropolitano aliquam cauſam, & talis ſit mortuus, vel ſuſpectus, poterit Nuntius Apoſtolicus committere iſtam cauſam ſuo auditori?

Reſp. Non, ſed eam debet remmittere ad Summum Pont. à quo emanabit commiſſio, niſi hæc facultas expreſsè contineatur in ſua procura; ſic declarauerūt DD. in *c.*3.*ſeſs.*13.*Conc.Trid.*

19 Nuntij Apoſtolici poſſunt committere appellationes interpoſitas à ſententijs Epiſcoporum ſuis auditoribus, vel alijs iudicibus?

Reſp. Non ſed eam remittere debent ad Metropolitanos, ſi aliter fecerint, ſententiæ latæ à ſuis auditoribus erūt nullæ, niſi Nuntius habeat ad hoc ſpeciale priuilegium Summi Pont. *DD. in cap.*1.*&* 2. *ſeſſion.* 13.*Conc.Trid.*

20 Si Iudex primæ inſtantiæ in cauſa criminali, vel ciuili recuſaret dare acta parti appellāti, vt ſe præſentet, Metropolitanus quis debet agere?

Reſp. Conſtituto, quòd Iudex fuit requiſitus cum compulſoria, quòd noluit dare acta, vel conſtituto, ꝙ acta non comparent, poterit abſoluere appellāte, & pronuntiare ſententiam Iudicis nullam, & punire Notarium, apud quem acta eſſe debent, ne partes moleſtationibus grauentur, quia appellatio eſt defenſio de Iure diuino, & nemini auferenda eſt in caſibus, in quibus quiſquis iuſtè, & de Iure appellare poteſt. *Trid.ſyn.ſeſs.*13.*c.*3.

21 Metropolitanus poteſt viſitare per ſe ipſū Eccleſias, & capitula exempta, vel non exempta, quę ſunt in diæceſi ſuorum ſuffraganeorum?

Reſp. Non poteſt, niſi cauſa cognita in Concil. Prouinciali, & expreſsè commiſſa Metropolitano. *Trid. ſyn.ſeſs.*24.*c.*3.

22 Metropolitanus, quæ monaſteria poteſt viſitare, & reducere in obedientiam, & congregationē, & ſub poteſtate Prouincialis?

Reſp. Illa monaſteria, quæ adhuc non ſunt ſub aliqua congregatione, & ſita ſunt in ſua prouincia Metropolitana, & non habent Prouinciales, neque Viſitatores, quòd ſi admoniti fratres noluerint ſe reducere in aliquam congregationem approbatam, tunc dicti fratres manet ſubiecti epiſcopo illius diæceſis, in qua monaſteria ſita ſunt, qui eos poterit guberna re, corrigere, & caſtigare, tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, ſicut poteſt corrigere ſuos Clericos ordinarios. *Trid.ſyn.ſeſs.*25.*c.*8.

23 Quis debet denuntiare Summo Pontif. epiſcopos non reſidentes?

Reſp. Metropolitanus, & ſi ipſe non fecerit reſidentiā, epiſcopus antiquior debet eū denuntiare Summo Pont. vt ſic Eccleſia Dei nullum patiatur detrimentum.

tum. *Trident. ſynod. ſeſ. 6. c. 1.*

24 Epiſcopi Prouinciales tenentur aliquando accedere ad præſtandam reuerentiam Metropolitano?
Reſp. Licèt eū debeant in omnibus honorare, quia eſt caput illius Prouinciæ, tamen inuiti, etiam ſi ſint vocati à Metropolitano, non tenentur accedere ad præſtandam reuerentiam Metropolitano de nouo intranti non obſtante quacumq; cōſuetudine, ſolum tenentur accedere ad conciliū Prouinciale legitimè à Metropolitano congregatum. *Trid. ſyn. c. 2. ſeſſ. 24.*

25 Metropolitanus tenetur ne conſecrare Epiſcopos ſuos ſuffraganeos, & quibus cæremonijs?
Reſp. Tenetur conſecrare ſuos ſuffraganeos, & in conſecratione ſuffraganeorum vti debet baculo *gl. fi. in c. vnico de ſacra vnctione*, niſi fortè conſecratio alicuius Epiſcopi in particulari alteri Epiſcopo commiſſa ſit, cum ſolet fieri propter diſtātiam locorum, & maiorem commoditatem Epiſcopi, qui conſecrari debet.

26 Quando aliquis Epiſcopus eſt abſens à ſua diœceſi propter publicam vtilitatem, quis debet examinare, & approbare cauſas abſentiæ, & eas notas facere Summo Pontifici?
Reſp. Metropolitanus, & ſi Metropolitanus fuerit abſens, Epiſcopus antiquior debet facere hoc officium. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1.*

27 Quis debet monere, & corrigere Epiſcopos negligentes in erectione, ædificatione, vel conſeruatione ſeminarij?
Reſp. Metropolitanus, & ſi Metropolitanus in hoc negligens fuerit, Epiſcopus antiquior debet facere hoc officium. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18.*

28 Quis debet eligere Vicarium, & œconomos in Eccleſia Epiſcoporum ſede vacante, ſi capitulum negligens fuerit?
Reſp. Metropolitanus, & in Eccleſia Metropolitani Epiſcopus antiquior debet facere hoc officium, ſi Capitulum intra nouem dies à morte Epiſcopi non elegerit Vicarium idoneum, vel elegerit contra formam traditam à Concilio Trident. *ſynod. ſeſſion. 24. cap. 6.*

29 Quis debet eligere doctorem Theologiæ in Eccleſia Metropolitana?
Reſp. Metropolitanus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1.*

30 Antiquitas Epiſcoporum ad ſupplendas vices Metropolitani ſumitur ab antiquitate Eccleſiæ, vel ab antiquitate perſonæ, vel ab ætate Epiſcopi?
Reſp. Non ſumitur niſi ab antiquitate conſecrationis; ratio eſt, quia conſecratio eſt maior dignitas, & ſic iuſtè ab ea ſumitur antiquitas.

CAPVT X.

De authoritate, & vſu Pallij.

1 QVid eſt pallium?
Reſp. Eſt quædam veſtis candida ex lana contexta benedicta à Summo Pontific. & ponitur ſupra omnes veſtes Archiepiſcopales in ſignum plenitudinis Archiepiſcopalis, & Pontificalis officij, & habet extrema nigra, & quatuor cruces nigras, & illo poſito debet Archiepiſcopus ſepeliri. *c. niſi ſpecialis de authoritate, & vſu pallij.*

2 Quis concedit pallium?
Reſp. De Iure antiquo Patriarchæ illud concedebant Epiſcopis ſibi ſubditis, vt habetur in *c. antiquo de priuilegijs; hodie verò ſolus Summus Pont. illud concedit c. 1. de authoritate, & vſu pallij.*

3 Quibus datur pallium?
Reſp. Solis Archiepiſcopis, ſed ex authoritate ſummi Pont. raro conceditur alicui epiſcopo, vt habetur in *c. 1. de authoritate, & vſu pallij.*

4 Quando debet peti pallium?
Reſp. Intra tres menſes à die conſecrationis, & debet peti humiliter, & inſtanter à ſede Apoſtolica. *Abb. in c. ad honorem eod. tit.*

5 Quis debet ponere pallium in humeris Archiepiſcopi, & quæ ceremoniæ fiunt?
Reſp. Si Archiepiſcopus ſit in Curia Romana ſummus Pontif. ſuis manibus illud ponit in humeris Archiepiſcopi; ſi verò Archiepiſcopus ſit extra Curiam aliquis epiſcopus, vel Prælatus cum ſpeciali mandato, & commiſſione Summi Pont. illud poni in humeris Archiepiſcopi in Miſſa ſolemni præcedente iuramento, & alijs plurimis ſolemnitatibus, quæ ſunt in cæremoniali Romano. c. niſi ſpecialis de authoritate, & vſu pallij.

6 Quæ eſt forma pallij.
Reſp. Eſt collare candidi coloris ex lana confectum, & ponitur Archiepiſcopo poſt omnes ſacras veſtes ſupra humeros, & habet duo pendentia, & quatuor cruces nigras, prima ſupra pectus, ſecūda ſupra brachium ſiniſtrum, tertia retro, quarta ſupra humerū dextrum, quæ ſignificant gaudium, dolorem, ſpem, & timorem, quem debet habere Archiepiſcopus palliatus. *Io. Andr. c. 1. de authoritate, & vſu pallij.*

7 Quid confertur per pallium?
Reſp. Confertur nomen Archiepiſcopale, & plenitudo Pontificalis officij. *c. niſi ſpecialis, eod. tit.*

8 Quam poteſtatem habet Archiepiſcopus ante ſuſceptionem pallij, & quas res poteſt agere?
Reſp. Solum poteſt exercere illos actus, qui ſunt iuriſdictionis, vt ſententiare, excommunicare, abſoluere, adminiſtrare bona ſuæ menſæ, conferre beneficia, & his ſimilia. cap. niſi ſpecialis de authoritate, & vſu pallij, & Abbas ibi, & in cap. ſuffraganeus de electione.

9 Quas res non poteſt facere Archiepiſcopus ante ſuſceptionem pallij?
Reſp. Licèt Archiepiſcopus ſit confirmatus, conſecratus, & habeat expeditas bullas, & ſciat certò in Romana Curia ſibi cōceſſum eſſe pallium à Romano Pont. non poterit ante realem ſuſceptionem pallij, portare Crucem, neque per ſe celebrare ordines, neque aliqua Pontificalia exercere, quia nondum habet plenitudinem poteſtatis. *c. niſi ſpecialis, eod. tit.*

10 Archiepiſcopus ante ſuſceptionem pallij poterit dare licentiam alicui epiſcopo, vt celebret ordines in ſuo Archiepiſcopatu?
Reſp. Poterit, quia hoc eſt exercere iuriſdictionem, ſed non facere Pontificalia.

11 Si Archiepiſcopus transfertur ad alium Archiepiſcopatum, debet ne petere nouum pallium?
Reſp. Debet, quia in ſecundo Archiepiſcopatu non poteſt vti primo pallio, ſolùm quando mortuus ſepelitur duplici pallio, poſito ſecundo ſupra primo.

Abb.in c. 2.eod.tit num.vltimo.

12 Si Archiepiſcopus fit Epiſcopus, poteſt ne vti pallio?

Reſp. Negatiuè, quia eſt ſignum ſolum Archiepiſcopo debitum, ſed in eius ſepultura ponitur pallium ſuper caput eius cum ſua caſula, ceremoniale Romanum.

13 In quo loco Archiepiſcopus poteſt vti pallio?

Reſp. Solum in Eccleſijs ſuæ Diœceſis, & in Eccleſijs ſuorum ſuffraganeorum in Miſſis ſolemnibus. *c. 1. de authoritate, & vſu pallij.*

14 Si Archiepiſcopus exierit extra ſuam Eccleſiam Pontificali apparatu nitens, poterit ne per vias vti pallio?

Rep. Negatiuè, ſed in porta relinquere illud, ob magnam reuerentiam illius veſtimenti.

15 Archiepiſcopus poterit ne aliquando celebrare ſolemniter ſine pallio?

Reſp. Poterit; imò ſunt dies ſtatuti, in quibus debet vti pallio. *c. vltimo de authoritate, & vſu pallij.*

16 Cum Archiepiſcopus celebrat pro defunctis in ſua Eccleſia, vel extra, debet ne vti pallio?

Reſp. Non debet, niſi ex ſpeciali priuilegio, *tenet Abb. in c. quia nos, eod. tit.*

17 Si Archiepiſcopus extra ſuam Diœceſim celebret Pontificali ornatu, cum qua authoritate poterit vti pallio.

Reſp. Poterit vti pallio cum licentia Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, in cuius Diœceſi celebrat; ratio eſt, quia pallium ſignificat plenitudinem poteſtatis, & iuriſdictionis, quam ipſe non habet in illa Diœceſi. *Abb. in c. cum ſis eodem tit.*

18 Poterit ne vnus Archiepiſcopus accommodare ſuum pallium alteri Archiepiſcopo?

Reſp. Non poteſt, quia eſt veſtis indiuidualiter data tali Archiepiſcopo in tali Archiepiſcopatu. c. ad hoc de authoritate, & vſu pallij.

19 Si pallium caſu accidentali perdatur, vel crematur, poterit ne Archiepiſcopus ſibi facere aliud pallium ſimile, & vti illo?

Reſp. Negatiuè, ſed debet petere à Summo Pontifice aliud: ratio eſt, quia benedictio pallij ſoli Papæ eſt reſeruata.

20 Summus Pontifex vtitur ne pallio?

Reſp. Vtitur ſemper, & vbique. c. honorem de authoritate, & vſu pallij.

21 Summus Pontifex vtitur ne baculo?

Reſp. Summus Pont. numquam vtitur baculo *gloſ. fin. in c. 1. de ſacra vnctione.*

22 Baculum quid ſignificat?

Reſp. Coercendi facultatem, qua debent Epiſcopi ſuos ſubditos coercere, ſicut paſtor oues ſuas, *glo. fin. de ſacra vnctione.*

23 Quare Summus Pontifex non vtitur baculo, cum ſit Epiſcopus Epiſcoporum?

Reſp. Propter miſticam rationem, quia cum Summus Pontif. habeat à Chriſto immediatè authoritatem coercendi in baculo ſignificatam, & ipſe det illum Epiſcopis, ideò non vtitur baculo, quaſi ſignificet habere illam præeminentiam à nullo homine ſibi datam, *gl. fin. in c. vnico de ſacra vnctione.*

CAPVT XI.

De Translatione Epiſcopi, vel electi.

1 QVid eſt tranſlatio?

Reſp. De ſede in ſedem commutatio, *cap. mutationes. 7. quæſt. 1. Goffred. in ſumma titulo de tranſlationibus.*

2 Quare in titulo ponitur de tranſlatione Epiſcopi, vel electi?

Reſp. Quia electus, & confirmatus in multis æquiparatur Epiſcopo conſecrato, & præcipuè, quia eadē pœna poſita eſt, ſi ſua authoritate ſe transferat ex vna Eccleſia in aliam *c. licet eod. tit.*

3 Quis habet poteſtatem transferendi, & confirmandi Archiepiſcopos, & Epiſcopos?

Reſp. Solum Summus Pontif. quia eſt de maioribus Eccleſiæ negotijs. *c. 1. eod. tit.*

4 Archiepiſcopus poteſt ne transferri in Eccleſiam Epiſcopalem?

℞. Poteſt cum licentia Sūmi Pont. & diſpenſatione, quia eſt deſcenſus de maiori, & altiori dignitate ad minorem *c. 1. & 2. de translatione Epiſcopi, vel electi.*

5 Quæ ſunt cauſæ, propter quas poteſt Epiſcopus transferri ex vna Eccleſia ad aliam?

Reſp. Primò propter maiorem vtilitatem Eccleſiæ, cum quis eſt magis neceſſarius in vna, quàm in altera. Secundò propter maiorem dignitatem, vt detur maius præmium alicui perſonæ de Eccleſia magis benemerenti, vel quia bona ſua conſumpſit in ſeruitio Principis, & in bonum cōmune, & factus eſt pauper ex hac occaſione, vt ſatisfaciat ſuis debitoribus. *Abbas in cap. licet eodem tit. num. 3.*

6 Quare ſolus Papa poterit transferre Epiſcopos ex vna Eccleſia in aliam, & in hoc diſpenſare?

Reſp. Quia Epiſcopus habet coniugium ſpirituale cum ſua Eccleſia tamquam cum vera ſponſa, eſtque illi matrimonialiter ligatus, ideò ſolus Papa poteſt diſſoluere hoc coniugium ſpirituale, *cap. 2. de tranſlatione Epiſcopi. Abbas ibi cap. honor in gloſ. de poſtulatione. Prælatorum.*

7 Quod eſt fortius vinculum, matrimonium ſpirituale vel carnale?

Reſp. Diſtinguendo, quoad vinculum præciſè carnale eſt maius vinculum, quia non ſoluitur niſi morte vnius, at verò quoad effectum, ſpirituale matrimonium eſt maius, quia in eo imprimitur character indelebilis; vnde ſi Epiſcopus reſuſcitaret ſine noua conſecratione eſſet Epiſcopus. *gloſſa in verbo fortius. cap. 2. eodem tit. & Abbas ibi num. 31.*

8 Canonici, vel clerici habent ne vinculum matrimoniale, cum ſua Eccleſia, ſicut Epiſcopus?

Reſp. Negatiuè, quia licèt ſint adſcripti tali Eccleſiæ, non ſunt matrimonialiter alligati, & ideo liberè poſſunt eligi in epiſcopos; ratio eſt, quia eccleſia non habet duos ſponſos, ſed vnum. *capit. finali de poſtulatione Prælatorum. capit. ſi Abbatem de electione in 6.*

9 Papa

9 Papa poteſt ne transferre Epiſcopum inuitum ex vna Eccleſia in aliam?
Reſp. Cauſa ceſſante faciendo iuſtitiam non poteſt, quia in diſſolutione vinculi requiritur conſenſus partis. *Abb. in cap. fin. de confirmatione vtili, vel inutili numero* 13.

10 Quibus modis ſoluitur vinculũ ſpirituale, quod Epiſcopus habet cum ſua Eccleſia?
Reſp. Tribus modis traslatione, renunciatione, depoſitione, ſemper tamen debet fieri cum authoritate Papæ, *Abb. c. 2. eodem tit. num.* 31.

11 In quo aſſimilantur matrimonium carnale, & ſpirituale?
Reſp. In eo, quòd de vtroque verificatur præceptũ Dei, quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Abbas c. licet eod. tit. num.* 2.

12 In quo differunt coniugium ſpirituale, quod contrahitur inter electum, & ſuam Eccleſiam, & coniugium carnale, quod contrahitur inter virum, & vxorem?
Reſp. In eo, quòd cõiugium inter virum, & vxorem eſt vnum ex ſeptem ſacramentis Eccleſiæ; coniugiũ verò ſpirituale non eſt ex ſeptem ſacramentis, ſed ſolum quoddam fortiſſimum vinculum ſpirituale.

13 Quam pœnam incurrit Epiſcopus, qui ſua authoritate ſe transfert ex vna Eccleſia ad aliam?
Reſp. Vtraque priuatur à Papa, quia iuſtè punitur quis in eo, in quo peccauit, *c. quanto, c. licet de translatione Epiſcopi.*

14 Electus, & confirmatus, ſed nondum conſecratus poterit ne beneficia conferre?
Reſp. Poterit, & facere omnes actus iuriſdictionales præter ordines. *Abb. cap. 1. de traslatione Epiſcopi, nu.* 10. *&* 11.

15 Electus, & confirmatus ante conſecrationem poterit ne dare licentiam alteri Epiſcopo, vt in ſua diœceſi conferat ordines, & faciat pontificalia?
Reſp. Poterit: ratio eſt, quia iſta ſunt iuriſdictionalia, & poteſtas datur illi confirmatione. *Abb. in cap. 1. eod. tit. num.* 10. *&* 11.

16 Quare Epiſcopus ante conſecrationem poteſt committere alteri, quod ipſe non poteſt facere?
Reſp. Quia committere ordinationem eſt actus iuriſdictionis, quæ iuriſdictio data eſt Epiſcopo in confirmatione; & ſicut capitulum in ſede vacante poteſt dare licentiam alicui Epiſcopo, vt exerceat ordines maiores, & minores, melius poterit id facere Epiſcopus confirmatus. *Abb. cap. 1. eod. tit. num.* 11.

CAPVT XII.

De familia Epiſcopi.

1 Familiares Epiſcopi quales debent eſſe?
Reſp. Non debent eſſe rixoſi, vinoſi, impudici, elati, blaſphemi, iuratores, neque amatores voluptatum, ſed debent eſſe modeſti, quieti, obedientes, vitia fugientes, virtutes amplectẽtes, ita, vt in veſtitu, cultu, & in omnibus actibus honeſtatem præſeferant, & in omnibus actionibus, alijs dent exemplum virtutis & humilitatis ſicut decet Miniſtros myſteriorum Dei. *Trid. ſyn. ſeſ. 2. decreto de modo viuendi in Concilio, & ſeſ. 25. cap. 1.*

2 Familia Epiſcopi gaudet ne priuilegio fori?
Reſp. Gaudet ſicut cæteri clerici, quia priuilegium extenditur non ſolum ad clericos, ſed etiam ad omnes miniſtros neceſſarios ad ſeruitium Epiſcopi; & ad exercendam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, *tenet Abb. in c. fin. de officio Archidiaconi, Archidiaconus in c. 2. de foro competenti.*

3 Epiſcopus poteſt habere familiam armatam, & miniſtros Iuſtitiæ?
Reſp. Poteſt habere Alarios, prætores Miniſtros cũ virgis, & officiales curſores, & ſeruientes ad adminiſtrationem Iuſtitiæ, ſicut Iudices ſæculares habent, ratio eſt, quia iuriſdictio Eccleſiaſtica non eſt minus neceſſaria, quàm iuriſdictio ſæcularis, imò magis vtilis, & neceſſaria ad animarum ſalutem; imò & ad pacem regum ſæcularium, & ad conſeruandos ſubditos in obedientia, & ſic iuriſdictio Eccleſiaſtica debet habere omnes miniſtros neceſſarios ad eam perfectè exercendam de conſuetudine vniuerſali eccleſiæ, *Bald. in l. nam ſalutem. §. finali, C. de præfectis vigilum. Decius c. ſignificaſti, de officio delegati. licet Felyn. teneat contrarium in cap. ſignificas dicto cum alijs.*

4 Epiſcopus, vel eius Vicarius, quem numerum poteſt eligere alariorum, officialium, & miniſtrorum ad adminiſtrationem iuſtitiæ Eccleſiaſticæ.
Reſp. Numerum competentem, & ſufficientem ad adminiſtrandam iuſtitiam, conſiderato numero animarum, ciuitate, loco, & magnitudine negotiorum, ita tamen, quòd miniſtri nominati ſint ad neceſſitatem negotiorum, & non ad exemptionem à iuriſdictione Iudicis ſæcularis, quia hoc eſſet defraudare Iudices ſæculares à iuriſdictione ſuorum ſubditorum.

5 Si fuerit controuerſia, vel querela inter Iudicem ſæcularem, vel Eccleſiaſticum propter multitudinem miniſtrorum, qui debet determinare numerum certum?
Reſp. Iudex Eccleſiaſticus ſuperior, nam Iudex laicus, etiam ſi ſit Prorex, non poteſt cognoſcere cauſam Eccleſiaſticam Epiſcopi, vel Vicarij, alias incidit in excommunicationem latam à iure, benè tamen poteſt obſecrando, vt talis numerus reformetur, repræſentando damna, & incommoda.

6 Iſti officiales laici, alarij, vel miniſtri iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, gaudent ne priuilegio fori in ciuilibus, & criminalibus, ſicut familiares Epiſcopi, qui ſeruiunt circa ſuam perſonam?
Reſp. In hoc articulo conſuetudo ciuitatis, vel Prouinciæ maximè eſt attendenda, & ſi eſt aliquod priuilegium Summi Pont. illud eſt obſeruandum, ſed credo, quòd vniuerſaliter tales miniſtri, & officiales in ciuilibus, & criminalibus debeant iudicari à iudicibus Eccleſiaſticis, quibus inſeruiunt, & debeant remitti à iudicibus ſæcularibus, niſi in caſibus atrocioribus, vt ſi talis miniſter fuiſſet granis aſſaſſinus viarum, vt famoſus latro, & in alijs delictis eiuſdem qualitatis, in quibus, neque Eccleſia illi ſuffragatur.

7 Iſti Alarij, & Miniſtri quales qualitates debent habere?
℞. Debent eſſe periti, quieti, & pacifici, qui nõ abutantur officio, & libertate Eccleſiaſtica, neq; illam

accipiant ad detegenda ſua delicta.

8 Tales alarij,& miniſtri poſſunt ferre arma abſque licentia Iudicis ſæcularis?

Reſp. Poſſunt ferre arma offenſiua, & defenſiua, & omnia neceſſaria ad adminiſtrandam iuſtitiam ſola licentia Iudicis Eccleſiaſtici, *vt tenent Doctores in cap. nullus iudicum de foro competenti.*

9 Si Iudex ſæcularis inijciat manus violētas in iſtos miniſtros, & alarios, incidit ne in excommunicationem canonis, ſi quis ſuadente diabolo?

Reſp. Negatiuè, neque in vllam excommunicationem, quia iſti ſunt ſæculares, & habent priuilegium, vel conſuetudinem limitatam,& cum ſit lex pęnalis, extendi non debet ad caſus in ea non contentos, vt dicunt *DD. in dicto cap. ſi quis ſuadente diabolo de pænis.*

10 Iſti alarij,vel ſeruientes, debēt ne gaudere exemptione gabellarum,ſicut clerici, ſaltem pro illo tempore, in quo ſeruiunt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ?

Reſp. In hoc articulo conſuetudo ciuitatis, vel Prouinciæ eſt ſeruanda,quia in toto iure, hoc non eſt diſpoſitum, vt tales miniſtri emant abſque ſolutione gabellæ, ſicut emunt clerici.

11 Serui Eccleſiarum,Epiſcoporum,& Clericorum, debent ne fatigari anguſtijs, impoſitionibus, vel ſolutionibus à Iudice ſęculari, ſicut ſęculares?

Reſp. Cum diſtinctione; ſi tales ſerui ſint mancipia, quę ab Eccleſijs,vel Epiſcopo vendi poſſunt, non debent fatigari nouis anguſtijs,aut ſolutionibus; ſi verò talis ſerui ſint famuli liberi,qui mercede annuali,vel ſtipendio per menſes ſeruiunt Eccleſię, vel Epiſcopis,poſſunt fatigari ſolutionibus, & anguſtijs, ſicut cæteri ſæculares; ratio eſt,quia textus in *cap. Eccleſiarum ſeruos, 12. q. 2. expreſsè loquitur de mancipijs, & non de famulis, vt in gloſſa patet, verbo, clericorum mancipio.*

12 Quę famuli non gaudent dicto priuilegio, & mancipia clericorum gaudent, cum famuli ſint melioris conditionis?

Reſp. Quia bona clericorum, & Eccleſiarum, ſicut prędium, & agrum, & bona mobilia gaudent dicto priuilegio,& mancipium eſt vnum ex his bonis; nam poteſt à clerico,& ab Eccleſijs vendi, & pretium poteſt clericus in alios ſuos vſus conuertere.

13 Clerici minores,qui ſeruiūt Eccleſijs,& altaribus, ſunt ne exempti à iuriſdictione ſæculari?

Reſp. Affirmatiuè; ratio eſt, quia ſunt adſcripti ad ſeruitium alicuius Eccleſię,& de his clericis expreſsè loquitur textus in *c. nullus iudicum, de foro competen. vt latè dixi in titulo de foro compet. & in c. de priuilegio fori.*

14 Famulus Epiſcopi poterit titulo familiaritatis ordinari ab ipſo Epiſcopo?

Reſp. De hoc latè dixi *lib. 1. c. 12. de ſacramento ordinis.*

15 Epiſcopus poteſt accipere aliquid pro collatione beneficij,vel pro titulo ordinum, ratione ſigilli, vel laboris?

Reſp. Nihil,etiam ſi ſit conſuetudo,quia quod gratis accepiſtis,gratis date. *Trid. ſynod. ſeſſ. 21. cap. 1. de reform.*

16 Secretarius,vel Notarius Epiſcopi, quam mercedem debet habere pro titulo collationis capellaniæ, vel beneficij curati, vel ſimplicis?

Reſp. Pro ſcriptura,& ſigillo non poteſt excedere vnum aurum. *Trid. ſynod. ſeſſ. 21. cap. 1.*

17 Secretarius Epiſcopi pro collatione ordinum,vel litteris dimiſſorialibus, aut teſtimonialibus, quam mercedem poteſt exigere?

Reſp. Decimam partem auri, & non poteſt eam excedere, etiam ſi ſpontè offeratur ab ordinato, & hoc dummodo nullum habeat ſalarium ſufficiens pro ſuo munere, quia ſi habeat ſalarium, gratis debet dari titulos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. primo, de reformatione.*

18 Quando Concilium *Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. de reformatione dicit,* quòd acta ſint danda appellanti intra triginta dies gratis,loquitur ne cū Secretario Epiſcopi,vel cum Notario publico,qui aſſiſtit ad lites?

Reſp. Loquitur cum Notario,qui aſſiſtit in foro,& Tribunali, cui ſoluenda eſt merces, ſi acta tranſumpſit iuxta cōſtitutiones dicti Tribunalis; ſi verò acta dat originalia, vt videantur à Iudice appellationis, tunc gratis debet dare, quia nullum ponit laborem, & ſic intelligendus eſt textus *Concil. Trident. ſupra citato.*

CAPVT XIII.

De Vicario, Aſſeſſore, & Fiſco Epiſcopi.

1 EPiſcopus poteſt habere Vicarium generalem, qui adminiſtret iuſtitiam, & eius vices ſuppleat?

Reſp. Poteſt, ſi vult, & eum amouere, & reuocare quotieſcumque voluerit abſque eo, quòd teneatur reddere rationem,cur illum reuocet, & ponat alterum; ratio eſt,quia nominatio Vicarij eſt actus liberæ voluntatis,de quo nemo cogitur reddere rationē. *tenet Nauar. c. vnico, de officio Vicarij.*

2 Vicarius Epiſcopi, quas qualitates debet habere?

Reſp. Debet eſſe Clericus, & non coniugatus, neq; excommunicatus, nec ſuſpenſus, peritus in Iure Canonico,graduatus, ſi fieri poſſit, & debet habere ſecum mandatum in ſcriptis, vir bonæ vitæ, & famæ, magnæ authoritatis, & iudicij, quia debet repræſentare perſonam Epiſcopi, & melius erit, vt ſit Sacerdos, vel in ordine ſacro, quia debet imperare ſacerdotibus. *c. cum in cunctis, §. inferiora, de electione, Abbas c. ſanè num. 1. 2. 3. & 4. de clerico coniugato, Nauar. in manuali cap. 25. num. 12. Rebuffus in praxi, titulo de Vicarijs.*

3 Sufficit ne,vt Vicarius habeat primam tonſuram, vt clericus dicatur?

Reſp. De Iure ſufficit prima tonſura,vt clericus dicatur,quia omnia requiſita ſupra poſita,ſunt ad melius eſſe ſed per bullam Clementis VIII. cautum eſt, vt neceſſariò Vicarius ſit ordinatus in ſacris ordinibus, motus plurimis rationibus.

4 Vicarius Epiſcopi,quam ętatem debet attingere?

℞. De Iure vigeſimum quintum, *c. cum in cunctis, §. inferiore de electione*, ſed ſi habeat minorem ætatem, non ideò acta per illum erunt irrita, quia ille

text.

text. loquitur de conſilio, conſiderans maturitatem, quam Vicarius debet habere, & aliquando prudentia, ingenium, & ſcientia ſupplent ætatem.

5 Epiſcopus poteſt habere Vicarium foraneum, & ſi poteſt, quas qualitates debet habere, & quam iuriſdictionem?

Reſp. Poteſt, & ſi fieri poſſit, habeat qualitates Vicarij generalis, & habeat iuriſdictionem limitatam, & delegatam, debet enim ſolum informationes ſumere, incarcerare, & remittere cauſas, & incarceratos ad Vicarium generalem, *gloſſa in clem. c. 2. de verbo foraneo, de reſcriptis.*

6 Mandatum Vicarij generalis, quomodo debet fieri, & quæ forma debet ſeruari, vt in materia iuriſdictionis tam periculoſa omnis dubitatio tollatur?

Reſp. Omnes caſus infra poſiti, qui requirunt ſpeciale mandatum, debent concedi, & exprimi in Scriptura, & ſi Epiſcopus voluerit ſibi reſeruare aliquam iuriſdictionem, debet dicere reſeruo in me ſpecialiter prouiſionem, & collationem beneficiorum, Notarius verò debet ſcribere, quòd conceditur Vicario generali tanta facultas, quantam Epiſcopus habet, in omnibus caſibus, qui de iure, vel conſuetudine requirunt ſpeciale mandatum, *Iacobus Esbroz, de officio Vicarij, lib. 2.*

7 Si Epiſcopus eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, iuriſdictio Vicarij, eſt ne ſuſpenſa?

Reſp. Affirmatiuè, quia pendet à iuriſdictione Epiſcopi, & agit omnia, vt inſtrumentum, non vt cauſa principalis, ſed ſi Epiſcopus ſuſpẽſus ſit in vno actu, in illo erit ſuſpenſus Vicarius, in reliquis, neque Epiſcopus, neque Vicarius. *c. 1. de officio Vicarij lib. 6. & ibi gloſſa, & Anchar.*

8 Vicarius, qui habet generale mandatum, quid poteſt facere?

Reſp. Poteſt exercere iuriſdictionem ciuilem, & criminalem, & exercere vices Epiſcopi in omnibus, in quibus de Iure non requiritur habere ſpeciale mandatum.

9 Vicarius generalis in abſentia Epiſcopi poteſt concedere licentiam alicui Epiſcopo, vt exerceat Pontificalia, & faciat ordinationes?

Reſp. Non poteſt, niſi adhoc habeat ſpeciale mandatum. *gloſ. in c. cum nullus, de tempor. ordinand. in 6.*

10 Vicarius Epiſcopi poteſt conferre beneficia, inſtituere, & præſentare, vel recipere reſignationes beneficiorum cum mandato generali?

Reſp. Negatiuè, imò requiritur ſpeciale mãdatum, *c. ſi. de officio Vicarij, lib. 6. Rebuffus in praxi beneficiali, num. 49.*

11 Vicarius poteſt vnire beneficia, vel interponere authoritatem permutantibus?

Reſp. Non poteſt ſine ſpeciali mandato. *Rebuff. in praxi beneficiali num. 102.*

12 Vicarius poteſt viſitare ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Negatiuè, quia viſitatio propriè eſt Epiſcopi munus, *Rebuffus, in praxi beneficiali, num. 100.*

13 Vicarius poteſt congregare ſynodum ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Negatiuè. *c. ſi Epiſcopus, de officio ordinarij. lib. ſexto.*

14 Vicarius poteſt dare dimiſſorias, vel comendatitias litteras ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non poteſt, ſi Epiſcopus ſit præſens, ſi ſit abſens poterit cum generali mãdato. *c. pen. de tempor. ordinand. in 6.*

15 Vicarius poteſt diſpenſare in caſibus, in quibus de Iure Epiſcopus poteſt diſpenſare ſine ſpeciali mãdato?

Reſp. Non poteſt; neque in caſibus, qui à Romano Pontifice Epiſcopo committuntur. *Rebuffus in praxi num. 41.*

16 Vicarius poteſt inquirere delicta, & ea corrigere, & beneficio aliquẽ priuare ſine ſpeciali mãdato?

Reſp. Non. *c. 2. de officio Vicarij lib. 6. Iulius Clarus in praxi criminali, q. 40. §. fin.*

17 Vicarius poteſt confirmare Abbates, Abbatiſſas, vel eas, & moniales benedicere ſine ſpeciali mãdato?

℞. Non. *c. 1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

18 Vicarius poteſt tractare cauſas matrimoniales ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non, quia proprio Epiſcopo ſunt commiſſæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 20. de reform. c. ex litteris, de in integrum reſtitutione.*

19 Vicarius poteſt interponere authoritatem donationi iuris patronatus ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non. *Rebuffus, in praxi, num. 115.*

20 Vicarius poteſt ſubſtituere alium Vicarium generalem ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non. *Capella Tholoſ. dec. 39. q. 37. in addictionibus.*

21 Si Epiſcopus det facultatem ſuo Vicario ſpecialẽ ad abſoluendos caſus reſeruatos, poterit ipſe alium ſubdelegare, abſque eo, quòd hoc ſpecialiter contineatur in mandato?

℞. Affirmatiuè, quia hoc eſt actus iuriſdictionis, nã delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, delegatus dicitur, & ſic poterit hanc facultatem alteri delegare, etiam ſi Vicarius non ſit Sacerdos. *Iaſon in l. à Iudice, C. de iudicijs, Nauar. conſ. 22. de pœnitentijs.*

22 Si Epiſcopus det facultatem Clerico particulari abſoluendi à caſibus reſeruatis, poterit ſimiliter ipſe alteri eam delegare?

Reſp. Non, quia talis clericus non exercet iuriſdictionem, neque facit officium Iudicis, & ſic ius commune illi non fauet.

23 Quæ committuntur à Romano Pont. Epiſcopo, vel è cõtra, poterit Vicarius agere ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Cum diſtinctione, aut committuntur nomine officij, aut nomine perſonæ, ſi nomine perſonæ, non poterit, ſi nomine officij, benè poterit, *ita ſentit Cabarella clementina 2. q. 9. num. 8. de reſcriptis, Decius c. & quoniam, de reſcriptis.*

24 Vicarius Epiſcopi, vel ordinarius pro diſpenſationibus ſibi remiſſis à Curia Romana, quid poteſt accipere?

Reſp. Nihil, etiam ſi ſit conſuetudo in contrarium.

25 Si Vicarius fuerit Canonicus, debet præcedere alios Canonicos in choro, Capitulo, & in actis publicis?

℞. Quamuis variæ ſint opiniones, ſentio tenendum, quod cum aſſiſtit in aliquo actu, vt Canonicus, tunc obſeruet locum Canonici ſecundum eius antiquitatem; at cum aſſiſtit ſine cotta, neque inſignia habet Canonici, vt Vicarius ſubſtitutus Epiſcopi, tunc omnes præcedet; hoc enim magis rationi conſonat, & dignitati, *gloſſa in capit. à collatione, verbo, Prælatis, de appellatione in 6. Geminianus, ibi. num. 6. tractat*

accipiant ad detegenda ſua delicta.

8 Tales alarij, & miniſtri poſſunt ferre arma abſque licentia Iudicis ſæcularis?

Reſp. Poſſunt ferre arma offenſiua, & defenſiua, & omnia neceſſaria ad adminiſtrandam iuſtitiam ſola licentia Iudicis Eccleſiaſtici, *vt tenent Doctores in cap. nullus iudicum de foro competenti*.

9 Si Iudex ſæcularis iniijciat manus violẽtas in iſtos miniſtros, & alarios, incidit ne in excommunicationem canonis, ſi quis ſuadente diabolo?

Reſp. Negatiuè, neque in vllam excommunicationem, quia iſti ſunt ſæculares, & habent priuilegium, vel conſuetudinem limitatam, & cum ſit lex pœnalis, extendi non debet ad caſus in ea non contentos, vt dicunt *DD. in dicto cap. ſi quis ſuadente diabolo de pœnis*.

10 Iſti alarij, vel ſeruientes, debẽt ne gaudere exemptione gabellarum, ſicut clerici, ſaltem pro illo tempore, in quo ſeruiunt iuriſdictioni Eccleſiaſticæ?

Reſp. In hoc articulo conſuetudo ciuitatis, vel Prouinciæ eſt ſeruanda, quia in toto iure, hoc non eſt diſpoſitum, vt tales miniſtri emant abſque ſolutione gabellæ, ſicut emunt clerici.

11 Serui Eccleſiarum, Epiſcoporum, & Clericorum, debent ne fatigari anguſtijs, impoſitionibus, vel ſolutionibus à Iudice ſęculari, ſicut ſęculares?

Reſp. Cum diſtinctione; ſi tales ſerui ſint mancipia, quę ab Eccleſijs, vel Epiſcopo vendi poſſunt, non debent fatigari nouis anguſtijs, aut ſolutionibus; ſi verò talis ſerui ſint famuli liberi, qui mercede annuali, vel ſtipendio per menſes ſeruiunt Eccleſię, vel Epiſcopis, poſſunt fatigari ſolutionibus, & anguſtijs, ſicut cæteri ſæculares; ratio eſt, quia textus in *cap. Eccleſiarum ſeruos, 12. q. 2. expreſsè loquitur de mancipijs, & non de famulis, vt in gloſſa patet, verbo, clericorum mancipio*.

12 Quę famuli non gaudent dicto priuilegio, & mancipia clericorum gaudent, cum famuli ſint melioris conditionis?

Reſp. Quia bona clericorum, & Eccleſiarum, ſicut prędium, & agrum, & bona mobilia gaudent dicto priuilegio, & mancipium eſt vnum ex his bonis; nam poteſt à clerico, & ab Eccleſijs vendi, & pretium poteſt clericus in alios ſuos vſus conuertere.

13 Clerici minores, qui ſeruiũt Eccleſijs, & altaribus, ſunt ne exempti à iuriſdictione ſæculari?

Reſp. Affirmatiuè; ratio eſt, quia ſunt adſcripti ad ſeruitium alicuius Eccleſię, & de his clericis expreſsè loquitur textus in *c. nullus iudicum, de foro competen. vt latè dixi in titulo de foro compet. & in c. de priuilegio fori*.

14 Famulus Epiſcopi poterit titulo familiaritatis ordinari ab ipſo Epiſcopo?

Reſp. De hoc latè dixi *lib. 1. c. 12. de ſacramento ordinis*.

15 Epiſcopus poteſt accipere aliquid pro collatione beneficij, vel pro titulo ordinum, ratione ſigilli, vel laboris?

Reſp. Nihil, etiam ſi ſit conſuetudo, quia quod gratis accepiſtis, gratis date. *Trid. ſynod. ſeſſ. 21. cap. 1. de reform.*

16 Secretarius, vel Notarius Epiſcopi, quam mercedem debet habere pro titulo collationis capellaniæ, vel beneficij curati, vel ſimplicis?

Reſp. Pro ſcriptura, & ſigillo non poteſt excedere vnum aurum. *Trid. ſynod. ſeſſ. 21. cap. 1.*

17 Secretarius Epiſcopi pro collatione ordinum, vel litteris dimiſſorialibus, aut teſtimonialibus, quam mercedem poteſt exigere?

Reſp. Decimam partem auri, & non poteſt eam excedere, etiam ſi ſponté offeratur ab ordinato, & hoc dummodo nullum habeat ſalarium ſufficiens pro ſuo munere, quia ſi habeat ſalarium, gratis debet dari titulos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. primo, de reformatione.*

18 Quando Concilium *Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 3. de reformatione dicit*, quòd acta ſint danda appellanti intra triginta dies gratis, loquitur ne cũ Secretario Epiſcopi, vel cum Notario publico, qui aſſiſtit ad lites?

Reſp. Loquitur cum Notario, qui aſſiſtit in foro, & Tribunali, cui ſoluenda eſt merces, ſi acta tranſumpſit iuxta cõſtitutiones dicti Tribunalis; ſi verò acta dat originalia, vt videantur à Iudice appellationis, tunc gratis debet dare, quia nullum ponit laborem, & ſic intelligendus eſt textus *Concit. Trident. ſupra citato*.

CAPVT XIII.

De Vicario, Aſſeſſore, & Fiſco Epiſcopi.

1 Epiſcopus poteſt habere Vicarium generalem, qui adminiſtret iuſtitiam, & eius vices ſuppleat?

Reſp. Poteſt, ſi vult, & eum amouere, & reuocare quotieſcumque voluerit abſque eo, quòd teneatur reddere rationem, cur illum reuocet, & ponat alterum; ratio eſt, quia nominatio Vicarij eſt actus liberæ voluntatis, de quo nemo cogitur reddere rationẽ. *tenet Nauar. c. vnico, de officio Vicarij.*

2 Vicarius Epiſcopi, quas qualitates debet habere?

Reſp. Debet eſſe Clericus, & non coniugatus, neq; excommunicatus, nec ſuſpenſus, peritus in Iure Canonico, graduatus, ſi fieri poſſit, & debet habere ſecum mandatum in ſcriptis, vir bonæ vitæ, & famæ, magnæ authoritatis, & iudicij, quia debet repræſentare perſonam Epiſcopi, & melius erit, vt ſit Sacerdos, vel in ordine ſacro, quia debet imperare ſacerdotibus. *c. cum in cunctis, §. inferiora, de electione, Abbas c. ſanè num. 1. 2. 3. & 4. de clerico coniugato, Nauar. in manuali cap. 25 num. 12. Rebuffus in praxi, titulo de Vicarijs.*

3 Sufficit ne, vt Vicarius habeat primam tonſuram, vt clericus dicatur?

Reſp. De Iure ſufficit prima tonſura, vt clericus dicatur, quia omnia requiſita ſupra poſita, ſunt ad melius eſſe ſed per bullam Clementis VIII. cautum eſt, vt neceſſariò Vicarius ſit ordinatus in ſacris ordinibus, motus plurimis rationibus.

4 Vicarius Epiſcopi, quam ętatem debet attingere?

℞. De Iure vigeſimum quintum, *c. cum in cunctis, §. inferiore de electione*, ſed ſi habeat minorem ætatem, non ideò acta per illum erunt irrita, quia ille text.

text.loquitur de conſilio,conſiderans maturitatem, quam Vicarius debet habere, & aliquando prudentia, ingenium, & ſcientia ſupplent ætatem.

5 Epiſcopus poteſt habere Vicarium foraneum, & ſi poteſt, quas qualitates debet habere, & quam iuriſdictionem?

Reſp. Poteſt,& ſi fieri poſſit, habeat qualitates Vicarij generalis, & habeat iuriſdictionem limitatam, & delegatam, debet enim ſolum informationes ſumere,incarcerare, & remittere cauſas, & incarceratos ad Vicarium generalem,*gloſſa in clem.c.2.de verbo foraneo, de reſcriptis.*

6 Mandatum Vicarij generalis,quomodo debet fieri, & quæ forma debet ſeruari, vt in materia iuriſdictionis tam periculoſa omnis dubitatio tollatur?

Reſp. Omnes caſus infra poſiti, qui requirunt ſpeciale mandatum,debent concedi,& exprimi in Scriptura,& ſi Epiſcopus voluerit ſibi reſeruare aliquam iuriſdictionem, debet dicere reſeruo in me ſpecialiter prouiſionem,& collationem beneficiorum, Notarius verò debet ſcribere,quòd conceditur Vicario generali tanta facultas, quantam Epiſcopus habet, in omnibus caſibus,qui de iure,vel conſuetudine requirunt ſpeciale mandatum, *Iacobus Esbroz, de officio Vicarij, lib. 2.*

7 Si Epiſcopus eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, iuriſdictio Vicarij, eſt ne ſuſpenſa?

Reſp. Affirmatiuè,quia pendet à iuriſdictione Epiſcopi,& agit omnia, vt inſtrumentum, non vt cauſa principalis,ſed ſi Epiſcopus ſuſpēſus ſit in vno actu, in illo erit ſuſpenſus Vicarius,in reliquis, neque Epiſcopus,neque Vicarius. *c.1.de officio Vicarij lib.6.& ibi gloſſa, & Anchar.*

8 Vicarius, qui habet generale mandatum, quid poteſt facere?

Reſp. Poteſt exercere iuriſdictionem ciuilem,& criminalem, & exercere vices Epiſcopi in omnibus, in quibus de Iure non requiritur habere ſpeciale mandatum.

9 Vicarius generalis in abſentia Epiſcopi poteſt concedere licentiam alicui Epiſcopo, vt exerceat Pontificalia, & faciat ordinationes?

Reſp. Non poteſt,niſi adhoc habeat ſpeciale mandatum.*gloſ.in c.cum nullus,de tempor.ordinand.in 6.*

10 Vicarius Epiſcopi poteſt conferre beneficia, inſtituere,& præſentare,vel recipere reſignationes beneficiorum cum mandato generali?

Reſp. Negatiuè,imò requiritur ſpeciale mādatum, *c.ſi.de officio Vicarij,lib.6.Rebuffus in praxi beneficiali, num.49.*

11 Vicarius poteſt vnire beneficia,vel interponere authoritatem permutantibus?

Reſp. Non poteſt ſine ſpeciali mandato. *Rebuff. in praxi beneficiali num.* 102.

12 Vicarius poteſt viſitare ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Negatiuè,quia viſitatio propriè eſt Epiſcopi munus, *Rebuffus, in praxi beneficiali, num.* 100.

13 Vicarius poteſt congregare ſynodum ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Negatiuè. *c.ſi Epiſcopus,de officio ordinarij. lib. ſexto.*

14 Vicarius poteſt dare dimiſſorias, vel comendatitias litteras ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non poteſt,ſi Epiſcopus ſit præſens,ſi ſit abſens poterit cum generali mādato.*c.pen.de tempor. ordinand.in 6.*

15 Vicarius poteſt diſpenſare in caſibus, in quibus de Iure Epiſcopus poteſt diſpenſare ſine ſpeciali mādato?

Reſp. Non poteſt,neque in caſibus,qui à Romano Pontifice Epiſcopo committuntur. *Rebuffus in praxi num.41.*

16 Vicarius poteſt inquirere delicta, & ea corrigere, & beneficio aliquē priuare ſine ſpeciali mādato?

Reſp. Non.*c.2.de officio Vicarij lib.6.Iulius Clarus in praxi criminali, q.40.§.fin.*

17 Vicarius poteſt confirmare Abbates,Abbatiſſas, vel eas,&moniales benedicere ſine ſpeciali mādato?

℞. Non.*c.1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

18 Vicarius poteſt tractare cauſas matrimoniales ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non, quia proprio Epiſcopo ſunt commiſſæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.20.de reform. c.ex litteris,de in integrum reſtitutione.*

19 Vicarius poteſt interponere authoritatem donationi iuris patronatus ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non. *Rebuffus, in praxi, num.*115.

20 Vicarius poteſt ſubſtituere alium Vicarium generalem ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Non. *Capella Tholoſ. dec.39.q.37.in additionibus.*

21 Si Epiſcopus det facultatem ſuo Vicario ſpecialē ad abſoluendos caſus reſeruatos, poterit ipſe alium ſubdelegare, abſque eo, quòd hoc ſpecialiter contineatur in mandato?

℞. Affirmatiuè, quia hoc eſt actus iuriſdictionis, nā delegatus ad vniuerſitatem cauſarum, delegatus dicitur, & ſic poterit hanc facultatem alteri delegare, etiam ſi Vicarius non ſit Sacerdos.*Iaſon in l.à Iudice, C.de iudicijs, Nauar.conſ.22.de pœnitentijs.*

22 Si Epiſcopus det facultatem Clerico particulari abſoluendi à caſibus reſeruatis, poterit ſimiliter ipſe alteri eam delegare?

Reſp. Non, quia talis clericus non exercet iuriſdictionem,neque facit officium Iudicis,& ſic ius commune illi non fauet.

23 Quæ committuntur à Romano Pont. Epiſcopo, vel è cōtra,poterit Vicarius agere ſine ſpeciali mandato?

Reſp. Cum diſtinctione,aut committuntur nomine officij,aut nomine perſonæ, ſi nomine perſonæ, non poterit,ſi nomine officij, benè poterit.*ita ſentit Cabarella clementina 2.q.9. num.8.de reſcriptis,Decius c.& quoniam, de reſcriptis.*

24 Vicarius Epiſcopi,vel ordinarius pro diſpenſationibus ſibi remiſſis à Curia Romana, quid poteſt accipere?

Reſp. Nihil, etiam ſi ſit conſuetudo in contrarium.

25 Si Vicarius fuerit Canonicus, debet præcedere alios Canonicos in choro,Capitulo, & in actis publicis?

℞. Quamuis variæ ſint opiniones, ſentio tenendum, quod cum aſſiſtit in aliquo actu, vt Canonicus, tunc obſeruet locum Canonici ſecundum eius antiquitatem; at cum aſſiſtit ſine cotta, neque inſignia habet Canonici,vt Vicarius ſubſtitutus Epiſcopi,tunc omnes præcedet; hoc enim magis rationi conſonat, & dignitati, *gloſſa in capit. à collatione, verbo, Prælatis, de appellatione in 6. Geminianus,ibi. num.6. tra-*

ſtat hanc materiam *Nauar. in conſ. 1. c. 2. de maioritate, & obedientia, vbi latè refert Authores vtriuſque opinionis*.

26 Epiſcopus poteſt habere Iudicem ſæcularem?
Reſp. Si habeat iuriſdictionem ſæcularem, debet habere Iudicem ſæcularem, ne contingat ipſum irregularem fieri, ſi alicui mors ſit inferenda, vel membrum ſcindendum, ſed ſummus Pont. dat breue Epiſcopis, qui habent iuriſdictionem ſæcularem, vt poſſint eam exercere abſque metu excommunicationis, veluti Archiepiſcopus Montis Regalis, qui ampliſſimam habet iuriſdictionem ciuilem, & criminalem, & merum mixtum Imperium in toto ſuo ſtatu. *tenēt DD. in c. fin. ne clerici, vel monachi. lib. 6.*

27 Epiſcopus poteſt habere adſeſſorē, & quas qualitates debet habere?
Reſp. Poteſt habere adſeſſorem Eccleſiaſticum, vel laicum; ratio eſt, quia de Iure nullam iuriſdictionem habet, niſi conſulere Epiſcopum, & poteſt eſſe Iuriſta, vel Theologus. *l. fin. C. de adſeſſoribus, & ibi Iaſon in Rubrica. ff. de officio adſeſſoris*.

28 Epiſcopus poteſt habere fiſcum, & quas qualitates debet habere?
Reſp. Poteſt habere fiſcum, ſiue Eccleſiaſticum, ſiue ſæcularem, quia eſt miniſter neceſſarius Tribunalis, & debet eſſe perſona ſufficiens, fidelis, & diligens. *Diaz in pract. criminali, c. 45.*

29 Officium fiſci quale debet eſſe?
Reſp. Debet expurgare diœceſim ab omnibus vitijs, & inquirere delicta ſecreta; præcipuè concubinatus, examinare vitam clericorum, habere notitiam hominum totius diœceſis. *l. 1. & 2. C. ſi ſeruus export. veniat, & ibi Bald. & per tot. tit. ff. de iure fiſci. Bernard. Diaz, in pract. criminali, c. 4.*

30 Epiſcopus poteſt habere carceres?
Reſp. Neceſſariò debet habere carceres publicas, & ſecretas ad cuſtodiam delinquentium, & ad pœnam eorum, qui in iudicio negant veritatem. *cap. 3. de pœnis in 6.*

31 In eodem carcere debent eſſe homines, & mulieres?
Reſp. Si ſit vna, eademque domus, debent eſſe diſtincti, & ſeparati, ita, vt homines non poſſint loqui cum mulieribus, neque eas loqui, neque videre propter decentiam. *Bernard. Diaz vbi ſup.*

32 Si quis committat delictum in carcere, quam pœnam habet?
Reſp. Eandem pœnam, quam ſi committeret delictum in domo Regis, quia carcer eſt Regia domus; *Bern. Diaz, vbi ſup.*

33 Epiſcopus poteſt implorare auxilium brachij ſæcularis, & quibus in caſibus?
Reſp. Poteſt. Primò, quando per ſe non poteſt exequi ſuam ſententiam, vt in cauſa mortis: Secundò, quando non habet ſufficientes vires ad capiendum aliquem. Tertiò, quando timetur de aliqua reſiſtentia. Quartò, quando ita eſt impeditus, vt non poſſit vti ſua iuriſdictione. Quintò, quando mandatum iudicis Eccleſiaſtici expiret, & tandem in omnibus caſibus ſibi neceſſarijs; & Iudices ſæculares tenentur illi præbere auxilium, quia vna iuriſdictio debet adiuuare alteram, & è contra. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 8.*

34 Quam pœnam incurrunt impedientes Epiſcopis ſuam iuriſdictionem, vel eos non adiuuantes, vel reſiſtentes?
Reſp. Ipſo facto ſunt excommunicati per bullam in Cœna Domini.

35 Quando Iudex Eccleſiaſticus petit auxilium brachij ſæcularis, Iudex ſæcularis debet videre proceſsū factum à Iudice Eccleſiaſtico?
Reſp. Non, niſi forſan velit videre proceſſum ad finem informandi ſe, vel non vt acquirat aliquam iuriſdictionem ſupra iudicem Eccleſiaſticum. *Abba. & Imola c. 1. de officio ordinari.*

CAPVT XIIII.

De Indulgentijs.

1 QVis poteſt dare indulgentias, & quas?
Reſp. Summus Pont. quas voluerit, & Epiſcopus ſuis ſubditis in Dedicatione Eccleſiæ vnum annum indulgentiæ, reliquis temporibus 40. dies. *c. ex eo, extra de pænitentijs*.

2 Indulgentiæ conceſſæ à ſede Apoſtolica poſſunt publicari ſine licentia Epiſcopi?
Reſp. Non, propter maiorem cautelam, ne falſæ indulgentiæ publicentur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. decreto de indulgent.*

3 In Iubileo conceſſo à ſummo Pont. per duas hebdomadas, poteſt quis in vna ieiunare, & in alia ſumere Sacramentum?
Reſp. Non, quia ſeruanda eſt forma priuilegij. *Bartbol. Vgol. de officio, & poteſtate Epiſcopi, §. de indulgentijs, fol. 358.*

4 Si quis non lucratur iubileum in ſua Ciuitate, poteſt ire ad aliam, & ibi indulgentias lucrari?
Reſp. Poterit; bonum enim in quacumque ciuitate repertum fuerit, poteſt illud lucrari. *Barth. Vgolin. de officio, & poteſtate Epiſcopi, §. indulgentiæ.*

CAPVT XV.

De poteſtate Epiſcopi in cōmutatione vltimarum voluntatum, & reductione Miſſarum.

1 QVis poterat reducere numerum Miſſarū quando eleemoſyna penuria tēporis ita erit tenuis, vt non facilè inueniretur, qui huic oneri ſe ſubijceret propter tenuitatem victus?
Reſp. A ſancto Concilio *Trid. ſeſſ. 25. c. 4. de reform.* hæc facultas data erat Epiſcopis, vt mutarent in ſynodo diœceſana, & Abbatibus, & Generalibus in ſuis Capitulis generalibus, & non in Prouincialibus, vbi poterāt ſtatuere, quod videretur magis expedire ad Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatē, conſiderata Regione, & abundantia, vel penuria ciborū; ita tamē, vt

ſemper

ſemper fieret commemoratione functorum, qui Miſſas, & legata reliquerunt, ſed hodie hanc authoritatem Dominus noſter Vrbanus VIII. Summus Pont. ſibi reſeruauit, & limitauit dictum *cap.4.ſeſſ.26.* aſſumens ſibi authoritatem reducendi numerum Miſſarū ad minorem numerum, tollens eam ab epiſcopis in ſynodo, & Abbatibus, & Generalibus religioſorum in ſuis capitulis generalibus ex decreto Congregat. *Card.ſacri Concil.interp. die 21. Iunij 1625.anno 3.ſui Pontificatu.*

2 Quare Summus Pont. ſibi reſeruauit facultatem quando eleemoſyna eſt ita tenuit, vt cum ea qui cōmodè ſubſtentari non poſſit.
Reſp. Primò ne pereant piæ teſtantium voluntates. Secundò ne violetur de facili fides benefactorū. Tertiò ne animę defunctorū ſuffragijs priuentur. Quartò ne Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus. Quintò ne Chriſti fideles ſubtrahantur à charitate, & voluntate relinquendi ſuffragia, exiſtimantes, quòd vna Miſſa fratres, vel clerici ſatisfaciunt pluribus Miſſis, vt omnia habentur in dicto decreto Vrbani VIII. *ſup. citat.*

3 Epiſcopus in ſynodo diœceſana poterit tollere qualitates, & onera poſita infundatione alicuius beneficij, vel capellaniæ?
Reſp. Non poteſt, etiam de conſenſu patroni, quia talis facultas non eſt data illi à Concilio in *d. cap.4. ſeſs.25.* ſed ſolum, quòd poſſit reducere Miſſas relictas a teſtatores, & hæc facultas non extendenda in præiudicium teſtatoris.

4 Miſſæ impoſitè in fundatione alicuius beneficij, vel capellanię, debent ne reduci ad minorem numerum ab epiſcopo, & ſynodo prouinciali?
Reſp. Multum attendenda eſt intentio fundatoris ad hoc, vt talis reductio non fiat, niſi a Summo Pontif. quia Concilium in dicto capite quarto ſolùm loquitur de miſſis à teſtatoribus relictis, non de Miſſis in fundatione alicuius beneficij poſiti, & ſic conſuerunt Illuſtriſs. Cardinales interpretes Sancti Concilij.

5 Quæ differentia eſt inter miſſas relictas in fundatione beneficij, vel capellaniæ, & inter Miſſas relictas à teſtatoribus abſolutis?
Reſp. Magna, quia ad fundationem capellaniæ, vel beneficij, neceſſariò requiritur fundatio, dotatio perpetua in bonis ſtabilibus, & fructiferis, approbatio Miſſarum cum authoritate Summi Pont. vel epiſcopi, at verò in Miſſis, vel officij relictis in teſtamento ſolùm requiritur mera voluntas teſtatoris, quia eſt legatum temporale, & finitur impleto legato.

6 Si quis grauatus ſit tali onere, vt quotidie celebret Miſſam de Beata Virgine, tenetur ne adimplere tale grauamen?
Reſp. Negatiuè, ſed cum conſilio epiſcopi poterit illud reducere ad aliquas Miſſas principales, quia nō pertinet ad ſubſtantiā fundationis, & teſtator nō poteſt diſponere contra legem, quā Eccleſia habet, quæ diſponit, de quonam ſancto quotidie debet Sacerdotes celebrare; ſi verò teſtator iubeat, vt dicantur viginti, & triginta Miſſæ de B. Virgine, Capellanus tenetur eas dicere, ne videatur contradicere expreſsè piæ voluntati teſtatoris. *tenet Nauarr. conſil.9. nu. 8. de obſeruatione Miſſarum.*

7 Quis poteſt commutare vltimas voluntates defunctorum?
Reſp. Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicę Delegatus, cognoſcendo rem ſummariè, & extraiudicialiter narrata prius à partibus veritate, vt habetur. *in Trident.ſyn.ſeſs.22.c.6.*

8 Legata ad pios vſus, poſſunt ne in alios conuerti, etiam meliores abſq; authoritate Papæ?
Reſp. Generaliter non poſſunt, quia hæc res grauiſſima, & totius eſt currere ad caput Eccleſiæ, quam cum ſcrupolo, & ſub dubio aliquid operari.

9 Quæ legata poſſunt conuerti in alios pios vſus cum authoritate Epiſcopi?
Reſp. Quando legata impedimento iuris, vel facti non poſſunt inſeruire vſui deſtinato a teſtatore; tunc .n. Epiſcopus ſupplet vicem teſtatoris commutando legata in aliam rem æquam, vel meliorem, *tenet Imola in clementina*, quia contigit de religioſis domibus *Couarr. c. tua nobis, de teſtamentis, nu.7. Mol. loc. cit. §. quando aliquid.*

10 Quod eſt impedimentum Iuris, vel facti?
Reſp. Iuris eſt, vt ſi relinquatur bona ſtabilia religioſis Sancti Franciſci, ex eorum inſtituto, & regula incapacibus: facti eſt, vt ſi teſtator mandat Eccleſiā fieri in loco infidelium, vel vbi eſt bellum, vel vbi nō eſt locus, vel ſi mandet dicere Miſſas in Eccleſia, vbi propter alia onera tale legatum adimplere non poſſit.

11 Quando eſt difficile adimplere voluntatem teſtatoris, ſed non impoſſibile, poterit Epiſcopus commutare eam?
Reſp. Poterit eam accomodare in rem ſimilem, vel meliorem, quia difficile æquiparatur impoſſibili, *tenet Foly. conſil.42. nu.17.*

12 Taxa à teſtatoribus poſita pro eleemoſyna Miſſarum debet ne ſeruari?
Reſp. A ſacra congregatione Concilij reprobatur taxa, quia debet eſſe ſecundum ſynodum cuiuſcumq; Prouinciæ, & ſecundum rationem conſiderato tempore, & penuria rerum; *tenet Miranda in manuali presbyterorum, p.1. q.41. art.23.*

13 Pro Miſſis celebrandis, poteſt fieri conuentio de certa eleemoſyna?
Reſp. Negatiuè, neque promittens pro ſolutione poteſt coram iudice conueniri, neq; Iudex poterit eū obligare, vt ſoluat eleemoſynam vltra conſuetudinem, dandam Sacerdoti pauperi ratione ſubſtētationis. *tenet Caietano in ſumma, verbo ſimonia, regula quinta.*

14 Poteſt aliquid pro Miſſa dari?
Reſp. Non poteſt, quia eſt inæſtimabilis pretij, & emi non poteſt. *Trid. ſynod. ſeſs.22.* & decreto de obſeruandis, & euitandis in celebratione Miſſarum.

15 Quando datur clericis mercenarijs, qui celebrant Miſſas pro intentione aliorum, quomodo intelligitur.
Reſp. Intelligitur quod non datur pro Miſſa, ſed pro eleemoſyna, & ſubſtentatione talis Sacerdotis, quia Miſſa eſt inæſtimabilis pretij, & illud quod datur debet eſſe ſecundum conſuetudinem loco, & ſecundum taxam poſſitam in Concilijs prouincialibus;

16 Sacerdos diues poterit abſque ſcrupulo recipere eleemoſynam pro Miſſa, quam pro alio dicit?
Reſp. Poterit quia dignus eſt operarius mercede ſua, & qui altari ſeruit de altari viuere debet.

CAPVT

CAPVT XVI.

De imaginibus.

1 IMagines habent in ſe aliquam virtutem, & dignitatem?

Reſp. Non in ſe, ſed in quantum referuntur ad prototypam, quam repreſentant, vt illis deferatur honor debitus. *Trident. ſyn. ſeſs. 25. decreto, de inuocatione ſanctorum.*

2 Ad quid ponuntur imagines in Eccleſia?

Reſp. Vt imitemur eorum virtutes, & vt componamus noſtros mores, ſed non ad turpia lucra, neq; ad hoc, vt eorum feſtiuitates conuerſationibus, & ludis celebrentur, ſed deuotione, & Miſſis. *Trid. vbi ſup.*

3 Quis poteſt imponere nouam Imaginem, & publicare nouua miracula?

Reſp. Epiſcopus cũ conſilio virorum doctum. *Trid. ſyn. vbi ſupr.*

4 Si noua oriatur quæſtio ſuper nouam reliquiam, vel Imaginem, quid eſt agendum?

Reſp. Epiſcopus deferat negotium ad cõcilium Prouinciale, vt ibi res examinetur, deinde conſulat Romanum Pontific. antequam de difficultate quidpiam ſtatuatur. *Trid. ſynod. vbi ſupra.*

5 Inuocationes ſanctorum, & venerationes reliquiarum, ad quid ſunt vtiles?

℞. Ad impetrãda beneficia, & vt Sancti intercedant pro nobis ad Dominum Ieſum Chriſtum. *Trid. ſyn. vbi ſupr.*

6 Miracula, quę fiũt ab Imaginibus, quomodo fiũt, & probantur?

Reſp. Miracula ſunt ex omni parte opera perfecta, & non probantur per ſingulares teſtes, & teſtes debent eſſe fide digni. *Trid. ſyn. vbi ſupra.*

7 Quam pœnam incurrunt regulares, qui publicãt noua miracula facta ab aliquibus imaginibus ſine licentia, & examine Epiſcopi data cum maturo conſilio virorum ſapientium?

Reſp. Excommunicationis, & incarcerantur, & alijs pœnis arbitrio Epiſcopi imponendis; ratio eſt, quia cum miracula ſint de grauioribus negotijs Eccleſiæ à Summo Pont. Approbanda ſunt, & ab Epiſcopis cum conſilio Summi Pontific. & non à Regularibus, quibus hæc poteſtas non eſt data. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

8 Quando aliqua Imago poſita eſt in aliqua capella Eccleſiæ Parochialis, oblationes, eleemoſynæ, quæ offeruntur, cui debent dari?

Reſp. Parocho illius Eccleſiæ, & ſi talis capella habeat patronum; & etiam debent dari Parocho, & non patrono.

9 Cum contingerint aliquod miraculum fieri in aliqua Eccleſia regulariũ, quid debet Epiſcopus agere?

Reſp. Debet accedere ad Eccleſiam, euitare concurſus, donec capiantur informationes legitimæ, & miraculum approbetur per viros doctos, Theologo, & tunc reddere rationem Summo Pont. *D. Thom. 3. part. quæſt. 44. art. 3. in ſolutione ad 2. Archidiaconus. in cap. nec mirum. 26. q. 5. Trid. ſyn. vbi ſup.*

CAPVT XVII.

De Priuilegijs Epiſcoporũ.

1 EPiſcopus poteſt acceptam conſecrationem, & poſſeſſionem, quæ priuilegia conſequitur?

Reſp. Plenitudinem poteſtatis, ordinis, & iuriſdictionis. *Barthol. Vgol. lib. 1. c. 2. §. 2.*

2 Epiſcopus, quæ inſigna gerere poteſt?

Reſp. Inſigna dignitatis Epiſcopalis, velunt mitram anulum, baculum, pileum viridem, veſtium violatij coloris, crucem ante pectus reliquij adornatam, & ſi ſit Archiepiſcopus portat Crucem ante ſe cum ſuo crucifero, ſiue æquitando, ſiue pedeſtris ambulando, tàm in ſuo Archiepiſcopatu, quàm in diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum, & in ſuis armi poſſunt habere pictum pileum viridem, & Crucem. *Barthol. Vgol. vbi ſup.*

3 Quæ ſunt priuilegia de Iure Epiſcoporum?

℞. Epiſcopo debetur obedientia à clericis, & laicis. Secundò debetur ei ſubiectio, quæ recognoſcitur in domino maiori, & ſuperiori. Tertiò debetur reuerentia illa, quæ debetur patribus carnalibus, & magiſtris. Quartò Epiſcopus de Iure habet inſtitutionẽ, & probationem beneficiorum. Quintò habet correctionem ſubditorum. Sextò habet Iure reformandi mores ſubditorum, ideò poteſt facere ſtatuta, & leges ad reformationem neceſſarias, & ſubditi tenentur eas obſeruare ſub pœnis in eis contentis. Septimò habet iuriſdictionem ordinariam cauſarum ad forum Eccleſiaſticum pertinentium. Octauò, habet poteſtatem conferendi ordines, ſacrandi Eccleſias, & virgines, & monachas, & benedicendi Abbates. Nonò habet poteſtatem faciendi ſynodum diœceſanam ſingulis annis, & in eo eſt caput. Decimò pertinet ad eum de Iure quarta decimarum ad ſuã ſubſtentationem percipiendam ab Eccleſiis, et ius percipiendi omnes fructus pertinentes ad ſuam menſam Epiſcopalem ex fundis, et poſſeſſionibus ei annexis, et habet ius viſitandi ſuam diœceſim ſingulis annis, et percipiendi procurationem ad ſuam, et ſuorum ſubſtentationem, quam poteſt recipere in victu, vel in pecunijs. Vndecimò ſi habeat neceſſitatem poterit petere ſubſidium à ſuis ſubditis. *Abb. in c. conquerenti. de officio ordinari. num. 1. c. grauem, de exceſſibus Prælatorem.*

4 Epiſcopus in ſua Eccleſia, quam ſedem et locum habet?

Reſp. In Eccleſia, in choro, in capitulo, in proceſſionibus habet primam ſedem eminentiorem alijs. *Tryd. ſyn. ſeſ. 25. c. 6.*

5 Quis debet eligere hanc ſedem, & locum, Epiſcopus, an canonici?

Reſp. Epiſcopus, quia ipſis data eſt electio per Cõc. Trident. et ſi aliquis Epiſcopus voluerit variare ſedẽ ſuorum anteceſſorum propter aliquam neceſſitatẽ, vel infirmitatẽ, non poteſt contra eum allegari conſuetudo, quia ſi in hoc valeret nullum priuilegium daretur Epiſcopo *ſeſs. 25. c. 6.*

6 Quæ dicitur Eccleſia Epiſcopi?

℞. Tota

Reſp. Tota diœceſis, cum ſit paſtor, & Parochus vniuerſalis. *Abb. c. Apoſtolicæ nu. 2. de donationibus.*

7 Poteſt Epiſcopus eligere ſibi ſepulturam in ſua Eccleſia?

Reſp. Poteſt in loco, vbi ei placuerit, ſi talis locus non ſit occupatus ab alio, & idem poteſt facere in inferioribus Eccleſijs. *Abb. vbi ſup. num.* 4.

8 Epiſcopus poſtquam eſt conſecratus, quomodo ſe debet gerere cum Ducibus, Regum miniſtris, & Baronibus?

Reſp. In Eccleſia, & extra eam debet obſeruare Pontificiam dignitatem, & meminiſſe ſe eſſe patrem, paſtorem, & ſuperiorem ſæcularibus. *Trident. ſyn. ſeſſ.* 25. *capit.* 17.

9 Epiſcopus poteſt inſeruire alicui Principi ſęculari?

Reſp. Non decet, vt miniſter habens Pontificiam dignitatem ſæcularibus inſeruiat. *Tri. ſyn. ſeſſ.* 25. *ſup. cit.*

10 Epiſcopi poſſunt celebrare Miſſas Pontificales in cenobijs ſuæ diœceſis?

℟. Poſſunt, ſicut in alijs Eccleſijs ſibi ſubiectis abſq; regularium voluntate, ſed debent ſe abſtinere, ne monachi grauentur. *c. luminoſo,* 18. *q.* 2.

11 In proceſſionibus publicis, quam authoritatem, & quem locum habet Epiſcopus?

Reſp. Primum locum, ſummam authoritatem, quia poteſt de facto, & ſummariè componere differentias ortas inter confraternitates, religioſos; & clericos; & populos, & poteſt imponere pęnam excommunicationis contra inobedientes, & appellatio interpoſita non habet effectum ſuſpenſiuum, ſed ſolum deuolutiuum, quia quod Epiſcopus decreuerit in illa controuerſia, exequutioni mandandum eſt, ne proceſſio, vel officium diuinum detineatur, & retardetur, ita quòd, ſi aliqui religioſis appellauerit à determinatione Epiſcopi, & relinquant proceſſionem, & ſe conferant in domos ſuas, remanent excõmunicati.

12 In altari, vbi Epiſcopus celebrat Miſſam Pontificalem; poteſt ne aliquis illa die celebrare?

Reſp. Non poteſt, niſi de licentia Epiſcopi propter magnam eius authoritatem, & reuerentiam. *c. fin. de conſecratione diſt.* 2.

13 Epiſcopus poteſt portare ſecum altare viaticum, & in itinere, vel in quolibet loco ſuæ habitationis ſtruere capellam priuatã, vt vel ipſe Miſſas celebret, vel præcipiat, vt alius faciat ſacrum?

Reſp. Poterit, ſiue infirmus ſit, ſiue ſanus; quia eſt priuilegium ſibi datum *Trid. ſyn. ſeſs.* 22. decreto de obſeruandi, & euitandis in celebratione Miſſæ. *cap. vlt. de priuileg. in* 6.

14 Epiſcopus poterit in aliena diœceſi abſque licentia ordinari vti hoc priuilegio?

Reſp. Poterit, ſicut in ſua diœceſi niſi ſolum in Vrbe Romana, vbi propter ſummam Romani Põt. authoritatem, requiritur eius licentia. *ita tenet Barthol. Vgol. de officio, & poteſtate Epiſcopi, libr.* 1. *cap.* 2. *§.* 2. de mente Illuſtriſsimi Cardinalium Congregationis Concilij, & plurimi alij DD. licèt contrarium ſentiat *Nauar. in conſilio* 1. *de priuilegijs.*

15 Epiſcopus, tenetur ne præcepto quotidie audire Miſſam?

Reſp. Negatiuè, ſed de conſilio, quia in *c. fin. de priuilegijs, in* 6. non pręcipitur, ſed ſuadetur, & non debet imponi Epiſcopo obligatio, quæ in Iure illi non eſt impoſita. *tenet Abb. in c.* 1. *de vita, & honeſtate clericorum. num* 10.

16 Epiſcopus poteſt dare facultatẽ, vt domibus priuatis fiant oratoria, & ibi celebrentur Miſſæ?

Reſp. Negatiuè, ſed ſolum Papa, quia hoc ſibi reſeruit, ſed tenetur Epiſcopus viſitare talia oratoria à Summo Pont. conceſſa toties, quoties voluerit, & videre, an ſint in loco decenti, bulla Pauli V. in qua hoc ſibi reſeruat.

17 Poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt in capellis heremiticis, & oratorijs, quæ ſunt in agro propè aliquas domos, celebretur Miſſa?

Reſp. Poterit, ſi habeant portas ad vias reſpiciẽtes, & ſi ſint decenter ornatæ, & eas debet ipſe ſingulis annis viſitare per ſe, vel per ſuum viſitatorem, imò Epiſcopus debet curare, vt in pluribus locis, quæ diſtãt à ciuitatibus iſtæ, capellæ hæremiticæ ædificentur, ne paſtores, & ruſtici, qui laborant, vel cuſtodiunt agros, vel fructus, diebus dominicis, & feſtiuis Miſſa careant, & per dictam bullam hæc facultas non eſt ſublata Epiſcopis, imò data illis per *Concil. Trid. ſeſſion.* 22. *decreto de obſeruandis in celebratione Miſſæ.*

18 Poteſt Epiſcopus dare licentiam vt diebus feſtiuis fiant opera ſeruilia?

Reſp. Poterit, præcipuè tempore vindemiæ, vel meſſis tritici, vel ad ædificandam aliquam Eccleſiam indigentem, vel monaſterium. *tenet Reginald. in praxi. Thomo* 1. *lib.* 9. *cap.* 3. *vt late dixi in cap. de officio Epiſcopi.*

19 Poteſt Epiſcopus retinere ſibi pęnam pecuniariã?

Reſp. Quando pœna imponitur per ſententiam, vel ſtatutum, poterit præcipuè ſi ſit pauper; vel poterit eam applicare pauperibus. *tenet Fely. in c. irrefragabili, de officio ordinarij, & Abb. in capit. licet, de pœnis. num.* 8.

20 Epiſcopus poteſt petere à ſuis ſubditis ſubſidium charitatiuum?

Reſp. Poteſt, ſi ſit pauper, & redditus eius non ſufficiant ad eius ſubſtentationem ſufficientem, quia ſubdita de Iure tenentur alere ſuum paſtorem; quãtam verò quantitatem poſſit petere, non ſtatuo, ſed hoc relinquo arbitrio iudicis. *c. cum Apoſtolos, §. prohibemus, c. penultimo, de cenſibus. Menoch. de arbitrario iudicio, cent.* 2. *lib.* 2. *cauſa* 178.

21 Epiſcopus poteſt eligere quemcũq; confeſſarium pro ſe, etiam non approbatum?

℟. Poterit, ſi ſit ſuæ diœceſis, ſi verò ſit alienæ diœceſis, debet eſſe approbatus eius ordinario; ratio eſt quia Epiſcopus poteſt dare facultatem ſuo proprio ſubdito ad audiendas confeſſiones, ſed non ſubdito alieno. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 23. *c.* 15.

22 Epiſcopus incidit ne in interdictum, vel ſuſpenſionem à iure, vel ab homine latam?

Reſp. Negatiuè, niſi de eo fiat expreſſa mentio, quia hoc ſpeciale eſt priuilegium Epiſcoporũ. *c. quia periculoſum, de ſententia excommunicationis in* 6. *& ibi gloſſa.*

23 Epiſcopus incidit ne in excommunicationem generalem à Iure vel ab homine latam?

Reſp. Incidit, niſi aliàs ſpecialiter exemptus ſit. *cap. quia periculoſum, de ſententia excom. in* 6.

24 Quare Epiſcopus incidit in excommunicationem generalem, & non incidit interdictum, niſi de eo fiat expreſſa mentio?

Reſp. Quia excommunicatio prohibet aliquid faciendum interdictum, & ſuſpenſio puniunt aliquod

delictum

delictum iam editum, & commiſſum, quare congruũ eſt, vt Eccleſia mitiùs ſe habeat circa factum, quàm circa faciendum, pręſertim circa Epiſcopos, penes quos eximia dignitas refulget.

25 Epiſcopus, cum iurat, tenetur tangere Euangelia? Reſp. Negatiuè, ſufficit tãgere pectus ſuum, in quo pręſumitur reſidere omnem veritatem; propter eius dignitatem. *c. fin. de iuramento calumniæ, & Couar. in c. quamuis pactum de pactis, p. 1. nu. 3.*

26 Epiſcopus poteſt eſſe Iudex in ſua propria cauſa? Reſp. Non poteſt, benè tamen in cauſa dignitatis ſuæ, vel Eccleſiæ; ratio eſt, quia debet eſſe homo tãtæ integritatis, vt in cauſa ſuæ dignitatis, vel Eccleſiæ iuſtitiam proſequatur, ſicut in alienis cauſis.

27 Epiſcopus extra ſuam diœceſim poteſt dare benedictionem ſolemnem, vel priuatam? Reſp. Solùm cum celebrat, triplici benedictione vti debet, etiam extra ſuam diœceſim, & vbique, legatus verò, & Archiepiſcopus in ſuis Prouincijs poſsũt dare benedictiones ſolemnes, & priuatas; quia hoc priuilegium eſt illis conceſſum à Iure in ſignum iuriſdictionis, quã habent in dictis Prouincijs, & extra ſuas Prouincias, ſolùm cum celebrat triplici benedictione vti debet. *gloſſ. in capit. Abbates, de priuilegijs, lib. 6.*

28 Epiſcopus ſi habeat patrem, eſt ne liberatus à patria poteſtate? Reſp. Cum diſtinctione in his rebus, quæ afferunt incommodum, & ſubiectionem, eſt liberatus à patria poteſtate; quia non eſt licitum, vt qui habent tantos filios ſibi ſubditos, ſit ſub poteſtate alicuius: at verò in his rebus, quæ pariunt vtilitatem, & commodũ, gaudet priuilegio eorum, qui ſunt ſub patria poteſtate, & ſic, vt hæres patri ſuccedit, & vt filius à patre defendi debet. ***Authentica, ſed Epiſcopalis dignitas, C. de Epiſcopis, & clericis.***

29 Si Epiſcopus ſit frater regularis, tenetur ne ſeruare regulam proprię religionis? Reſp. Epiſcopus cum primum conſecratus fuit, liberatus fuit ab obedientia, & regula ſuę religionis, quia aſcẽdit ad gradum ſuperiorẽ, & maioris dignitatis, & ſic in omnibus his, quæ incompatibilia ſunt cũ dignitate, & Epiſcopatus officio, non tenetur petere licentiam à ſuo ſuperiore, nec ſeruare paupertatem, neque alia ſimilia; ſed in his, quæ non impediũt officium Epiſcopi, poterit de conſilio ea ſeruare, *c. vnico. 18. q. 1. & ibi gloſſa.*

30 Si aliqui regulares, vel clerici alterius diœceſi ſeruiant alicui Epiſcopo, quod officium tenentur recitare? Reſp. Poſſunt ſe conformare cum officio, quod dicit Epiſcopus, licèt eius Ordo, vel diœceſis diſtinctum officium habeat, quia hoc priuilegium conceditur Epiſcopis in clementina, *c. fin. de celebratione Miſſarum.*

31 Si aliquis religioſus ſeruiat alicui Eccleſiæ Parochiali, tenebitur ne dicere Miſsas, & cantare horas ſecundum conſuetudinem propriæ religionis, vel ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ eius diœceſis, cui deſeruit? Reſp. Debet ſe conformare in celebrando Miſſas, & in horis cantandis populo ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ, cui deſeruit; ratio eſt, quia ibi non præſtãt officium monachi, ſed officium Parochi, & oues ſuo modo paſci debent, in reliquis debet ſe conformare cum ſua religione, licèt ipſe poſtquam dixit officium more Romano, non tenetur dicere aliud officium more monaſtico, ne grauetur. ***Barthol. Vgol. de officio, & poteſtate Epiſcopi, c. 2. §. 2.***

32 Appellatione dignitatis in priuilegijs, & conceſſionibus venit ne Epiſcopatus? Reſp. In materia fauorabili venit, & intelligitur Epiſcopatus, cum ſit prima dignitas, ſed non in odioſa, quia neceſſariò debet exprimi; ratio eſt, quia fauores ſunt ampliandi, odia reſtringenda. ***c. quia cunctis, de conceſſione prębendæ in 6. c. odia, de reg. iur. in 6.***

33 Epiſcopus quas res poteſt delegare? Reſp. Iuriſdictionem fori pœnitentiali, & fori exterioris, & meri, vel mixti Imperij, & ea, quæ ſunt ordinis. *Francus in c. Abbates, de priuilegijs.*

34 Quæ delegari poſſunt ab Epiſcopo & cui? ℞. Epiſcopus poteſt delegare alteri Epiſcopo poteſtatem confirmandi ordines, conſecrandi Eccleſias, altaria, calices, patenas, benedicendi campanas, & omnes ſacras veſtes, corporalia, cęmeteria; faciendi oleum ſanctum, reconciliandi Eccleſias, & eas de nouo conſecrandi, dandi ſolemnem benedictionem populo. *Clem. attendentes. §. ſtatuimus, & Zabarella q. 2. num. 13. de ſtatu monachorum. Francus c. Abbates, de priuilegijs, lib. 6.*

35 Iſta iuriſdictio poteſt ſubdelegari ſimplici Sacerdoti? ℞. Non, ſed Epiſcopo conſecrato, & Sacerdos, ſi forte ea vtatur, nihil facit. *gl. in c. manus. de conſecratione diſt. 5.*

36 Epiſcopus poteſt delegari benedictionem monialium ſimplici Sacerdoti? ℞. Ex aliqua cauſa, quia ad hoc non requiritur neceſſariò, vt Epiſcopus conſecratus eam faciat. *cap. Presbyter, 26. quæſt. 6.*

37 Caſus reſeruatos de Iure poterit Epiſcopus cuilibet Sacerdoti ſubdelegare? ℞. Poterit Sacerdoti approbato, quia hoc non eſt prohibitum de Iure.

38 Epiſcopus poterit ſubdelegare abſolutionẽ à peccatis cuilibet Sacerdoti? ℞. Habito reſpectu ad forum interius, ſolis Sacerdotibus approbatis ad audiendas confeſſiones ſubdelegari poſſunt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. de reform. c. 15.* at verò habito reſpectu ad cauſas fori exterioris, & Tribunalis, veluti condemnare vel abſoluere aliquem ab homicidio, vel alio delicto illi imputato, hanc facultatẽ poteſt ſubdelegare ſimplici Sacerdoti. *gl. in c. decernimus, de iudicis, & ibi Dec. nu. 7.*

39 Quibus Epiſcopus poteſt cẽſuras delegare, & earum abſolutionem? ℞. Suis Iudicibus, etiam ſi non ſint in ſacris, ſed in prima tonſura *glo. c. aqua, de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris.*

40 Cauſas mixti Imperij, quibus poteſt Epiſcopus ſubdelegare? ℞. Suis Iudicibus Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus. *ca. quod ſede, de officio ordinarij.*

41 Cauſas Eccleſiaſticas ciuiles poteſt Epiſcopus ſubdelegare laico? ℞. Poteſt eas ſubdelegare laico, quia ibi nihil eſt de ſpirituali, quod hoc impediat *gloſs. communiter recepta in capit. decernimus, de iudicijs, & ibi Decius. numero 44.*

43 Cauſæ criminale clericorum poſſunt delegari laicis?

℞. Non

℞. Non poſſunt, quia non ſunt capaces, vt clericos iudicent, & hæc delegatio excederet prorſus dignitatem talium perſonarum, nec cum illis proportionem haberet. *Decius in cap. decernimus de iudicijs. num.44.& ibi gloſſ. vnius opinione, 140.*

43 In edicto generali comprehenditur ne ipſe Epiſcopus.

℞. Negatiuè niſi de eo fiat expreſſa mentio propter eius dignitatem, *c. quia periculoſum, de ſententia excõmunicationis, lib.6.*

44 Poteſt Epiſcopus pignore bona ſue Eccleſiæ pro propria ſubſtentatione, vel neceſſitate?

℞. Si Epiſcopus ſit pauper, vel ſit captiuus fortuito, vel in aliquo bello, & ipſe non habeat, vnde viuere, poſſit, poteſt pignore bona Eccleſiæ, & ea vendere, quia eſt verus Eccleſiæ ſponſus, & ſicut bona ſponſi ſunt ad ſubſtentationem ſponſe, ita & contra. *tenet Abbas in ca. de rectoribus, de clerico ægrotante numero 6.*

45 epiſcopus tenetur ne ſoluere debitum ſui prædeceſſoris?

℞. Cum diſtinctione, ſi epiſcopus intrans de nouo ſit hæres ſuis anteceſſoris, tenetur ſoluere debitum cum beneficio inuentarij, ſed ſi debitum contractum fuit in augmentum, vel beneficium menſæ epiſcopalis, ſicut pro aliqua emptione alicuius fundi, tunc tenetur epiſcopus de nouo intrans ſoluere debitum ſui anteceſſoris, etiam ſi non ſit eius hæres; ratio eſt, quia ipſe debet gaudere fructibus, & præbendis illius fundi. *Abb. c. olim nobis, il ſecundo de reſtitutione ſpoliatorum, num.4.& 5.*

CAPVT XVIII.

De Delictis Epiſcoporum, & pœnis.

1 Cauſæ criminales etiam hæreſis contra epiſcopos, coràm quo Iudice ſunt tractandæ?

℞. Solùm coram Summo Pont. quia epiſcopi vocãtur fratres Sanctiſſimi Domini, & propter ſummam hanc dignitatem, a nullo elio debent iudicari, cum ſint inter ſe æquales, & omnibus alijs ſuperiores. *Triden. ſyn. ſeſs. 24. c. de reform.*

2 Cauſæ ciuiles, & criminales minores epiſcoporum vbi, & coram quo ſunt tractandæ?

℞. In conſilio tantum Prouinciali cognoſcantur, & determinentur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 5. de reform.*

3 Epiſcopus propter que delicta poteſt citari, vt appareat in Romana Curia coram Summo Pont.?

℞. Solùm propter illa delicta, quæ petunt pęnam depoſitionis, ſeù priuationis de Iure, & antequam vocetur, debẽt fieri informationes cum teſtibus fide dignis à Metropolitano, vel alio epiſcopo, ne Eccleſia deſtituatur paſtore, ſolatio, & regimine. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 6. ſeſſ. 24. c. 5. de reform.*

4 Quæ delicta ſunt, quæ de Iure petunt in epiſcopis deſpoſitionem ſeù degradationem?

Reſp. Crimen hæreſis, crimẽ læſe maieſtatis, contra Summum Pontif. vel Reges, ſi epiſcopus ſit aſſaſſinus, ſi falſificet literas Apoſtolicas, ſi agrorum depopulator, ſit, ſi ſit inobediens Summo Pont. ſi ſit ſimoniacus ſimonia reali, ſi in monaſterijs ſtruper virgines, ſi ſit falſificator monetæ, pro his delictis, & pro ſimlibus debet epiſcopus comparere coram Summo Pont. Syluester verbo degradatio, *capit. ad abolendum, de hæreticis, cap. ad falſariorum, de crimine falſi.*

5 Si populus ſcandalizaretur de ſuo epiſcopo poterit ne priuari?

Reſp. Non, benè tamen mutari, dando illi maiorem vel æqualem Eccleſiam. *Abb. in c. fin. de confirmatione vtili, vel inutili, num. 13.*

6 Si epiſcopus habeat concubinam, poterit ne priuari?

Reſp. Non, ſed ſi admonitus eam non dimittat de facto ſuſpenſus eſt. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 14. de reform.*

7 Si neceſſarium fuerit, vt cauſæ criminales, quæ petunt depoſitionem, aut degradationem, epiſcoporum committantur ad faciendas informationes, cui committi debent?

Reſp. Solis Metropolitanis, vel epiſcopis commiſſione ſignata manu Põt. Sanctiſſimi *Trid. ſyn. ſeſs. 24. capit. 5. de reformat.*

8 Quis debet ſententiare cauſas epiſcoporum, quæ petunt priuationem, vel degradationem?

Reſp. Solùm Summus Pont cum conſilio Cardinalium, vel aliorum Epiſcoporum, auditis partibus & viſis defenſionibus propter magnam authoritatẽ dignitatis. *Trid. ſyn. vbi ſupra.*

9 Teſtes contra Epiſcopum quales debent eſſe?

Reſp. Viri bonæ famæ, omni exceptione maiores conteſtes, aliàs recipiendi non ſunt, & grauiter puniuntur. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 7. de reform.*

10 Epiſcopus exercent Pontificalia in aliena diœceſi ſine expreſſa licentia ordinarij, qua pæna punitur?

Reſp. Ipſo eſt ſuſpenſuſus. *Trid. ſeſs. 6. cap. 5. de reformat.*

11 Epiſcopi, quos vocant titulares, quis propriam ſedem non habent, & ordinant ad ſe venientes cũ litteris commendatijs, vel titulo familiaritatis, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Sunt ſuſpenſi per annum ipſo iure, & ordinatus eſt ſuſpenſus quoaduſque ſuo Prælato benè viſum fuerint. *Trid. ſyn. ſeſs. 14. cap. 2. de reform.*

12 Si aliquis epiſcopus titulrris ſit Parochus, poterit ne in ſua Parochia Pontificalia exercere?

Reſp. Non, ſine licentia epiſcopi diœceſani; ratio eſt, quia iuriſdictio, quam dabet in Parochia, eſt iuriſdictio Parochi ſubiecta iuriſdictioni Ordinarij, nõ iuriſdictio epiſcopalis. *Triden. ſyn. cap. 5. ſeſsion. 6. de reform.*

13 Si aliquis Epiſcopus veniens ad Summum Pontifi. non oſculatur pedes, vt illi preſtet debitam reuerentiam, aut diſcedit ſine eius licentia, quam pęnam incurrit?

Reſp. Remanet excummunicatus, quia committit delictum, vel inobedientiæ, vel contemptus, *extrauag. vt prelatorum, de maioritate & obedientia.*

14 Epiſcopus non examinans, diſpenſationes ſuper in cõpatibilitate beneficiorum, quam, pęna incurrit?

Reſp. Suſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ per *Trid. ſynodum ſeſs. 7. cap. extrauagante, vt quos, de officio ordinarij.*

15 Epiſcopus qui detinet aliquem clericum incarceratum,

ratum, vt dimittat ſuum beneficium contra ſuam voluntatem, quam pœnam incurrit?

Reſp. Suſpenditur epiſcopus à perceptione fructuũ per triennium. *Clem. 2. de pœnis.*

16 Si epiſcopus delinquat in exercendo officio contra hæreticos relinquendo eorum delicta impunita, qua pæna ponitur?

Reſp. Suſpenditur per triennium ab officio per clementinam primam, de hæreticis, §. *verum*.

17 Epiſcopus, qui in dando gradus doctoratus non ſeruat clementinam ſecundam, de magiſtris, in qua omnia iuramenta, & profeſſiones fidei, & omnes ſolemnitates, quæ ſeruantur in tali actu ponuntur, qua pæna punitur?

Reſp. Suſpenditur per ſex menſes ad authoritate, & poteſtate dandi gradus, tanquam negligens in ſuo officio, vt habetur in dicta *clem. 2.*

18 Si epiſcopus excommunicatus, vel ſuſpenſus exerceat Pontificalia, quam pænam incurrit?

Reſp. Eſt remanet irregularis. *cap. 1. de ſententia excomm. in 6.*

19 Si epiſcopus excommunicatus faciat aliquod actum, valebit ne?

Reſp. Si excommunicatio ſit notoria, non valebit, & quæ pertinent ad iuriſdictionem, vt conferre beneficia, ſententiare cauſas; at verò ea, quæ ſunt ordinis, valebunt ordines, & imprimitur verus character, licèt talis epiſcopus remaneat irregularis; ſi verò excommunicatio non ſint notoria, ſed occulta; omnia ab eo facta tam iuriſdictionis, quam ordinis valebunt. *Abb. in cap. nihil. de electione, num. 13. verſ. 4. gloſſ. in c. non ne.* 8. *quæſt.* 4.

20 Epiſcopus ſi ſit Italus, & non viſitent limina Apoſtolorum tertio quoque anno, & Vltramontanus, quinto quoque anno, quam pænam incurrit?

Reſp. Eſt ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab adminiſtratione temporali, vel ſpirituali, vt latè dixi ſupra *lib.* 4. *cap.* 8. de officio epiſcopi, vbi ponitur tota forma viſitationis.

21 Quibus in caſibus datur coadiutor epiſcopo.

Reſp. Si epiſcopus ægritudine, vel ſenectute inhabilis ſit, vel perdat iudicium. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 25. *c.* 7. *Abbates, in cap. finali de clerico ægrotante.*

22 Si quis hoſtiliter perſequitur epiſcopum, vel aliqui in eum conſpirant, quam pęnam habent?

Reſp. Per clementinam primam de pęnis, & per bullam Cęnæ Domini excõmunicantur de Iure, & ſi ſint clerici degradantur, & traduntur Curiæ ſęculari, *cap. qui clerici,* 11. *q.* 1. *c. ſi ſunt,* 2. *q.* 7.

23 Clericus, quia parat calumniã ſuo epiſcopo obijciens falſum teſtimonium, qua pęna punitur?

Reſp. Degradatur verbaliter, & traditur Curiæ ſæculari ſuſpendendus. *c. ſi qui Sacerdotum,* 11. *q.* 1. *Tol. lib.* 1. *c.* 50. *num.* 5. *de degradatione.*

24 Quæ ſunt delicta, quæ in clerico petunt degradationem, & traditione in Curiæ ſæculari?

Reſp. Hæreſis, contumatia, falſificatio litterarum Apoſtolicarum, calumnia poſita cõtra ſuum epiſcopum; parricidium, aſſaſſinium, depopulatio agrorũ; ſi in re graui vt in homicidio incorregibilis ſit clericus propter hæc delicta traditur Curiæ ſæculari, Syluester verbo degradatio, *num.* 4. *Abbas in c. cum non ab homine, de iudicijs, numer.* 5. *capit. ad falſarium de crimine falſi. Toleto in ſumma, libro* 1. *de degradatione, numero* 5.

CAPVT XIX.

De Supplenda Negligentia Prelatorum.

1 QVis debet ſupplere vices Archiepiſcopi in his, quæ de iure tenetur facere?

Reſp. Epiſcopus antiquior, & vices Epiſcoporum Archiepiſcopus, eo dificiente, Epiſcopus antiquior, vt in congreganda ſynodo, & his ſimilibus, *Trid. ſynod. ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reform.*

2 Si quis Epiſcopus nolit benedicere Abbatem habentem monaſterium in ſua dięceſi, quis debet ſupplere eius vices?

Reſp. Abbates petita benedictione, & non obtenta benedicant ſuos monachos, quaſi eſſet benedictus. *c.* 1. *de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

3 Si regulares habent ius patronatus præſentandi, & ſi intra tempus à Iure conſtitutum non præſentent, quid agendum eſt?

Reſp. Epiſcopus pro illa vice præſentat. *c. ſicut. nobis, de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

4 Si Epiſcopus, vel capitulum intra ſex menſes à die notitiæ non pręſentent, neque eligant ad quem deuoluitur electio?

Reſp. Ad Summũ Pontificem imò pręſentatio facta poteſt ſex menſes, nulla eſt. *c. ſicut, eod. tit.*

5 Si Epiſcopus captus à Mauris, quis debet adminiſtrare Epiſcopatum?

Reſp. Capitulum ſupplet eius vices, tanquam ſi eſſet mortuus, quia talis eſt mortuus ciuiliter. *c. ſi Epiſcopus, de ſupplend. negligentia Prælatorum, in 6.*

6 Vacante Eccleſia, poteſt ne Summum Pont. dare Viſitatorem generalem?

Reſp. Poterit ad ſupplendam neceſſitatem Prælati Eccleſiæ Cathedrali. *eod. tit.* 6.

CAPVT XX.

Ne Prelati vices ſuas, vel Eccleſiæ ſub annuo cenſu concedant.

1 IVriſdictio Epiſcopalis, vel ſpiritualis poteſt ne dari ſuo annuo cenſu, vel vendi, vel locari alicui ea conditione, vt ſingulis annis det pro illa tantam pecuniam?

℞. Nõ poteſt, quia iuriſdictio eſt quaſi quid ſpirituale, & facultas iudicandi laicos gratis debet dari, *c.* 1. *eodem tit.*

2 Regimen Eccleſiæ, vel cura animarum, poteſt ſub annuo cenſu committi alicui clerico?

℞. Nõ, imò illi, cui committitur cura animarũ, dari debẽt cõgrua, vnde ſuſtentetur, quia dignius eſt operarius mercede ſuas. *c. quoniam, ne Prælati vices ſuas.*

3 Quam

3 Quam pœnā incurrunt, qui vendunt, & qui emunt iuriſdictionem Epiſcopalem, vel ſpiritualem?
Reſp. Qui emit priuatur re empta, & qui vendit, priuatur poteſtate conferendi talem iuriſdictionem impoſterum. *c. 1. ne Prælati vices ſuas.*
4 Si clericus, vel Epiſcopus vendit iſtam iuriſdictionem, committit ne ſimoniam, vel incidit in excommunicationem?
Reſp. Non committit ſimoniam, neque incidit in excommunicationem; ratio eſt, quia ſententiare cauſas, gubernare populum non eſt beneficium, neque ſacramentum, neque habent poteſtatē abſoluendi à peccatis, neque dicitur eſt quid ſpirituale: ſed eſt quædam gubernatio alicuius Tribunalis, vt Prouiſoratus, vel Vicariatus, in quo iudex pro ſuo labore certas habet rationes, & pecunias: & *in c. 1. ne Prælati vices ſuas*, non ponitur pœna excommunicationis Epiſcopo. & cum ſimus in pœnalibus, non debet pœna augeri. *vt tenet Abb. in dicto c. 1. num. 2.*
5 In venditione Vicariatus, Prouiſoratus, vel Pretoratus, vel Iudicaturæ, committitur nē ſimonia?
Reſp. Non committitur ſimonia, niſi ſimul cum illis officijs detur aliqua poteſtas ſpiritualis, vt abſoluendi à peccatis, vel baptizandi, & detur pecunia pro illa poteſtate. *tenet Abb. in c. quoniam, num. 2.*
6 Fructus Eccleſiarum, vel Epiſcoporum, vel menſæ Epiſcopalis poſſunt ſub anno cenſu concedi?
Reſp. Benè poſſunt, & locari, cum quibuſcumque clauſulis, & conditionibus, dummodo locatio non excedat triennium, ne videatur alienatio, *cap. querelam, ne Prælati vices ſuas; & extrauagans, c. ambitioſæ, de rebus Eccleſiæ non alienandis.*
7 Clericus poteſt locare ſuas operas ſpirituales, veluti dicere Miſſas, exponere ſe confeſſionibus audiēdis, ſeruire Eccleſiæ, adminiſtrare ſacramenta?
Reſp. Poterit locare ſuam perſonam, & accipere pecunias ratione ſui laboris, & congruæ ſubſtentationis, etiam ſi ſit diues, ſed non poterit accipere aliquam pecuniam eo, quòd ipſe vendit aliquam rem ſpiritualem. *tenet Abb. in c. quoniam ne Prælati vices ſuas, num. 2. & Innoc. in d. cap. quoniam, & DD. in cap. ſignificatum, de præbendis.*
8 Iudex, Aduocatus, Procurator poſſunt accipere ſalarium, vel locare ſuam operam?
Reſp. Iſti omnes licitè poſſunt recipere vnuſquiſque ſalarium, vel pecunias pro ſuo labore, & locare ſuas perſonas per triennium, & vltra; ratio eſt, quia labor iſtorum pretio eſt æſtimabilis, ſicut labor cuiuſlibet operarij, qui fodit vineam. *tenet Abb. in cap. 1. ne Prælati vices ſuas, num. 4.*
9 Quare Prælati, & clerici non poſſunt locare fructus ſui beneficij vltra triennium?
Reſp. Ne per longum tempus videatur res Eccleſię alienata. *Abb. in d. c. querelam eod. tit.*
10 Quod dicitur tempus longum?
Reſp. Vltra decennium. *Abb. cap. querelam ne Prælati vices ſuas, num. 6.*
11 Quod dicitur tempus modicum?
Reſp. Intra decennium. *Abb. eod. loco.*

CAPVT XXI.

De his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli.

1 Epiſcopus quid poteſt agere ſine conſenſu Capituli?
Reſp. Poteſt agere omnia illa, quæ habet de Iure Epiſcopali, vt exercere iuriſdictionem, gubernare, facere Pontificalia, & tandem omnia illa, quæ de Iure ſunt commiſſa ſoli Epiſcopo. *Abb. c. cum Apoſtolica, de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capit. n. 14.*
2 Epiſcopus, in quibus rebus neceſſariò debet requirere conſenſum capituli?
Reſp. In negotijs grauioribus, vt in inſtitutionibus, ſubſtitutionibus, fundationibus de nouo, alienationibus, & in omnibus illis rebus, in quibus de Iure exprimitur, vt requiratur conſenſus Capituli, quia in alijs Epiſcopus poteſt liberè procedere. *cap. nouit, c. quanto, de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſ. Capituli.*
3 Quomòdo debet eſſe conſenſus capituli in alienatione rei magnę, vel in alijs rebus, in quibus requiritur dictus conſenſus Capituli?
Reſp. Debet eſſe expreſſus in ſcriptis liberè datus cum ſubſcriptione ſui Notarij, & cum ſigillo, & in ea forma, in qua Capitulum ſolitum eſt facere fidem de ſuis rebus. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 3. 4. & 5.*
4 Epiſcopus venit ne appellatione Capituli?
Reſp. Licèt Epiſcopus gaudeat omnibus priuilegijs Capitulo conceſſis, non venit appellatione capituli, quia eſt ſuperioris dignitatis, & habet ſuum propriū nomen. *Abb. c. cum Apoſtolica, eod. tit. num. 14.*
5 Electus poteſt diſponere de rebus Eccleſiæ conſentiente Capitulo?
Reſp. Non poteſt, donec ſit confirmatus, quia tunc poteſt exercere iuriſdictionem ſine conſenſu capituli; ratio eſt, quia electio ſola non dat aliquam iuriſdictionem, quia poteſt irritari, ſi ex aliquibus cauſis à Papa non confirmetur. *Abb. in cap. tua nuper, num. 2. eod. tit.*
6 Poteſt Epiſcopus alienare rem magnam Eccleſiæ ſine conſenſu Capituli?
Reſp. Non poteſt, & alienatio aliter facta, nulla eſt, *c. 1. eod. tit. & extrauagans, c. ambitioſæ, vt latè diximus lib. 3. c. vltimo, de rebus Eccleſiæ non alienandis.*
7 In alienatione rei paruę requiritur conſenſus expreſſus Capituli?
Reſp. Non requiritur conſenſus expreſſus, ſed ſufficit tacitus, ita quod ſi facta alienatione rei paruæ, ſi Capitulum reclamet, debet audiri ab Epiſcopo, & alienatio tunc non habet vires, *tenet Abb. c. 1. & in cap. cum nos, eod. tit. num. 8.*
8 In præſentationibus faciendis, vbi Prælatus, & Capitulum habent ius ſimul conferendi Canonicatum, requiritur conſenſus totius Capituli, vel maioris partis?
Reſp. In negotijs iuſtitiæ, vt in prouiſione Canonicatus vel in collatione Canonicatus ſimul facienda ab Epi-

ab Epiſcopo, & Capitulo requiritur maior pars capituli, at verò in alienationibus requiritur conſenſus totius Capituli, quia ſunt negotia perpetua, & grauiora. *c. ea noſcitur, eod. tit.*

9 Prælatus poteſt præſcribere contra capitulum ius præſentandi, & modum prouidendi, ita vt ipſe ſolus poſſit facere negotia pertinentia ad Capitulum?

Reſp. Poterit, quia Prælatus eſt capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & iuriſdictio de iure præſcribitur. *Abb. in cap. ea noſcitur, num. 6. eod. tit.*

10 Ad ædificandam Eccleſiam de nouo requiritur conſenſus Capituli?

Reſp. Requiritur conſenſus Epiſcopi, & Capituli, quia contrariorum eadem eſt diſciplina. *Abb. c. paſtoralis, eodem tit. num. 6.*

11 Ad dotationem iam conſtructæ Eccleſiæ requiritur conſenſus Capituli?

Reſp. Negatiuè, ſed ſolum Epiſcopus poteſt eam dotare, & neceſſarium Eccleſiæ. *Abb. c. paſtoralis, eod. tit. num. 4.*

CAPVT XXII.

De Synodo Prouinciali.

1 QVid eſt Concilium Prouinciale?

Reſp. Eſt congregatio plurimorum Epiſcoporum, & clericorum ad tractandum de conſeruatione, & augmento fidei Catholicæ, de pace, & quiete, de ceremonijs Eccleſiæ, de extirpatione vitiorum. *Iſidor. in etymologijs, verbo concilium.*

2 Concilia in Eccleſia Dei, à quo tempore cęperunt eſſe aut quis primus celebrauit concilium?

Reſp. A tempore Apoſtolorum, Diuus Petrus celebrauit primum Concilium, quando dixit viſum eſt nobis, & Spiritui ſancto in vnum congregatis non imponere gentibus iugum legis Moſaicę, vt habetur in actis Apoſtolorum.

3 Concilia, in qua diuerſitate, & numero ſunt?

Reſp. In triplici. In primo loco ſunt concilia generalia, in quibus aſſiſtit Summus Pont. vel eius Legatus, & omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi totius Eccleſiæ Catholicæ, & omnes generales religionum, & omnes Nuntij Imperatoris, & Regum Chriſtianorum, qui cum mandato ſpeciali honorificè repręſentant ſuorum Regum perſonas, & debent congregari cum authoritate Summi Pont. alias non eſt legitimum. In ſecundo loco ſunt concilia Prouincialia, in quibus aſſiſtunt Archiepiſcopus Metropolitanus, & Epiſcopi ſuffraganei illius Prouinciæ, & congregantur authoritate Archiepiſcopi. In tertiò loco ſunt Concilia Diœceſana, quę vocantur Synodi, in quibus aſſiſtit Epiſcopus, & Clerus, & conuocantur authoritate Epiſcopi.

4 Quis tenetur conuocare Concilium Prouinciale?

Reſp. Archiepiſcopus Metropolitanus facultate ſibi tradita à *Concilio Trid. ſeſſ. 24. c. 3.*

5 Si Metropolitanus fuerit abſens, vel negligens in congregando concilium ſuis temporibus, quis debet ſupplere eius vices?

Reſp. Epiſcopus antiquior, ex facultate ſibi tradita à *Concil. Trident. eodem cap. 2.*

6 Quam pœnam incurrit Metropolitanus, vel Epiſcopus antiquior, qui neglexerit congregare concilium Prouinciale ſuo tempore?

Reſp. Pęnas poſitas in ſacris canonibus Conc. Trid.

7 Ad quem ſpectat deſignare locum, & ciuitatem, vbi congregari debet Concilium?

Reſp. Ad Archiepiſcopū Metropolitanū, & poterit deſignare aliquā ciuitatem in ſua diœceſi, vel in diœceſi alicuius Epiſcopi ſuffraganei, attēdendo maiorē cōmoditatē Epiſcoporū, & abundantiam, & fertilitatē terræ, vel longitudinem itineris, verū ſi cōmodè fieri poteſt, nō eſt deſerēda Metropolitana Eccleſia: ſic cenſuerunt *DD. in Cap. 2. ſeſſ. 24. Conc. Trident.*

8 Concilium Prouinciale, quo tempore fieri debet?

℞. Quolibet triennio poſt Paſcham Reſurrectionis, vel alio commodiori tēpore, & in India prorogatur tēpus per ſex annos vſq; ad inſtātiam Epiſcoporū, & propter magnā diſtantiam locorum. *Trid. ſyn. d. c. 2.*

9 Si nulla ſit neceſſitas congregandi cōcilium Prouinciale, incidit ne Metropolitanus in pęnas ſtatutas à ſacris Canonibus, & quid debet agere?

Reſp. Finito triennio Metropolitanus debet ſcribere Epiſcopis ſuffraganeis, & ſciſcitari ab eis, ſi ſit aliqua cauſa congregandi concilium, & ſi nulla ſit, certiorem facere Summum Pont. & ſic nullam incurrit pœnam, quia vbi non eſt infirmitas, non ſunt neceſſaria remedia.

9 Quid debent vocari, & venire ad concilium Prouinciale?

Reſp. Epiſcopi ſuffraganei, & Epiſcopi exempti, qui ſunt in illa Prouincia, Abbates habentes vſum mitræ, & baculi, Dignitates, Procuratores Eccleſiarum Cathedralium, licèt Eccleſiæ ſint exemptæ, vel non exemptæ.

10 Capitulum Eccleſiæ Cathedralis debet vocari ad Concilia Prouincialia?

Reſp. Affirmatiuè, quia, quod ad omnes ſpectat, ab omnibus debet approbari. *Abb. cap. fin. de his, quę fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli, num. 1.*

11 Capitula collegiatarum Eccleſiarum, quæ habēt iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, tenentur etiam vocari ad Concilium Prouinciale?

Reſp. Affirmatiuè ex eadem ratione. *Abb. vbi ſup.*

12 Si Capitula Cathedralia, vel collegiata noluerint venire ad Concilium, poſſunt ne compelli?

℞. *Abb. in cap. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu cap.* tenet, quòd dicta capitula debent inuitari, ſed non poſſunt compelli; ratio eſt, quia non habent votum deciſiuum.

13 Epiſcopi poſſunt compelli venire ad Concilium Prouinciale?

℞. Affirmatiuè, quia habent votum deciſiuum, & cum eis expreſsè loquitur *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2.*

14 Si aliquis, qui neceſſariò debet venire ad Concilium Prouinciale, ſit legitimè impeditus, poteſt ne mittere ſuum procuratorem?

℞. Poterit mittere ſuum procuratorem, & nullam incurrit pęnam, ſed debet probare impedimentum teſtimonio Medicorum, & informatione authentica ante Iudicem Eccleſiaſticum. *tenet Abba. c. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli, num. 3.*

15 Canonici Cathedralium, Dignitates, Abbates, quam vocem habent in Concilio Prouinciali.

℞. Conſultiuam, non deciſiuam, ibi enim vocantur

tamquam

tamquam membra principalia, vt aſſiſtant, dentque conſilium, non vt iudicent, ne Epiſcopis æquiparentur, vel cum illis pares fiant. *Abba. in dicto capit. final. num. 1.*

16 Qui habent votum deciſiuum in concilio Prouinciali?
Reſp. Solùm Epiſcopi, & eorum Procuratores; quia cum eis ſolis loquitur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2.*

17 Laici poſſunt vocari ad concilia Prouincialia?
Reſp. De neceſſitate non vocantur, ſed in aliquo caſu ad defendenda iura poſſunt vocari, ſicut fecit Bonifacius VIII. Papa, & debent expelli à concilio cum agitur de corrigendis vitijs clericorum, c. Mæſſana, de electione, & in extrauag. Bonifacij VIII. cap. non debet. *Abb. c. fin. de his, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli, num. 5.*

18 Epiſcopus exemptus, & ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectus, ad quod concilium Prouinciale tenetur accedere?
Reſp. Ad cōcilium Metropolitanum, quod ipſe elegerit, quia mens Concilij Trid. fuit, vt nullus Epiſcopus exemptus ſolus remaneret, ſed vt quolibet triennio congregaretur cum alijs Epiſcopis, vbi communicaret ſuam opinionem, & audiret doctrinam aliorum in rebus tam neceſſarijs; ſicuti in concilio Prouinciali tractantur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2.*

19 Si aliquis Epiſcopus exemptus ſemel elegerit aliquem Metropolitanum, poterit poſtea in alio concilio mutare alium Metropolitanum?
Reſp. Non poteſt variare, neque ipſe, neque eius ſucceſſores; ratio eſt, quia electio ſemel data fuit, & rationi conſentaneum eſt, vt ſit notum, & ſciatur ad quod concilium vocari debeat talis exemptus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2.*

20 Archiepiſcopus Metropolitanus ſi congregauit concilium, poterit cogere Epiſcopum exemptum ad ſeruanda ſtatuta facta in concilio, in quo ipſe interfuit, & dedit ſuum ſuffragium deciſiuum, ſicut reliqui Epiſcopi?
Reſp. Negatiuè; ratio eſt, quia concilium ſolum petit præſentiam Epiſcopi abſentis, & ex iſta præſentia non ſubijcitur Metropolitano, imo eius exemptio illæſa ſeruatur, & remanet ſolùm ſubiectus Summo Pont. ſicut antea, qui poteſt eum cogere ad ſeruanda dicta decreta.

21 Antiquitas Epiſcoporum in ſedendo, & in dando vocem, vnde ſumi debet?
Reſp. Tam inter Epiſcopos ſuffraganeos, quàm inter Epiſcopos exemptos, & ſuffraganeos à tempore ordinationis, & conſecrationis, non ex dignitate, aut paupertate, vel magnitudine Epiſcopatus; ratio eſt, quia maior dignitas eſt conſecratio, reliqua ſunt accidentalia; ſic cenſuerunt *DD. in c. 2. ſeſſ. 24. Conil. Trident.* niſi fortè in aliquo concilio Prouinciali ſit aliquod priuilegium, vel aliqua conſtitutio ſcripta de modo ſedendi.

22 Quæ debent tractari in concilio Prouinciali?
Reſp. Quæ neceſſaria ſunt pro ſtabilienda fide Catholica, pro extirpandis hæreticis, pro augmentando diuino cultu, pro moderandis moribus fidelium, corrigendis exceſſibus, reprimendis vitijs, componendis controuerſijs, ſedandis litibus, de vita, & honeſtate clericorum, de docenda doctrina Chriſtiana, de Catechiſmo, de faciendis notis decretis, Concil. Triden. & de alijs rebus, quæ per ſacros Canones, & antiqua concilia decernuntur tractari. *Trid. ſynod. ſeſſione 24. capit. 2.*

23 Cauſæ ciuiles, & criminales Epiſcoporum, vbi ſunt tractandæ?
Reſp. In Concilio Prouinciali, ſi ſint minores, & illæ vocantur minores, quę non petunt pœnam degradationis, neque depoſitionis, quia iſtæ vocantur maiores, & ſunt tractandæ ſolùm coram Summo Pontif. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 5. de reform.*

24 Non miracula, & difficultates, quæ ex eis oriuntur, vbi ſunt tractandæ?
Reſp. In Concilio Prouinciali, & relatio integra, vera, & fidelis remittenda eſt Summo Pontifici; ratio eſt, quia miracula ſunt de maioribus Eccleſiæ negotijs, & ad ſolum Summum Pont. pertinet declarare, ſi ſint miracula, an non. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. de inuocatione imaginum.*

25 Cauſæ abſentiæ Epiſcoporum, & licentia data à Metropolitano, vbi ſunt tractandæ?
Reſp. In Concilio Prouinciali, & ibi iudicari debet, an Epiſcopi abutantur dictis licentijs, & an reſidentia detrimentum patiatur. *Trident. ſynod. ſeſſ. 23. c. 1. de reformat.*

26 Concilium Prouinciale poteſt ordinare modum canendi, & alia neceſſaria ad cultum diuinum?
Reſp. Poterit, quia ad hoc principaliter congregatur, vt augeatur cultus diuinus, & hęc facultas expreſsè datur ei à *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 12.*

27 Quis poteſt augere redditus Cathedralis Eccleſiæ, cum præbendæ ſunt tenues?
Reſp. Concilium Prouinciale in hoc negotio vocatis ijs, quorum intereſt, diligenter negotium diſcutiant, & inquirant, & inſtrumenta, & relationes ad Romanum Pontificem remittentur, vt ipſe prouideat. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. c. 13.*

28 Decreta Concilij Prouincialis, quando ſunt publicanda?
Reſp. Metropolitanus, & Epiſcopi debent tranſmittere omnia decreta Concilij Prouincialis ad Romanum Pont. & eo conſulto, & approbante, Metropolitanus debet approbare decreta, & non ante; ſic cenſuerunt *Doctorum capit. 2. ſeſſion. 24. Concilij Tridentin.*

CAPVT XXIIII.

De Synodo Diœceſana.

1 Synodus diœceſana quomodo definitur?
Reſp. Eſt quædam congregatio in vnum perſonarum Eccleſiaſticarum ab Epiſcopo facta ad Dei laudem, & animarum ſalutem, *Barthol. Vgol. de officio & poteſtate Epiſcopi, c. 4. fol. 99.*

2 Vnde dicitur Synodus?
Reſp. A verbo græco Synodon, quod ſignificat ſimul, quaſi omnes in vnum concurrere debeant ad bonum animarum.

3 Synodus Diœceſana quando fieri debet, & quo tempore?
℟. Singulis annis, & tempore accommodato, in quo Parochi pro ſua abſentia non faciant damnum Ec-

cleſijs ſibi commiſſis. *Trident.ſynod.ſeſs.24.c.2.*

4 Quis debet conuocare ſynodum diœceſanam?
Reſp. Epiſcopus de ſua propria authoritate, abſq; conſilio, vel conſenſu capituli. *Trid.ſyn. vbi ſup.*

5 Qui debent venire neceſſariò ad ſynodum diœceſanam?
Reſp. Canonici Cathedralis,& Collegialis Eccleſię, Dignitates, Archipresbyteri, Parochi, qui curam animarum habent, etiam ſi ſint regulares exempti, omnes Clerici,qui habent beneficia ſimplicia,& qui ſunt initiati ſacris ordinibus,c.quod ſuper his de maioritate, & obedientia, cap. conquærenti,de officio ordinarij. *Trid.ſyn.vbi ſup.*

6 Qui non obligantur venire ad Synodum diœceſanam?
Reſp. Plures. Primò Clerici in minoribus ordinibus conſtituti,qui non habent beneficium. Secundò regulares exempti, qui ſuis Capitulis generalibus ſubijciuntur, ſi non habeant beneficium curatum vnitum, cui per ſuos regulares ſeruiatur. Tertiò qui à morbo,vel ſenectute detinentur. Quartò qui habent Eccleſiam Parochialem, & non habent ſubſtitutum, vt eam relinquat. Quintò ſi impediatur legitima cauſa,veluti bello,peſte,inimicitia,impetu fluminis, incurſu latronum. Sextò excommunicati,& denunciati,niſi veniant ad petendam abſolutionem, & veniam,cap.penultimo,de ſententia excommunicationis. *Vgol.lib.2. fol.100.*

7 Quam pœnam incurrunt, qui vocati non veniunt ad ſynodum diœceſanam?
Reſp. Cenſuris Eccleſiaſticis coercendi ſunt ab Epiſcopo, donec veniant. *Trid.ſyn. ſeſſ.24.c.2.*

8 Qui habent impedimentum,vt non veniant ad ſynodum,quid debent agere, vt non incurrant pęnam?
Reſp. Portare authenticum teſtimonium ſui impedimenti factum teſtibus idoneis, aut fidem Medicorum,& illud præſentare in Synodo per ſuum Procuratorem,vt cognoſcatur eius obedientia,nam impedito non currit pœna,neque præſcriptio. *Barthelom. Vgolin. vbi ſup.*

9 Qui habent beneficium ſimplex in vna diœceſi,& habitat cum ſua familia in altera, ad quam ſynodũ tenentur venire?
Reſp. Ad Synodum Epiſcopi, in cuius diœceſi habent beneficium,quia ibi agitur de cura animarum, & gubernatione Eccleſiarum,*gloſſa in c.quod ſuper his de maioritate, & obedientia.*

10 In Synodo Diœceſana votum Canonicorum eſt conſultiuum, an deciſiuum?
Reſp. Regulariter eſt conſultiuum, ſed in aliquibus caſibus a Iure expreſſis eſt deciſiuum,*tenent DD.in c. 2.ſeſſ.24. Conc.Trid.*

11 In Synodo Diœceſana, quid debet tractari?
Reſp. De vita, & honeſtate Clericorum, de correctione morum, de augmento cultus diuini & quilibet ex congregatis liberè debet proponere ea, quæ ſibi magis videbuntur ſtatuenda ad bonam gubernationem Eccleſiarum, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus. *Barthol.Vgol.vbi ſup.*

12 In Synodo Diœceſana,qui Iudices debent eligi,& in quo numero?
Reſp. Ad minus quatuor, & poſſunt eligi in maiori numero. *Trid. ſyn.ſeſs.25.c.10.*

13 In Synodo Diœceſana, qui examinatores Synodales debet eligi, & in quo.num.
Reſp. Ad minus debent eligi ſex, & poſſunt eligi in maiori numero. *Trid.ſyn.ſeſſ.25. c.10.*

14 Decreta Concilij, quando ſunt publicanda, & à quo?
Reſp. Finito Concilio ab Epiſcopo ſunt publicanda,vel typis mandanda,vt veniant ad notitiam,tàm laicorum,& clericorum,vt ab omnibus obſeruentur. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.10.*

CAPVT XXIV.

De Iudicibus Synodalibus.

1 IVdices Synodales,à quo debent eligi,& quando?
Reſp. Debent eligi à Synodo Diœceſana, vel Prouinciali,& à ſingulis Concilijs debent confirmari præexiſtentes, vel de nouo eligi. *Trid.ſyn.ſeſs.25.capit. 10.*

2 Quis numerus debet eligi iudicum ſynodalium?
Reſp. Ad minus debent eligi quatuor, ſed ſemper debent eligi pluręs, vt ſi aliquis deficiat ex his ante celebrationem futuri Concilij, reſtet numerus completus, præcipuè cum concilium expreſsè dicat, vt habeat quæque Diœceſis quatuor Iudices, aut plures. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.10.*

3 Quas qualitates debent habere dicti Iudices Synodales?
Reſp. Debent eſſe docti,bonæ vitæ,conſtituti in dignitatę Eccleſiaſtica,vel Canonicatu,graduati ſi fieri poteſt,iuxta Conſtitutionem Bonifacij VIII. *in c. ſtatutum, de reſcriptis. Trid.ſyn. vbi ſup.*

4 Quæ ſolemnitas eſt ſeruãda in electione Iudicum Synodalium?
Reſp. Poſtquam Synodus Prouincialis, ſeù Diœceſana eos elegerit, Epiſcopus eorum deſignationem ad Romanum Pont.tranſmittat,vt cognito in Curia Romana eorum nomine, poſſint officiales Romani Pont.eis cauſas delegare,& non alijs.*Triden.ſyn.ſeſſ. 25.c.10.*

5 Quod eſt officium iudicum Synodalium?
Reſp. Iudicare cauſas ſibi à ſede Apoſtolica, & à Nuntijs, & Legatis commiſſas cum ſumma breuitate,& iuſtitia, & occurrant litigantium dilationibus, calumnijs, & expenſis. *Trid.ſyn. vbi ſup.*

6 Vſque ad quod tempus durat officium iudicum Synodalium?
Reſp. Vſque ad Synodum ſequentem, ſiue ſit longam, ſiue breuem; nam in qualibet Synodo debent eligi de nouo,vel præexiſtentes confirmari.*Trid.ſyn. ſeſſ.24.c.2. de reformat.*

7 Si contigerit aliquem ex iudicibus mori,vel abeſſe diuturna abſentia, & non ſint plures, quam quatuor, quid eſt agendum?
Reſp. Epiſcopus, vel ordinarius loci cum conſilio capituli ſubſtituat alium in loco defuncti, ita vt ſint ſemper quatuor, & ſi inuenerint aliquem, qui fuit Iudex in alia ſynodo,illum poterit ſubſtituere; quia iam approbatus fuit, *Trid. ſyn.ſeſſ.25.c.10.*

8 Conciliũ Capituli requiritur de neceſſitate in hoc caſu,ita,vt epiſcopus teneatur neceſſariò illud ſequi?
R. Conſilium capituli requiritur neceſſariò pro forma

ma iſtius electionis, & Epiſcopus non poterit hanc formam præterire, quia actus eſſet nullus, tamen non tenetur de neceſſitate ſequi illum conſilium, præcipuè, ſi Epiſcopus inueniat aliam perſonam æqualem, maioris ſatisfactionis, quàm illa, ad quam Capitulum inclinat, vt ſit Iudex ſynodalis. *tenent DD. in c. 10. ſeſſ. 25.*

9. Si aliquis Iudex ſynodalis incæpto aliquo negotio ſibi commiſſo renuntiauerit dignitati, vel Canonicatui, poterit ne finire tale negotium?
Reſp. Affirmatiuè, quia ſufficit eum fuiſſe capacem in principio cauſæ; tunc enim radicata fuit iuriſdictio in tali perſona vſque ad finem cauſæ.

10 Si aliquis Iudex ſynodalis cæperit aliquod negotium, & moriatur, vel detentus ſit longa abſentia, poterit alius coniudex eius negotium finire?
Reſp. Si tale negotium commiſſum fuit, non vt iudici ſynodali, ſed vt particulari perſonæ, veluti Petro, vel Ioanni, tunc non poterit alius coniudex finire tale negotium; ratio eſt, quia electa fuit à Summo Pont. induſtria talis perſonæ, ſed ſi commiſſum fuit negotium tali perſonæ, vt iudici ſynodali, tunc benè poterit alius coniudex finire tale negotium, quia de Iure, quorum eadem eſt nominatio, & poteſtas, eadem eſt iuriſdictio, & ſic quod vnus incæpit, alter poterit finire; tamen in iſto caſu tenetur de nouo citare partes, & de nouo acta notificare, vt non fiat attentatum.

11 Si causa Sede Apoſtolica committatur alijs, quam iudicibus ſynodalibus, quid eſt agendum?
Reſp. Tales delegationes ſubreptitiæ cenſentur, cum per Concilium ad hoc officium iudices nominati ſint. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 10.*

12 Iudex ſynodalis poterit cognoſcere, vel citare aliquam perſonam extra diœceſim, in qua eſt Iudex?
Reſp. Non poteſt, neque extrahere aliquem vltra vnam dietam, niſi reſcriptum de talem facultatem, & exprimat cauſam, & talis Iudex debet obſeruare omnia contenta in d. c. ſtatutum, de reſcriptis, quia hæc conſtitutio Bonifacij facta fuit, vt tollerentur moleſtiæ, & expenſæ partium. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

13 Quam mercedem poteſt habere Iudex ſynodalis?
Reſp. Moderatam propinam, & ſi extra domum ſuam exierit ad recipiendos teſtes moderatam mercedem, ſecundum qualitatem perſonæ, vt habetur in *c. ſtatutum, §. inſuper, de reſcriptis, in 6.*

14 Iudex ſynodalis poteſt habere aſſeſſorem?
Reſp. Si Iudex non fuerit graduatus, & illo indigeat, poterit illum habere, ſi autem ſit doctus, ac peritus, debet proprijs bonis aſſeſſorē munerari, in vtroque autem caſu aſſeſſor nō debet eſſe ſuſpectus parti. *c. ſtatutum, de reſcriptis, §. aſſeſſorem. in 6.*

15 Quis debet nominare Notarium in cauſa Eccleſiaſtica iudicij ſynodali commiſſa?
Reſp. Ipſe Iudex ſynodalis debet nominare Notarium curſorem, & omnes officiales ſibi neceſſarios, & debet expenſas taxare, & prouidere, ne partes moleſtias, & exactiones patiantur à Notarijs, & officialibus.

16. Si iudex ſynodalis aliquem citauerit, qui ſit extra diœceſim, vel exceſſerit ſuam commiſſionem contra conſtitutionem Bonifacij VIII. quā pœnam incurrit?
Reſp. Tenetur ad integram reſtitutionem, & ſoluēdas expenſas parti læſæ. *cap. ſtatutum de reſcriptis, §. ſi quid autem in 6.*

CAPVT XXV.

De examinatoribus Synodalibus.

1 EXaminatores ſynodales, à quo debent eligi, & quando?
Reſp. Ab Epiſcopo, vel eius Vicario, ſingulis annis in ſynodo diœceſana, & ad minus à Synodo debet proponi ſex, & debent approbari à Synodo, & poſſunt proponi in maiori numero, vt ſemper remaneāt ad minus ſex. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18.*

2 Quas qualitates debēt habere dicti examinatores?
Reſp. Debent eſſe licentiati, vel doctores in ſacra Theologia, vel in iure canonico, & poſſunt eſſe clerici ſæculares, vel Patres regulares cuiuſcumque ordinis, vel religionis, & debent iurare ſe benè officium, ac fideliter fore exercendos. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. c. 18. & Pariſ. de reſignat. beneficiorum. lib. 6. 8. q. 9.*

3 Poſtquam fuerint electi examinatores ſynodales, quam ſolemnitatem debent facere?
Reſp. Debent iurare per ſancta Dei Euangelia in manibus Epiſcopi, vel Synodi, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus exequuturos. *Trid. ſyn. loco cit.*

4 Vſque ad quod tempus durat eorum officium?
Reſp. Vſque ad Synodum diœceſanam ſequentem, vbi vel debent confirmari, vel eligi de nouo. *Trid. ſyn. loco citato.*

5 Electio examinatorum ſynodalium facta in ſynodo diœceſana, & aliorum officialium, ligat ne Epiſcopum de nouo intrantem?
Reſp. Ligat, quia iuridicè electi ſunt.

9 Si non ſint plures examinatores, quàm ſex, & intra annum aliquis eorum moriatur, quid agendum?
Reſp. Epiſcopus ſi inuenerit aliquos examinatores in alia ſynodo approbatos, eos ſubſtituere poterit in loco mortui: ſi autem non fuerint, Epiſcopus proponat aliquos viros doctos, & cum approbatione capituli eos ſubroget in numero Defunctorum, Praxis Archiepiſc. Authore Franciſco Leono.

7 Officium horum examinatorum ſynodalium, qui intra annum electi ſunt, quanto tempore durat?
Reſp. Vſque ad nouam ſynodum, vbi, vel confirmātur, vel de nouo eliguntur alij examinatores.

8 Si tranſacto primo anno aliquis ex ſex examinatoribus moriatur, poterit ne Epiſcopus alium in locum eius ſubrogare, ſicut poteſt non finito anno?
Reſp. Negatiuè, imo officium cæterorum omnium (ſi non reſtent ſex) ſpirat, & neceſſariò debent à ſynodo noua de nouo eligi; ſic declarauerunt Illuſtriſs. Cardinales *ſuper c. 18. ſeſſ. 24.*

9 Quare Epiſcopus non poteſt ſubrogare elapſo anno examinatores loco defuncti, & poteſt intra annum, præcipuè cum poſſit ſubrogare iudicem ſynodalē loco defūcti, vt habetur in *c. 10. ſeſ. 25. Cōc. Trid.* ℞. Duplici ratione. Prima, quia intentio cōcilij eſt, vt ſingulis annis fiat ſynodus diœceſana, & ſic intra annū dat illi hāc facultatē, & nō extra annū. Secunda, quia examinatores ſynodales proponuntur ab

Epiſcopo, vel eius Vicario, & approbantur à ſynodo diœceſana, & in his epiſcopus ſolum habet nominationem; at verò iudices ſynodales à tota ſynodo diœceſana, vel Prouinciali proponuntur, & approbãtur, & in aliquibus rebus, quia ſynodus Prouincialis debet determinare epiſcopum ſupplere cum conſenſu Capituli, ſicut in *c.* 12. *ſeſſ.* 24. in regimine Eccleſiæ, & cantu. De miniſtris verò epiſcopus cum duobus de Capitulo debet determinare, quæ magis conueniant, donec ſynodi tempus adueniat; ideò epiſcopus elapſo anno non poteſt ſubrogare examinatore, ſed ſolum intra annum per facultatem ſibi traditam à Concilio, quæ cum ſit expreſsè limitata, extendi non debet. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *& ſeſ.* 25. *c.* 10.

10 Si ſit cõpletus numerus ſex examinatorũ, & tranſacto anno ſynodus diœceſana non fiat, expirabit ne officium eorum, vel durabit vſq; ad aliam ſynodum?

Reſp. Durabit vſque ad aliam ſynodum; quia cum ſint ſex, & approbati à ſynodo, intentio concilij impletur, ſicut apparet *in c.* 18. *ſeſſ.* 24.

11 Quare concilium vult, vt examinatores ſint ad minus ſex, cum in quolibet examine epiſcopus non teneatur vocare, niſi tres, quos voluerit?

Reſp. Quia ſic videtur concilium tollere cautelas examinandorum, qui ſi ſcirent non eſſe niſi tres, eos precibus, vel donis poſſent corrumpere, ſed cum ſint ſex, difficiliùs poteſt fieri, vt nullus ſciat, quos ex his vocabit epiſcopus, & fortè ex hac ratione voluit cõcilium, vt ſint ſex vel plures.

12 Si epiſcopus tranſacto anno nominauerit aliquos examinatores loco mortuorum, vel fecerit concurſum cum alijs hominibus doctis, & non cum examinantibus ſynodalibus, erit ne valida talis prouiſio?

Reſp. Negatiuè, & beneficiũ poteſt impetrari, quia prouiſio deuoluitur ad ſedem Apoſtolicam ex expreſſo decreto irritante. *Trident. ſynod. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *& Bulla Pij V. in Bullario* 32. irritans prouiſiones factas ſine examinatoribus ſynodalibus, & quamquã Riccius in praxi reſolutione 355. tenet Epiſcopum poſſe deputare nouos examinatores, ſi temporis concurſu non adſint ſynodales, fultus duplici ratione. Prima, quòd iſtam ſuam opinionem tenet Rota in vna Placentina de male partita 29. Nouẽbris 1593. coram Tita, vbi forma (lege inducta) non poteſt præcisè adimpleri, tunc illa remittitur, ſecundum Romanum conſilium 433. tamen non eſt recedendum à diſpoſitionem Conc. Trid. & dicta Bulla Pij V. Primò, quia Rota in illa Parochiali de male partita, fortaſſis fecit illam deciſionem, quia epiſcopus intra annum elegit alios examinatores, vel quia ſe fũdauit in diſtantia loci, & neceſſitate Eccleſiæ. Secundò in caſu noſtro benè poteſt adimpleri forma, ſi defecerit intra annum, epiſcopus habeat facultatem nominandi alios, & extra annum in manu epiſcopi congregare ſynodum diœceſanam, & implere formam, & ſic tutius eſt obſeruare formam concilij, & Bullam Pij V. quam litem excitare ſuper prouiſionem factam ab epiſcopo.

13 In quolibet examine quem numerum examinatorum debet epiſcopus deputare?

Reſp. Ad minus tres, quos ipſe voluerit & poteſt ſumere maiorem numerum pro arbitrio, ſed non minorem. *Trid. ſynod. ſeſſ.* 24. *c.* 18.

14 Quid poſſunt recipere examinatores ſynodales pro labore examinis?

Reſp. Nihil, neque ante, neque poſt examen, ſed in Hiſpania eſt alia conſuetudo, vt infra dicetur. *Trident. ſynod. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *cap. quando diſtinct.* 24.

15 Si examinatores aliquid recipiant intuitu huius examinis, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Tam ipſi, quam dantes incurrunt crimen ſimoniæ, à quo abſolui non poſſunt, niſi dimiſſis beneficiis, quæ obtinent, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda. *Trid. ſyn. ſeſ.* 24. *c.* 18.

16 Coram quo iudice debent examinatores conuenire, ſi ratione examinis aliquid recipiunt?

Reſp. Coram epiſcopo, & ſynodo diœceſana; & vltra declaratas pœnas poſſunt puniri alijs pœnis arbitrio ſynodi. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *Pariſ. de reſignat. beneficior. lib.* 8. *q.* 9.

17 Poterit Ordinarius, vel ſynodus diœceſana aſſignare examinatoribus ſynodalibus aliquod ſtipendium, etiam minimum pro ſuo labore?

Reſp. Negatiuè, imò decretum eſt nullum, *vt tenet Nicol. Garc. de benefic. p.* 9. *c.* 2. *n.* 274. *ſed Petrus de Ledeſma in ſum. p.* 2. *tract.* 7. *pag.* 159. refert, quòd in Hiſpania communi vſu receptum eſt, vt examinatores recipiant aliquid pro ſuo labore, videlicet vnum aurum pro quolibet examine, ſoluendum ab eo, qui eligitur in Parochum, ſicut in electione canonici electus ſoluit expenſas ſuorum aduerſariorum.

18 Examinatores quod votum habent, deciſiuum, ne, an conſultiuum?

Reſp. Solum conſultiuum; nam per acto examine debent omnes idoneos cum ſuis qualitatibus denuntiare epiſcopo, & ſic functi ſunt officio ſuo. *Trid. ſynd. ſeſſ.* 24. *c.* 18.

19 Eſt ne neceſſarium omnes examinatos approbare, vel reprobare?

℞. Eſt neceſſarium dicere Petrum approbo, Ioannẽ verò reprobo, quia aliter nõ ſit iudiciũ completũ, & integrũ, vt epiſcopus habeat integram cognitionem.

20 Approbatio ab examinatoribus debet ne eſſe cõmuni conſenſu, vel ſufficit maior pars votorum?

Reſp. Sufficit maior pars votorum, quia hoc eſt iudicium, & ex maiori parte ſumitur ſententia. *Nicol. Garcia p.* 9. *de beneficijs. num.* 109. *c.* 2.

21 Examinatores debent ne renuntiare epiſcopo ordinem, & gradum idoneitatis; ideſt, Petrus eſt idoneus, Ioannes Magis idoneus, Franciſcus Magis idoneus cæteris?

℞. Negatiuè, ſed omnes idoneos ſimul ſine aliquo gradu, quia hoc eſſet aſſumere ſibi poteſtatem, quã Trid. ſyn. dedit epiſcopo, ſcilicet, vt inter idoneos eligat magis idoneum, hoc enim iudicium eſt propriũ epiſcopi: ſed ſi epiſcopus aliquando voluerit interrogare, & ab aliquo examinatore, vel ab omnibus aliquod iudicium expoſcere, tũc poterunt illi obtemperare. *Nicol. Garcia de beneficijs, part.* 9. *c.* 2. *n.* 107. *Trid. ſyn. ſeſ.* 24. *c.* 18. vbi clarè apparet, *licet Zerola in praxi epiſcopi. c.* 1. *Bartholomæus Medina in ſum. c.* 14. *Fr. Ludouicus Lopez tom.* 1. *c.* 127. *Ledeſma in ſum. tract.* 7. *c.* 1. tenent, quòd dicti examinatores debent renuntiare epiſcopo Petrum eſſe magis idoneum, ſed hęc opinio non videtur conſonans ſancto Concilio Trident. ſicut prima, quia expreſsè Concilium dicit, ex his approbatis epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, ergo facultas iudicandi magis idoneum inter idoneos epiſcopo, & non examinatoribus data eſt.

22 Examinatores tenentur ne facere relationem de ſola litteratura?
Reſp. Non ſolùm de litteratura,ſed etiam de ætate, moribus, prudentia, & doctrina, & de alijs circunſtantijs opportunis ad regendam talem Eccleſiam, & in hoc non debent eſſe muti, ſed liberè debent renuntiare Epiſcopo omnia neceſſaria, vt Epiſcopus ex eorum relatione poſſit facere meliorem electionem. *Nic.Garc.de beneficijs.par.5.c.7.num.11.Trident. vbi ſupra.*

23 Si examinatores peracto examine renuncient Petrum eſſe ſcientia idoneum, & de moribus, & vita nihil dicant, ſatisfaciunt ne ſuo officio?
℟. Non, quia debent renuntiare eſſe idoneum ſciẽtia, ætate, & moribus. *Trid.ſyn.ſeſs.24.c.18.*

24 Si vota examinatorum fuerint paria,quod poteſt epiſcopus agere?
Reſp. Poteſt accedere Epiſcopus, vel eius Vicarius, & dari ſuffragium alteri ex illis, quem magis aptum iudicauerit. *Trid.ſyn.ſeſs.24.c.18.*

25 Epiſcopus, & eius Vicarius poſſunt in examine interrogare, ſicut alij examinatores?
Reſp. Poſſunt examinare, quia cæteri ſunt in eorum adiutorium. *Trid.ſyn.ſeſs. 24.c.18*

26 Vota examinatorum debent eſſe publica, an ſecreta?
Reſp. Hoc non fuit declaratum à concilio, ſed magis expedire videtur, vt examinatores palam inter ſe ſua vota conferant, & Secretarius ſcribat, Petrus approbatur, & Ioannes reprobatur.

27 Examinatores ſynodales debent ne examinare prouiſos de beneficijs ſimplicibus?
Reſp. Non eſt neceſſarium, quia in ſimplicibus non requiritur concurſus, ſed poſſunt examinari ab Epiſcopo, vel eius Vicario, vel ab alio deputato, quia de beneficijs curatis ſolum loquitur concilium.

28 Iudices ſynodales, & examinatores in quo differunt?
℟. In pluribus. Primò iudices ſynodales nominãtur, & confirmantur à toto concilio. Secundò eorum nominatio defertur ad Summum Pontif. Tertiò ſi moriantur, vel ſint abſentes, epiſcopus poteſt ſuſtituere alium cum duobus de capitulo. Quartò neceſſariò non debent eſſe graduati. Quintò debent eſſe conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica, & non poſſunt eſſe regulares. Sextò non poſſunt accipere neceſſariũ cibum pro ſuo labore. Septimò poſſunt habere aſſeſſorem, & delegare in faciendis informationibus. Octauò habent iuriſdictionem delegatam, & ſua ſententia eſt deciſſiua: examinatores verò ſynodales. Primò nominantur ab Epiſcopo, & confirmantur à ſynodo. Secundò eorum nominatio non defertur ad curiam. Tertiò debent eſſe neceſſariò ſex, & ſi tranſacto primo anno ex præfixo numero ſenario vnus moriatur, officium aliorum quinq; ſpirat vſq; ad futuram ſynodum. Quartò debent eſſe graduati. Quintò non eſt neceſſarium, vt habeant dignitatem, nec canonicatum, & poſſunt eſſe fratres regulares. Sextò nihil poſſunt accipere, nec antea, nec poſt pro ſuo labore. Septimò non poſſunt habere aſſeſſorem, nec ſubſtituere. Octauò ſua ſententia eſt conſultiua, & non deciſiua. Nonò ſi concurſus fiat cum alijs doctis viris, & non cum ſynodalibus, vel fiat cum minore numero trium, prouiſio deuoluitur ad ſedem Apoſtolicam. *Tridentin. ſynod. ſeſtion. 24. capit. decimonono, de examinatoribus. ſeſsiòne 25. capit. 10. de iudicibus.*

CAPVT XXVI.

De viſitatione Epiſcopi in ſua Diœceſi.

1 DE hac materia agit, *Conc.Trid.ſeſs.13.c.2.ſeſs. 14.c. 4.ſeſſ.6.c.3.& 4.ſeſſ. 21.cap.8.9.& 10. ſeſſ.23.c.18.ſeſſ.24.c.3.9.& 10.& 11.ſeſſ.25. decret. de purgatorio.c.6.& 14.ſeſs. 24.c.1.& 3.*

2 Quid eſt viſitatio?
Reſp. Sedula inquiſitio rerum omnium, quæ pertinent ad Chriſtianam diſciplinam, & Chriſtianos mores corrigendos.

3 Finis viſitationis qualis debet eſſe?
Reſp. Exterminare hæreſes, corrigere malos mores, examinare ſanam doctrinam, reficere Eccleſias, viſitare fabricas, exhortari concionibus populum, & pacem. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.3. de reform. c.ſane, de cenſibus. lib.6.c.Procuratione, de cenſibus.*

4 Quæ loca ſunt viſitanda, & Ordo viſitandi qualis debet eſſe?
Reſp. Primum debet viſitare Eccleſias Cathedrales, Collegiales, & alias, & in eis ſanctum Sacramẽtum, & fontem baptiſmalem, vaſa ſacra, olea ſancta, ſacriſtiam, ornamenta, bona Eccleſię, perſonas Eccleſiaſticas, & ſæculares, ſeminarium, vniuerſitates, Moniales, hoſpitalia, montes pietatis, confraternitates, omnia loca pia bona fabricæ, archiuum, teſtamenta, & legata, tandem omnes ſubiectos epiſcopo, & iuriſdictione Eccleſiaſticæ. *Trident.ſyn.ſeſs.21.de reform.c.18.& 21.ſeſſ.6.de reform.c.4.ſeſſ.25.c.8.ſeſſion. 22.de reform.c.15.ſeſſ.7.de reform.c.1.& 8.c.ſanè, de cenſibus.lib.6.*

4 Edictus viſitationis quid debent continere, & ſub qua pęna?
Reſp. Vt omnes denuntient delicta publica, & ſcandaloſa, ſuperſtitiones, vſuras, ſimonias, concubinatus, lamias, hæreſes, & alia ſimilia, & hoc ſub pœna excommunicationis, vel ſub alijs pœnis, etiam pecuniari s. *D.Thom.2.2.q.33.art.7.*

5 Quis poteſt viſitare?
Reſp. Epiſcopus per ſe ipſum tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, & ſi legimè impeditus fuerit per idoneum ſubſtitutũ. *Trid. ſynod.ſeſs.24.c.10.de refor.*

6 Quam poteſtatem habet epiſcopus in viſitatione?
Reſp. Magnam ad morũ correctionem, & reformationem, & ab eius ſententia non admittitur appellatio, quo minus executioni mandẽtur decreta, & pęnæ impoſitæ, non obſtat inquam appellatio, quę non habet vim ſuſpenſiuam, ſed ſolum deuolutiuam; *Trid. ſyn.ſeſs.24.c.10.de refor.*

7 Qui abſq; epiſcopo poſſunt viſitare?
Reſp. Generales, & Prouinciales religionum approbatarum, & Viſitatores per eos electos poſſunt viſitare ſuos ſubditos, tàm regulares, quam Moniales, & etiam poſſunt viſitare Archidiaconi, & Dignitates quæ habent conſuetudinem, vel priuilegium a ſede Apoſto-

Apoſtolica per ſe ipſos,& non per ſubſtitutos. *Trid. ſyn.ſeſſ.24.c.3.& 5.de refor.*

8 Capitula exempta poſſunt habere Viſitatores? Reſp. Si capitula exempta habeant priuilegium viſitandi, vel conſuetudinem immemorabilem,poſſunt habere viſitatores, & viſitare.*Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.3.*

9 Archidiaconus,& aliæ Dignitates, ſi ſint impediti poſſunt viſitare per ſubſtitutum? Reſp. Si iſte, & Dignitates non poſſunt viſitare mores, ſed ſolùm emolumenta Eccleſiarum, & redditus fabricæ poterunt viſitare per ſubſtitutum; ſi verò debeant viſitare mores, neceſſariò debent viſitare per ſe ipſos, quia eis non eſt data tàm ampla facultas,ſicut Epiſcopis.

10 Iſti viſitatores capituli exempti, vel Archidiaconi, vel Abbates,vel alij alicuius dignitatis quid tenẽtur agere ante viſitationem, & poſt viſitationem? Reſp. Ante viſitationem tenentur approbari ab Epiſcopo,finita viſitatione infra menſem tenẽtur reddere rationẽ Epiſcopo viſitationis, & exhibere ante ipſum depoſitiones teſtium, & integra acta,non obſtante priuilegio, & conſuetudine immemorabili in contrarium; ratio eſt, quia finita viſitatione ceſſat eorum iuriſdictio,& ſi procedendũ ſit in illis delictis, punitio pertinet ad iuriſdictionem Epiſcopi. *Trid.ſynod.ſeſſ.24.c.3.*

11 Si epiſcopus vult viſitare loca, & perſonas viſitatas a viſitatore capituli, vel ab Archidiacono poteſt ne id facere? Reſp. Poteſt. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.5.*

12 Quos Archidiaconus, & Viſitator punierunt, & condemnauerunt in viſitatione ſua, poterit ne Epiſcopus magis punire? Reſp. Negatiuè,licèt ei demoſtrandus ſit proceſſus, quia nemo duplici pœna affligitur.

13 Archidiaconus, & Viſitatores capituli poſſunt portare in ſua viſitatione Notarium, quẽ voluerint? Reſp. Negatiuè, ſed de conſenſu Epiſcopi, & ab eo approbatum. *ſeſſ.24.c.3.*

14 Abbates ſæculares, Prouinciales,& Generales tenentur requirire conſenſũ Epiſcopi ad portandum Notarium? Reſp. Negatiuè. *Conc.Trid.ſeſſ.24.c.9.de refor.*

15 Epiſcopus viſitans poteſt ne recuſari? Reſp. Negatiuè, niſi modum in viſitando excedat. *declaratio Cardinalium congregationis Concilij ſuper.c.4. ſeſſ.6.*

16 Si recuſatio fiat prætendendo, quòd modum excedat, debet ceſſare à viſitatione? Reſp. Negatiuè, ſed debet eam proſequi, & delicta extra ordinaria punire. *declaratio Card. eod.loco.*

17 Quoties poteſt epiſcopus ſuos ſubditos, & diæceſim viſitare? ℞. Tenetur ſingulis annis,& ſi diœceſis ſit magna infra tres annos debet eam finire, & poteſt viſitare quoties opus fuerit. *Trid. ſyn. ſeſſ.24.c.3.de refor. & c.mandamus,de offic.Archidiaconi, & ibi Gl.c. non ſemel.18.q.2.*

18 Epiſcopus viſitationem aggrediens poteſt cogere ſubditos ſub pœna excommunicationis per edictum publicum,vnuſquique detegat delicta ſua? ℞. Non poteſt, quia nemo tenetur ſe ipſum prodere, neq; perſonas à Iure exceptuatas.

19 Poteſt epiſcopus viſitare redditus,& prouentus fabricæ,quæ ſunt de Iure patronatus? ℞. Poteſt, & patronatus in nulla re ſe debet intromittere. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.3.de reform.*

20 Poteſt epiſcopus viſitare teſtamenta, & vltimas voluntates? ℞. Poteſt, imò tenetur habere curam, vt ſuffragia relicta pro defunctis adimpleantur, quia de Iure eſt executor omnium teſtamentorum, & non debet recipere aliquid pro hac viſitatione. *ſeſſ.24.c.3.*

21 Quis debet viſitare, & corrigere clericos ſæculares, qui ſunt in eccleſijs regularium exemptorum ad adminiſtranda ſacramenta? ℞. Epiſcopus,excepto monaſterio Cluniacenſi,& alijs Monaſterijs, in quibus Abbates, vel Priores habent iuriſdictionem, quaſi epiſcopalem in ſubditos ſæculares, & eccleſiaſticos. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.11.*

22 Si in vna eccleſia ſunt duo fratres regulares ſeruientes beneficio curato, vel ſimplici, & in ea non vigeat regularis obſeruantia, ſed pendeant ab aliquo monaſterio,vbi viget, à quo debent viſitari? ℞. A ſuo ſuperiori,& non ab epiſcopo,quia illis cõpetit exceptio poſita *a Conc.Trid.c.11.ſeſſ.25. de reformat.*

23 Quis poteſt viſitare eccleſias Parochiales regularibus ſubiectas? Reſp. Si ſacramenta adminiſtrentur per clericos ſęculares, Epiſcopus, ſi verò adminiſtrentur per ipſos regulares,ſuperiores eorum.*declaratio Card.ſuper.c.5. ſeſſ.7.de refor.& ſuper c.9.ſeſſ.24.*

24 Quis poteſt viſitare Eccleſias Parochiales, quas Abbates S.Benedicti in ſuo territorio habent? Reſp. Si cura animarum exerceatur per clericos ſęculares,Epiſcopus debet viſitare Sanctiſs.Euchariſtię ſacramentum, fontem Baptiſmalem, & clericos. *ex declaratio Cardin.in c.7.ſeſ.15.de reform.*

25 Commendatarij à quo debent viſitari, & corrigi? ℞.Si ſint exempti,& nullius diœceſi à Summo Ponti. & à ſuis legatis;ſi verò non ſint exempti, & habeant Eccleſias Parochiales, debent viſitari ab Epiſcopo proprio illius diœceſis. *DD.ſuper cap.2.ſeſſ.6.de reformation.*

26 Quis poteſt viſitare Eccleſias, in quibus Moniales habent iuriſdictionem ſpiritualem? Reſp. Epiſcopus ex facultate ſibi tradita *à Concil. Trid.ſeſſ.7.c.17.de reform.*

27 Poteſt Epiſcopus viſitare moniales ſubiectas regularibus, ſi monaſteria ſint in ſua propria diœceſi? ℞. poteſt ſed ſolùm in his rebus, quæ ad clauſuram pertinet toties, quoties ſibi videbitur expedire; in alijs verò regulares ipſis debent eas viſitare.

28 Quis debet viſitare clericos vagabundos, & monachos extra monaſterium degentes, qui habent priuilegium,vt retento habitu poſſint in ſeruitio alicuius Principis aſſiſtere, vel vitam in aliqua ciuitate degere ob aliquam iuſtã cauſam? Reſp. Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus. *Concil.Trident.ſeſſ.6.c.2.de reform.ſeſſ.14.c.4.de reform.*

29 Quis poteſt viſitare monaſteria, & capitula, etiã exempta, vbi non viget obſeruantia regularis? Reſp. Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus. *Trident.ſyn.ſeſſ.21.c.8.de refor.*

30 Si in monaſterijs viget regularis obſeruantia, & tamen eſt aliquis religioſus,qui cum ſcandalo viuat, vel Epiſcopus inueniat in communi, vel in particulari aliquid corrigendum in illo monaſterio dignum emenda-

emendationem, quid debet Epiſcopus facere in iſto caſu?
Reſp. In iſto caſu Epiſcopus debet monere ſuperiorem de tali ſcandalo, & ſi intra ſex menſes ſuperior non caſtigauerit errantes, & emendauerit dictum ſcandalum,& certiorem fecerit Epiſcopum de correctione, tunc Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus poterit viſitare tale monaſterium, & coercere errantes, & remedium ponere. *Trid. ſyn. ſeſs. 21. c. 8. de reform.*

31 Poteſt Epiſcopus viſitare Eccleſias, Parochiales vnitas monaſterijs canonicorum regularium?
Reſp. Poteſt.

32 Eccleſia, & beneficia exemptorum, quæ dicuntur nullius Diœceſis, à quod debent viſitari?
℞. Ab Epiſcopo proximiori, vel ab Epiſcopo, quem ſemel exemptus elegerit in concilio Prouinciali. *Trid. ſyn. ſeſs. 34. c. 9. de refor.*

33 Quis poteſt viſitare hoſpitalia, collegia, ſcolas, confraternitates, montes pietatis, & pia loca laicorum?
Reſp. Epiſcopus, niſi ſint immediatè ſubiecta Regibus, & Principibus; tunc enim requritur eorum expreſsa licentia, quia ipſi habent ſuos Viſitatores cum magno zelo, & cura, ideo excipiuntur *in Tri. ſyn. ſeſs. 22. c. 8. de refor.*

34 Patroni poſſunt viſitare Eccleſia, & ornamenta?
Reſp. Non niſi illis ex fundatione competat, & nihilominus Epiſcopus debet eãs viſitare. *Trid. ſynod. ſeſs. 24. cap. 3.*

35 Quis poteſt viſitare fabricas, bona earum, & adminiſtratores, & eos mutare, & rationem petere, & omnia ordinare?
Reſp. Epiſcopus ſingulis annis. *Trid. ſyn. ſeſs. 22. c. 9. de reform.*

36 Quis poteſt viſitare confraternitates laicorum, quorum capellæ, & altaria ſunt in monaſterijs regularium?
Reſp. Epiſcopus poteſt viſitare perſonas, ſtatuta bona, viuendi modum, non autem altaria, neq; capellas, quæ ſunt intra eorum clauſtra, vel Eccleſijs, 22. c. 8. de reform.

37 Quæ hoſpitalia, & pia loca non poteſt epiſcopus viſitare?
℞. Quæ ſunt ſub Regum, Principum, & vniuerſitatum protectione, neque illa, in cuius fundatione expreſsè excluſus eſt Epiſcopus tali à viſitatione *Trid. ſyn. ſeſs. 22. c. 8.*

38 Si in fundatione alicuius hoſpitalis, vel operæ piæ expreſsè cautum ſit, quòd ratio redituum, & viſitatio reddatur aliquibus patronis Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus, in iſto caſu, quam poteſtatem habet Epiſcopus?
℞. Tunc debet ſe coniungere cum illis patronis, & ſimul poteſt facere viſitationem. *Conc. Trid. ſeſs. 22. c. 9. de refor.*

39 Cum epiſcopus viſitat cum alijs Patronis, votum epiſcopi debet ne neceſſariò concludere rem; vel quam vim habet?
Reſp. In hoc caſu votum epiſcopi debet connumerari cũ voto cæterorum patronorum, & maior pars votorum condemnat, vel abſoluit; & ratio eſt quia, cum epiſcopo de Iure competat executio vltimarũ voluntatum, à viſitatione non poteſt excludi, & tale officium magis dicitur onus quam honor *DD. ſuper c. 8. & capit. 10. ſeſs. 22.*

40 Si in inſtitutione hoſpitalium, vel alicuius operæ piæ expreſsè cautum vt epiſcopus nullo modo ſe intromittat in tali viſitatione, quid poteſt epiſcopus agere?
Reſp. In iſto caſu non poterit epiſcopus viſitare ratio eſt, quia in *c. 8. ſeſs. 22.* dicitur niſi aliter caueatur in fundatione, & ſic iſta verba manent in ſuo vigore, quia non eſt derogatum in fundationibus. *DD. ſuper c. 9. ſeſs. 22.*

41 In hoſpitalibus, vbi expreſſe excluſus eſt epiſcopus à viſitatione, & in hoſpitalibus Regibus ſubiectis, quam poteſtatem habet epiſcopus?
Reſp. Poteſt cogere adminiſtratores, vt adimpleant voluntatem teſtatoris, & vt non deſtruant dicta bona *DD. c. 8. ſeſs. 22.*

42 Prothonotarij Comitis Palatini, milites militiæ Hieroſolimitanæ, fratres regulares, vagantes, à quo debent viſitari, & puniri?
Reſp. Ab epiſcopo tanquam ſedis Apoſtolicę Delegato, niſi iſti degant vitam in clauſtro, & in monaſterijs, & illi actualiter ſeruiant, & cum licentia ſuperioris foris ambulent pro aliquo negotio temporali non perpetuo. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 11. de reform.*

43 Familiares Cardinalium, in quibus ſubditis ſunt Epiſcopis?
Reſp. Dum Cardinalibus ſeruiunt, & ab eis aluntur, ſolùm in his, quæ pertinent ad beneficia, quæ obtinent. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 12.*

44 Capellani Regis Hiſpaniarum, Cantores, Tibicines, & omnes Regiæ capellæ miniſtri, a quo debent viſitari?
Reſp. Ex particulari priuilegio à Capellano maiori, qui aſſiſtit circa perſonam Regiam, & a ſuo proprio iudice, quibus iſti omnes ſubiecti ſunt ciuilibus & criminalibus,

45 Quæ monaſteria non poſſunt viſitari ab epiſcopo,
℞. Quæ ſunt in obſeruantia regulari, & ſunt ſubiecta ſuis generalibus, & Prouincialibus.

46 Prioratus, & eccleſiæ Ordinis S. Iacobi, Calatraue, & Alcantaræ, & Sancti Ioannis, à quo debent viſitari?
Reſp. A ſuis Superioribus, qui ſunt capita religionum, & gaudent per ſuas bullas omnibus priuilegijs, & exemptionibus, tanquam reliquæ religiones, & ſic non poſſunt viſitari ab epiſcopis.

47 In Ordine Sancti Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, & Sancti Ioannis, vbi equitens commendatam habent in terris iuriſdictionem temporalem, & epiſcopi ſpirituale in laicos, & eccleſiæ deſeruiũt per religioſos ordines, et non per clericos ſæculares, quis poterit eos viſitare?
Reſp. Eorum Priores, & maiores, et non epiſcopus, licèt poſſit viſitare ſuos ſubditos, tam clericos, quam ſæculares, et eorum crimina corrigere, quia gaudet priuilegio exemptorum, *DD. ſuper c. 15. ſeſs. 7. de reformat.*

48 Epiſcopus viſitans qua pœna poteſt punire delinquentes.
Reſp. Non poteſt imponere pœnas ordinaria à Iure ſtatutas, ſed pœnas extraordinarias, quæ magis reſpiciant emendationem delicti, quam correctionem, et vindictam. *c. 6. ſeſs. 25. Conc. Trid. & DD.*

49 Quid poteſt epiſcopus ſtatuere in viſitatione, et precipere?

Reſp. Si

Reſp. Si Eccleſia, quæ viſitatur, ſit Iuris patronatus, nihil extra fundationem, ſed ea, quę pertinent ad eam implẽdam: ſi Eccleſia ſit Parochialis omnia, quę pertinent ad meliorem gubernationem, & regimen dictæ Eccleſiæ. *ſeſs.22.c.8.Conc.Trid.*

50 Si lis oriatur ſuper eo, ꝙ non poſſit Epiſcopus viſitare aliqua pia loca, corã quo iudice debet tractari?
Reſp. In prima inſtantia coram Epiſcopo, & nihilominus debet proſequi viſitationem, ne tantum bonum impediatur. *c.8.ſeſs.22.Conc.Trid.*

51 Quantum temporis debet Epiſcopus viſitationi tribuere?
Reſp. Non eſt pręſcriptum, ſed relictum arbitrio Epiſcopi, licèt debet eſſe breue, moderatum, & diſcretum, quia concilium dicit, quàm celeriter. *Trid.ſyn. ſeſſ.24.c.3.*

52 Viſitatio Epiſcopi debet ne eſſe continuata?
Reſp. Debet, nec ad alia ſe conuertere, impedimento legitimo ceſſante, vt infirmitatis cauſa, vel maioris negotij. *ſeſs.24.cap.3.*

53 In cauſis viſitationis, correctionis, & emendationis factis in viſita, poteſt ne appellari ab Epiſcopo, ab eius Vicario viſitante?
Reſp. Non poteſt appellari ab interlocutoria, neque à grauamine non habente vim definitiuę, ſed ſolum poteſt appellari à definitiua, & talis appellatio non ſuſpendit executionem ſententiæ, quia ſolum habet defectum deuolutiuum, non autem ſuſpenſiuum; ratio eſt, ne tantum bonum impediatur. *Trid.ſyn.ſeſſ. 13.c.1.de reform.*

54 De mandato reſidentiæ in viſitatione, datur ne appellatio?
Reſp. Non datur quo ad effectum ſuſpenſiuum, bene tamen quoad deuolutiuum, ne tollatur fructus viſitationis. *ſeſs.13.c.1.*

55 Quid poſſunt Epiſcopi, & eius viſitatores pro labore recipere in viſitatione?
Reſp. Nihil præter victum ſuum, & ſuorum, frugaliter, & moderatè pro temporis tantum neceſſitate. *ſeſs.24.cap.3.*

56 Epiſcopus, vel eius viſitatores poſſunt recipere victum pro ſe, & pro ſuis in pecunia numerata.
Reſp. Poſſunt, ſed iſta pecunia debet eſſe in illa moderatione, & quantitate, in qua debeat eſſe victum neceſſarius ad meram ſubſtentationem, & non ad lucrum. *Tri.ſyn.ſeſſ.24.c.3.*

57 Electio ſoluendi in pecunia numerata, vel in victualibus, eſt ne data Epiſcopis, vel clericis, qui debent ſoluere dictum victum?
Reſp. Hæc electio data eſt clericis, & non Epiſcopis quia concilium reſpicit maiorem commoditatem, & vtilitatem clericorum, non lucrum Epiſcopi. *Trid. ſyn.24.cap.3.*

58 Quare debetur Epiſcopis victus, cum ipſi habeãt redditus ſui Epiſcopatus, vnde poſſunt ſubſtentari?
Reſp. Primò inſignum ſubiectionis, & ſuperioritatis. Secundò ratione hoſpitalitatis, & vrbanitatis, quia denegare ſubſtentationem Prælato viſitanti, eſſet contra charitatem, cum bona Eccleſiæ ſint deputata vſibus publicis. Tertiò, vt faciliùs inducantur ad viſitationem neceſſariam. Quartò, quia Prælatus maiores expenſas facit in itinere, quam domi ſuæ, *Abb.in cap.cum ex officij, de praſcrit.nu.9.*

59 Quam familiam debet portare Epiſcopus in viſitationem?
Reſp. Non eſt taxatus numerus à concilio, ſed relinquitur arbitrio Epiſcopi, ſed debet eſſe familia pauca, & neceſſaria, ne populus grauetur. *ſeſs.24.c.3.*

60 Subditus poteſt præſcribi ad ſoluendã procurationem, vel victum Prælato ſuo, vel viſitatori viſitanti?
Reſp. Non, quia hoc à Iure eſt impręſcriptibile, cum nemo cogatur ſuis ſumptibus ſeruire. *c.cum ex officijs de pręſcript.*

61 Quis debet ſoluere hoc victum Epiſcopo viſitãti?
Reſp. Omnes hi, qui viſitantur, videlicet Eccleſiæ, clerici, monaſteria, moniales, hoſpitalia, ſocietates pię, oratoria capellæ, confraternitates ſubiectæ Epiſcopo, & per cenſuras cogi poſſunt ad ſolutionem. facta inter eos taxa, ſecundum vniuſcuiſque redditus, *c.cum delicta, de confirmatione vtili vel inutile. cap. conquærenti, de officio ordinarij.*

62 Qui non debent contribuere ſumptibus viſitationis?
Reſp. Plurimi. Primò clerici, qui erant abſentes, & non ſunt viſitati. Secundò omnes laici, quia debent gratis viſitari. Tertiò, qui habent priuilegium à ſede Apoſtolica non ſoluendi Eccleſiæ neque clerici ciuitatis, vbi Epiſcopus habitat, & habet ſuam domum. *c.1.de cenſibus.lib.6.gloſ.verbo, laicos. DD.in.c.3.ſeſs. 24.Concil.Trid.*

63 Epiſcopus ambulans per ſuum Epiſcopatum ratione chriſmandi, poteſt ne accipere expenſas?
Reſp. Non Poteſt, neq; laici, neque clerici tenentur ad vllas expenſas, quia confirmare eſt proprium officium Epiſcopi, & illud tenentur facere ſuis expenſis *DD.ſeſs.24.c.3.*

64 Qua pœna punitur Epiſcopus, vel familiaris eius, qui in viſitatione vltra victum aliquod munus recipit, vel à non viſitatis recipit victum?
Reſp. Peccat mortaliter, & intra menſem tenetur ad reſtitutionem duppli: & ſi non reſtituerit eſt ſuſpenſus. *c.1.§.Procurationes de cenſibus, lib.6.*

65 Poteſt Epiſcopus in viſitatione teſtamentorum accipere veluti trigeſimam, vel quadrageſimam tertiam ex relictis operibus pijs, vel legatis pijs?
Reſp. In hoc ſeruanda eſt cõſuetudo diœceſis, & poterit accipere quartam, vel trigeſimam partem ſecũdum terræ conſuetudinẽ, ſed non poterit accipere aliquid aliud pro viſitatione teſtamentorum, & legatorum, quia hoc expreſsè eſt vetitum à Conc. *in c.2. ſeſs.24.*

66 In Epiſcopatu, vbi eſt conſuetudo, vt Epiſcopi nihil recipiant de legatis, poterit Epiſcopus accipere vnum, vel duos, iulios pro labore, & viſitatione teſtamentorum, & legatorum Priorum?
Reſp. In hoc caſu etiam ſeruanda eſt conſuetudo, quia *Conc.Trident.in d.c.3.ſeſſ.24.* videtur loqui cum illis, qui habent ius accipiendi à legatis pijs quadrageſimam quintam partem, vel aliquod ius, ſed non cum illis Epiſcopis, qui nihil accipiunt à legatis pijs, neq; habent in hoc aliquod ius, & ſic iuſtè ſoluitur viſitatori aliquid pro labore.

67 Si non recipiatur à viſitatis, qui debet Epiſcopus agere?
Reſp. Si ſit in quaſi poſſeſſione viſitandi excommunicare rebelles, *c.delicto de ſent.excom.in 6.ſi id nõ prodeſt,* poterit frangere portas monaſterij, vel Eccleſiæ, & impedientes incidunt excommunicationem Bullæ cœnæ Domini. *Abb.in cap.1.de immunitate Eccleſiæ num.5.*

CAPVT

CAPVT XXVII.

De viſitatione Canonicorũ, qui gaudent Priuilegio adiunctorum.

1 QVæ Eccleſiæ Cathedrales gaudent adiunctis? ℞ Solùm illæ, quæ ante Concilium priuilegio, exemptione, vel alio iure exemptæ erant a iuriſdictione Epiſcopi, & etiam illæ, quæ habent concordias confirmatas ex certa ſcientia, quam vocant in forma ſpeciali. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25. de refor.*

2 Capitulum, quod ante concilium non erat ſubiectum in criminalibus Epiſcopo, manebit ne ſubiectum poſt concilium?
Reſp. Epiſcopus poterit cognoſcere in criminalibus cum adiunctis, ſeruato ordine poſito. *c. 6. ſeſſ. 25. de reform.* quia concilium reſtituit hanc iuriſdictionem epiſcopis reſpectu Eccleſiarum, reſpectu quorum erat eis ſublata, cum de Iure communi ad Epiſcopum ſpectat delicta ſuorum Canonicorum punire.

3 Si aliqua Eccleſia habeat concordiam confirmatam in forma cõmuni ſtabilita in conſuetudine immemorabili, gaudebit ne priuilegio adiunctorum?
Reſp. Negatiuè, quia tales concordiæ procedunt ex officio pœnitentiarij, & non ſunt certa ſcientia, & ideò ſunt derogatæ à concilio, quia ſunt non ſignatę manu Summi Pont. ſicut concordiæ ex certa ſciẽtia. *Conc. Trid. ſeſſ. 25 cap. 6.*

4 Si Epiſcopus ante concilium maiorem iuriſdictionem habeat, quam illa, quæ eſt ſibi à *Concil. Tridenti tradita per c. 6. & 4. ſeſſ. 6.* debet ne reduci ad terminos concilij?
Reſp. Negatiuè, quia maior authoritas non eſt derogata *Conc. Trid.* imò ſalua, & intacta remanet, quia concilium dat Epiſcopis, quod non habebant, ſed non tollit, quod habebant, & ſic in Eccleſijs, vbi ante concilium Epiſcopus procedebat ſine adiunctis, poſt cõcilium poterit etiam procedere ſine adiunctis. *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 4.*

5 Quis poteſt viſitare Eccleſias Collegiatas, & Eccleſias nullius diœceſis, & Eccleſias Cathedrales, quę ante concilium non erant exemptę, vel Eccleſias Cathedrales, quæ ante concilium habebant concordias confirmatas in forma communi?
Reſp. Omnes iſtas Eccleſias poterit Epiſcopus viſitare ſolus, ſine adiunctis tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, & ſi Eccleſiæ contrarium prætendant, nihilominus, debet eas viſitare, non obſtãte quacunque appellatione ſaluo earum Iure impetitorio, *Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 4. & ſic DD. cenſuerunt ſuper c. 2. ſeſſ. 6. & ſuper c. 9. ſeſſ. 24.*

6 Si Collegiata Eccleſia in Cathedralem erigatur, ex hoc competit ne ei priuilegium adiunctorum?
Reſp. Non, quia hoc priuilegium non eſt datum omnibus Cathedralibus, & ob hoc, quoòd ſint Cathedrales, ſed ſolùm Eccleſijs ante cõcilium exẽptis.

7 Quis poteſt viſitare Eccleſias, & capitula, quæ gaudent priuilegio adiunctorum?
Reſp. Epiſcopus per ſe ipſum, & quoties opus fuerit. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. capit. 6. & c. 4. ſeſſ. 6. de reformat.*

8 Si Epiſcopus legitime impeditus fuerit infirmitate, vel occupatione Pontificia, ſeu Regia, poterit ne viſitare capitulum gaudens priuilegio adiunctorum per idoneum Viſitatorem?
Reſp. Non ſed neceſſariò per ſe ipſum, quia hæc poteſtas ſoli epiſcopo data eſt *DD. ſuper c. 4. ſeſſ. 6. Concil. Trid.*

9 Quot ſunt ſpecies viſitationum in Eccleſijs, quæ priuilegio adiunctorum gaudent?
Reſp. Tres. Prima vocatur præparatoria. Secunda Epiſcopalis. Tertia plenaria *DD. ſuper capit. 6. ſeſſion. 25. Concil. Trid.*

10 Quæ eſt præparatoria, & quomodo fit?
Reſp. Præparatoria eſt quædam ſummaria Inquiſitio rerum pertinentium, quæ fit conuocatis omnibus canonicis cum ſuo Epiſcopo in loco capituli conſueto, & ibi quilibet ſuo ordine pręſentibus alijs ſatiſfacit interrogatorio facto ab Epiſcopo, & poſtea ipſe dicit quidquid ſentit eſſe neceſſarium ad meliorem ſtatum Eccleſiæ?

11 Quæ eſt viſitatio Epiſcopalis, & quomodo fit?
Reſp. Quando Epiſcopus proſequitur viſitationem contra aliquem canonicum cum fiſco, & teſtibus venientibus ad deponendum.

12 Quæ eſt plenaria?
℞ Quando in iudicio plenario ſeruato ordine Iuris epiſcopus cum adiunctis procedit ad puniendum delictum alicuius canonici.

13 Metropolitanus poteſt viſitare per ſe ipſum eccleſias, & capitula exempta, vel non exempta ſuorũ ſuffraganeorum?
Reſp. Non, niſi cauſa cognita in concilio Prouinciali. *Conc. Triden. cap. 3. ſeſſ. 24.*

14 Epiſcopus in præparatoria tenetur aſſumere adiunctos ſui capituli?
Reſp. Poterit facere viſitationem præparatoriam ſolus vel cum adiunctis, cum magis ſibi placuerit, quia hoc poſitũ eſt in ſua libertate. *DD. ſup. c. 4. ſeſſ. 6.*

15 Epiſcopus in viſitatione epiſcopalis ſi voluerit recipere teſtes, & procedere contra aliquem, tenetur ne neceſſariò ſumere adiunctos ſui capituli?
Reſp. Poteſt ſumere adiunctos de capitulo, & extra, dummodo non puniat pęna ordinaria Iuris, ſed mitiori, quæ magis reſpiciat emendationem, quam correctionem. *DD. in c. 6. ſeſſ. 25. & Marſilia lib. 4. p. 19.*

16 Epiſcopus viſitans quando tenetur ſumere adiunctos ſui capituli?
Reſp. Quoties voluerit proſequi delictum alicuius canonici, quod reſultauit ex præparatoria, vel epiſcopali, tunc debet aſſumere adiunctos, & ſeruato ordine Iuris procedere ſicut in alijs delictis.

17 In viſitatione præparatoria, vel epiſcopali ſi Epiſcopus inueniat aliquod delictum carceratione, vel pœna dignum, & voluerit illud proſequi, & caſtigare, tenebitur ne dare tranſumptum Reo?
Reſp. Tenetur & ad carcerem, & ad pœnam procedere cum adiunctis capituli, quia iam agitur de damno alicuius canonici, & talis reus debet gaudere priuilegio adiunctorum. *tenet DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.*

18 Epiſcopus in viſitatione, ſiue epiſcopali, ſiue plenaria, ſiue præparatoria, debet ne neceſſario ſumere Notarium capituli?
℞. Non, ſed poteſt ſumere ſuũ Notarium, vel aliũ, dummodo talis non ſit ſuſpectus capitulo, tunc dandus

dus eſt ei ſocius, vt ſuſpiciò tollatur. *DD.ſuper cap.6. ſeſs.24.*

19 Epiſcopus in viſitatione Epiſcopali, vel plenaria debet ne ſumere fiſcum, aliquem Capellanum, vel miniſtrum Eccleſiæ propter honorem canonicorum?

℞. Poteſt ſumere ſuum proprium fiſcum, vel alium virum honoratum extra eccleſiam, quem ipſe voluerit.

20 Adiuncti habent ne aliquam poteſtatem in eligẽdo fiſco ad punitionem alicuius delicti in viſitatione, vel extra?

℞. Non, ſed ſolus Epiſcopus liberè poteſt nominare, quia iuriſdictio adiunctorum eſt ſtricti iuris, ſolũ ad fulminandum proceſſum, & ſententiandum, non ad nominandos officiales.

21 Viſitatio canonicorum in quo loco debet eſſe?

℞. Vbi capitulum congregatur, ſi id commodè fieri poterit, ſi verò non loco congruo omnibus.

22 Si Epiſcopus vult proſequi viſitationem alicuius perſonæ particularis de capitulo, vel facere probationem ſuper aliquod delictum, poterit ne id facere in ſua domo?

℞. Poterit, quia tunc procedit contra ſolam vnam perſonam delinquentem, & non facit actum cum toto capitulo, pro cuius honore deſignant, vt Epiſcopus accedat ad locum capituli. *DD.ſuper c.6.ſeſs.25.*

23 Vbi debet eſſe carcer canonicorum?

℞. In domo Epiſcopi in loco decenti, vel in clauſtro eccleſiæ, ſi ſit commoditas, vel decens habitatio facta ad hunc effectum.

24 Poterit ne Epiſcopus exigere iuramẽtum à canonicis in viſitatione?

℞. In preparatoria non, ſi autem voluerit in epiſcopali procedere cõtra aliquem ad puniendum aliquod delictum, poterit ab eo tanquam à reo exigere iuramentum, vt cauſa ſubſtantietur. *DD.ſuper c.4. ſeſs.6.*

25 Poteſt Epiſcopus cogere aliquem canonicum ſub pœna excommunicationis, vt detegat proprium delictum?

Reſp. Non, quia nemo tenetur ſe prodere in foro exteriori. *DD.ſuper.c.4.ſeſs.6.de reform.*

26 Poteſt Epiſcopus præcipere per edictum publicũ ſub pœna excommunicationis, vt teſtes veniant ad detegenda crimina ſuorum canonicorum?

℞. Non, quia hic honor datur canonicis, tanquam perſonis magnæ authoritatis, vt ſolum qui voluerit de ſua voluntate veniat ad deponendum abſque pœna, & grauamine.

27 In viſitatione quomodo ſe debet gerere epiſcopus.

℞. Tanquam pater, & paſtor, non verò vt percuſſor. *Trid.ſyn.ſeſs.13.c.1.de reform.*

28 Qua pęna poteſt epiſcopus punire ſuos canonicos in viſitatione?

℞. Pœna extraordinaria, quæ magis reſpiciat emendationem, quàm punitionem. *ſeſs.13.c.1.de reformat.*

29 Quantum temporis debet Epiſcopus tribuere viſitationi ſuorum canonicorum?

Reſp. Non eſt præſcriptum à concilio, ſed debet eſſe breuiſſimus, diſcretus, & moderatus, nec debet interrumpi ſine magna cauſa. *Trid.ſyn.cap.3.ſeſſ.24.*

30 Quem ordinem debet ſeruare epiſcopus volens viſitare ſuum capitulum, & canonicos, qui gaudent priuilegio adiunctorum?

Reſp. Primò per edicta publica omnibus ſuam viſitationem notam facere abſq; excommunicatione, deinde cõſtituto die, præſente capitulo, viſitare ſanctiſs. Euchariſtię ſacramentum, fontem baptiſmalem, reliquias, & vaſa ſacra. Tertiò ſacriſtiam, & ornamenta. Quartò archiuum, ſtatuta, & ſcripturas. Quintò bona fabricæ, & diſtributionem factam à tempore vltimæ viſitationis. Sextò congregare ſuos canonicos in loco, in quo ſolent congregari, & facere viſitationem pręparatoriam, interrogando omnes per interrogationes ab epiſcopo facta de rebus magis neceſſarijs, & in fine vnuſquiſq; libere dicat, quæ ſibi ad regimen illius Eccleſiæ neceſſaria videbuntur. Septimo conſideratis rebus, quæ ex hac præparatoria emanauerint, poterit proſequi viſitationem epiſcopalem, recipiendo teſtes, & audiendo omnes, qui ex ſua voluntate venerint ad deponendum contra ſuos canonicos. Octauò ſi inuenerit aliquod delictum punitione dignum, plenariam, & iuridicam viſitationẽ facere debet, vocando adiunctos ſui capituli, & eorum aſſenſu facere ſummariam, procedere ad capturam, & vſq; ad definitiuam ſententiam; vltimò ordinare aliqua ſtatuta, ſi fuerint neceſſaria ad meliorẽ gubernationem Eccleſiæ, & ſententiare omnes viſitatos, & legere ſuam ſententiam præſentibus omnibus in capitulo, liberando, vel condemnando, & dare eis tranſumptum.

31 Epiſcopus viſitans ſuos canonicos poteſt ab eis recuſari tanquam ſuſpectus?

Reſp. Si proceſſum non compleuerit, & intra terminos viſitationis ſe contineat, & modum non excedat, non poteſt ab eis recuſari, ſi verò proceſſum compleuerit, ad pœnam procedat, poterit recuſari, ſicut põt ab eo appellari. *DD.ſuper c.10.ſeſs.24.*

32 Si recuſatio nihilominus fiat iuſta, vel iniuſta, debent ne Epiſcopus ceſſare a viſitatione?

Reſp. Non ſed nihilominus poteſt proſequi viſitationem, & delicta ſententiare, & punire pœna extraordinaria. *ſeſſ.13.c.1.*

33 Si capitulum, vel aliquis de eo appellauerit de tota viſitatione, & mandatis eius, vel de aliquo articulo ſuo, nomine totius capituli quid agendum?

Reſp. Epiſcopus differre debet appellationẽ quoad effectum ſolum deuolutiuum, & ſequi omnia ordinata per ſuam viſitationem, & hæc authoritas data eſt Epiſcopis viſitantibus *à Concil.Trid. ſeſs.13.cap.1. de reform.*

34 Appellatio ſublata per concilium in viſitatione à ſententia. *in cap.1.ſeſs.13.de reform.Concil. Trid.* quomodo eſt intelligenda?

Reſp. Solùm quoad effectum deuolutiuum, non ſuſpenſiuum, ne ſub prætextu vnius grauaminis tota viſitatio ceſſet, & impediatur tam ſanctum remedium. *DD.in c.1.ſeſs.13.*

35 Metropolitanus in cauſis viſitationis, & correctionis, poterit ne admittere appellationem canonicorum?

Reſp. Poterit, ſed non impedire executionem ſententiæ Epiſcopi, niſi talis executio per ſententiam definitiuam reparari, aut recuperari non poſſit, qualis eſſet pęna corporalis, vel exili ratio eſt quia talis appellatio per concilium ſolum habet effectũ deuolutiuum, non verò ſuſpenſiuum. *DD.ſuper c.1.ſeſſ.6.de reform.*

36 Quando epiſcopus procedit tanquam ſedis Apoſtolicæ

ſtolicæ Delegatus in viſitatione, vel in alijs negotijs ex poteſtate ſibi tradita à Conc. Trid. eſt ne neceſſarium appellare ad Summum Pont.

Reſp. Non,ſed ſufficit ad Metropolitanum; & ratio eſt,quia quotieſcumque delegatio eſt meta,& in re, in qua Epiſcopus non habet iuriſdictionem ordinariam,tunc appellandum eſt ad Summum Pont.à quo emanauit talis iuriſdictio; ſed quotieſcumque delegatio eſt mixta,ideſt de re,de qua Epiſcopus de Iure communi poterat ante Concilium cognoſcere, ſicut viſitatio; quia concilium *in d.cap.1.*non dat de nouo iuriſdictionem, ſed coadiuuat antiquam Epiſcopi, tunc appellandum eſt ad Metropolitanum. *Concil. Trident. c.10.ſeſ.24.ſeſ.6.c.1.de reform.*

37 Si Epiſcopus extra viſitationem procedat ad inſtantiam partis, vel ex officio ad punitionem alicuius delicti in Eccleſia, vbi Canonici gaudent priuilegio adiunctorum, quomodo debet procedere?

Reſp. Cum adiunctis,& non ſine illis, ſeruata tamẽ forma *Conc.Trident. c.6.ſeſ.25.*

38 Adiuncti quando eligendi ſunt, & à quo?

Reſp. In principio cuiuſlibet anni à ſolo capitulo, ſine interuentione Epiſcopi. *Trid.ſyn.d.c.6.ſeſ.25.*

39 Quando ſemel ſunt electi, Capitulũ poteſt ne eos mutare, & eligere alios, antequam annus finiatur?

Reſp. Poteſt pro ſuo libito, ſicut alia officia, quia electio libera abſque vlla conditione data eſt Canonicis, & in eorum fauorem.

40 Iuriſdictio adiunctorum extenditur ad cauſas ciuiles, & criminales?

℟. Non;ſed ſolùm ad criminales.*Trid.ſyn.ſeſ.25.c.6.*

41 Si aliqua cauſa ad inſtantiam alicuius partis ſuperueniat,quæ mixta ſit, & habeat aliquid criminale, & aliquid ciuile, ſicut ſi aliquis Canonicus ſimul cum quærela criminis petat aliquod debitum, domum, vel fundum, quid agendum?

Reſp. In hoc caſu Canonici cognoſcunt de crimine illato, & debent condemnare, vel abſoluere talem Canonicum à tali crimine,& Epiſcopus, vel eius Vicarius debet cognoſcere de actione ciuili, & reſtitutione domus; ratio eſt, quia iuriſdictio adiunctorum eſt odioſa ſtricti Iuris, & non debet extendi ad rem mixtam,neque ad rem ſimilem,ſed ſolùm ad delicta criminalia, de quibus loquitur.

42 Quando Epiſcopus extra viſitationem cũ adiunctis procedit, in quo loco debet habere Tribunal, vt omnes conueniant, & coram quo Notario, & Fiſco debet proceſſus fulminari?

℟. In ſua domo,in loco decenti,vel in Tribunali cõſueto,coram ſuo proprio Notario, & Fiſco, vel corã alijs nominatis ab Epiſcopo abſque adiunctorum aſſenſu, vel conſilio. *Trid.ſyn.ſeſ.25.c.6.*

43 Vicarius ſede vacante electus à Capitulo, ſi vult procedere contra aliquos Canonicos ſuper aliquod crimen, debet ne aſſumere adiunctos Capituli?

Reſp. Si Epiſcopus dum viuebat,poterat procedere ſine adiunctis, ſimiliter ipſe; ſi verò tenebatur procedere cum adiunctis, ſimiliter Vicarius tenetur eos aſſumere. *DD.ſuper c.6.ſeſſ.25.*

44 Epiſcopus in quibus cauſis Canonicorũ criminalibus debet aſſumere adiunctos extra viſitationem?

Reſp. Quoties viſitans vult punire delictum alicuius,vel quoties extra viſitationem ex officio, vel ad petitionem alicuius vult procedere contra aliquem. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.6.*

45 Ad quos actus debet adhibere adiunctos, & quomodo debet procedere?

Reſp. De conſilio,& aſſenſu dictorum adiunctorum debet facere ſummariam capturam,receptionem teſtium,ſubſtantiare proceſſum,& procedere vſque ad definitiuam ſententiam incluſiuè; ratio eſt,quia iſti adiuncti ſunt veri conuidices cum Epiſcopo.

46 Iudices adiuncti poſſunt ne recuſari à ſuo Canonico?

Reſp. Non poſſunt; ratio eſt,quia iſti iudices adiuncti dati ſunt à Iure, & à Cõcilio Tridentino in fauorem totius Capituli, & ſic recuſari non poſſunt ab vno Canonico delinquente. *DD.ſuper c.6.ſeſs.25.Tri.ſyn.ſeſ.25.c.6. de reform.*

47 Adiuncti debent ne ſe ſubſcribere in mandato incarcerationis, & in ſententia diffinitiua?

Reſp. Debent,quia de Iure ſunt veri Iudices, & habent diffinitiuam vocem, & debent ſe ſubſcribere in omnibus actibus,vbi ſe ſubſcribit Epiſcopus. *Tri.ſyn. ſeſ.25.c.6.*

48 Adiuncti habent ne duo, aut vnum ſuffragium?

Reſp. Tantùm vnum eſt vtriuſque votum, & ſi diſcordent, & alter eorum adhæreat voto Epiſcopi, fit ſententia definitiua, & cauſa, vel articulus determinatur. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.6.*

49 Si ambo diſcordent ab Epiſcopo in definitiua, ſiue interlocutoria, quid agendum?

Reſp. Intra ſex dies adiuncti, & Epiſcopus eligant tertium,& ſi diſcordauerint in electione tertij,ad viciniorẽ Epiſcopum deuoluatur. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.6.*

50 Debet ne deuolui ad viciniorẽ Epiſcopũ determinatio articuli,in qua fuit diſcordia,vel electio tertij?

Reſp. Solùm electio tertij, quia Epiſcopus vicinior non eſt iudex illius articuli, in quo eſt diſcordia, ſed ſolùm habet poteſtatem eligendi tertium. *Trid.ſyn. ſeſs.25.c.6.*

51 Epiſcopus vicinior adſtringitur ne ad eligendum tertium, quem nominauit Epiſcopus, vel quem nominauerunt adiuncti, vel poteſt eligere tertium,quẽ voluerit?

Reſp. Poteſt confirmare vnum ex electis, vel eligere tertium,quem ipſe voluerit; ratio eſt,quia facultas abſoluta data eſt ei à Concilio eligendi tertium, quem voluerit,& non reſtricta, neque ligata ad electum per Epiſcopum, vel ad electum per adiunctos. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.6.*

52 Tertius electus poteſt pronuntiare ſententiam in domo ſua diſtinctam à ſententia Epiſcopi,vel adiunctorum,vel addere, vel minuere?

Reſp. Negatiuè,ſed ſolùm poterit accedere ſententiæ Epiſcopi, vel adiunctorum, & iuxta eam partem articulus, in quo erat diſcordia, determinatur; ratio eſt, quia adiunctus habet iuriſdictionem limitatam à Concilio, ſolùm ad conformandum ſe cum ſententia Epiſcopi, vel adiunctorum, quia ipſe non eſt iudex illius cauſæ,ſed ſolùm eſt iudex, vt videat; quæ ſententia eſt magis iuſta,& cum illa ſe debet conformare. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.6.*

53 Si adiuncti requiſiti noluerint, vel neglexerint procedere in aliquo delicto, deuoluitur ne tota iuriſdictio in Epiſcopum ſolum.

Reſp. Negatiuè, quia iuriſdictio Epiſcopi, & adiunctorum eſt ita cumulatiua, vt vnus ſine altero al procedere non poſſit. *DD.& Marſil.lib.4.ſuper cap.6. ſeſs.25.*

54 Quando totum capitulum deliquit, poteſt ne Epiſcopus ſine adiunctis procedere?
Reſp. Poteſt dummodo delictum non ſit contra Epiſcopum, vel non habeat in tali re nocumentum, quia tunc talis cauſa deuoluitur ad Metropolitanũ, *DD. ſuper c.6. ſeſſ.25.*

55 Quæ ſunt delicta, in quibus Epiſcopus poteſt ſolus ad ſummariam informationem, & capturam, ſine adiunctis, procedere?
℞. Delicta ex incontinentia prouenientia, non omnia, ſed ſolum adulteria, de quibus loquitur *Concilij Triden. ſeſſion. 24. c. 8.* & delicta concubinatus, de quibus loquitur, *c. 14. ſeſſ. 25.* & alia delicta grauiora, quæ de Iure petunt depoſitionem, & degradationẽ, in quibus de fuga timeatur. *Tri. ſyn. ſeſ. 25. c. 6. de ref.*

56 Si Eccleſia habuerit aliquam ſententiam exemptionis in ſuum fauorem ante concilium, videtur ne derogatum tali ſententiæ per illa verba concilij, non obſtantibus priuilegijs, & cæteris poſitis. *c. 5. ſeſs. 7.* & quòd omnia debeant reduci ad terminos concilij?
Reſp. Negatiuè, quia concilium non derogauit ſententias, nec Ius quæſitum in contradictorio iudicio.

57 Qui Præbendati gaudent in Eccleſia Cathedrali priuilegio adiunctorum?
Reſp. Solùm canonici, qui verè ſunt de capitulo, *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6. de refor.*

59 Canonici non habentes votum, vel qui non ſunt in ordine ſacro, vel qui priuati ſunt ſuffragio ob aliquod delictum, gaudent ne priuilegio adiunctorum?
Reſp. Gaudent, quia de Iure canonico ſunt canonici, & de corpore capituli, & hoc priuilegium datum non fuit propter votum, ſed propter Ius canonicum, cum quo ſimul procedit, ſicuti anima cum corpore.

60 Dignitates, Portionarij integri, vel dimidij, & alij beneficiati, ſi habeant votum in capitulo, & veſtem canonicalem, gaudebũt ne priuilegio adiunctorum?
℞. Non gaudent, quia habere votũ in omnibus, vel in aliquib. rebus, nõ facit, quo minùs de capitulo ſit.

61 Quando ergo iſtę tales Dignitates, & Portionarij, vel medij Portionarij, gaudebunt priuilegio adiunctorum?
℞. Quando ex cõſuetudine, vel priuilegio Apoſtolico, vel ſtatuto Eccleſię, ita inter reliquos capituli numerentur, vt faciant vnum corpus, & habeant ius canonicum, & æqualẽ votum cum cæteris in electionibus canonicorum, tunc æqualiter gaudebunt priuilegio adiunctorum. *DD. ſuper c. 6. ſeſs. 25. de reform.*

62 Quid requiritur in delictis ex incontinentia prouenientibus, vt Epiſcopus poſſit ſine adiunctis procedere ad capturam, & ſummariam, ſufficit ne qualiſcumque incontinentia?
Reſp. Negatiuè, quia in incontinentia ſimplici non habet locum, quod delictum ſit cõcubinatus, & quod talis canonicus concubinarius ſit priùs ab Epiſcopo ter admonitus ex officio, & in quarta vice poterit ſine adiũctis ad ſummariam, & capturam procedere, & cum adiunctis poterit procedere ad priuationem tertiæ partis fructuum præbendæ, & reliquorum beneficiorum illius. *Tri. ſyn. ſeſſ. 25. c. 14. de refor.*

63 Quod tempus debet intercedere inter ſecundam, & tertiam monitionem?
Reſp. Arbitrio Epiſcopi relinquitur.

64 Hæc admonitio debet eſſe priuata, ſolemnis, vel per edictum?
Reſp. Iuridica ſecundum legem Euangelij. Primò priuatim. Secundò coram duobus, vel tribus teſtibus viris religioſis. Tertiò coram alijs teſtibus viris probis referendo ſemper reliquas monitiones, & charitatiuè hortando, & non ſufficit per edictum. *DD. ſuper c. 14. ſeſs. 25.*

65 Si in delicto cõcubinatus timeatur de fuga, poteſt concubinarius ante monitionem incarcerari?
Reſp. Affirmatiuè, ne iudicium illudatur.

66 Cognitio de concubinarijs ad quem pertinet?
Reſp. In laicis eſt mixti fori, in clericis ad ſolũ Epiſcopum ſpectat, & poteſt in ea ſine ſtrepitu iudicij procedere. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 14.* & eſt de grauioribus, in quibus timetur de fuga propter pœnam.

67 Tridentina ſynodus quando poſuit pęnas concubinario in *c. 14. ſeſs. 25. de ref.* ſubſtulit ne pœnas poſitas à Iure contra adulteros, & concubinarios?
Reſp. Non, ſed illas adiuuando addidit pœnam excommunicationis, & in clericis tertiam partem fructuum. *DD. ſuper c. 14. ſeſs. 25. de refor.*

68 Si Iudex voluerit condemnare concubinarium in pecunia, exilio, recluſione, vel alijs pęnis à iure ſtabilitis, debet ne neceſſariò pręcedere tertia admonitio?
Reſp. Non, ſed ſolùm fit ad infligendam pęnam excommunicationis tanquàm forma poſita à Concilio, & ad alias pœnas non requiritur vlla admonitio. *Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 8. de refor.*

68 Quæ delicta dicuntur grauiora, vel atrociora, in quibus Epiſcopus intrepidè poterit ſolus ſine adiũctis procedere ad ſummariam, & capturam?
Reſp. Omnia illa delicta, quæ commiſſa à ſæcularibus habent pœnam mortis, commiſſa à clericis habent pœnam degradationis, vel ſuſpenſionis, vt hæreſis, homicidium, domorum ſcalatores, furta præcipuè in agro, crimen læſæ Maieſtatis, diuinæ, vel humanæ, reuelationes confeſſionum, crimen falſi, præcipuè in litteris Apoſtolicis, vel in re magni momenti, & reliqua, quæ de Iure petunt degradationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6.*

69 Si in ijs delictis nõ timeatur de fuga, tùm propter magnam authoritatem perſonæ, tùm propter ſenectutem, puta qui eſt in lecto cum podagra, poterit ne ſolus Epiſcopus procedere ſine adiunctis ad ſummariam, vel capturam?
Reſp. Non; quia ad hoc vt procedat ſine adiunctis duo copulatiuè requiruntur, primum, quòd delictum ſit tam graue, quod petat degradationem. Secundò, vt timeatur de fuga delinquentis, ne iudicium illudatur. *Trid. ſynod. ſeſſione 25. c. 6.*

70 Quis debet iudicare hunc timorem de fuga?
Reſp. Iudex, conſiderata perſona, delicto, & pœna ſecundum iudicium viri prudentis.

71 Si aliquis canonicus committat aliquod delictum leue, cuius pœna non ſit degradatio, ſed conſiderata facilitate Canonici probabiliter timeatur de fuga, poterit ne Epiſcopus ex ſolo iſto caſu procedere, ſine adiunctis, ne iudicium illudatur?
Reſp. Non, quia ad tollendos adiunctos in ſummaria, & captura, vtrumque requiritur copulatiuè, non diſiunctiuè. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6.*

72 In viſitatione, poterit ne Epiſcopus inquirere de rebus ſcandaloſis publicis ſolũ, an etiam de occultis?
Reſp. De publicis, & occultis ſcandaloſis, *c. 6. ſeſſ. 25. Conc. Trid.*

73 Quis poteſt viſitare bona capituli, & eorum adminiſtrationes?

℞. Epi-

Reſp. Epiſcopus,ſiue bona ſint in communi,ſiue diuiſa à menſa Epiſcopi, quia aliàs viſitatio eſſet illuſoria,ſi negligentes non viſitaret, & vſurpatores bonorũ non corrigeret. *DD. ſuper c.4.ſeſſ.6.Conc.Trid.*

74 Quis poteſt viſitare fabricas, & adminiſtratores earum?

Reſp. Epiſcopus,ſed ſi ex conſuetudine,priuilegio, vel foro,datione,alijs reddenda ſit ratio,adhibeatur cum eis ordinarius. *Triden.ſyn.ſeſſ.22.c.9.*

75 Quis poteſt viſitare ſeminarium?

Reſp. Epiſcopus, & expellere non proficientes, *Trid.ſyn.ſeſs.23.cap.18.*

76 Quis poterit viſitare,& approbare,& punire Notarios Apoſtolicos?

Reſp. Epiſcopus etiam ſi ſint Apoſtolica,Imperiali, vel Regia authoritate creati,ſine appellatione quoad effectum ſuſpenſiuum, *Trid.ſyn.ſeſſ.22.c.10.*

77 Quãdo Epiſcopus priuat aliquẽ Notariũ ob imperitiã,quę negotia non poteſt exercere,& quę põt?

Reſp. Non poteſt omnia Eccleſiaſtica, nec piorum locorum,quæ per ſæculares adminiſtrantur,at poterit negotia ſæcularia exercere,ſi habeat poteſtatem à Principe ſæculari. *Trid.ſyn.ſeſs.22.c.10.*

78 Quis poteſt viſitare eum,qui ſede vacante exercet officium, & officiales eius?

Reſp. Epiſcopus de nouo veniens per ſe ipſum, & corrigere eorum exceſſus ex poteſtate ſibi tradita à *Conc.Trid.ſeſs.25.c.6.*

79 Collectores Apoſtolici poſſunt viſitari,& corrigi ab Epiſcopo?

Reſp. Non,quia ſunt exempti ab eius iuriſdictione.

80 Qui dicuntur Collectores Apoſtolici,vt gaudeant hoc priuilegio?

Reſp. Illi, qui habent mandatum colligendi iura Apoſtolica tempore ſedis vacantis, licet actu ſuum officium non exercuerint, quia nondum ſedes vacauit. *DD.ſuper c.6.ſeſſ.25.*

81 Si Epiſcopus, vel eius Vicarius procedat ſine adiunctis in aliquo caſu, in quo tenebatur adhibere, poterit ne capitulum vigore manutenſionis, vel litterarum Apoſtolicarum eligere Iudicem executorem, vt declaret epiſcopum,vel eius Vicarium incurſum fuiſſe in pœnam manutenſionis?

Reſp. Non;ſed ſolum poterit notificare iterum manutenſionem,monere Iudicem,vt illam obſeruet,ſumere teſtimonia, quæ non ſunt retardanda, nec deneganda, vt Papa declaret talem iudicem incurſum eſſe in pęnam manutenſionis. *dec. Rotæ Anno 1618.*

82 Si Iudex, vel Notarius noluerint dare iſta teſtimonia, quid agendum?

℞. Capitulum debet requirere iudicem,& Notariũ ſolemniter,& proteſtare dãna,& intereſſe,& mittere illa inſtrumenta ad ſacram Rotã,vel ad Iudicem Eccleſiaſticũ ſuperiorem,vt ipſe cõdemnet in expenſis.

CAPVT XXVIII.

De Eccleſia Cathedrali, capitulo, & dignitatibus.

1 QVotuplex eſt Eccleſia Cathedralis?

Reſp. Duplex, alia regularis, quæ adminiſtratur per canonicos viuentes intra clauſtra ſuæ obedientiæ,alia ſæcularis. *Abb. in c.ad noſtram,de confirmatione vtili,vel inutili,nu.4.c.ſuper eo. de regularibus. c.quorumdam.diſt.74. gl.ibi.*

2 Regularis poteſt eſſe canonicus in Eccleſia Cathedrali ſæculari?

Reſp. Poterit cum diſpenſatione Papæ,quia eximitur ab obedientia ſui Abbatis. *Abb. in cap.ad noſtram de confirmatione vtili,vel inutili.c. ſuper eo,de regularibus,& cap.2.de ſtatu monachorum,num.3. & cap.fin.de capellis monachorum,& aliorum religioſorum. num.2.*

3 Ex quibus membris conſtat eccleſia Cathedralis ſæcularis?

Reſp. Ex epiſcopo, vel Archiepiſcopo, Dignitatibus,Canonicis,Portionarijs,& alijs Miniſtris. *Abb.in c.ad noſtram, de confirm. vtili, vel inutili.*

4 Quis eſt caput eccleſiæ Cathedralis?

Reſp. Epiſcopus, & ei debet tribui prima ſedes, & habet in omnibus rebus gerendis ſupremam authoritatem. *Trid. ſyn.ſeſſ. 25. c.6.*

5 Quis poteſt vendere beneficia Eccleſiæ Cathedralis, vel augere alio modo redditus canonicorum, cum præbendę ſunt tenues?

Reſp. Concilium Prouinciale, vocatis his, quorum intereſt,& debet diligenter inquirere negotium, deinde cuncta remittere ad Romanum Pontificem, vt ipſe prouideat. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.13.*

5 Quis poteſt augere canonicatus, & præbendas, & minuere numerum canonicorum, vbi eccleſiæ inſignes ſunt, & præbendę tenues?

Reſp. Epiſcopus cum conſenſu capituli, vendendo beneficia ſimplicia, vel ſupprimendo numerum canonicorum,ita tamẽ, quòd relinquat numerum ſufficientem ad cultum diuinum. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.15.*

7 Abbates exempti habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, poſſunt ne reducere ad pauciorem numerum canonicos, ratione paupertatis præbendarum?

Reſp. Non;quia ſolum Epiſcopis data eſt hęc facultas à concilio cum conſenſu capituli.*ſeſſ.24.c.15.*

8 Quis debet tollere ſolutiones,& promiſſiones illicitas, quę in aliquibus eccleſijs ſolent fieri in electione,poſſeſſione, & admiſſione canonicorum, & præbendarum?

Reſp. De his rebus epiſcopus debet cognoſcere, & quas laudabiles conſuetudines non inuenerit,tollere, & penitus abolere. *Trident.ſynod.ſeſs.24. c.14.*

9 In capellis priuatis, poſſunt ne eſſe canonici?

Reſp. Poſſunt,ex authoritate Apoſtolica,vt dixi *lib. 10.c.30.de Eccl.ædificand.*

10 In cognoſcendis huiuſmodi conſuetudinibus,quomodo ſe gerit epiſcopus?

Reſp. Tamquã ſedis Apoſtolicę Delegatus cognoſcendo breuiter,& ſummariè exequendo. *Trid.ſynod. ſeſſ. 24. c.14.*

11 Canonici,qui deinceps in electione,poſſeſſione,& admiſſione canonicorum admiſerint conſuetudines ab epiſcopo reprobatas, qua pœna puniuntur?

Reſp. Pœna ſimoniæ: *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.14.*

12 Si epiſcopus,& capitulum fecerint conſtitutionẽ, vt aliquid ſoluatur pro fabrica, debet ne ſolui.

Reſp. Debet ſolui,cum ſit iuſta eleemoſina. *DD. in c.14.ſeſs.24.*

13 Dignitates in Eccleſia ad quid ſunt inſtitutę, & quales debent eſſe.

Reſp. Ad augendam, & conſeruandam Eccleſiaſticam diſciplinam,& decorem Eccleſiæ, & qui eas obtinent,debent alijs præcellere pietate,exemplo,litteris,doctrina,morum integritate,& debent eſſe verſati in clericali ordine. *Trid.ſyn.ſeſ.24.c.12.*

14 Omnes Dignitates,& canonici quales debent eſſe in Cathedralibus, Licentiati, vel Doctores?
Reſp. Sancta ſynodus non præcipit, ſed hortatur in Cathedralibus inſignibus ſaltem,vt dimidia pars ſint Licentiati, vel Doctores. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.12.*

15 Cōcilium Prouinciale poteſt præcipere, vt dignitates, & canonicatus concedantur graduatis ſolùm?
Reſp. Non,quia *Trid.ſyn.*non præcipit,ſed hortatur ad melius. *ſeſſ.24.c.1.*

16 Quæ dignitates debent conferri graduatis?
Reſp. Illæ,quæ exercent iuriſdictionem, vel debent publicè legere. *DD.in c.12.ſeſſ.24.*

17 Prima dignitas, vt Archidiaconi,qui ſunt oculi Epiſcopi, Magiſter ſcholæ in Collegiatis, debet ne neceſſariò conferri Licentiato, vel Doctori?
Reſp. Negatiuè,quia *Concilium Trid.ſeſſ.24.cap.12.* nō præcipit,ſed hortatur, vt ſi commodè fieri poſſit in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus ſaltem dimidia pars dignitatum ſint graduati.

18 Ad obtinendam dignitatem in Eccleſia Cathedrali, quæ ætas requiritur?
Reſp. Sufficit habere viginti duos annos completos.

19 Dignitates,quæ requirunt curam animarum,quibus concedi debent?
Reſp. Attingentibus viginti quinque annos cum doctrina, integritate morum, ſcientia neceſſaria ad ſuum munus exequendum. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.12.*

20 Si dignitas in Cathedrali habeat beneficium non curatum, requiritur ne ætas viginti annorum, ſicut in curatis?
Reſp. Non,quia iam non habet curam animarum, ſed ſufficit tamen habere illam ætatem,quæ requiritur ad obeundum munus annexum tali dignitati. *Trid.ſyn.ſeſſ.24. c.12.*

21 In quo caſu poteſt canonicus habere dignitatem, & canonicatum ſimul?
Reſp. In Eccleſia, vbi eſt conſuetudo, quia hoc non eſt derogatum per *c.17.ſeſſ.24.Conc.Trid.*

22 Capellania poterit ne obtineri ſimul cum dignitate, & canonicatu in eadem Eccleſia?
Reſp. Poterit, ſi non habeat talis capellania onus inſeruiendi choro,vel aliquod onus, quod ſit incompatibile cum dignitate, vel canonicatu.

23 Poteſt ne Epiſcopus conferre duo beneficia ſimplicia vni perſonæ?
Reſp. Non,ſi vnum ſufficiat ad ſuſtentationem.*Tri.ſyn.ſeſſ.24.c.17.*

24 Poteſt vnus obtinere plura beneficia ſimplicia abſque diſpenſatione Apoſtolica?
Reſp. Si ſint ſufficientia, aut requirant perſonalem reſidentiam, non poteſt, ſi verò non ſint huius conditionis, non indigent diſpenſatione *ſeſſ.24.c.17.*

25 Si aliqua dignitas habeat curam animarum vnitam, exercendam per ſe ipſum, in quo loco tenetur reſidere, in Parochiali, an in Cathedrali?
Reſp. In Parochiali,*DD. in c.17.ſeſſ. 24.*

26 Si Dignitas habeat beneficium Parochiale vnitum ad eius collationem, tenebitur Epiſcopus facere concurſum?
Reſp. Non,ſed collatio debet fieri,ſicut aliarum dignitatum collatio; quia minus ſequitur naturam principalioris, quando eſt huic vnitum.

27 Epiſcopus poteſt conſtituere Vicarios perpetuos in beneficijs curatis,Dignitatibus,& Collegiatis Eccleſijs?
Reſp. Poteſt,tam ex authoritate concilij,quàm per Bullam Pij V.quæ incipit,ad exequendum. *Trid.ſyn, ſeſſ.7.c.7.*

28 Si dignitas in Cathedrali habeat redditus tenues, & non habet diſtributiones quotidianas, poterit ne ſimul obtinere cum Parochiali?
Reſp. In hoc caſu Epiſcopus conſultat Summum Pontific. faciendo illum certiorem de redditibus Parochialis,& dignitatis,vt ipſe prouideat. *DD.in c.24. ſeſſ. 7. de reform.*

29 Poteſt Epiſcopus imponere dignitatibus nouam formam ſeruitij, poſtquam aſſignauit tertiam partem fructuum in diſtributiones quotidianas?
℞.Nō poteſt illos onerare pluſquā conciliū præcipit.

30 Si aliqua dignitas de Iure patronatus habeat per ſuam fundationem longiorem abſentiam,quam ponit concilium, debet ne reduci ad eius terminos?
Reſp. Non, quia fundationibus non eſt derogatum per *Concilium Trid.ſeſſ.22.c.3.*

31 A dignitatibus de Iure patronatus, debet ne detrahi tertia pars fructuum pro diſtributionibus quotidianis?
Reſp. Non, ſed ſolum debent obſeruare ſuam fundationem ad vnguem.

32 Scholaſticus, vel Magiſter ſcholæ in Cathedralibus, quam qualitatem debet habere?
Reſp. Debet eſſe Magiſter, vel Licentiatus in Iure canonico,vel in ſacra Theologia, quia habet munus legendi. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.18.*

33 Poteſt Epiſcopus cogere obtinentem dignitatem ſcholaſticam, vt publicè doceat, vt ſeminarium minori expenſa habeat Magiſtros?
Reſp. Poteſt,& ſimiliter poteſt cogere alios canonicos,quibus in ſua Præbenda eſt iniunctum munus legendi, vt publicè legant per ſe ſi ſint idonei, & ſi non poteſt per ſe, per ſufficientes ſubſtitutos approbandos ab epiſcopo. *ſeſſ.23.c.18.*

34 In locis, vbi non erigitur ſeminarium, poterit ne ſimiliter epiſcopus cogere tales dignitates, & canonicos, vt publicè negant?
℞. Non quia ceſſat neceſſitas poſita *à Conc. in d. c.*

35 Archidiaconus quam qualitatem debet habere?
℞. Debet eſſe magiſter licentiatus in ſacra Theologia,vel Iure canonico.*Trid.Synod.ſeſſ.24.c.12.*

36 Archidiaconus debet neceſſariò eſſe Doctor, vel Licentiatus?
Reſp. Si non habet curam animarum, nec exercet iuriſdictionem,quæ ſibi de Iure competit, non tenetur eſſe Doctor, nec Licentiatus.

37 *Conc. Trident. ſeſſ. 24.* ſubſtulit Archidiaconis,& alijs Dignitatibus inferioribus immemorabilem cōſuetudinem cognoſcēdi aliquas cauſas matrimoniales,& criminales viſitādi, & accipiendi aliquod emolumentum pro licentia danda in matrimonijs?
℞.Negatiuè,quia per illud c.20.non ſubſtulit immemorabiles cōſuetudines.*Tri.ſy.ſeſ.24.c.20.& ibi DD.*

38 Si ſuper hoc lis oriatur inter Dignitates, & epiſcopum, quis debet talem iuriſdictionem exercere, donec lis finiatur?
℞. Epiſcopus, donec tales Dignitates per tres ſententias

tentus ſuam intentionem probauerint. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 20. & ibi DD.*

39 Cauſæ matrimoniales, & criminales poſſunt ne tractari coram Decano, vel Archidiano, etiam in viſitatione?

Reſp. Negatiuè, ſed ſolùm coram Epiſcopo. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. c. 20.*

40 Quãdo Eccleſia Parochialis ſpectat ad Archidiaconum, vel dignitatem inferiorem, vt ipſe poſſit loco ſui ſubſtituere Parochum, quid eſt agendum?

Reſp. Ille, qui ſubſtituetur, examinandus erit ab Epiſcopo de ſcientia, moribus, & vita, non ſecus ac ſi fuiſſet, quicumque alius Parochus. *c. 18. ſeſſ. 24. Conc. Trident.*

CAPVT XXIX.

De Decano Capituli.

1 Decanus debet neceſſariò eſſe graduatus?

Reſp. Non, quia in ſacra Trid. ſyn. nõ eſt ei impoſitum hoc onus.

2 Decanus poteſt compelli ab Epiſcopo ad canendum Euangelium, vel dicendas Miſſas maiores, vel alia munera obeunda?

Reſp. Non, quia eius officium eſt aſſiſtere in choro ad gubernandum, niſi forte ſimul habeat aliam Præbendam, & tali Præbendę iniunctum ſit munus canẽdi Euangelium. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

3 Quod eſt officium Decani?

Reſp. Congregare Capitulum, regere chorum, & Eccleſiam?

4 Capitulum de iure ex quibus perſonis conſtat?

Reſp. Ex ſolis canonicis, & ideò Decanus ratione Decanatus in capitulo nullam habet vocem, ſed ſolùm proponere, & reſumere poteſt, niſi aliàs ſit canonicus. *Rota diuerſar. deciſ. 412. par. 1.*

5 Quot perſonæ faciunt capitulum?

Reſp. Tres Canonici Prębendati, qui ſint in ſacris, & in capitulo habeant vocem, & cum ſolis illis poteſt congregari; ſi verò aliquis canonicus ex illis tribus non ſit in maioribus ordinibus initiatus, non faciunt alij duo capitulum; ratio eſt, quia non habet ſuffragium, & ſic non eſt perſona habilis, ideò illi tres numerantur, vt duo *cap. ex eo quod, de electione in 6. cap. nullus, de electione, l. Neratius ff. de verb. ſignificat. & gloſ. ibi.*

6 In quot perſonis retinetur Ius Eccleſiæ, vel capituli?

Reſp. In vno ſolo canonico retinetur Ius Eccleſię, & capituli, & poteſt appellare, & defendere ſuam Eccleſiam, ſi alij non adſint, nam ſi alij ſint præſentes, omnes debent conuenire, & facere ſuum capitulum. *cap. nullus de electione.*

7 Quot perſonæ faciunt congregationem, ſeu confraternitatem?

Reſp. Duæ perſonæ, & decem perſonæ ſimul faciũt populum, & vndecim perſonæ faciunt turbam, & decem oues faciunt etiam gregem, & habent præeminentias datas gregi. *l. ſicut. §. vltimo ff. quod cuiuſcumque vniuerſitatis. c. nullus, de elect.*

8 Si Decanus ſit abſens, & omnes Dignitates antiquiores, & aliquis canonicus exiſtat, qui nõ ſit in ſacris, poterit ne talis canonicus congregare capitulũ?

Reſp. Poterit congregare, proponere, & reſumere; quia talis iuriſdictio non competit Decano ratione ordinis, ſed ſuperioritatis, & officij, licèt in hoc conſuetudo Eccleſiarum antiqua, & immemorabilis ſit ſemper ſeruanda. *DD. ſuper c. 44. ſeſſ. 22. Conc. Trid.*

9 Quibus diebus tenetur Decanus congregare capitulum?

Reſp. Diebus ſtatutis ab Eccleſia ſecundum ſuam conſtitutionem, quæ ſolet eſſe in qualibet Eccleſia die Veneris, & mercurij non impedita, & de mane poſt dictam tertiam in choro.

10 Si Decanus noluerit congregare capitulum, quid agendum?

℞. Si ſit dies ordinaria Capituli, dignitas antiquior, vel canonicus poteſt, & debet illud congregare; ſi verò non ſit dies, nec hora ordinaria capituli, & aliqua neceſſitas cõtingat; quilibet canonicus, qui vult tractare negotium, poteſt ante Secretarium capituli facere requiſitionẽ Decano, & antiquiori, & ſic qui ſuccedit, poterit legitimè congregare capitulum?

11 Si neceſſitas occurrat alijs diebus, & alijs horis, poterit ne Decanus congregare capitulum?

Reſp. Poterit quacumque die, quacumque hora, quocumque loco congregare capitulum, quia neceſſitas caret lege ordinaria.

12 Quo ordine debent incipere loqui antiquiores, & moderni, & quomodo?

Reſp. Modeſtè, quilibet ſigillatim, ac ſine interruptione, nec vociferando, & in ordine ſeruanda eſt conſuetudo Eccleſiæ, & in omnibus ſeruanda ſunt ſtatuta talis Eccleſiæ; quia ſunt leges municipales conuenientes tali Eccleſię.

13 Quo ordine debent ſedere in capitulo?

Reſp. Ordine antiquitatis.

14 Quis debet proponere in capitulo?

Reſp. Primus Decanus, deinde quilibet canonicus, qui habuerit aliquam rem proponendam.

15 Canonicus poteſt committere vocẽ ſuam alteri?

Reſp. Poterit, quia quod quis facit per ſuum procuratorem, per ſeipſum facere videtur, & illa commiſſio data à canonico verbaliter alteri canonico cũ fide officialis capituli æquiparatur mandato. *Abb. in c. cum olim de ſententia, & re iudicata, num. 9.*

16 Si vnus canonicus habeat duas voces, vnam ſuam, alteram ſibi commiſſam ab alio canonico infirmo, vel occupato, poterit ne ferre ſuffragium pro duabus perſonis diſtinctis?

Reſp. Negatiuè, niſi pro vno; ratio eſt, quia quod ipſe ſentit in ſua conſcientia eſſe iuſtum, debet ſentire pro amico, qui ei commiſit ſuam vocem, & ſuam conſcientiam, cum iuſtitia ſit indiuiſibilis. *Abb. in c. cum olim, de ſententia, & re iudicata. num. 2.*

17 Quis debet reſoluere determinationes canonicorum?

Reſp. Decanus, vel antiquior canonicus, & ſi in aliquo deficiat, quilibet canonicus poteſt aduertere cũ modeſtia, & facere, vt ſcribatur reſolutio maioris partis, cum ibi agatur de bonis communibus, & omnes ſunt æquales in illo negotio.

18 Quando maior pars capituli facit aliquid contra Iuris ſtatuta, vel contra rationem, minor pars capituli poteſt reclamare, contradicere, & proteſtare?

Reſp. Poterit, & debet appellare, & deducere rem ad ſuperiorem, ne videatur conſentiens tali rei, quia qui tacet, conſentire videtur. *c. qui tacet, de regulis Iuris in 6. & tenet Gloſ. Innoc. Panor. in cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.*

19 Si de Capitulo Canonici vocati, & requiſiti non veniant eo intuitu, vt aliquod negotium differatur, vel non fiat, quæ pars Canonicorum requiritur, vt negotium poſſit iuridicè determinari?
Reſp. Si negotium ſit vniuerſitatis, vel magni momenti ad minus requiruntur duæ partes Canonicorum, ita tenet *Bald. in l. omnes populi. ff. de iuſt. & iure. 2. q. Marchius dec. 1103. ſed quælibet Eccleſia habet ſuũ ſtatutum in hoc, & illud erit ſeruandum.*

20 In Capitulo Canonicorũ quę res tractari debent?
Reſp. Omnes pertinentes ad cultum diuinum, & ad vtilitatem Eccleſiæ, ad morum reformationem, ad obſeruationem ſtatutorum, & adminiſtranda bona Eccleſiæ, & fabricæ.

21 Notarius Capituli qualis debet eſſe, & à quo eligendus?
Reſp. Debet eligi ab ipſo Capitulo, & poteſt eſſe clericus, vel laicus, prout magis Capitulo licuerit ad negotia expedienda.

22 Capitulum Eccleſię Cathedralis ante quem Iudicem debet conueniri?
Reſp. Ante ſuum Epiſcopum, *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 5. de reformat.*

23 Capitulum de quibus rebus debet reddere rationem Epiſcopo?
Reſp. De ſcripturis ad menſam Epiſcopalem pertinentibus; & de fructibus perceptis ab Oeconomis tempore ſedis vacantis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 16.*

24 In quibus caſibus tenetur Epiſcopus adhibere cõſilium Capituli?
Reſp. Primò in eligendo lectore, & Magiſtro. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1.* Secundò in diſtribuendo ordines ſacros inter canonicos. Tertiò in omnibus rebus ſpectantibus ad cultum diuinum, & bonum regimen. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.* Quartò in augendo præbendas tenues. *ſeſſ. 24. c. 15.* Quintò in rebus ſpectantibus ad ſeminarium. *ſeſſ. 23. c. 18.* Sextò in conſtituendo Iudice ſynodali, ſi alius moriatur. *ſeſſ. 25. c. 10.* Septimò in omnibus rebus, quas ipſe in capitulo propoſuerit, in quibus, nec Epiſcopus, neque ſui habent aliquod damnum. *ſeſſ. 25. c. 6.*

25 In Eccleſijs, vbi Portionarij habent vocem in Capitulo, ponunt ne eligi principio cuiuslibet anni coniudices, ſeu coniuncti ad iudicandas cauſas canonicorum?
Reſp. Poſſunt. *Achill. de Graſſis dec. 1. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli, & Triden. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6.* de reformatione, generaliter, & indifferenter loquitur, quòd eligantur duo de Capitulo, ergo comprehendit Portionarios habentes vocem in capitulo, quia quibus conueniunt verba diſpoſitionis, ei quoque cõuenit & ipſa diſpoſitio. *leg. 4. §. 1. ff. de damno infecto.*

26 Capituli poteſtas, iuriſdictio, adminiſtratio bonorum, eſt ne derogata à *Concil. Trid. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.* vbi pręſcribit Epiſcopis modum eligendi canonicos?
Reſp. Non; imo ſemper intacta, & illæſa remanet, niſi ſolum in illis rebus *in d. cap. expreſſ. Trid. ſynod. ſeſ. 25. cap. 6.*

27 Epiſcopus quibus modis poteſt eſſe in capitulo?
℟. Duobus modis. Primo modo, vt Epiſcopus. Secundo modo, vt canonicus, ſicut contingit in Eccleſijs, vbi collatio beneficiorum, vel canonicatorũ pertinet ad Epiſcopum, & capitulum coniunctum, & tunc Epiſcopus habet ſolum vnum ſuffragium, ſicut vnus ex canonicis. *c. poſtulaſtis, de conceſſ. præbendæ.*

28 Si Epiſcopus aſſiſtat in capitulo, vt canonicus, vbi debet ſedere, & quando debet dicere ſuam ſententiã, vel ferre ſuum ſuffragium?
Reſp. Debet ſedere in ſua propria ſede, apparata, & ornata; & primus debet dicere ſuam ſententiam, quia à Trid. ſynod. ei datur prima ſedes, & omnis authoritas. *ſeſſ. 25. c. 6. c. poſtulaſtis, de cõceſſione præbẽdæ.*

29 Si Epiſcopus ſit in Capitulo tamquam canonicus debet aſſiſtere in capitulo, vel dicere ſuũ ſuffragium, & abire?
℟. Si ſit in capitulo tãquam canonicus, & ipſe velit, poterit aſſiſtere in capitulo, & audire omnes reſolutiones cęterorũ canonicorum, vel poterit dictã ſuam ſententiam dicere, ſicut ſibi placuerit, quia nõ denegada ſũt Epiſc. oĩa priuilegia, quę dãtur alijs canonicis, cũ in ſua perſona ſit maior honor, & authoritas.

30 Si Epiſcopus aſſiſtat in Capitulo tamquam canonicus, habet nè vnum, vel plura ſuffragia?
Reſp. Habet vnum ſuffragium, ſicut vnus de capitulo, licèt magis ponderatiuum propter eius authoritatem. *c. poſtulaſtis, de conceſſione præbendæ.*

31 Si Epiſcopus aſſiſtat in capitulo tamquam canonicus, & ſuffragia ſint paria, debet ne vincere pars illa, vel illa ſententia, in qua fuit ſuffragium Epiſcopi?
Reſp. In hoc caſu ſeruanda eſt conſuetudo, vel ſtatutum cuiuſcumque Eccleſiæ. *Abb. cap. poſtulaſtis, de conceſſione Præbendæ.*

32 Si Epiſcopus aſſiſtat in capitulo tamquam canonicus, quis debet proponere, & reſoluere?
Reſp. Decanus, vel caput illius capituli, qui ſolet præcedere, quando Epiſcopus non eſt præſens, licèt debeat cum omni vrbanitate petere licentiam ab Epiſcopo, & eum ſalutare. *Abb. cap. poſtulaſtis, de conceſſione præbendæ, num. 8.*

33 Si Epiſcopus ſit in capitulo tamquam canonicus, & appelletur à deciſione, vel ſententia capituli, ad quẽ dẽt appellari, ad Metropolitanũ, vel Epiſcopum?
℟. Appellatur ad epiſcopũ, & nõ impedit, quod ipſe fuerit in capitulo, quia tũc gerit vices duarũ perſonarum, & tãquã canonicus particularis fuit in capitulo, ſed tãquã epiſcopus eſt legitimus Iudex capituli. *Abb. c. poſtulaſtis, de conceſſione præbend. num. 11.*

34 Si Epiſcopus in capitulo tamquam epiſcopus, vbi debet ſedere, & quis debet proponere?
Reſp. In loco ſuperiori ornato, & præparato, & ipſe debet proponere, ſicut caput Eccleſiæ, & capituli, & ordinare omnia, quæ in illo actu debent fieri. *Abb. c. poſtulaſtis, de conceſſ. præb.*

35 Si Epiſcopus aſſiſtat in capitulo tamquam Epiſcopus, & appelletur de deciſione facta ab Epiſcopo, vel capitulo, ad quem debet appellari, ad Epiſcopum, vel ad Metropolitanum?
℟. Ad Metropolitanũ, & iudicẽ ſuperiorẽ, quia epiſ. fuit in illa deciſione, tãquã Iudex, & caput, & ſic non põt in ſecunda inſtãtia cognoſcere de eadẽ re. *tenet Abb. c. poſtulaſtis, de conceſſione præbendæ num. 11.*

36 Si Epiſcopus congreget capitulum, vt Epiſcopus, qua hora debet illud congregare?
℟. Quacũq; hora ipſe voluerit, & neceſſitas poſtulet, ſicut põt id facere Decanus capituli; ſed debet procurare,

curare, vt ſit hora, & dies, qua ſolent ipſi Canonici congregari, ne grauentur.

37 Poteſt Epiſcopus conuocare Capitulum, & proponere, quod ſibi videbitur conuenire?
Reſp. Poteſt, & audire vota eorum, concludere iuxta maiorem partem ſuffragiorum, dummodo res, de qua agitur, non ſit in commodum Epiſcopi, vel ſuorum. *Trid. ſyn. ſeſ. 25. c. 6.*

38 Si ſit res, de qua agitur, in commodum Epiſcopi, vel ſuorum familiariū, quid poteſt Epiſcopus agere?
Reſp. Tunc poteſt congregare Capitulum, & rem proponere, & relinquere canonicos de Capitulo ſolos, vt ipſi liberè rem diſcutiant, & determinent. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.*

39 In quibus caſibus Epiſcopus non poteſt congregare Capitulum?
Reſp. In omnibus caſibus, & rebus, in quibus non poteſt eſſe Iudex. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25. de reform.*

40 Si proponat rem ſpectantem ad dignitatem Epiſcopalem, poterit ne congregare Capitulum?
Reſp. Si de tali re ſecundum canonicas ſanctiones ipſe poteſt eſſe Iudex, poterit congregare Capitulū: ſi verò non poteſt eſſe Iudex, ſed iudicium debet fieri in alio Tribunali, non poterit ſua authoritate congregare Capitulum. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.*

41 Quando Epiſcopus congregat Capitulum, in quo loco debet illud congregare?
Reſp. Si ſit aula deſignata, ibi debet Epiſcopus congregare, ſi verò non ſit locus deſignatus, & habeat lites, & controuerſias cum ſuo capitulo, nō debet illud congregare in domo ſua, ſed in loco publico, & ſecuro. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.*

42 Quando Epiſcopus congregat Capitulum, habet ne in eo vocem deciſiuam?
Reſp. In electione Canonicorum habet vocem deciſiuam, in alijs verò rebus pertinentibus ad Capitulum, non, ſed ſolum poteſt proponere, exquirere, & reſumere. *DD. ſuper c. 6. ſeſſ. 25.*

43 Authoritas congregandi Capitulum pertinet ne ad Vicarium abſente Epiſcopo?
Reſp. Si Capitulum ſit exemptum, non habet Vicarius hanc authoritatem, ſi Capitulum non ſit exemptum, poterit Vicarius congregare Capitulum, ſed in hoc conſuetudo Eccleſiæ eſt ſeruanda. *DD. ſuper c. 6. ſeſſion. 25.*

44 Poteſt ne Epiſcopus cogere Capitulum, vt habeat Secretarium Clericum?
℞. Nō, ſed liberè poteſt habere clericum, vel laicū.

45 Punctator Eccleſiæ debet ne eſſe clericus, vel laicus, & à quo debet eligi?
Reſp. Debet eſſe in ſacris, ſiue ſit de Capitulo, ſiue extra, & debet liberè eligi à Capitulo.

CAPVT XXX.

De his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.

1 Qvæ res tractantur in Capitulo?
Reſp. Res, quæ tractantur in capitulo, ſunt in duplici differentia, ſcilicet gratiæ, & iuſtitię, id eſt negotia inter partes, vt ſolutiones, locationes, domorū refectiones, receptiones Canonicorum, muſicorum, & aliorum officialium. *Abb. cap. 5. de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli.*

2 In Capitulo, quæ pars præualet in rebus iuſtitiæ?
Reſp. Maior pars, & ſanior, quia in his, iam eſt poteſtas Capituli. *c. 1. de his, quæ fiunt à maiori.*

3 In rebus gratiæ, quæ pars præualet?
Reſp. Sufficit vnius Canonici contradictio, vt non fiat. *c. 1. eod. tit.*

4 Si agatur de reddenda præbenda alicui canonico, qui eam perdidit ob non reſidentiam, & omnes dent ſuffragium, vt illi reddatur, & vnus contradicat, poſſunt illi Canonici dare huic illam partem, quæ ipſis contigerat ob abſentiam alterius?
Reſp. Non poſſunt illi remittere ſuam partem ante diuiſionem; ratio eſt, quia ante diuiſionem, illa res pertinet ad totum corpus illius communitatis, & ſic omnia membra debent concurrere, & ſi vnum membrum deficit, non eſt facta, neque poteſt fieri, quia debet fieri à toto corpore. Secundò in rebus gratioſis totum Capitulum facit vnum ſuffragium, & non plura. *Abb. & DD. in c. 1. eod. tit.*

5 Si fabrica non habeat bona, vel habeat maiorem indigentiam, quam redditus ferunt, poterit ne Epiſcopus cogere canonicum, vt pro ſuis præbendis relinquat aliquam partem pro neceſſitate fabricæ?
Reſp. Epiſcopus cum maiori parte Capituli poterit ſtatuere, vt quilibet relinquat fabricæ aliquam partem ſuæ prębendæ, & cogere minorem partem contradicentem ad ſolutionem: ratio eſt, quia neceſſitas eccleſiæ, & reparatio eccleſię eſt primò prouidenda, & ad reparationem eccleſiæ tenentur epiſcopi, Canonici, clerici, ſæculares, Parochi, & vniuerſa Ciuitas, cum ſit domus Dei. *Abb. c. fin. de his, quæ fiunt à maiori par. cap. num. 1.*

6 Maior pars Capituli poteſt ne diſponere in rebus ſpectantibus ad ſingulos canonicos?
Reſp. Non, quia reputatur vt negotium gratię, cum in re aliena nemo ſit Iudex, & arbiter. *Abb. c. fin. de his, quæ fiunt à maiori par. cap. num. 4.*

7 Quando in capitulo pręualet contradictio minoris partis aduerſus determinationem factam à maiori parte?
℞. Quādo per minorem partē objicitur quid rationabile, & probatur coram iudice, & fertur ſententia in fauorem minoris partis, vel quando maior pars determinabit aliquid contra iuramētum præſtitum à capitularibus. *capitul. finali, de his, quæ fiunt à maiori, &c.*

8 Minor pars poteſt appellare ab illo, quod facit maior pars Capituli in rebus iuſtitiæ?
Reſp. Non poteſt appellare minor pars, neque deferendum eſt ejus appellationi, niſi ſubſiſtat legitima cauſa, & probatio incumbat minori parti. *Abb. c. 1. de his, quæ fiunt à maiori &c. num. 2.*

9 Si maior pars faciat aliquid in præiudicium eccleſiæ, minor pars tenetur ex neceſſitate appellare, vel ſufficit contradicere?
℞. In conſcientia ſufficit cōtradicere, ratio eſt, quia quæ fiunt in capitulo, non fiunt iudicialiter, & ſic neceſſariò non requiritur appellatio, licèt ſi fiat, multum operatur, ſed ſufficit contradicere, ac reddere rationem ſuæ contradictionis; hoc namq; peracto in

ctio in quocumque tempore poterit quis, vel Iudex, vel Epiſcopus, vel Viſitator reuocare factum a maiori parte. *Abb. capit. 1. de his, quæ ſiunt à maiori &c. num. 13.*

10 Capitulum habet iuriſdictionē ciuilem, vel criminalem in ſingulos canonicos; vel miniſtros Eccleſiæ? Reſp. De iure nō habet, niſi illi competat ex aliquo priuilegio, vel præſcriptione immemorabili. *Abb. c. quæſiuit, de his, quæ &c. num. 3.*

11 Quis numerus canonicorum eſſe debet, vt capitulum legitimè congregetur, & acta valeant? Reſp. De iure ſufficit, vt ſint ſimul duæ partes canonicorum exiſtentium in illa ciuitate, in qualibet Eccleſia ſuper hoc ſit particulare ſtatutum, & illud debet obſeruari. *Abb. c. 1. de his, quæ &c. num. 16.*

12 Abſentes ſunt vocandi ad capitulum? Reſp. De iure non eſt neceſſarium eos vocare, niſi ſint negotia grauiſſima, & in hoc ſeruandum eſt ſtatutū Eccleſiæ. *Abb. c. 1. de his, quæ &c. num. 15.*

13 Si ſint plures in capitulo, & maior pars ſit excommunicata, vel delinquat, & velit ſtatuere aliquid, & minor pars dicat contrarium, tunc quæ pars præualet, maior, vel minor? Reſp. In iſto caſu poteſtas remanet penes minorem partem, quæ non delinquit, & illa præualet. *Abb. c. 1. de his, quæ, num. 11.*

14 Si alicuius canonicus excommunicatur, ex hoc interdicitur capitulum? Reſp. Negatiuè, quia pœna ſolùm ſequitur apponẽtem culpam, & ad alios non extenditur. *c. quæſiuit de his quæ &c.*

15 Canonici poſſunt interdicere Eccleſiam? Reſp. Non, niſi epiſcopus, vel in ſede vacante, quãdo exercent iuriſdictionem, epiſcopi per Vicarium ab eis electum. *Abb. capitul. quæſiuit. de his, quæ &c. numero 1.*

16 Si aliquis, qui è capitulo non eſt, appellet, poterit ne talis appellatio impedire executionem capituli? Reſp. Si ille non ſit canonicus, & determinatio capituli non ſit in damnum eius in particulari, appellatio friuola, & nulla eſt, cum nullus ſe debeat alienis negotijs intromittere. *cap. ex ore ſedentis, de his, quæ ſiunt à maiori parte capituli.*

17 Si capitulum habet debitum contractum ex tempore, in quo erant alij canonici, poteſt imponi collector ſuper canonicos, qui hodie viuunt, & non contraxerunt tale debitum? Reſp. Canonici præſentes tenentur ſoluere tale debitum, & in eorum bonis debet fieri executio, ratio eſt, quia canonici antiqui, & præſentes idem corpus repręſentant, & in ſolidum ſunt obligati, non enim canonicis datum fuit debitum, ſed capitulo, aliàs capitulo nulla fides daretur, nec poſſet contractare, quod eſt abſurdum; capitulum enim repręſentat vnã Eccleſiam, & vnum corpus, in quo eſt ſumma fides, ſumma veritas. *Abb. c. finali, de his, quæ ſiunt à maiori parte capituli, num. 6.*

CAPVT XXXI.

De Magiſtris, & an aliquid exigatur, vt habeãt docendi copiam, ac facultatem.

1 Qvis debet prouidere magiſtris, & dare illis alimenta? Reſp. Eccleſia Cathedralis debet dare illis beneficium, vt ſuſtententur, vel ſalarium congruum. *c. 1. de magiſtris. c. quia, eod. tit.*

2 In Cathedralibus qui magiſtri eſſe debent? Reſp. Theologię Magiſter, & alter Grammaticę. *c. de magiſtris.*

3 Quas qualites debet habere Doctor, qui ducitur ad legendum? Reſp. Primò debet habere peritiam docendi. Secundò facundiam dicẽdi. Tertiò ſubtilitatem interpretandi. Quartò copiam differendi. Quinto debet habere approbationem ab habente poteſtatem. *l. magiſtros. C. de profeſ. & Med. libro 10. l. vnica. C. qui in vrb. Conſtãt. lib. 12. Abb. c. 1. de Magiſtris. num. 4.*

4 Monachus poteſt aſſumi in magiſtrum ad legendum? Reſp. Poterit aſſumi, cum ſit officium magnæ charitatis, de quibus dicitur, qui alios erudiunt, quaſi in arundineto deſcurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. *Abb. citans Hoſtienſ. c. quia, de magiſtris, num. 1.*

5 Quæ portiones, & ſuſtentationes illis ſunt aſſignandæ. Reſp. Vna prębenda eius Eccleſiæ; quòd ſi non ſufficiat ad ſubſtẽtationem amborũ, debet dari Theologo, tanquã magis digno, & grammatico aliquod beneficiũ ſuæ Diœceſis congruũ. c. quia, de magiſtris.

6 Magiſtri conſtituti ab Eccleſia Cathedrali, quod onus debent habere? Reſp. Legere cum magna cura, & docere gratis pauperes, & filios illius ciuitatis. *c. 1. de magiſtris.*

7 Puer Diues quis dicitur? Reſp. Ille, qui habet patrem diuitem; nam tantum dicitur habere filius, quantum dicitur habere eius pater. *Abb. c. 1. de magiſtris, num. 1.*

8 Poteſt ne exigi aliqui pro licentia docendi? Reſp. Non, imò gratis debet dari, quia piũ eſt opus. *Abb. c. 1. de Magiſtris, c. pronibeas, eod. tit. num. 2.*

9 Quam pęnam incurrit ſuperior, qui accipit pecuniam à clerico pro danda licentia eundi ad ſtudium? Reſp. Simoniam. *Abb. cap. prohibeas, de Magiſtris, gloſ. c. pen. eod. tit. & ad noſtram, de ſimonia.*

10 Si erelatus non ponat magriſtrum, quis ſupplet eius vices? Reſp. Si pręlatus ſit negligẽs, eius ſuperior ſupplet eius vices, ſi inferior ſit negligens, ſuperior prælatus ſupplebit eius vices, cum ſit res adeò neceſſaria. *cap. prohibeas, de magiſtris.*

11 Beneficia pignora cui ſunt danda? Reſp. Litteratis potius, quam ignaris *Abb. cap. 1. de magiſtris. num. 3.*

12 Canonici

12 Canonici per quod tempus poſſunt abeſſe ſtudiorum cauſa, & quid percipiunt?
Reſp. Per quinquennium, & percipiunt fructus ſuæ præbendæ, exceptis diſtributionibus quotidianis dũmodo ſint in vniuerſitate approbata, & ipſi habiles ad ſtudia, *c. ſuper, de magiſtris*.
13 Iudæus poteſt doctorari?
Reſp. Non quia eſt dignitas, *c. quanto, de magiſtris, & ibi Abb. num. 1.*
14 Quis præfertur doctor, an miles?
℞. Doctor; Cicero. n. dicit, Cedant arma togæ, côcedant laurea linguæ. *Abb. c. quanto. de magiſtris. n. 2.*

CAPVT XXXII.

De lectione Sacræ Scripturæ.

1 Lectio Sacræ Scripturæ quibus in locis haberi debet?
Reſp. In Eccleſijs Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. cap. 1. de reform.*
2 In monaſterijs debet ne eſſe lectio ſacræ ſcripturæ?
Reſp. Affirmatiuè, ſi commodè fieri poteſt, & monaſterium poſſit ſubſtentare lectorẽ. *Trid. ſyn. vbi ſup.*
3 A quo debet examinari talis lector in Eccleſijs ſecularium?
Reſp. Ab Epiſcopo, & debet facere profeſſionem fidei. *Trid. ſyn. vbi ſupra.*
4 Vnde debet ſubſtentari?
Reſp. A præbenda ſibi data, ſicut dictum eſt in titulo de canonico lectore. *Trid. ſyn. vbi ſupr.*
5 Lectio Gramaticæ à quo, & vnde debet inſtitui?
Reſp. Ab epiſcopo cum concillio capituli, & in Eccleſijs, vbi lectio Theologiæ commodè haberi non poteſt, debetque ei vniri beneficium taliter, vt beneficium ſuo debito ſeruitio non deſtaudetur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1. de reformat.*

CAPVT XXXIII.

De Canonico Concionatore, & Doctorali.

1 Qvæ prebendæ in Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus debent neceſſariò prouideri Licentiatis, vel Doctoribus in Iure canonico, vel Thologia?
Reſp. Canonicatus doctoralis, canonicatus lectoris ſacre Theologiæ, & canonicatus Concionatoris, & Pęnitentiarius, qui eſt deputatus ad audiendas confeſſiones, ſecundum bullas diuerſorum Pontificum, & ſua inſtitutiones, quæ in qualibet Eccleſia habentur in Archiuius.
2 Canonicus doctoralis, & canonicus Lector ſacræ ſcripturæ, & Concionator quomodo eligi, & quando debent eligi?
Reſp. Si in aliqua Eccleſia non ſint electi iſti canonici, debent eligi de nouo, dari illis prębendæ primò vacaturæ ex precepto *ſacri Concilij Tridentini ſeſs. 5. c. 1.* quod loquitur de canonico lectore, & ex varijs bullis ſummorum Pontificum debet eligi canonicus Doctoralis, & Canonicus Concionator, et Pęnitentiarij.
3 Canonicus lector, côcionator, et doctoralis à quo debent eligi, et quomodo?
Reſp. Ab Epiſcopo, et capitulo ſimul in vnum congregatis per ſecreta ſuffragia. *Trid. ſynod. ſeſs. 5. cap. 1. de reformat.*
4 Canonicus penitentiarius à quo debet eligi?
Reſp. A Papa in ſuis menſibus, et ab appellatione in ſuis menſibus, abſque interuentu capituli; Garzias de beneficijs, *tom. 1. p. 5. c. 4. nu. 161. & ſequentib.*
5 Quare canonicus lector, concionator, et doctoralis eliguntur a capitulo, & Pœnitentiarius ab epiſcopo in ſuis menſibus, vel a Papa in ſuis menſibus abſque interuentu capituli?
Reſp. Quia capitulum non habet curam animarum, & ad idem nô pertinet prouidere confeſſorẽ ouibus, ſed ſolùm ad Summum Pontificem, & ad epiſcopum; ideò capitulum non admittitur in prouiſione Pœnitentiarij.
6 Quas qualitates debet habere, qui debet eligi in canonicum doctoralem?
Reſp. Debet eſſe Doctor, vel Licentiatus in Iure canonico per aliquam vniuerſitatem ex approbatis in Regno, ex legitimo matrimonio natus, vel diſpenſatus, moribus, ſcientia, & vita bona prædıtus.
7 Quod officiũ tenetur facere canonicus doctoralis?
Reſp. Debet facere officium aduocati pro ſua Eccleſia, & defendere Eccleſiam in omnibus litibus occurrentibus, tam pertinentibus ad bona, quam ad præeminentias Eccleſiæ. *tenet Carzia de beneficij tomo 5. p. 5. c. 4.*
8 Canonico doctorali debet dari ab Eccleſia aliquod ſtipendium pro occupatione, pro petitionibus, pro informatione Iuris factam in fauorem Eccleſiæ?
℞. Nullum ſtipendium debet dari ab Eccleſia præter prębendam, quam alij percipiunt; ratio eſt, quia illa præbenda datur loco ſalarij, & ſtipendij. *tenet Garzia de beneficij, vbi ſupra, cum alijs.*
9 Canonicus doctoralis ſi ſit occupatus in defenſione alicuius litis, debet ne haberi pro præſenti in choro, & quid lucratur?
Reſp. Debet haberi pro præſenti, & lucratur groſſam, & diſtributiones quotidianas, ſicut alij; ratio eſt, quia tantũ lucrãtur, qui cuſtodiunt caſtra, quantum, qui ſunt in pugna. *tenet Garzia vbi ſupr.*
10 Si canonicus doctoralis vadat ad curiam Regis perſonaliter, vel ad aliam ciuitatem ad defendenda negotia ſuæ Eccleſiæ, quid lucratur?
Reſp. Lucratur totam præbẽdam, & ſtipendium vel ſalarium, quod lucrãtur alij canonici, ſi id facerent, & illud iter pro Eccleſia ſubirent; ratio eſt, quia præbenda datur illi ſolùm propter preſentiam, & aſſiſtentiam, quam facit in Eccleſia, & propter negotia, quæ ibi tractat; at vero, quando facit iter extra ſuam domum, debet lucrari, quod alij lucrantur. *tenet Garzia de beneficijs, vbi ſupra.*
11 Canonicus Concionator quas qualitates debet habere?
Reſp. Debet eſſe Licentiatus, vel doctor in ſacra Theo-

Theologia peritus in concionando, qui non ſolum verbo,ſed ſanctitate, & exemplo populum ædificet. *tenet Garzia de beneficijs,vbi ſupra.*

12 Quibus diebus tenetur concionari, & in qua Eccleſia?

Reſp. Solùm in Eccleſia maiori, & in alia Eccleſia, vel monaſterio, vbi capitulum perſonaliter aſſiſtit, & tenetur concionari diebus feſtiuis, & ſolemnibus poſitis in Bulla ſuæ fundationis, & in hoc ſeruanda eſt conſuetudo cuiuſcumque Eccleſiæ, quæ facit ius. *tenet Garzia de beneficijs,vbi ſupra.*

13 Si canonicus cõcionator voluerit ſemper concionari, & non relinquere, vt alij Religioſi, & concionatores concionentur in Eccleſia maiori, quid agendum?

Reſp. Licèt ipſe canonicus ſit Rector, & Gubernator Dominus,& Dux illius Cathedræ,vbi concionatur, tamen in hac ſeruanda eſt conſuetudo Eccleſiæ, ſicut in alijs negotijs, cum cibum quotidianum faſtidium generet, & ſic talis canonicus tenetur ſe cõformare Regulæ, quam obſeruauerunt ſui anteceſſores.

14 Si in electione præbendæ doctoralis lecturæ, vel concionatoris, quæ pertinent ad Epiſcopum, vel capitulum, ſint paria ſuffragia, quid agendum?

Reſp. De hoc dixi latè, *lib.4.cap. de electione, & electi poteſtate à num.24.& infra.*

15 In electione iſtorum canonicorum quomodo aſſiſtit Epiſcopus in capitulo,& quã vocem habet æqualem cum vno canonico, vel æqualem cum cum omnibus canonicis?

Reſp. De hoc dixi latè, *lib.4.c.28.num.22.& infra.*

16 In concurſu iſtorum canonicorum quando electio fit per concurſum, tenetur ne vnus canonicus ferre ſuffragium pro digniori, an ſufficit ferre ſuffragium pro digno?

Reſp. De hoc dixi latè *lib.4.c.42.* de examine, & prouiſione parochialis Eccleſiæ, vbi quod Epiſcopus poteſt facere in electione Parochi poteſt, & debet facere canonicus in electione ſui canonici.

CAPVT XXXIV.

De lectore Sacræ Scripturæ in Cathedralibus,& collegiatis.

1 QVis debet eligere canonicum lectorem ſacræ ſcripturæ?

℞. Epiſcopus, & capitulum per ſuffragia ſecreta ſecundum morem Eccleſiæ.

2 Si in electione Theologi inter Epiſcopum & capitulum in aliqua re fuerit controuerſia, quid agendum?

Reſp. Ad metropolitanum reccurrendum.

3 Si aliquis eligatur in canonicum lectorem per ſuffragia ſecreta,factus canonicus debet ne iterum examinari ab Epiſcopo?

Reſp. Non, quia congregatio concilij. *ſuper c.13. ſeſſ.27.*ſenſit, eos nõ eſſe examinandos,cum iam ſint electi,vt examinent alios.

4 Vbi ante concilium Trid. inſtituta, & dotata fuit electio ſacræ ſcripturæ, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus cogat obtinentes, vt illã per ſe ipſos legant, & ſi idonei non fuerint, per ſubſtitutus idoneos ſub pœna priuationis fructuum. *Trident.ſyn. ſeſſion.5.cap.1.*

5 Cum primum vacauerit talis Cathedra, quæ conſtituta fuit ante concilium, cui debet conferri?

Reſp. Solum perſonæ idoneæ, quæ per ſe ipſam poſſit legere ſacram ſcripturam, & interpretari, aliàs prouiſio aliter facta nulla erit .*Trid.ſynod.ſeſſ.5.c.1.*

6 In Eccleſijs Cathedralibus, vbi ante Concilium Trident. nullum ſalarium lectori aſſignatum fuit, quid agendum?

Reſp. Debet aſſignari,& conſtitui præbenda primò vacatura pro lectore Theologiæ. *Trident.ſyn. ſeſſ.5.c. 1. de reform.*

7 Si talis præbenda ſit tenuis, & non ſufficiens ad ſubſtentationem alicuius Doctoris, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus cum conſilio capituli vniat aliquod beneficium, vel conſtituat aliquam contributionem perſoluendam à Beneficiatis ſuæ diœceſis vſq; ad ſufficientem ſubſtentationem talis Doctoris.*Trid.ſynod. ſeſſ.5.c.1.vbi ſupra.*

8 In Eccleſijs, vbi præbendæ non ſunt æquales, ſed optantur à canonicis, debet ne vniri præbenda primò vacatura,an vltima?

Reſp. Vltima quia concilium per hoc decretum nõ ſubſtulit canonico antiquiori ius optandi, ſed applicauit Theolgo legenti primam præbendam. *Trid. ſyn.ſeſſ.5.c.1.de reform.*

9 Si aliquis lector ſacræ Theologiæ optauerit aliquam prebendam, & moriatur, talis prebenda,cum ipſe mortuus eſt debet nè dari, & conferri Theologo ſuo ſucceſſori?

Reſp. Non, quia qualitas, & priuilegia optionis, non veniunt alij canonico ratione lecturæ, ſed ratione canonicatus.

10 Si præbenda Theologalis fuerit ditior alijs præbendis, vel habuerit aliquas qualitates, & commoda relicta ab aliquibus teſtatoribus ad adminiſtratione Hoſpitalis, vel alicuius operę pię, mortuo Theologo, poteſt ne optari ab aliquo canonico illius Eccleſiæ?

Reſp. Non,quia qualitates illius præbendę ſequuntur qualitates perſonæ ad hoc officiũ electæ. *Garzia de beneficijs.tom.6.c.4.p.5 num.132.*

11 Quando in præbendis Theologalibus, & magiſtralibus ſunt aliqua onera iniũcta,debent ne illa derogari?

Reſp. Negatiuè; nam nec in præbendis, nec in beneficijs onera ſunt deroganda. *Trid.ſyn.ſeſſ.5.cap.1. de reform.*

12 Si ante electionem magiſtri Theologiæ fuerint inſtitutæ aliæ lectiones, debent ne ratione huius inſtitutionis ceſſare dictæ lectiones?

Reſp. Non,imò legi debent,ſicut prius.*Trid.ſyn.ſeſſ. 5.c.vbi ſupra.*

13 In Eccleſia Collegiali quid agendum de lectore Sacræ ſcripturæ?

Reſp. Idem,quod in Cathedrali, quia eadem eſt neceſſitas. *Trid.ſyn.ſeſſ.5.c.1.*

14 In Eccleſijs Collegiatis, & inferioribus,quis debet cogere, & punire Cathedralicos, vt ſuum officium faciant?

℞. Epiſco-

Reſp. Epiſcopus: etiam ſi talis Eccleſia exempta ſit. *Concil. vbi ſup.*

15 Docentes ſacram Theologiã in publicis ſcholis, quæ priuilegia habent?
Reſp. Si habeant canonicatum, vel beneficium percipiunt omnes fructus in abſentia. *Trid. ſynod. ſeſſ. 5. c. 1. de reform.*

16 Si vocauerit aliqua præbenda, debet ne conferri primo Theologo, an Pœnitentiario?
Reſp. Pęnitentiario propter magnam, & maiorem eius neceſſitatem, quia plures confitentur ſua peccata, quam adiunt Theologiam.

17 Canonicus Theologus per quot mẽſes poteſt vacare à lectionibus?
Reſp. Per tres menſes, ſcilicet, Iulij, & Auguſti, & Septembris.

18 Canonicus Theologus, vt ſatisfaciat ſuo muneri, debet legere Theologiam poſitiuam, vel ſcholaſticam?
Reſp. Poſitiuam, ſed ſi ex neceſſitate legat ſcholaſticam concilio ſatisfacit. *Garzia vbi ſup. num. 156.*
Reſp. Epiſcopus. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 5.*

20 Si non inueniatur Theologus ſecularis idoneus ad obtinendam præbendam Theologalẽ, quid agendũ?
Reſp. Epiſcopus, & capitulum poterunt conſtituere aliquem regulare doctum, qui doceant ſacram ſcripturam in Eccleſia Cathedrali, ſed debent illi dari omnes fructus illius præbendæ.

CAPVT XXXV.

De lectione Sacræ Scripturæ in Monaſterijs, & publicis ſtudijs.

1 IN monaſterijs monachorum debet inſtitui hęc lectio ſcripturę?
Reſp. Si commodè fieri poteſt, debet. *Trident. ſyn. ſeſſ. 5. cap. 1. de refor.*

2 Si Abbates negligentes fuerit, quis debet eos compellere?
Reſp. Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus adhibitis opportunis remedijs. Conciliũ. *vbi ſup.*

3 Lector in monaſterijs debet ne approbari ab Epiſcopo de ſcientia, moribus, & vita?
Reſp. Non, ſed a ſuo ſuperiori. *Trident. ſynod. ſeſſ. 5. c. 1. de refor.*

4 In publicis ſtudijs, & vniuerſitatibus ſi hęc lectio ſacræ ſcripturæ nõn ſit inſtituta, quid agendum?
Reſp. De nouo debet inſtitui, tanquam res neceſſaria, & à concilio commendata. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1. vbi ſupra.*

5 In Eccleſijs Collegiatis de Iure patronatus laicorum, debet ne aſſignari præbenda pro Theologo lectore, & Pœnitentiario?
℞. Neceſſariò debet, quia eadem neceſſitas eſt, quę in Eccleſijs Cathedralibus, & tales Eccleſiæ Collegiales his perſonis ſimiliter honorantur, ac præſtantiores fiunt. *DD. ſuper. caput. 1. ſeſſione 5. Concilio Tridentino.*

CAPVT XXXVI.

De lectore Grammaticæ.

1 SI in aliqua ciuitate, vel diœceſi lectio Theologię commodè haberi non poſſit, quid agendum?
℞. Tunc epiſcopus de conſilio capituli eligere Magiſtrum grammaticum, qui ſcholaſticos pauperes, & clericos grammaticam doceat. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1. vbi ſup.*

2 Vnde debet ſuſtentari talis Magiſter?
Reſp. Epiſcopus poteſt vnire illi aliquod beneficiũ, ita tamen, quòd onera beneficij adimpleantur, vel de ſua menſa, vel de menſa capituli, & aſſignare illi congruum ſalarium. *Trid. ſynod. ſeſſ. 5. c. 1. vt ſupra.*

3 Talis Magiſter Grãmaticæ quamdiù poteſt percipere fructus dicti beneficij?
Reſp. Quamdiù docuerit, & legerit, & non amplius, quia datur illi non titulus, ſed loco ſalarij, & ſtipendij. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 1. de reform.*

4 Talis Magiſter quas qualitates debet habere?
℞. Debet ab epiſcopo examinari, & approbari de vita, moribus, & ſcientia, *Trid. ſynod. ſeſſ. 5. capit. 1. de reform.*

5 Ad legendam grammaticam poteſt ne conſtitui Parochus, qui curam animarum habeat, etiam ſi ponat Vicarium idoneum?
Reſp. Negatiuè, etiam ſi talis Parochus poſſit in diebus ſolemnibus aſſiſtere per ſe ipſum in Eccleſia, ſed ſi poſſit facere vtrumque officium, poteſt conſtitui Parochus idoneus. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 5.*

6 Ludi magiſtri, qui prima rudimenta grammaticę in locis priuatis, docent, debent ne ab Epiſcopo examinari?
℞. Debent de vita, moribus, & ſcientia, & facere profeſſionem fidei, ſicut alij docentes altiores ſcientias, *ex Bulla Pij V. Pont. Maxim.*

CAPVT XXXVII.

De Canonico pęnitentiario.

1 POenitentiarius ad quid debet inſtitui in omnibus Eccleſijs Cathedralibus?
Reſp. Ad audiendas cõfeſſiones. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 8. de reform.*

2 Pœnitentiarius quas qualitates debet habere?
Reſp. Debet eſſe Doctor, vel Licentiatus in ſacra Theologia, vel Iure canonico, & debet habere quadraginta annos ætatis. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. c. 8. de refor.*

3 Pœnitentiarius poteſt obtinere dignitatem ſimul cum canonicatu in Eccleſia, in qua eſt conſuetudo, vt aliquis poſſit obtinere canonicatum, & dignitatem ſimul?
℞ Requiritur, vt Summus Pontifex diſpenſet; quia cum ſit officium tam neceſſarium, perſona pęnitentiaria

tiaria

8 Qui obtinet beneficium, vel Canonicatum ante ætatem, quam pœnam incurrit?
Reſp. Solũ tenetur intra ſex menſes reſignare, nulla ſibi reſeruata penſione. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

9 Canonici Eccleſię Collegialis in Romana Curia, vel Cathedralis extra Curiam, quam honorem, & locum debent habere?
Reſp. Canonici Eccleſiæ Collegialis, quæ ſita eſt Romæ, ſunt præferendi extra Curiam Canonicis Cathedralium propter honorem Romanæ Curiæ, & Summi Pontificis. *DD. ſuper c. 12. ſeſs. 24. Conc. Trident.*

10 In locatione domorum Eccleſiæ, vel bonorum immobilium, quis eſt præferendus, Canonicus reſidens, vel Canonicus abſens?
℟. Canonicus qui actualiter reſidet, præferendus eſt Canonico, qui non reſidet, & ſæcularibus etiam, ſi domus detur in vitam, vel ad tempus limitatum.

11 Poſſũt Canonici obire munus alterius Canonici?
Reſp. Poterit aliquis Canonicus dicere Miſſam, facere functionem, quam alius debebat facere, ſed non poterit pro alio Canonico reſidere.

12 Epiſcopus, vel Canonicus, vel Presbyter, qui ad alienam Eccleſiam negotij cauſa migrauit, in quo loco debet ſedere, & quo honore eſt afficiendus?
Reſp. In proprio gradu, quem habet in ſua Eccleſia, & honorificè ad omnia eſt inuitandus à Canonicis illius Eccleſiæ, & magno cum honore tractandus; quia maior honor debetur hoſpitibus, quàm proprijs, vt habetur in *c. Epiſcopi. 7. q. 1.*

13 Poſſunt Canonici in die Cineris, vel Cœnę Domini remittere ſibi ad inuicem fructus malè perceptos, & diſtributiones eorum?
Reſp. Hæc conſuetudo petendi veniam alterutrum intelligi debet de rebus ſcandaloſis, & de offenſis ad inuicem factis verbo, animo, vel opere; ſed non de fructibus malè perceptis, vel de non reſidendo *DD. ſuper c. 12. ſeſs. 24. Concilij Trid.*

CAPVT XXXIX.

De ordine ſuſcipiendo à Canonicis.

1 QVis debet in Eccleſijs Cathedralibus cõſtituere ordinem ſacrum omnibus Canonicis, & dignitatibus?
Reſp. Epiſcopus cum conſilio capituli. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 12. de refor.*

2 Si quis prouiſus ſit de Canonicatu, intra quod tẽpus tenebitur ſuſcipere ordinẽ annexũ tali canonicatui?
℟. Ad minus intra annũ. *Tri. ſyn. ſeſs. 24. c. 12. vbi ſup.*

3 In hac diſtributione ordinum quid debet Epiſcopus obſeruare?
℟. Quod ſaltẽ maior pars Canonicor. ſint Presbyteri; cæteri verò Diaconi, & Subdiaconi. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

4 Facta ſemel hac diſtributione ordinum ab Epiſcopo conſilio capituli poteſt ne iterum fieri?
Reſp. Negatiuè, quia iã quælibet præbenda habet ordinẽ ſibi annexum in perpetuum, & cõmiſſio data à Concilio ſecuta eſt ſuum factum. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

5 In Eccleſijs vbi eſt conſuetudo, vt omnes ſint Presbyteri, vel maior pars, debet nè fieri ab epiſcopo iſta ordinum diſtributio.
Reſp. Non debet tolli talis conſuetudo, quia laudabilius eſt, vt omnes ſint Presbyteri. *Trid. ſyn. vt ſup.*

6 In Eccleſijs Iuris patronatus laicorum fundatis ante concilium, debet nè Epiſcopus exequi decretũ. *Conc. Trident. ſeſſione 24. c. 12.* & diſtribuere cuilibet Canonicatui ordinem ſacrum?
Reſp. Negatiuè, quia tales Eccleſię debent ſeruare ſuã fundationem, & cõcilium in dicto decreto, loquitur de Cathedralibus, non de eccleſijs de iure patronatus laicorum, vbi voluntas teſtatoris adimplenda eſt, quia de ſuis proprijs bonis fundauit eccleſiam.

7 Si aliquis Canonicus in ſua præbẽda habet annexum ordinem Subdiaconatus, poterit nè compelli ab epiſcopo, vt ſubeat Diaconatus, & Presbyteratus ordinem?
Reſp. Non, quia ipſe iam ſatisfacit muneri ſuo, & ad amplius non tenetur.

8 Si aliquis Canonicus in ſua præbenda habet annexum ordinem Subdiaconatus, & ipſe pro ſua deuotione aſcendat ad Presbyteratum, tenebitur nè cantare Epiſtolas annexas ſuæ præbendæ?
Reſp. Tenebitur ſatisfacere ſuo muneri, cum illa prębenda in perpetuum ſubeat tale onus. *Triden. ſyn. ſeſſ. 24. c. 14. de reform.*

9 Canonicus, qui non ordinatur ordine ſacro annexo ſuæ præbendæ, qua pœna punitur?
Reſp. Ter admonitus ab ordinario priuatur prębẽda. *DD. ſuper c. 4. ſeſſion. 22. c. cum ex eo, de electione in 6.*

10 Canonicus, qui non eſt ordinatus ordine ſacro, poteſt ne habere vocem in capitulo?
Reſp. Non. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 4. de refor. c. ex eo, quod, de electione in 6.*

11 Portionarij in eccleſijs Cathedralibus, debent nè habere ordinem annexum?
Reſp. Debent, ſi erunt Canonici. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.*

12 In eccleſijs, vbi eſt conſuetudo, vt Canonicus Diaconus antiquior præcedat Canonicos ſacerdotes recentiores, debet ne mutari ab epiſcopo?
Reſp. Non, licèt hæc conſuetudo ſit contra capita ſtatuimus, de maioritate, & obed. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12. ſeſs. 22. c. 3. de refor.*

13 Si Canonicus habeat Diaconatum annexum ſuæ prębendæ, & vult aſcendere ad Presbyteratum, debet nè iterum examinari?
Reſp. Debet, quia magis requiritur ad ordinem ſuperiorem, quàm ad inferiorẽ. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

14 Quando *Concilium ſeſſ. 24. c. 12.* pręcipit, vt omnes Canonici, & Portionarij habeant ordinem annexum, loquitur nè de dignitatibus, & de dimidijs Portionarijs?
Reſp. Non poterit epiſcopus illi tribuere ordines ſacros inter dignitates, & dimidios Portionarios, quia cum ſit onus, imponi non debet his, cum quibus non loquitur, ſed debet relinqui, vt ſancitum eſt in Iure communi. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24. Conc. Trid.*

15 Quando poteſt Canonicus puniri non ſuſcipiens ordinem ſacrum?
Reſp. Poſtquam diſtributi fuerint ordines ab epiſcopo, & non ante, quia nemo cadit in culpam, donec ei pręcipiatur. *DD. ſuper c. 12. ſeſs. 24.*

CAPVT XL.

De ſeruitio Epiſcopo præſtando.

1 POteſt Epiſcopus habere in ſuo famulatu,& adiutorio aliquos Canonicos?
Reſp. Poterit habere tantum duos,vbicumque ambulauerit, etiam extra Eccleſiam Cathedralem.

2 Iſti Canonici quid lucrabuntur?
Reſp. Fructum,ſeù groſſam ſuæ præbendæ, ſed non diſtributiones quotidianas. *Abb. in c. ad audientiam, de clericis non reſidentibus, num. 1. & 5.*

3 Si tota præbenda conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, iſti Canonici quid debent percipere?
Reſp. Duas partes præbendæ, & tertia Canonicis reſidentibus danda erit.

4 Qui debet ſeruire Epiſcopo celebranti,& Pontificalia exercenti?
Reſp. Dignitates, Canonici, & Portionarij ſuæ Eccleſiæ, quilibet in ſuo gradu, ſic declarauerunt Illuſtriſſimi Cardinales congregat. Concilij.

5 Si epiſcopus celebret Pontificalia extra ſuam Eccleſiam in aliqua Eccleſia priuata, qui debent ei inſeruire, ſi celebret ordines?
Reſp. Si ſit in ciuitate,in qua eſt Eccleſia Cathedralis,debent ei inſeruire Canonici,& dignitates,qui illi ſeruiebant in propria Eccleſia. *DD. ſuper capit. 12. ſeſſion. 24.*

6 Si Epiſcopus celebret Miſſam priuatam in ſua eccleſia,vel extra,vel in oratorio ſuo, tenentur ne Canonici aſſiſtere?
Reſp. Non, ſed ſui famuli. *DD. ſuper c. 12. ſeſs. 24.*

7 Quis debet nominare aſſiſtentes, & reliquos ad Pontificalia exercenda?
Reſp. In hoc ſeruanda eſt conſuetudo Eccleſiarum, & ſi nulla ſit conſuetudo, ſeruandum eſt, quod diſponit ceremoniale Romanum. *Doctores ſuper cap. 12. ſeſſion. 24.*

8 Quoties debent dignitates, & Canonici Epiſcopum comitari?
Reſp. Quoties Epiſcopus publicè, & Pontificaliter indutus diebus feſtiuis, & ſolemnibus voluerit adire Eccleſiam,& aſſiſtere horis diuinis, & Miſſæ ſuæ,debent eum comitari. *DD. ſuper c. 12. ſeſs. 24.*

9 Ex quo loco debent eum comitari?
℞. Si domus Epiſcopi prope Eccleſiam ſit, ex ſuo cubiculo vſque ad Eccleſiam, & in reditu vſque ad oſtium domi Epiſcopi;ſi domus Epiſcopi diſtet multum,ita vt equo inſidens veniat;tunc ratio poſtulat, vt eum expectent ad primam portam Eccleſiæ, & ibi eum honorificè ſuſcipiant. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

10 Quando Epiſcopus diebus feriatis priuatim venerit ad Eccleſiam, quid agendum?
Reſp. Nonnulli Canonici debent venire ad oſtium Eccleſiæ,& eum comitari, idemque in reditu obſeruandum.

11 Quis debet conſtituere horam, in qua Canonici debent venire ad aſſociandum Epiſcopum?
Reſp. Epiſcopus ipſe pro ſua prudentia prouidere debet,vt horæ Canonicæ opportuno tempore dicantur,ne populus expectet,neque Canonici notabiliter detineantur. *Doctores ſuper c. 12. ſeſs. 24.*

12 Quando debent incipere Canonici cãtare horas, veniente Epiſcopo ad Eccleſiam?
Reſp. Statim, cum Epiſcopus ingreſſus fuerit chorum, & ſederit in ſua ſede.

13 Quis debet dare Hyſopum Epiſcopo ingredienti Eccleſiam?
Reſp. Si veniat cum comitatu ſolemniter indutus, vnus ex dignitatibus; ſi verò priuatè veniat, aliquis capellanus. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

CAPVT XLI.

De reſidẽtia Canonicorum.

1 QVi tenentur ad reſidentiam perſonalem in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis?
Reſp. Omnes Dignitates,Canonici, & Portionarij, & medij Portionarij. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 12. de reform.*

2 Canonici collegiatarum, Abbates regulares, qui habent præbendam in Cathedralibus, vel Collegiatis, tenentur ne ad reſidentiam?
Reſp. Tenentur. *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reformat.*

3 Capellani & miniſtri inferiores ſeruientes Eccleſiæ, tenentur nè ad reſidentiam ſicut Canonici?
Reſp. Tenentur,ſi habeant congruam ſubſtentationem ab Eccleſia. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

4 Beneficiati ſimplices tenentur nè ad reſidentiam?
Reſp. Negatiuè. *Abb. in c. cler. de cler. non reſid. nu. 3.*

5 Poteſt epiſcopus alicui dare facultatem de non reſidendo?
℞. Nõ,neque dare facultatem,vt alius reſideat pro illo. *Abb. in c. cum ad hoc, de clericis non reſident. nu. 4.*

6 Gratiæ,& diſpenſationes de non reſidendo, quando valent?
Reſp. Quando ſunt temporales,& non perpetuæ,& quando ſunt conceſſæ à Summo Pontifice ex rationabilibus cauſis, & dictæ ſunt approbandæ coram ordinario. *Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 2. Abb. in c. cum ad hoc, de clericis non reſidentibus, num. 4.*

7 Tunc epiſcopus quid debet facere?
℞. Deputare Vicarium idoneũ in tali beneficio tãquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus. *Tri. ſyn. ſeſs. 6. c. 2.*

8 Poteſt epiſcopus concedere, vt Canonici dimidiatim eccleſiæ ſeruant?
Reſp. Poteſt, dum tamen toto anno vltra bimeſtre nõ abſint ab eccleſia,& dummodo tempore abſentiæ diſtributiones non recipiant. *DD. ſuper c. 12. ſeſſ. 24.*

9 Poteſt epiſcopus cogere dignitatem, vel Canonicum,qui amittit diſtributiones quotidianas, vt vltrà has pœnas, nihilominus reſideat in ſua eccleſia?
Reſp. Poterit procedere per iuris remedia vſque ad priuationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3. de reform.*

10 Si Canonicus celebrat Miſſam priuatam tempore horarum, lucratur nè diſtributiones quotidianas?
Reſp. Non, niſi celebret de licentia Decani, quam debet dare raro,& pro legitima cauſa. *Abb. in c. cum olim, de ſent. & re iudicata. num. 2. & 3.*

11 Canonicus legens in publica vniuerſitate habetur ne pro præſenti, & quid lucratur?
℞. Groſſam pręb endæ tantum,& ſi omnis prębẽda conſiſtat

conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, amittit tertiam partem: *Nau. in manual. c. 25. num. 121. Emanuel. in ſum. tit. 1. c. 33. num. 2. tit. 2. c. 36. num. 2.*

12 Hoc priuilegium Iuris, vt Canonici legentes in publica vniuerſitate lucrentur groſſam præbendæ, cum quibus canonicis intelligitur, cum canonicis, qui acquirunt præbendam per oppoſitionem, vel cum alijs canonicis, qui prouidentur ab Epiſcopo, vel à Papa abſque concurſu?

Reſp. Hoc priuilegium non eſt datum canonicis, & doctorali lectori, neque pœnitentiario, qui per ſuffragia prouidentur in Eccleſijs; ratio eſt, quia iſti ſuas proprias Cathedras, & reſidentiam habent in Eccleſijs, vbi ſunt electi canonici, & ſi aliàs fructuoſa, & bona eſſet eorum electio, ſi in vna ciuitate haberent reditus, & in alia facerent fructum, & tale priuilegiũ datur à iure ſolùm ſimplicibus canonicis, qui non habent officium ſituatum in Eccleſia.

13 Si aliquis eligatur in canonicum alicuius Eccleſiæ in præbenda doctoralis lectoris, vel pœnitentiarij, & nolit venire ad reſidendum, quia conſequutus eſt Cathedram in vniuerſitate, quid debet facere Epiſcopus, & Capitulum?

Reſp. Tranſactis tribus menſibus ſuæ abſentiæ, illũ citare, & requirere. Primò, ſecundò, & tertiò, vt veniat ad reſidendum in ſua Eccleſia, & ad exercẽdum ſuum officium, & ſi intra tempus legitimum non venerit, facere actum iuridicum vacationis talis præbendæ, & ponere edicta, & de nouo prouidere; ratio eſt, quia talis præbenda data eſt à Concilio, & à Sũmo Pont. propter particulare officium, & aſſiſtentiã perſonalem, & propter neceſſitatem illius Eccleſiæ, & certo modo eſt quaſi ſtipendium alicuius Cathedræ vel lectionis. *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. & 1. ſeſſ. 5. c. 1. de reform. Nauar. vbi ſupra.*

14 Si aliquis Doctor ſit in aliqua vniuerſitate, & in eadem ciuitate ſit Eccleſia Cathedralis, poterit obtinere duas Cathedras, vnam in Eccleſia, alteram in vniuerſitate, & legere duas lectiones?

Reſp. Si poſſit ſatisfacere in Eccleſia Cathedrali, & in vniuerſitate, benè poterit legere duas lectiones, & regere Cathedram, & ſeruire canonicatui; ratio eſt, quia facto ſeruitio ſibi debito in Eccleſia, illud tempus, quod ſupereſt, poteſt conſumere in legendo, ſicut alius canonicus conſumit in alijs rebus ſibi benè viſis, & canonico lectori non eſt imponenda maior reſidentia, quàm alij canonico ordinario.

15 Canonici, qui in eadem ciuitate, in qua habent canonicatum, dant operam litteris, gaudent nè priuilegio præſentiæ?

Reſp. Non, quia ſolum datum eſt ſtudentibus in publica vniuerſitate, quia expectatur magnus fructus, cum ſint ibi magni magiſtri, & magna ſcientia. *Nauar. loco allegato. cap. tuæ fraternitatis, de cleric. non reſidentibus.*

16 Si in eadem ciuitate ſit Vniuerſitas, & Eccleſia Cathedralis, gaudebunt ne eodem priuilegio?

Reſp. Gaudebunt, quia commoditas loci non tollit priuilegium: *Rebuffus in Prax. tit. de diſpenſationibus de non reſidentia. num. 25.*

17 Quid debet ſeruare Canonicus, qui petit facultatem ſtudendi.

Rꝑ. Primò, ſupponitur, quòd nõ habeat triginta annos ætatis, niſi prius cœperit ſtudere alicui ſcientiæ: Secundò, vt det operam Theologiæ, vel Iuri canonico. Tertiò, vt licentia ſit ad quinquennium tantum. Quartò, ſi habeat miniſterium in Eccleſia, eligatur Vicarius idoneus cum congrua portione. *Rebuffus in tract. de priuil. ſcholaſticor. & Nauar. loco allegato.*

18 Studentes quot annis poſſunt abeſſe?

Reſp. Quinque annis à die, quo cœperunt dare operam litteris. *Nauar. loco allegat.*

19 Hæc facultas poſt Concil. Trid. poteſt nè concedi Parochis his conditionibus?

Reſp. Non, quia habent arctiorem reſidentiam?

20 Canonicus abſens ſtudiorum cauſa, tenetur ad reſidentiam per ſubſtitutum?

Reſp. Non, quia reſidentia debet eſſe perſonalis, & ſic per ſubſtitutum ſuppleri non poteſt, cum requirat talis perſonæ in indiuiduo præſentiam. *Abb. in c. licet de præben. num. 9.*

21 Quare reſidentia canonici per ſubſtitutum ſuppleri non poteſt, & Sacramenta per ſubſtitutum ſæpè adminiſtrantur?

Reſp. Quia dignitas canonicatus requirit plures qualitates adhærentes tali perſonæ, quare alius pro illo ſupplere eius præſentiam non poteſt, niſi Sum. Pontifex hoc diſpenſet, & ponat alium ſubſtitutum, & coadiutorem; in Parochis verò de conſuetudine, & licentia Epiſcopi, alius clericus approbatus Parocho impedito pro eo adminiſtrat ſantiſſima Sacramenta, ſed non ſupplet, nec poteſt ſupplere reſidentiam perſonalem Parochi, quæ ſtrictior eſt.

22 Canonici, qui publicè docent in Cathedra Ius canonicum, quid lucrantur?

Reſp. Fructus ſuæ præbendæ, etiam ſi Cathedra, & canonicatus non ſint in eadem ciuitate. *Rebuffus tra. de priuileg. ſcholaſticor.*

23 In Eccleſijs, in quibus ex conſuetudine, vel priuilegio dicuntur horæ matutinæ ſero præcedenti, debet ne lector haberi pro præſenti?

Reſp. Non, ſed conſuetudo talis Eccleſiæ, vel ſtatutum ſeruandum eſt. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 5. Conc. Trid.*

24 Immemorabilis conſuetudo non reſidendi excuſat à reſidentia?

Reſp. In Cathedralibus, & collegiatis non excuſat, ſed in aliquibus Collegiatis ruralibus, quarũ fructus tenues ſunt, poterit excuſari. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

25 Canonici poſſunt nè tempore, quo recitantur horæ, exigere rationem reddituũ ſuarum præbendarũ?

Reſp. Non, quia alio tempore hoc fieri poteſt, & pro re temporali cultus diuinus non eſt defraudandus. *DD. ſuper c. 3. ſeſs. 21.*

26 Canonicus, qui exercet curam animarum ratione ſuæ præbendæ, quid lucratur?

Reſp. Habetur in horis pro præſenti, dum eam tantum exercet. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 8. de reform.*

27 Si Canonici habeant aliquas Parochiales Eccleſias in diſtricto Abbatum regularium, quis debet cõpellere eos ad reſidentiam, Abbas, aut Epiſcopus?

Reſp. Epiſcopus, quia Abbas non eſt Index Canonicorum, cum ipſe ſit regularis, & canonici ſeculares ſubiacent Epiſcopo, *ſeſs. 23. c. 1. de reform.*

28 Si quis perpetuò abſit ab Eccleſia, vel occultetur, ita vt moneri non poſſit, quid agendum?

Reſp. Debet priuari præbenda, factis monitionibus de iure neceſſarijs, & ſi non compareat facta informatione vocandus eſt per edicta. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.*

P 2 CAPVT

CAPVT XLII.

De abſentia Canonicorum.

1 Canonicus per quot menſes poteſt abeſſe à ſua Eccleſia quolibet anno?
Reſp. Per tres menſes continuos, vel interpellatos ſine licentia Epiſcopi, etiam ſine expreſſione alicuius cauſæ, quia dati ſunt canonicis ad eorum requiẽ; ſed in Eccleſijs, vbi fuerit conſuetudo, vt minori tempore abſint, illa conſuetudo ſeruanda eſt; quia eſt in fauorem reſidentiæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.1. de reform.*

2 Canonici regulares gaudent priuilegio, vt poſſint ab Eccleſia abeſſe per tres menſes?
Reſp. Non, ſed de licentia ſuperioris poſſunt abeſſe ſingulis menſibus, quatuor dies. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.cap.1.de reform.*

3 Si aliqua Eccleſia habeat conſuetudinem, vt canonici poſſint abeſſe quatuor menſibus, debet ne talis conſuetudo reduci ad tres menſes concilij?
Reſp. Debet, & in eis non lucrantur diſtributiones quotidianas. *ſeſſ.23.cap.1.de reform.cap.1.de cler.non reſid.in 6.*

4 Poſſunt ne omnes canonici ſimul abeſſe?
Reſp. Non, ſed arbitrio Epiſcopi, & capituli tempore interpellato relinquitur, ita vt Eccleſiæ ſemper ſeruiatur. *DD.ſuper c.1.ſeſſ.23. de reform.*

5 Epiſcopus poteſt dare alicui canonico maiorem licentiam abſentiæ?
Reſp. Ex legitima cauſa poteſt dare quatuor menſes. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.1. de reform.*

6 Quam pœnam incurrunt canonici, qui vltra tres menſes abſunt à ſua Eccleſia?
Reſp. Si abſint per annum priuantur dimidia parte fructuum, pro ſecunda vice omnibus fructibus, pro tertia vice præbendis, & incurrunt pœnas poſitas *in cap.6.de clericis non reſidentibus. Trid.ſynod.ſeſſ.23. c.1.de reform.*

7 Quid lucrantur canonici his tribus menſibus abſentię?
Reſp. Groſſam, ſed non diſtributiones quotidianas, quæ dantur pręſentibus. *Trid.ſynod.ſeſſ.23.c.1.de reform.*

8 Canonicus carceribus detentus, quid lucratur?
Reſp. Si iniuſtè ſit, & per ſententiam liberetur à delicto illi poſito, lucratur groſſam, & diſtributiones quotidianas; ratio eſt, quia per illum non ſtat, quo minus non reſideat: ſed ſi iuſtè ſit detentus, lucratur diſtributiones quotidianas ad eius ſubſtentationem, & amittit groſſam, licèt illi tunc ſit ſoluenda, quando per ſententiam apparebit vltima eius culpa, quia aliter cum hęc ſit, ſimiliter pœna puniretur per hanc ante probationẽ, & ſententiã *DD.in c.1.ſeſſ.23.*

9 Si aliquis Canonicus abſit à ſua Eccleſia animo fruendi dictis tribus menſibus, & ſuperueniat illi infirmitas, vel flumina creſcant, vel bella, vel peſtis oriatur, ita, vt per ipſum non ſtet, quid lucrabitur?
Reſp. Habebitur pro præſenti, quia impedito non currit damnum. *DD.ſuper c.1.ſeſſ.23.*

10 Impeditus huiuſmodi debet probare dictum impedimentum?
Reſp. Debet probare per legitima media facta coram Notario, Iudice, & teſtibus.

11 Senes, qui ob longam ętatem abſq; vlla infirmitate non poſſunt ſeruire, quid lucrantur?
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas, ſicut infirmitas, quia ipſa ſenectus eſt infirmitas *Ioan.Andr.c.1.de clericis non reſid.in 6.*

12 Infirmi, qui ſua culpa, & exceſſu incidunt in infirmitatem, quid lucrantur?
Reſp. Omnia; quia non attenditur cauſa, ſed infirmitas, pręcipuè cum nemo ſua voluntate infirmetur. *Ioan.Andr.cap.1.de clericis non reſidentibus in 6. Abb. in cap.ad audientiam, de clericis non reſidentibus nu.5.*

13 Abſentes pro vtilitate Eccleſiæ, quid lucrantur?
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas, quia in bello tantum lucratur, qui pugnat, quantum qui cuſtodit caſtra, & qui occupatur laborando pro Eccleſia, pręſens eſt in Eccleſia, *c.ex parte tua, de clericis non reſidentibus, gl.ibid. & DD.ſuper c.1.ſeſſ.23. Conc.Trid. de reform.*

14 Inimicitiæ cauſa poteſt Canonicus abeſſe ab Eccleſia?
Reſp. Si inimicitia ſit capitalis, & timeatur magnũ damnum, & fuerit inimicitia orta, poſtquam obtinuit canonicatum, de licentia ſuperioris poterit abeſſe tanto tempore, quanto durat inimicitia. *DD.ſuper c.1.ſeſſ.23.*

15 Inquiſitores hęreticę prauitatis abſentes ab Eccleſia, in qua habent pręhendas, vel ſi in eadem ciuitate ſit Inquiſitio, & Eccleſia Cathedralis, quid lucrantur?
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas ex bulla data in fauorem fidei à Paulo III. & Pio V.

16 Inquiſitores lucrantur ſimiliter beneficia curata, ſicut canonicatus, & Pręhendas?
Reſp. *Zabarella q.585.num.12.* contra commune tenet partem affirmatiuam, tamen pars affirmatiua tamquam magis vera ad praxim reducitur.

17 Auditores Rotę abſentes ab Eccleſijs, quid lucrantur?
℞. Omnia; *Bulla Clem.VII. qua incipit conuenit. Lelius de Rep.Eccl.p.11.num.2.*

18 Collectores Generales Camerę Apoſtolicę, Subcollectores, Aduocati, Procuratores, Officiales, Fiſcales, Notarij ſi ſint Canonici, quid lucrantur abſentes à ſua Eccleſia cauſa ſpoliorum?
℞. Toto tempore, quo occupantur in ſpolijs pręfatę Camerę Apoſtolicę, lucrantur groſſam, & diſtributiones quotidianas, & eſt argumentum à minori ad maius, quia ſi qui ſeruit ſuę Eccleſię lucratur, quanto magis, qui ſeruit Eccleſię vniuerſali. *Bulla Sixti V. data Romæ in monte Quirinali ſub annulo Piſcatoris die 8. Maij 1590. ſui Pontificatus anno 6.*

19 Familiares Papę, quos fructus percipiunt?
℞. Licet de Iure in *c.cum dilectus, de clericis non reſident. percipiant omnes fructus, tamen* Trid.ſyn.ſeſſ.14. *cap.10.* eos obligauit ad reſidentiam, & ſic tenentur impetrare conceſſionem Apoſtolicam cum expreſsè Concil. Trid. mentionem faciat quòd lucrentur fructus, vt pręſentes.

20 Si Eccleſia patiatur penuriam miniſtrorum, & ſint aliqui priuilegiati bulla, vel breui Apoſtolico, quid erit agendum?
℞. In iſto caſu facta informatione, poterũt priuilegiati vocari ab Epiſcopo, & ſi nõ veniãt, poteſt Epiſcopus eis denegare fructus, quia in iſto caſu ceſſat priuilegiũ, & nõ pręſumitur velle Summũ Põtificem

cum

cum damno Eccleſiæ, & penuria miniſtrorum, & ſeruitij, vt illi vtantur tali priuilegio, *c. cum ad hoc de clericis non reſidentibus, Abb. ibi num. 6.*

21 Archidiaconus ſuam Eccleſiam viſitans, vel iura ſui Archidiaconatus, quid lucratur?
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas, cùm in hoc ſeruiat Eccleſiæ in re vtili. *Monet. q. 11. n. 63.*

22 Beneficiatus adiens Concilio ſynodali tamquam Theologus, vel Canoniſta ſui capituli, quid lucratur.
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas, quia occupatur in re graui communi, & Eccleſiæ vtili. *Monet. q. 2. num. 11. & 19.*

23 Examinatores ſynodales electi à ſyn. Diœceſana, ſi cauſa examinis abſint à choro, quid lucrantur?
Reſp. Groſſam, & diſtributiones quotidianas, quia in re grauiſſima, & animarum ſaluti plurimum neceſſaria occupantur, & tamquam præſentes iudicantur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. cap. 2. de reform.*

CAPVT XLIII.

De diſtributionibus quotidianis.

1 QVis debet ordinare, & diſtribuere diſtributiones quotidianas.
Reſp. Epiſcopus ſemel tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus. *ſeſſ. 21. c. 3. de reformat.*

2 Quæ ſunt diſtributiones quotidianę, de quibus loquitur Concilium Tridentinum?
Reſp. Sunt quædam pecunia taxata in certa quantitate, & taxa, quam lucrantur Canonici pro aſſiſtẽtia ſingularum horarum, ita vt pro aſſiſtentia primæ, ſinguli lucrentur duas monetas, & ſic de ſingulis horis.

3 Diſtributiones debent ne æquales eſſe in ſingulis horis canonicis?
Reſp. Non, quia aliqua hora eſt dignior alia hora, & aſſiſtentia Canonicorum magis neceſſaria, vt eſt Miſſa, vel Matutinum.

4 Quod vnus Canonicus amittit non reſidendo, cui concedendum eſt?
Reſp. Alijs Canonicis, qui in illa fuerunt præſentes.

5 Iſtę diſtributiones, quando debent ſolui, & à quo?
Reſp. Ab Æconomo Capituli, & in tempore ſolutionis ſeruanda eſt conſuetudo, & commoditas cuiuſcumque Eccleſiæ.

6 Quis debet videre, & adſcribere reſidentiam Canonicorum ſingulis horis?
℟. Punctator electus à Capitulo, qui debet ſedere in vltima ſede, cum ſuo libro, calamo, & atramentario, & ſcribere præſentes, & notare abſentes.

7 Punctator quis eſſe debet?
℟. Aliquis de Canonicis, vel Portionarijs, vel aliquis Capellanus, qui ſit Clericus, & debet iurare principio cuiuſlibet anni in manibus Capituli, videlicet de exercendo officio, & ſic datur fides libro ab eo ſcripto, tamquam ſi fuiſſet miles, teſtis, & ſecundũ prædictum librum ſoluitur vnicuique, quod lucratus eſt, non obſtante quacumque appellatione alicuius Canonici, quæ non habet affectum ſuſpenſiuum, quia aliter ordo totius Eccleſiæ perturbaretur.

8 Si Punctator abſit, & nõ veniat, quis ſupplet eius vices?
℟. Ille, qui gubernat, & regit Eccleſiam, debet è ſuo loco deſcendere, & ponere ſe in loco Punctatoris, & facere eius officiũ vſquequo punctator veniat, quia Decanus, vel qui regit Eccleſiam, debet occurrere huic rei, tamquam magis neceſſariæ in Eccleſia.

9 Canonici poſſunt videre librum Punctatoris?
℟. Toties quoties voluerint, & aduertere in Capitulo, ſi aliquid deficiat, ſed liber non debet duci extra eos; ibi enim debet eſſe arca, vbi repoſitus ſit cũ ſumma cuſtodia, & in libro in principio cuiuſlibet anni ponuntur nomina, cognomina omnium Canonicorum, & miniſtrorum Eccleſiæ, dies obitus cuiuſcumque, ſi contigerit, & locus, vbi ſepultus eſt.

10 Quam partem fructuum in Eccleſijs Cathedralibus, & collegiatis debet ponere in diſtributionibus quotidianis.
℟. Tertiam partem fructuum, & prouentuum cuiuſcumque dignitatis, perſonatus, canonicatus, & portiones ſeparare debet, vt eas lucrentur præſentes in choro, & inter eos diuidantur in diſtributiones quotidianas. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3. de reform.*

11 In Eccleſijs, vbi non ſolùm tertia pars, ſed dimidia pars, vel tota præbenda ponitur in diſtributionibus quotidianis, quid debet Epiſcopus facere?
℟. Relinquere Eccleſiam in ſua laudabili conſuetudine. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3. de reform.*

12 Diſtributiones quotidianæ vnde ſumi debent?
℟. A groſſa, & maſſa præbendæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 15. & ſeſſ. 21. c. 3. de reform.*

13 Quid eſt groſſa maſſæ?
℟. Sunt omnes fructus, & introitus, & prouentus, quos in vno anno habet talis Eccleſia, qui prouentus dantur Canonicis ſingulis annis, & illos lucrantur in reſidentia vnius diei, veluti in die S. Michaelis, vel in reſidentia continuata per tres menſes, vel diſtincta ſecundùm ſtatum cuiuſcumque Eccleſiæ, & ſecũdùm conſuetudinem, quæ varia eſt in diuerſis Eccleſijs; illa tota groſſa, veluti mille aurei, qui pertinent ad vnum Canonicum in toto illo anno, vocatur maſſa, & groſſa, præbendæ.

14 Ad cõſtituẽdas diſtributiones quotidianas, poteſt ne ſumi aliquid de beneficijs extra Eccleſiam ſitis?
Reſp. Non, niſi beneficia ſint præbendis vnita.

15 Quando debet conuerti tertia pars fructuum in diſtributiones quotidianas?
Reſp. Solùm quando nullæ ſunt, vel ſunt ita tenues, vt negligantur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3. de refor.*

16 Iſta tenuitas quomodo eſt computanda?
℟. Habita ratione Eccleſiæ, perſonarum, fructuum, præbendarum, iuxta legitimum arbitriũ Epiſcopi.

17 Vbi fructus nulli ſunt, quid agendum?
Reſp. Tales tunc prębendæ augendę ſunt, applicãdo beneficia ſimplicia, vel minuendo numerũ Canonicorum, iuxta *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 15.* & antea non eſt aſſignãda tertia pars in diſtributiones quotidianas.

18 Quando aſſignatur tertia pars, quid eſt conſiderandum.
Reſp. Debent prius deduci omnia onera præbendarum, & penſionum, dum durant, & poſtea iuxta verum valorem, & non iuxta taxam eſt aſſignanda dicta tertia pars. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

19 Detractio tertiæ partis in dignitatibus, quæ non ſunt æquales, quomodo eſt diuidenda?

Reſp. Taliter, quòd vnuſquiſque percipiat reſidendo, quantum de ſua præbenda detractum eſt, ita vt qui plus attulit, plus accipiat pro rata æqualitate ſeruata. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

20 Tenetur nè Epiſcopus facere alienationem, vel detractionem tertiæ partis fructuum in diſtributionibus quotidianis ex pinguioribus, & opulentis præbendis, & dignitatibus, vel ex omnibus?
Reſp. Ex omnibus dignitatibus, & canonicatibus diuitibus, & pauperibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3.*

21 Dignitates, & canonici debent nè æqualiter gaudere dicta alienatione tertiæ partis fructuum?
Reſp. Non, ſed quilibet pro rata, ita vt ſi alicui dignitati detractum fuit pretium centum aureorum, & alteri dignitati quinquaginta, quilibet gaudeat de bonis alterius pro rata, quam ipſe ponit in menſa. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

22 Dignitas non ſeruiens Eccleſię, quid amittit quolibet die?
Reſp. Diſtributionem illius diei, & debet applicari pio loco. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. cap. 3.*

23 Si aliqua dignitas non ſit de corpore capituli, nec percipiat diſtributiones quotidianas, quas cæteri amittunt, & tamen de ſuis fructibus tertia pars ſit poſita in diſtributiones quotidianas, quod talis dignitas amittit, cui debet applicari?
Reſp. Fabricæ Eccleſiæ, vel alicui operæ piæ *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 22.*

24 Quomodo intelligitur *Concil. Trid. cum ſeſſ. 21. c. 3.* dicit, quòd tertia pars fructuum, quam amittit aliqua dignitas, diſtribuatur inter præſentes, & *ſeſſ. 22. c. 3.* dicit, quòd tertia pars fructuum alicuius dignitatis non reſidentis applicetur fabricæ, vel pio loco?
Reſp. *Cap. 3. ſeſſ. 22.* debet intelligi, quòd quando aliqua dignitas non lucratur diſtributiones, quas alij lucrantur, & ipſe habet tertiam partem poſitam in diſtributiones quotidianas, vt ipſe ſolus eas lucretur, vel amittat, tunc quod talis dignitas amittit, debet applicari fabricæ Eccleſiæ, vel operæ piæ.

25 Quibus dandæ ſunt diſtributiones?
Reſp. Præſentibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3.*

26 Diſtributiones debent poni aliquibus horis, vel omnibus?
Reſp. Omnibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 3.*

27 Si in vna hora ſit magna diſtributio, & in alia nulla, debet ne ſumi de vna hora, & in alia poni?
Reſp. Non, quia aliquæ ſunt horæ digniores alijs, & oportet, vt ſit maior numerus canonicorum, ſed pro illa hora, quæ non habet diſtributiones, ſumatur aliquid de corpore capituli, vel poteſt vna hora cum altera iungi, puta ſi prima habeat magnam diſtributionem, & tertia non habeat, poteſt fieri ſtatutum, vt ad lucrandam diſtributionem primæ, neceſſe ſit in tertia aſſiſtere. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

28 In quibus Eccleſijs non debet Epiſcopus ponere tertiā partem fructuū in diſtributiones quotidianas?
Reſp. In illis, in quibus eſt cōſuetudo, vel ſtatutum, vt dignitates non ſeruientes amittant eam partē fructuum, quæ aſcendat ad tertiam partem, tunc non eſt neceſſaria opera Epiſcopi. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 3.*

29 Si ponere tertiam partē fructuum in diſtributiones quotidianas ſit cōtra fundationē alicuius Cathedralis, vel Collegialis, eſt nè ſeruāda forma concilij?
Reſp. Non, quia *c. 3. ſeſſ. 22.* in illis verbis non obſtantibus exemptionibus, & conſuetudinibus, non eſt derogatum fundationibus, cum in ſua re, & teſtamēto quilibet ſit moderator, & arbiter. *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 3.*

30 Dignitatibus de Iure patronatus habentibus ſedem in aliqua Eccleſia honoris cauſa, debet nè detrahi tertia pars fructuum?
Reſp. Non, ſed ſolùm debet ſeruari ſua fundatio, quia fundationibus, vt dictum eſt, non eſt derogatū, præcipuè in Galletia ſunt plures Abbatiæ, & Prioratus habentes proprias Eccleſias, & exercentes iuriſdictionem, & ſimul habentes aliquam ſedem in Cathedralibus honoris cauſa, iſtæ Dignitates debent ſeruare ſuam fundationem. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 22.*

31 Si ſit aliqua dignitas in Eccleſia Cathedrali, quæ non habeat vocem in Capitulo, nec diſtributiones, ſed habeat fructus extra menſam capitularem, tenebitur nè Epiſcopus ponere tertiam partem fructuum in diſtributionibus quotidianis?
Reſp. Affirmatiuè, quia de ſimilibus dignitatibus loquitur expreſsè *Concil. ſeſſio. 21. cap. 3. & ſeſſion. 22. c. 3. de reformat.*

32 Si aliquis canonicus amittat diſtributiones quotidianas, poſſunt nè alij canonici illi illas diſtributiones condonare ſeparatim, vel capitulariter?
Reſp. Non, quia expreſsè prohibitum eſt illis à Cōcilio, imò nec qui amiſit, poterit illas accipere, & ſi acceperit, tenetur illas reſtituere fabricæ; tanta enim eſt obligatio, & neceſſitas reſidentiæ, vt quilibet licitè poſſit dare ſua bona, & non poſſit condonare diſtributiones in odium non reſidentium. *Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 3.*

CAPVT XLIV.

De profeſsione fidei facienda Canonicis.

1 QVi tenentur facere profeſſionem fidei?
Reſp. Primates, Epiſcopi, Dignitates, Beneficiati, Lectores Theologiæ, & grammaticæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 12.*

2 Intra quod tēpus canonicus debet emittere profeſſionem fidei?
Reſp. Intra duos menſes aliàs nō facit fructus ſuos, benè tamen facit diſtributiones quotidianas, quia nō veniunt appellatione fructuum. *Oldrad. conſ. 118. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.*

3 Profeſſio poteſt ne fieri per Procuratorem?
Reſp. Non poteſt, niſi per ſe ipſum.

4 Bimeſtres profeſſionis fidei, à quo die debent cōputari?
Reſp. A die perceptionis fructuum. *DD. ſuper cap. 12. ſeſſ. 24.*

5 Coram quo debet fieri profeſſio fidei?
Reſp. Canonici debet coram ordinario, & capitulo, cæteri beneficiati coram ordinario, alias non faciunt fructus ſuos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12. de refor.*

6 Docentes grammaticam, & artes liberales in domibus particularibus aliquorum Principum, tenentur ne emittere profeſſionem fidei?

℟. Te-

Reſp. Tenentur, & etiam docentes artes liberales. *Bulla Pij IV publicata 13. Nouembris 1574.*

7 Ordinarius, qui permittit aliquos docere in gymnaſijs publicis ſine profeſſione fidei, incurrit ne in pœnas poſitas in dicta Bulla Pij IV.

Reſp. Non quia hoc ſpectat ad Rectores, & ſuperiores dictorum gymnaſiorum, & ſtudiorum. *DD. ſuper. c. 12. ſeſſ. 24.*

CAPVT XLV.

De Examine, & Prouiſione Parochialis Eccleſiæ.

1 CVm Parochialis Eccleſia vacat, quid debet Epiſcopus agere?

Reſp. Prouidere ſtatim Vicarium idoneum cum cõgrua aſſignatione fructuum eius arbitrio, qui eam regat, donec de Rectore prouideatur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. de reformat.*

2 Quid agendum ad prouidendum Rectorem?

Reſp. Epiſcopus, & Patronus, (ſi fuerit de Iure patronatus) intra decem dies, vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcriptum, ponat edictum, & tranſacto tempore, omnes concurrentes ad beneficium examinentur coram Epiſcopo, vel eius vicario ab examinatoribus ſynodalibus. *Trid. ſynod. ſeſ. 24. c. 18. vbi ſup.*

3 Prælati, veluti Abbates, Priores, & aliæ dignitates, poſſunt ne facere concurſum?

Reſp. Si Prælatus ſit exemptus, & immediatè ſubiectus ſedi Apoſtolicæ, & habeat facultatẽ nominandi examinatores ſynodales, benè poterit facere cõcurſum, & tenetur illud facere in beneficijs curatis, quæ pertinet ad ſuam prouiſionem. *DD. ſuper. c. 18. ſeſſione 25.*

4 Eſt ne neceſſarium ad ſolemnitatem examinis, vt ponantur edicta?

Reſp. In illa Prouincia, vbi Epiſcopus, aut ſynodus Prouincialis iudicauerit eſſe magis neceſſarium, vt ponantur, ibi debent vocari per edicta, qui volunt examinari, ſed vbi adhuc non eſt factum hoc iudicium, conſuetudo eſt ſeruanda. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. c. 18. de reform.*

5 Intra quod tempus à die vacationis debet Epiſcopus ponere edictum Eccleſiæ Parochialis?

Reſp. Intra decem dies notitiæ vacationis; nam licèt concilium dederit Epiſcopo maiorem facultatem, tamen Pius V. in Bulla 32. quæ incipit, in conferendis, limitauit, vt non poſſit differri intra alios decem dies.

6 Si præfixo die examinis concurrat vnus ſolus, quid agendum?

Reſp. Eum examinandum eſſe, & ſi ſit idoneus, cõferre illi beneficium. *Nauar. conſ. 1. de præbend.*

7 Si aliquis adſcriptus fuerit ad examen, & conſtituto die non veniat, & compareat ante prouiſionem, erit ne audiendus?

Reſp. Si probauerit eſſe detentum legitimo impedimento, debet admitti, ſed non debet poni edictum de nouo. *DD. ſuper c. 18. ſeſs. 24.*

8 Si elapſo termino edicti aliquis compareat, vt admittatur, quid agendum?

Reſp. Non eſt audiendus, quia fit iniuria alijs, qui comparuerunt intra tempus vtile, & quamuis Concilium dicat, quòd omnes ſcripti examinentur, intelligitur, ſi comparuerint. *DD. ſuper c. 18. ſeſs. 24. c. cupientes, de elect. in 6.*

9 Quæ forma ſeruatur in concurſu?

℞. Primò Epiſcopus poteſt nominare aliquos clericos idoneos, & etiam alij poſſunt nominare alios, vel ſe ipſos. Secundò ſine nominatione poteſt Epiſcopus ponere edictum, & tranſacto tempore tradere omnes concurrentes examinatoribus ſynodalibus, vel ſuo Vicario, vt eos examinent. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*

10 Quales ſunt modi faciendi concurſus?

Reſp. Primus modus, vt quiſquis ſigillatim examinetur. Secundus modus, vt omnes ſimul examinentur, & hoc relinquitur diſcretioni Epiſcopi. *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. fol. 119. par. 2.* Quaranta, verbo beneficiorum Parochialium.

11 De quibus materijs examinari debent?

Reſp. De ſacramentis, cenſuris, de reſtitutione, de ſimonia, de iuriſdictione, de rebus pertinentibus ad officium Parochi, & quilibet debet examinari in Theologia, vel Iure canonico, vel ſcientia, quam dicit *Vgol. de offic. & poteſtat. Epiſcopi, par. 2. fol. 119.*

12 Examen debet ne fieri de ſola ſcientia, vel de alijs rebus?

Reſp. Non, ſed de vita, ætate, moribus, & ſanctitate, & de ſcientia debet fieri inquiſitio dictis examinatoribus, vt omnibus penſatis renunciẽt Epiſcopo, quos idoneos ad regendam talem Eccleſiam inuenerint. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18.*

13 Qui debent admitti ad examen?

Reſp. Clerici docti, bonæ famæ, & vitæ, & ad minus inſigniti aliquo ordine, vel in ea ætate, vt intra annũ poſſint ad Sacerdotium aſcendere. *cap. cum in cunctis, de electione.*

14 Poteſt ne Epiſcopus admittere ad examen aliquẽ habentem beneficium curatum?

Reſp. Poterit, & ſi obtinuerit, habita poſſeſſione Epiſcopus prouidere debet primum beneficium. *DD. ſuper c. 18. ſeſſ. 24.*

15 Qui non debent admitti ad concurſum?

Reſp. Laici, irregulares, excommunicati, criminoſi, publici peccatores, & qui non habent animum retinendi beneficium, ſed permutandi. *c. cum adeo, de reſcriptis.*

16 Prouiſus à ſede Apoſtolica à quo debet examinari?

Reſp. Ab Epiſcopo, in cuius diœceſi beneficium ſitũ eſt *Triden. ſyn. ſeſſ. 7. c. 13.*

17 Poteſt ne Epiſcopus aliquando ſine concurſu conferre beneficium curatum alicui viro Cathedratico notoriè docto, litteris, & moribus approbato?

Reſp. Non, & talis collatio nulla erit, quia conciliũ poſuit formam, & nullum excepit. *Pariſ. de reſign. benefic. lib. 8. nu. 83.*

18 Poteſt ne aliquis de concurſu opponere aliquid contra alterum, vt expellatur?

Reſp. Actionem habet, & poterit opponere irregularitatem, vel alium defectum. *Rota dec. 19. de dolo, & contum. in nobis.*

19 Aliquis in concurſu poterit ne dare aliquid ſuo con-

concurrenti, vt deſiſtat à concurſu?

Reſp. Non ſine labe ſimoniæ, quia ibi agitur de intereſse Eccleſiæ, & non de intereſſe illius tertie perſone. *Quarant.in ſum.Bul.in verbo ſimoniacos pag.* 460.

20 Si in aliquo concurſu vnus approbetur ab omnibus examinatoribus de vita, moribus, & ſcientia, & alius approbetur à maiori parte, & à minori reprobetur, quem debet Epiſcopus eligere?

Reſp. Approbatum ab omnibus, & ſi contrarium fecerit, iuſtè à ſua ſententia appellari poteri. *DD.ſuper c.*18.*ſeſs.*24.

21 Præſentatus, vel nominatus ab vniuerſitatibus, ſeu Collegijs, generalium ſtudiorum, a quo debe examinari?

Reſp. A nullo, quia præſumitur habere idoneitatẽ, cum mittatur ab officina ſtudiorum. *Trid.ſyn.ſeſſ.*7.*c.*15.*de reform.*

22 Ex probatis ab examinatoribus quis debet eligere digniorem ad regendam Eccleſiam, Epiſcopus, vel examinatores?

Reſp. Epiſcopus ſine examinatoribus, penſatis omnibus debet ſolus eligere digniorem.

23 Epiſcopus ex probatis quem debet eligere in ſua conſcientia?

Reſp. Dignorem, ſiue bene viſum neceſſitate Eccleſiæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.*24.*c.*18.

24 Quomodo debet Epiſcopus penſare qualitates idoneorum?

Reſp. Eo modo, vt qui habuerit maiorem ſanctitatem, & virtutem præferatur illi, qui habet maiorem, ſcientiam, quia hic agitur de maiori vtilitate Eccleſiæ. *Trid.ſyn.ſeſs.*24.*c.*18.*Gonzalez de reg.*8.*Cancellariæ.Gloſ.*4.*num.*112.*Garzia de beneficijs part.*9.*cap.*2.*num.*111.

25 Quid debet Epiſcopus conſiderare, vt eligat magis idoneum?

Reſp. Variæ ſunt Doctorum opiniones, quas refert *Pet.Auguſtinus Barboſe in remiſsionibus. DD.ſuper c.*18.*ſeſs.*24. ſed mihi videtur magis ſecurum eſſe, vt qualitates conſiderentur eo ordine, quo concilium eas poſuit, nempè quòd ſemper eligatur magis idoneus ad regendam talem Eccleſiam, ſi virtutes, & mores ſint approbati, etiam ſi non ſit doctior alijs, *vt tenet Gonzalez ad regulam* 8. *Cancellariæ gloſs.*4.*num.*112. *& Nicolaus Garzia de beneficijs par.*9.*c.*2.*numer.*111. & Epiſcopus nunquam errabit, ſi ſemper quæſiuerit, & inueſtigauerit maius bonum Eccleſiæ vacantis ſine aliqua affectione.

26 Quis dicitur abſolutè magis idoneus?

Reſp. Magis idoneus dupliciter ſumitur, ſcilicet per ſe, vel per accidens, poteſt eſſe aliquis magis idoneus per ſe, qua eſt magis ſanctus, & doctior alio, & poteſt alius eſſe magis idoneus per accidẽs, quia habet maiorem prudentiam, maiorem cognitionem illius populi, vel maiorem beneuolentiam, vel aliam qualitatem magis neceſſariam ad regimen illius Eccleſiæ, quia ciuibus eſt amabilior, & habent de illo maiorem opinionem, & hæc omnia debet Epiſcopus ponderare ſecundum maiorem vtilitatem Eccleſiæ, *Couar.*2.*par.*§.7.*nu.*4.

27 Si aliquis habuit omnia ſuffragia, & alius habuit vltra dimidiam partem vocum, tenebitur ne Epiſcopus neceſſario eligere illum, qui habuit omnes voces?

Reſp. Non, ſed poterit eligere illum, qui non habuit omnes voces, ſi ſibi videbitur eſſe magis idoneus per ſe, vel per accidens ad regendam talem Eccleſiam. *Nicol.Garzia de beneficijs.p.*9.*c.*1.*nu.*109.

28 Collatio facta minus idoneo, valet ne?

Reſp. Collatio valet, ſed Epiſcopus peccat mortaliter, ſed non tenetur ad reſtitutionem. *Couar.*2.*p.*§.7.*nu.*8.*Nauar.in* 43.*miſcell.de oratione.*

29 Si facto examine Epiſcopus eligat minus idoneũ, reliqui poſſunt appellare?

Reſp. Poſſunt ad Metropolitanum, vel ad Papam, ſed interim prouiſus per Epiſcopum, regit Eccleſiam *DD.ſuper c.*18.*ſeſs.*24.

30 Si beneficium ſit de iure patronatus laicorum, & Epiſcopus illud conferat minus idoneo, vel non habenti aliquas qualitates poſitas in fundatione, quam pœnam incurrit?

Reſp. Tunc Epiſcopus peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem, quia ibi agitur de re aliena ab alio fundata ex ſuis proprijs bonis, & ideò Epiſcopus debet eſſe iuſtus Iudex, & diſpenſator. *Nauar.in manual, c.*17.*num.*73.

31 Si facto Examine Epiſcopus, inueniat aliquem digniorem illis, qui ſunt examinati, poterit eum eligere, & relinquere approbatos ab examinatoribus?

Reſp. Non, & collatio erit nulla, quia illi habent iam ius acquiſitum, quod ab Epiſcopo tolli non poteſt. *Trident.ſin.ſeſs.*24.*c.*18. *Fuſius de viſitatione lib.*2.*c.*5.*num.*10.

32 Quando non requiritur examen, nec concurſus in prouiſione Parochialis Eccleſiæ, quid agendum?

℞. Primò reſignationibus factis, in manibus Papæ in fauorem alicuius, ſi ſit in forma dignus, examinatur ſine concurſu. *Gonzalez ad reg.* 8. *Cancellariæ. Gloſ.*6. *num.*121. Secundò in permutationibus de beneficio curato non requiritur concurſus, nec examen in permutatione de curato, & ſimplici beneficio requiritur examen. *Nicol. Garzia de beneficijs par.*9.*caput.*2.*numer.*165.

33 Quando in prouiſione Parochialis Eccleſiæ requiritur examen priuatum, & non concurſus?

℞. Primò in permutationibus, & reſignationibus, quando venit in forma dignus. Secundo in permutationibus beneficij ſimplicis, & curati. Tertiò in beneficij regularium, quæ ſæcularibus conferuntur. Quartò in Vicarijs perpetuis ſi conferantur ad confirmationem dignitatum, quod ſi dignitates eas habent vnitas. Quintò in præſentato a patrono laico; in his requiritur examen à ſynodalibus, & non concurſus?

34 Poteſt Epiſcopus compellere obtinentes beneficia curata, & ſimplicia, vt oſtendat titulum, & examen?

℞. Poterit declarare collationem ignotam, & admittere eos ad nouum examen, & ſi inuenerit eos idoneos, conferre illis eadem beneficia. *DD.ſuper cap.*15.*ſeſs.*7.

35 Quando collatio beneficij pertinet ad ſedem Apoſtolicam, quæ ſunt partes Epiſcopi, & examinatorum?

℞. Facto examine mittere approbationem authenticam Summo Pontifici, vt ipſe conferat magis idoneo beneficium. *Bulla Pij V. in ordine.*32.

36 Quis poteſt mutare, remittere, minuere vel addere aliquid circa examinationis formam à Concilio Trid poſitam?

℞. Con-

Reſp. Concilium Prouinciale; conſiderata maiori Eccleſiæ vtilitate. *DD.ſuper Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.18.*

37 Quibus in caſibus poterit Epiſcopus prouidere Eccleſiam Parochialem non ſeruata forma concilij, ſed priuato examine abſq;concurſu?

Reſp. Primò, ſi Eccleſia ſit tam tenuis,quòd nullus ſe velit examini ſubijcere. Secundò ſi ex concurſu debeant oriri odia, diffidia, tunc Epiſcopus cum conſilio deputatorum poterit priuato examine prouidere Parochialem, ſed in reliquis quantum poterit, debet ſeruare formam, *Concil. Trident.ſeſſ.24.c.18.de reformationem.*

38 Quæ beneficia curata poſſunt dari ſine concurſu, & quando?

Reſp. Primò beneficia curata reſignata in fauorem alicuius.Secundò beneficia Iuris patronatus laicorũ. Tertiò beneficia regularia. Quartò beneficia curata, quæ annexa ſunt canonicatui, vel dignitati.Quintò beneficia prouiſa à ſede Apoſtolica.Sextò beneficia, quæ permutantur. Septimò Vicariatus temporales. Octauo beneficia curata vnita Eccleſiæ Cathedrali, vel Collegiali, quando cura animarum exercetur per canonicos. *Vgol.de offic. & poteſt. Epiſcop.fol.111.*

39 Si omnes clerici, qui ad examen compareant, ita ſint rudes, vt non calleant linguam latinam, poterit ne Epiſcopus detinere vacationem beneficij per longum tempus, aut erit ne melius conferri vni ex illis?

Reſp. Tunc Epiſcopus ſi extra concurſum non inueniat aliquem ſufficientem, debet conferre beneficium vni ex illi concurrentibus, & curate,vt erudiatur. peius enim eſt non habere vllum Paſtorem. *DD. ſuper c.18 ſeſſ.24.de reform.*

40 Si appellauerit à ſententia examinatorum, vel ab electione facta de magis idoneo, à quibus examinatoribus debet iterum examinari?

Reſp. Si appellauerit ante Metropolitanum,ab examinatoribus ſynodalibus dicti Metropolitani, & ibi debet fieri iterũ de nouo concurſus,quia primi examinatores ſunt illi ſuſpecti. *DD.ſuper c.18.ſeſſ.24. de reform.*

CAPVT XLVI.

De Parochis,& de Eccleſijs Parochialibus.

1 QVod eſt officium Parochi?

℟. Debet eſſe Sacerdos, in propria Eccleſia reſidere, prædicare Dominicis, & feſtiuis diebus, ſepelire mortuos, offerre preces pro populo. *Nauar.in man.c.25.num.121.Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.1.de reform.*

2 Clerici quos mores,& vitam habere debent?

Reſp. Bonam vitam,bonos mores, vt laici corrigantur. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.de refor.c.14.*

3 Poteſt ne Epiſcopus admittere clericos alterius diœceſis ad adminiſtranda ſacramenta?

Reſp. Poteſt, ſi talis clericus habeat dimiſſorias ſui Epiſcopi, & ſit idoneus.

4 Si ad obtinenda beneficia curata ſit penuria ſacerdotum, quid erit agendum?

Reſp. Epiſcopus curet meliorem modum pro ſuo arbitrio. *DD.ſuper c.3.ſeſſ.7.de refor.*

5 Epiſcopus poteſt ſub cenſura præcipere, vt ſacerdos non impeditus celebret omnibus diebus feſtiuis?

Reſp. Negatiuè,quia nullibi hoc præceptum eſt ſed debet id facere exhortationibus, & monitionibus. *DD.ſuper c.14.ſeſs.23.*

6 Decimæ, vel oblationes factæ alicui Imagini, vel capellæ ſitæ intra Porochialem, cui cædunt?

Reſp. Parocho. *vt dixi lib.10.c.30.de Eccl.ædific.*

7 Parochus poteſt accipere aliquid pro adminiſtratione Sacramentorum?

Reſp. Non,ſed ſi aliquid recipit,debet eſſe pro eleemoſyna,& ſponte datum.

8 Quæ etas requiritur ad obtinendum beneficum curatum?

Reſp. Sufficit attigiſſe ad vigeſimumquintum annũ, & debet intra annum aſſumere Presbyteratum.

9 In primitiua Eccleſia erant ne diſtinctæ Parochiæ?

Reſp. Non, ſed omnes clerici ſimul adminiſtrabant Sacramenta fidelibus.*tenet Abb.in c.paſtoralis, de his, quæ fiunt à Prælatis ſiue conſenſu capituli.nu.1.*

10 Qui primus diuiſit Parochias?

Reſp. Dionyſius Papa, & poſtea ad meliorem gubernationem plurima cõcilia fecerunt diuiſiones Parochiarum, & præcipuè. *Conc.Trid.ſeſſ.24.c.9. & tenet Abb. in c. paſtoralis de his, quæ fiunt à Prelatis ſine conſenſu capituli.*

11 Quare Parochiæ debent eſſe diſtinctæ?

Reſp. Vt quilibet Parochus cognoſcat ſuas proprias oues, & vt parochiani neceſſariò ſuſcipiant Sacramenta à ſuo proprio paſtore, & hoc, vt meliùs omnia gubernentur. *Trid.ſyn.ſeſs.24.c.9.*

12 Quis debet conſtituere certos fines ſingulis Parochialibus Eccleſijs?

Reſp. Epiſcopus debet diuidere fines Parochis, & conſtituere cuilibet parochiæ proprium parochum, & Sacerdotem, à quo, & non ab alio parochiani ſuſcipiant Sacramenta, & ipſe parochus regat, gubernet,& cognoſcat ſuas proprias oues. *Trid.ſyn.ſeſs.24. c.13.de refor.*

13 Hæc facultas diuidendi parochias, & conſtituendi eis proprios fines data a Concil. Trid. Epiſcopis, intelligitur in locis,& ciuitatibus, vbi nullę ſunt parochiæ conſtitutæ, & cum de nouo ciuitates, vel loca ædificantur, vel in locis, & ciuitatibus iam ædificatis?

Reſp. Intelligitur vtrobiq;tàm in locis iam ædificatis, quam in locis de nouo edificandis, vbi Epiſcopus habet ampliſſimam poteſtatem diuidẽdi Parochias, & eas de nouo ædificandi, & hoc ad maiorem gubernationem,& regimen animarum. *Trid.ſyn.ſeſs. 24.c. 13.in fi.de refor.*

14 Quis debet aſſignare fructus, & prouentus parochis,& in qua quantitate?

Reſp.Epiſcopus tam in parochijs de nouo erigendis, quam iam erectis debet aſſignare parocho ad minus ſummam ducatorum centum pro quolibet anno ad ſuam ſubſtentationem. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.13.de reformation.*

15 Vnde debet Epiſcopus aſſignare fructus neceſſarios ab ſubſtentationem parochi?

Reſp. Epiſcopus poteſt vnire beneficia ſimplicia,vel ſigna-

ſignare primitias, vel vnire præſtimoniales portiones vel decimas, vel imponere collectas, & taxas ſupra ſingulos parochianos, & hoc relinquitur arbitrio Epiſcopi, qui debet conſiderare, vt parochus ſubſtentetur, & parochiani non grauentur, & ſic ſumere formam commodiorem pro ſuo arbitrio; ratio eſt quia dignus eſt operarius mercede ſua. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 13. de reform.*

16 Poteſt Epiſcopus reducere beneficia ſimplicia in curata?
Reſp. Poterit, ſi ſit neceſſarium, & illa vnire Eccleſię Parochiali; ratio eſt, quia hoc redundant in maiorē Eccleſiæ vtilitatem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 13. de reformation.*

17 Beneficia curata poſſunt conuerti in beneficia ſimplicia?
Reſp. Non, neq; in totum, neq; in partem; neq; etiam relicto ibi idoneo Vicario, neq; ex beneficio curato poteſt diſmembrari aliquod beneficium ſimplex, etiam ſi curatum ſit pingue; ratio eſt, quia tale beneficium curatum habet onus, & curam animarum annexam, & ſic non debent conuerti in beneficiū, quod nullam curam animarum habeat. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 16. de reform.*

18 Poteſt Epiſcopus à Parochiali Eccleſia ſeparare aliquam capellaniam, & ędificare oratoria, vbi talis capellanus celebret Miſſam, etiam pro commoditate Parochorum?
Reſp. Non, quia hoc eſt diſmembrare beneficium curatum, & illud debilitare, quod Epiſcopo prohibitum eſt, *per Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 16.* ſed ſi magna neceſſitas parochorum poſtulet, poterit cogere Parochū, vt ipſe prouideat, qui celebret Miſſam in aliquo oratorio, ſi longè diſtent ab Eccleſia Parochiali agricolæ, vel dare licentiam dicto Parocho, vt diebus feſtiuis, vel Dominicis celebret duas Miſſas; ratio eſt, quia facilius eſt, quòd vnus Parochus cum aliquo ſuo labore celebret in oppido, & in capella eremitica, quam vt plurimi homines, vel mulieres ſint in periculo non audiendi Miſſam propter longitudinem loci. *ita tenent DD. ſuper d. c. 16. ſeſs. 25. de reform.*

19 Ex vno beneficio ſimplici poſſunt ne fieri duo beneficia?
Reſp. Si ſit pingue beneficium ſimplex, poſſunt ex vno fieri duo, ſed debet remanere congrua portio pro primo, & ſecundo Rectore; ratio eſt, quia pluribus miniſtris meliùs ſeruitur Eccleſiæ, & ex bonis Eccleſiæ ſuſtentantur plures Sacerdotes pauperes. *tenet Abb. in cap. conquerenti, de clericis reſidentibus numerum. 5.*

20 Si poteſt diuiſionem factam primus rectos ex aliquo accidenti, vel varietate temporum non habeat congruam ſuſtentationem, debet ne ſecundus rector priuari beneficio, vt reintegretur primus in ſua ſecunda portione?
Reſp. Viuente ſecundo beneficiato non eſt priuandus ſuo beneficio; ratio eſt, quia habet ius aquiſitum in re, & ad rem, & poſſeſſionem, ſed mortuo illo debet beneficium reintegrari ab Epiſcopo, vel à Papa, qui fecit diuiſionem, *vt tenet Abb. in c. conquerenti, de clericis reſidentib. nu. 5.*

21 Vt aliqua Eccleſia ſit parochialis, quæ conditiones requiruntur?
Reſp. Debet habere Epiſcopum, in cuius diœceſi ſit Sanctum Sacramentum, & parochum, & Sacriſtā, & parochianos, & certus limites, & fines ſibi aſſignatos, & fontem baptiſmalem.

22 In quo differt parochialis Eccleſia ab alijs Eccleſijs, & Oratorijs?
Reſp. In eo, quòd ſola parochialis Eccleſia habet fontem baptiſmalem, in quo recipiunt baptiſmum, & ſcribuntur qui de nouo intrant in Eccleſia Dei, reliquæ verò Eccleſiæ, ſiue ſint oratoria, ſiue capellæ eremiticæ, ſiue Eccleſiæ regularium, ſiue monialium, non poſſunt habere fontem baptiſmalem, quia hoc ſolum conceſſum eſt parochijs.

23 Ruraria beneficia, quæ dicuntur, & in quo cognoſcuntur?
Reſp. Sunt aliquæ Eccleſiæ, quæ ſunt in agro, & non habent parochianos, nec habitatores, quia ciuitates, & loca, vbi primum ſita erant, bello, peſte, vel temporum varietate diſtructa ſunt, & in eo cognoſcuntur quod ſunt beneficia curata, quia habent fontem baptiſmalem, aut per ſcripturam, vel veſtigium conſtat, quòd aliquando illum habuerunt.

24 Iſta beneficia ruralia ſequuntur naturam beneficiorum ſimplicium, vel natura curatorum?
Reſp. Dum non habent habitatores, neq; loca iterū rędificentur, qui obtinent beneficium rurale, non tenetur reſidere; ratio eſt; quia eius præſentia non eſt neceſſaria ad regimen animarum, ſed cum primū talia oppida, vel ciuitates rędificantur, obtinens talem beneficium tenetur reſidere, ſicut parochus.

25 Iſta beneficia ruralia poſſunt ab epiſcopo conuerti in ſimplicia?
Reſp. Non, quia de ſua natura habent curam animarum annexam, licèt hodie illam habeant habitu, ſed non actu, quia non eſt materia, ſed cum primum habitatores, & parochiani in finibus illius Eccleſiæ habitauerint, tenetur & poteſt tali parochus, abſq; noua licentia, & approbatione, adminiſtrare omnia ſacramenta; & mutare naturam beneficiorum curatorum eſt prohibitum epiſcopis *á Conc. Trid. ſeſs. 25. c. 16. de reform.*

26 Si aliqua ciuitas, vel aliquodoppidum per tempus immemorabile habeat ſolam vnam parochiam, & hodie populus ſit numeroſus, poterit epiſcopus hāc parochiam diuidere in duas, in tres, vel quatuor?
Reſp. Non poterit eam diuidere, ſed ſi vnus Rector non ſufficiat ad adminiſtranda ſacramenta, poterit cogere Rectorem, vel Rectores vt ſibi adiungant tot ſacerdotes approbatos quot ſufficiant ad ſacramenta exibenda, & cultum diuinum celebrandum. *Trid. ſin. ſeſſ. 21. c. 4. de refor.*

27 In quo caſu poterit epiſcopus ex vna parochia facere duas etiam inuicto Rectore?
Reſp. Quando ob locorum diſtantiam parochialem non poſſunt accedere ad eccleſiam parochialom ad recipiēda ſacramenta, & audienda diuina officia ſine magno incommodo, & difficultate, vt ſi plurimum diſtent, vel ſit fluuius, qui aliquando intumeſcit, & non habeat pontem, tunc poterit epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, etiam inuito Rectore diuidere talem parochiam in duas, & diuidere eis terminos, fines, & limites, & parochianos, & fructus, & decimas; ratio eſt, quia ſemper attenditur commoditas vicinorum, qui debent recipere ſacramenta, & non vtilitas parochi. *Trid. ſin. ſeſſ. 21. c. 4. c. ad audientiam, de Eccleſijs ædificandis.*

28 Si facta diuiſione, primitiæ, decimæ, & fructus di-
ctæ

ctæ Eccleſiæ non ſufficiant ad ſubſtentandum duos miniſtros, quid debet Epiſcopus facere, vt cuilibet miniſtro aſſignet congruam ſubſtentationem arbitrio ſuo taxandam?

Reſp. Poteſt illam ſumere ex fructibus ad Eccleſiam matricem quomodocumque pertinentibus, & ſi neceſſe fuerit, poterit compellere populum, & parochianos, vt per taxam inter ſe factam, miniſtrent congruam ſubſtentationem dictis Sacerdotibus; ratio eſt, quia ad eorum commodum, & vtilitatem conſtituti ſunt, & quia Eccleſia Cathedralis ſemper habet aliquos fructus, & prouentus in qualibet parochia. *Trid.ſynod.ſeſſ.21.c.4.de reformat.*

29 Si Epiſcopus eligat aliquam nouam parochiam, quam portionem tenetur aſſignare miniſtro, vel Parocho?

Reſp. Ad minus centum aureos, licet hoc relinquatur in arbitrio Epiſcopi, qui debet conſiderare Regionis ſterilitatem, vel abundantiam, pretia rerum, & attendere, quòd talis Parochus non egeat, ſed habeat congruam ſubſtentationem. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.4.ſeſſ.24.c.23.ſeſſ.25.c.16.* & bulla Pij V. de congrua aſſignatione facienda Vicarijs perpetuis.

30 In quibus caſibus poterit Epiſcopus ex duabus parochijs facere vnam?

Reſp. Quando Eccleſia Parochialis ita eſt pauper, vt non poſſit celebrare diuina officia cum illa dignitate, qua decet, neque poteſt commodè ſubſtentare miniſtrum, vel miniſtros idoneos, tunc Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt vnire duas parochias in vnam, vel vnire beneficia ſimplicia curatis aduertendo tamen, quod illæ duæ parochiæ ſic iunctæ abſque aliquo defectu adminiſtrentur, & quod talis vnio ſit in vtilitatem animarum, & non in deſtructionem, & ad maius ornatum, & decentia Eccleſiæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.21.capit.5. de reformation.*

31 Si aliqui parochiani ſint extra mœnia ciuitatis, & parochia intra muros ciuitatis, & portæ noctu claudantur, poterit ne Epiſcopus ex hoc capite nouam parochiam extra ciuitatem erigere?

Reſp. Non, quia hoc non illi eſt permiſſum à Concilio Trid. ſed poterit ædificare capellam, & eligere Capellanum, qui habitet extra mœnia ciuitatis, & illi ſalarium aſſignare congruum ex fructibus Eccleſiæ parochialis, quæ eſt intra Vrbem, vel ex fructibus matricis Eccleſiæ, & iſta capellania ſit in poteſtate illius, qui ei ſoluit ſalarium. *DD.in cap.4.ſeſſion.21.de reform.*

32 Vnde dicitur Parochus, quid ſignificat?

Reſp. Eſt nomen à græco deductum, quod ſignificat habere munus præbendi, quæ ad vitam neceſſaria ſunt alijs.

33 Quid debetur de Iure Parocho pro ſuo labore, & ſubſtentatione?

Reſp. Decimæ prædiales, perſonales, & mixtæ, de quibus latè diximus *lib.9.c.31.* de decimis, & ideo debetur Eccleſiæ Cathedrali, vel Parochis, quia portant pondus, & æſtum diei; & ratio poſtulat, vt qui ſeruit altari, de altari viuere debeat; ideo Eccleſia Cathedralis, & Parochialis habent in decimis de Iure communi fundatam ſuam intentionem. *Trident. ſynod.ſeſſ.25.cap.12. de refor.*

34 Quarta funeralis quid eſt, cui debetur?

Reſp. Quarta funeralis eſt quarta pars Miſſarũ, vel eleemoſynarum, quas defunctus relinquit pro anima ſua, & omnes illæ obuentiones, iura, candelæ, quæ de conſuetudine, vel conſtitutione ſynodali debentur miniſtris Eccleſiæ in humatione alicuius defuncti pro ſuo labore, vel pro ſono campanarum, vel pro ſepultura, hæc omnia integre debentur Parocho, & Eccleſiæ parochiali talis defuncti, etiamſi talis defunctus ſepeliatur in monaſterijs, vel Eccleſijs Regularium, *vt latè dixi lib.6.cap.12.num.11.12.13.14.15.& 16.& habetur in Concil.Trident.ſeſſ.25.cap.13.de refor.*

35 De quibus rebus non debetur quarta funeralis Eccleſiæ Cathedrali, & Parocho?

Reſp. De legatis pijs relictis pro fabrica, pro luminarijs, & pro anniuerſario, de iſtis legatis, cùm ſint in tantam vtilitatem Eccleſiæ, non detrahitur quarta pars, ſed integrè ſoluuntur, ſic tenent *DD.ſuper cap.13.ſeſſ.25.*

36 Si talis funeralis ex conſuetudine in aliqua Eccleſia, vel Diœceſi intelligatur eſſe tertia pars, vel medietas funeralium, debet ne poſt Concilium Trident. ſeruari talis conſuetudo?

Reſp. Talis conſuetudo ſeruanda eſt in fauore Eccleſiæ, præcipuè ſi fuerit immemorabilis ante Concilium, vel poſt. *tenet Tuſch. litera Q. concluſ.23.& 30.*

37 Quæ monaſteria poſſunt percipere quartam funeralium, & tollere eam Parochis?

Reſp. Primò, illa monaſteria, quæ vel priuilegium exempta fuerint, vel illa, quæ quadraginta annorum conſuetudinem non ſoluerint, ita tenent *Innocent. & Panorm.* licèt de hoc ſecundo nonnulli dubitent, vt videre eſt apud *Azor.par.2.inſtit.moral.* & eis incumbit onus probandi, & non Parocho; ratio eſt, quia Parochus habet ſuam intentionem fundatam de Iure communi, & priuilegiatus debet probare ſuum priuilegium, cùm priuilegium ſit præter Ius, vel contra Ius: de controuerſia verò inter Parochos, & Monachos ſuper ſepultura mortuorum, dicam latè *lib.6.c.12.de ſepulturis in Eccleſijs Monachorum.*

38 Tempore peſtis, quis tenetur adminiſtrare Sacramenta Euchariſtiæ, & confeſſionis infirmis?

Reſp. Tempore peſtis Parochus Sacerdos tenetur etiam cũ periculo proprie vitæ adminiſtrare infirmis ſuis parochianis Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Baptiſmi, extremæ vnctionis; ratio eſt, quia, vt Ieſus Chriſtus docuit in Euangelio, bonus paſtor tenetur animam ſuam ponere pro ouibus ſuis, ideſt vitam ſuam, & ſicut tempore ſanitatis habuit honorem, & vtilitatem, ita tempore neceſſitatis debet exponere ſed damno, & incommodo, & officium Parochi non fuit illi datum pro tempore limitato ſanitatis, neque cum aliqua conditione, ſed abſolutè, & multo magis pro tempore neceſſitatis. *tenet Nauar. in ſum. Confeſſorum, Enriquez in ſumm. Theologiæ moralis, lib.1. Sà verò §. Parochus fol.618.* tenet, quòd Parochus ſolùm tenetur miniſtrare Sacramenta ſaluti neceſſaria, vel dare ſuis expenſis, qui miniſtret.

39 Clerici, qui non habent beneficium parochiale, tenentur ne tempore peſtis adminiſtrare Sacramentum infirmis cum periculo vitæ.

Reſp. Ex proprio officio non tenentur cum periculo vitæ adminiſtrare Sacramenta; ratio eſt, quia non ſunt Parochi, & ex proprio officio non tenentur admini-

miniſtrare Sacramenta.

40 In quibus caſibus ſimplex Sacerdos, vel Religioſus cuiuſcumque ordinis tenentur tempore peſtis adminiſtrare Sacramenta, etiam cum periculo propriæ vitæ?

Reſp. In pluribus caſibus. Primò, ſi Parochus moriatur, & non ſit alius, qui adminiſtret Sacramenta, tunc quilibet ſimplex Sacerdos, vel Religioſus tenetur ſub præcepto damnationis æterne adminiſtrare infirmis Sacramentum Confeſſionis, & Euchariſtiæ, etiam abſque licentia ſuperioris; ratio eſt, quia in extrema neceſſitate quilibet tenetur ſub pręcepto dare elemoſinam corporalem, quanto magis in extrema neceſſitate animæ, vbi conſilium vertitur in præceptum. Secundò, ſi dicti Sacerdotes, vel religioſi deputentur ab Epiſcopo ad adminiſtranda ſacramenta infirmis, tenentur obedire; ratio eſt quia in ſua ordinatione promiſerunt, vouerunt, & iurauerunt obedire ſuo Prælato, vt habetur in ceremoniali Romano.

41 Sacerdotes, qui tempore peſtis ſe exponunt periculo vitæ, & adminiſtran ſacramenta infirmis, quam mercedem debent habere?

Reſp. Magnam in hac vita, & in altera in hac vita, quia ſi non moriantur in dicto exercitio eorum Epiſcopus tenetur illis dare pinguiora beneficia, & honorare præmijs, & honoribus, quia pro ſalute animarum ſe expoſuerunt euidenti periculo vitæ; in altera vita magnum expectant premium, quia habentur, vt martyres; nam in Martyrologio Romano edito in lucem à Cardinali Baronio dicitur, ibidem commemoratio Sanctorum Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imperatoris, cum peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes libentiſſimè mortem oppetiere, quos velut martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit: & S. Dionyſius Epiſcopus Alexandrinum relatus apud Euſebium *lib. 7. c. 16. & 17.* dicit quòd iſta mors nihil a martyrij ſplendore abeſſe videtur, quia própter incredibilem pietatem, & robuſtam fidem ſuſcipiebatur.

42 Epiſcopus ad quid tenetur tempore peſtis?

Reſp. Tenetur curare miniſtros Sacramentorum, etiam ſi opus fuerint magnæ expenſe pro ſtipendio miniſtrorum. *tenet Bannez 2. 2. q. 33. ar. 3. dub. 4. verſ. ex dictis.*

43 De quibus bonis debet Epiſcopus dare iſta ſtipendia miniſtris miniſtrantibus Sacramenta tempore peſtis?

Reſp. Primum tenetur cõſumare bona propria, quæ ipſe acquiſiuit tempore Epiſcopatus, & his deficientibus poteſt vendere cenſum, terras, poſſeſſiones ſui proprij Epiſcopatus ad ſuſtentandos miniſtros tempore peſtis; ſicut ſi virgines ab hoſtibus captiuæ ducerentur, & periclitaretur eius pudicitia, aut fides, aut ſi immineret periculum hæreſis, in iſtis caſibus Epiſcopus tenebitur perſonaliter aſſiſtere, & conſumere, & vendere proprium cenſum, & bona propria, & poſſeſſiones ſui Epiſcopatus, & argentum propriæ Eccleſiæ ex doctrina S. Auguſtini, *vt tenet Bannez loco ſup. alleg.*

44 Epiſcopus, & parochus tempore peſtis, poſſunt ne abeſſe a ſuis Eccleſijs, & fugere?

Reſp. Non, imò ſi abſint tenentur venire, & adminiſtrare ſacramenta per ſe ipſos, vel ponere ſubſtitutos idoneos, qui velint in his officijs charitatis ſe occupare; ratio eſt, quia ſicut miles die prelij non poteſt fugere ſub iuſta pœna mortis, quia ad ponendã vitam ſuam in periculo fuit conductus, ſic Epiſcopus & parochus ad adminiſtranda Sacramenta ouibus cũ periculo propriæ vitæ. *tenet Bannez loco citato, & Greg. a Valentia. 2. 2. diſput. 3. q. 4. puncto 3. & Reginaldus lib. 4. de eleemoſyna ſpirituali. ſeſſ. 7. nu. 360.*

45 Epiſcopus tempore peſtis quid debet agere, & prouidere?

Reſp. Primò debet conſtituere ſufficientem numerum miniſtrorum, qui infirmis adminiſtrent ſacramenta neceſſaria. Secundò debet aſſignare alios ſubſtitutos, qui loco illorum adminiſtrent ſacramenta aliqua neceſſitate ſuperueniente, vel caſu fortuito. Tertiò debet his miniſtris conſtituere alimenta neceſſaria. Quarto debet aſſignare deputatos, qui tractent de negotij peſtis, & referant Epiſcopo omnia, quæ acciderint, & ſuper his prouidere, & determinare. Quintò debet ſubuenire pauperibus infirmis, et ſanis cum ſuis proprijs bonis, et Eccleſiæ præcipuè, ſi bona laicorum, et ciuitatis non ſuppetant Sextò debet ordinare, vt in ciuitate fiant publicæ proceſſiones, et in Eccleſijs in Miſſis fiant commemorationes, et preces pro ſanitate. Septimò monere confeſſores, vt non abſoluant homines, qui occultant veſtes peſtiferas, laborantes morbo, quia inficiunt alios.

46 Iſti miniſtri quo temporis interuallo debent incumbere ad adminiſtranda ſacramenta infirmis?

Reſp. De hac re non poteſt certa regula dari, & relinquitur arbitrio prudentis Epiſcopi, qui poteſt limitare tempus octo, vel quindecim dierum, quibus tranſactis, illi quieſcant, et alij laborent, niſi aliquis ex propria voluntate ſe offerat ad lungum tempus.

47 Clericus, qui adminiſtrat tempore peſtis, quomodo debet portare ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum?

Reſp. Debet poni in Eccleſia, vel capella eremitica proximiori ad locum, vbi infecti curãtur, vel ad hunc effectum de nouo erigi poteſt, & debet portari a clerico in vaſe argenteo, ac ſerico ſacculo incluſo a collo, humeriſq; pendente cum duobus luminarijs, et cum paruo baldachino, quod ipſe clericus debet portare manu ſiniſtra, et ceremonię poſitę in ceremoniali debent dici clara voce in parte longinqua, et ſanctum ſacramentum poteſt poni ſuper cochleare argenteum, et dari infirmis, ne Sacerdos manu tengat infirmum, et inficiatur.

48 Corpora mortuorum vbi debent ſepeliri, et quomodo?

Reſp. Si moriantur ex infirmitate peſtis, ſepeliuntur extra Eccleſiam in loco à ciuitate deſignato, quod debet benedici, et erigi in eo Crux, vt ſit veluti cęmeterium.

49 Oleum ſanctum quomodo debet dari?

Reſp. Hoc ſacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate ſalutis, ſed neceſſitate præcepti ad maiorẽ perfectionem; et ſic ſi peſtis ſit periculoſiſſima, non eſt mirum, quod in aliquibus prætermittatur tunc propter magnum periculum odoris, ſed ſemper cũ poſſit dari ſine tàm euidenti periculo vitæ, debet miniſtrari, quia eſt ſeptem ſacramentis Eccleſiæ, ſed non obligat parochum cum tanta neceſſitate, ſicut obligat pęnitentia. *tenet Nauar. vbi ſupra.*

50 Baptiſ-

50 Baptiſmus tempore peſtis quomodo debet miniſtrari?
Reſp. A Parocho, à Clerico, à ſæculari, à muliere, ab obſtetrice, & ab ipſa matre parturiente.

51 Ad præſeruandam Ciuitatem, & Epiſcopatum ſuum à peſte, poterit ne Epiſcopus vendere cenſum, terras, & argentum Eccleſiæ?
Reſp. Omnia priuilegia, quæ Epiſcopus habet ad conſumandam pecuniam Eccleſiæ, & ſuam tempore peſtis, fortiori ratione habet ad præſeruandam ſuam Ciuitatem, & Diœceſim à peſte, cum ſit maius bonum, & afferat maiorem vtilitatem ouibus ſuis; & ideò ad præſeruandam ciuitatem à peſte, & morbo contagioſo, Epiſcopus tenetur vendere ſuum patrimonium, quod acquiſiuit tempore Epiſcopatus, deinde patrimonium, & terras Eccleſiæ, & vaſa aurea, & argentea, ſicut ad redimendos captiuos, & liberandos ſubditos à peſte, cum maius bonum ſit præſeruare, quàm ſanare.

52 Si aliquis Parochus, qui tēpore peſtis tenetur adminiſtrare ſacramenta infirmis, voluerit ſuo nomine ponere clericum, vel religioſum ad faciendum hoc officium, Epiſcopus debet ne eum admittere?
Reſp. Si talis ſubſtitutus habeat ſufficientiam mediocrem, Epiſcopus debet admittere talem ſubſtitutum, & excuſare Parochum; ratio eſt, quia cum hoc officium ſit cum tanto periculo vitæ, & tantæ charitatis, meliùs adminiſtrabitur ab illo magnanimo, & volenti, quàm a formidoloſo, quia ipſa formido cum occidit. *tenet Bannez loco ſup. cit.*

53 Tempore peſtis poterit Epiſcopus diſpenſare, vt homines ſani ad ſui præſeruationem comedant carnes tempore quadrageſimæ?
℟. Epiſcopus cum cōſilio ſui capituli, & aliquorum Theologorum, & Canoniſtarum, & Medicorum poterit diſpēſare, vt omnes homines, & mulieres tempore peſtis in quadrageſima comedāt carnes ad præſeruationem tam peſtiferi mali ex pluribus rationibus. Primò, quia peſtis eſt vltimum, & ſupremum malum, quod poteſt Reipublicæ accidere, & iudicatur pro vltima, & extrema neceſſitate, vt patet ex libro ſecundo Regum, c. vltimo, vbi Gad Propheta dixit ad Dauid trium tibi datur optio, aut ſeptē annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur, aut certe tribus diebus erit peſtilētia in terra tua: ex quo clarè patet peſtilentiam eſſe vltimam miſeriam, & extremam neceſſitatem. Secundò, quia omnia, quæ licita ſunt ad ſanandam peſtem, magis licita ſunt ad præparationem à peſte. Tertiò, quia cibi quadrageſimales ſunt nociui hominibus, & carnes ſunt magis vtiles, vt humores de facili non diſponantur ad recipiendum morbum. Quartò, quia ſi licitè Epiſcopus poteſt diſpenſare in præcepto audiendi Miſſam in his quadraginta diebus, in quibus homines in ſuis domibus ſunt recluſi propter ſuſpitionem peſtis, vt peſtis omnino extinguatur; multò magis poterit diſpenſare in carnibus, cum ſit medium neceſſarium ad conſeruandam ſanitatem; & ſic Illuſtriſs. Cardinalis Ioānettinus de Oria Archiepiſcopus Panormitanus, Prorex, & Dux Generalis in regno Siciliæ pro Philippo IV. Hiſpaniarum rege anno Domini 1625. ingraſſante peſte, & infirmitate contagioſa in Ciuitate Panormi, & in alijs locis illius regni per edictum publicum diſpenſauit, vt omnes in quadrageſima illius anni comederent carnes, & plurimum profuit, & hoc tenet Nauarrus conſilio finali, de obſeruatione ieiunij poſſe fieri, non ſolum tempore peſtis, ſed etiā in tempore extremæ neceſſitatis ciborum, & in alijs occurrentijs, & occaſionibus, vt malis febris præueniatur, & hæc peſtis habuit originem ex quadam naue, quæ venit ex ciuitate de Tunez, & occaſione portandi aliquos captiuos redemptos, & Mauri, qui venerant in naue, & eam regebant, portauerunt plures merces infectas, & eas vendiderunt in dicta Ciuitate, vnde habuit originem illa peſtis.

54 In quibus caſibus poſſunt res Eccleſiæ vendi, & conſumari, tàm mobilia, quàm immobilia?
Reſp. In redimendis captiuis, ædificandis Eccleſijs, in ſubſtentandis pauperibus tempore famis, & peſtis; tunc Eccleſia tenetur ſubuenire ſuis filijs in quātum poteſt, & ſuæ facultates ſuppetunt. *tenet Abbas cap. 1. de pignoribus, & alijs cautionibus, numero primo, & quinto.*

55 Si Parochus ſit impeditus aliquo morbo, vt non poſſit ordinari intra annum, amittit ne beneficium curatum?
Reſp. Non, nec tenetur ordinari durante morbo, ſed per Vicarium ſupplere ſeruitium Eccleſiæ. *DD. ſuper c. 3. ſeſs. 7.*

56 Si quis habeat litem ſuper parochialis Eccleſiæ obtentione, debet nè intra annum ordinari?
Reſp. Si habeat poſſeſſionem, tenebitur ſuſcipere Presbyteratum, & ſi poſtea ei ſublata fuerit poſſeſſio, & non habeat aliunde, vt poſſit ſubſtentari, aſſignari, debet ei victus de redditibus dictæ Eccleſiæ. *DD. ſuper c. 3. ſeſſ. 21.*

57 In quibus caſibus Parochus finito anno poteſt non eſſe Sacerdos, & lucrari fructus?
Reſp. Si fuit infirmus, captus ab hoſtibus, ſi fuit irregularis ſine ſua culpa, ſi non habuit copiam Epiſcoporum, vel habuit aliud legitimum impedimentum. *Nauar. in man. c. 25.*

CAPVT XLVII.

De reſidentia Parochi.

1 Parochi per quot menſes poſſunt abeſſe?
Reſp. Per duos menſes iuſta cum cauſa, & licentia Epiſcopi in ſcriptis, & debent relinquere Vicarium idoneum. *Trid. ſyn. ſeſs. 23. cap. 1. de reform.*

2 Si pluſquam tempus poſtulet, abſuerint, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Non eſt ſtabilita, ſed relicta arbitrio ordinarij, vt eos compellat per cenſuras, & per ſequeſtrationem fructuum. *Trid. ſyn. ſeſs. ſup. cit.*

3 Qua pœna punitur Parochus, qui per annum abeſt à ſua Eccleſia?
Reſp. Amittit fructus, & Epiſcopus debet procedere ſeruato ordine iuris vſque ad priuationem beneficij. *Trid. ſyn. ſeſs. 23. c. 1.*

4 Poteſt Epiſcopus excommunicatione, vel pœna pecuniaria parochum prohibere, ne vltra duos dies à ſua Eccleſia ſine licentia diſcedat?

Q Reſp. Ex-

Reſp. Excommunicatione vti non poterit in hoc caſu, bene tamen pœna pecuniaria, dummodo non excedat dimidiam decimam beneficij. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 23.*

5 Poteſt ne Epiſcopus concedere Parochis licentiā, vt ſtudiorum cauſa morentur in vniuerſitatibus?
℞. Poſt Conc. Trid. non, imò, ſi cōceſſa fuerit Parocho, illa vti non poteſt. *Trid. ſyn. ſeſ. 32. cap. 3. de refor.*

6 Quæ cauſæ excuſant Parochum à reſidentia perpetua?
Reſp. Nullæ, ſolùm quando in Parochia fundatus eſt Vicariatus perpetuus, & tranſlata in Vicarium omnis cura animarum. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 23.*

7 Quæ cauſæ excuſant Parochum, vel Canonicum à reſidentia ad tempus in oppido, vbi eſt ſua Eccleſia?
Reſp. Infirmitas de conſilio Medicorum, aeris intemperies, peſtilentia, inimicitia cum periculo vitæ, negotia propriæ Eccleſiæ, lis ſuper proprio beneficio. *Zerola in praxi Epiſc. p. 1. verb. reſidentia.*

8 Quis debet limitare tempus abſentiæ?
Reſp. Epiſcopus pro neceſſitate. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.*

9 Inquiſitores Apoſtolici, & officiales Sanctæ Inquiſitionis, & Collectores Apoſtolici excuſantur à reſidentia?
Reſp. De iure non, ſed debent vti ſuis priuilegijs, ſed Epiſcopus non poteſt dare eis, neque vllis alijs perſonis licentiam non reſidendi. *Gonzal. regul. 8. Cancellariæ. Gloſ. 6. num. 266.*

10 Si quis obtinet facultatem à Summo Pontifice non reſidendi, & percipiendi fructus, poterit nè vti illa abſque licentia ordinarij?
Reſp. Talis gratia non valet, niſi ordinarij conſenſus accedat. *Bulla Pij IV. publicat. 1564. die 24. Nouembris.*

11 Si quis cum diſpenſatione Apoſtolica retineat curatum, & canonicatum, vbi debet reſidere?
Reſp. In parochia, & lucratur fructus canonicatus, exceptis diſtributionibus quotidianis, & ſi omnis præbenda conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, amittit tertiam partem, quæ præſentibus accreſcit. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 23.*

12 Si Parochus non habeat domum vbi, poſſit habitare in oppido parochiæ, vel non inueniat, poterit ne habitare in oppido viciniori?
Reſp. Tenetur conducere illam domum in oppido parochiæ, & etiam expulſo quocumque inquilino, ſed ſi non inueniatur, debet in loco commodo ſibi ab Epiſcopo aſſignato. *DD. ſuper c. 1. ſeſſ. 23.*

13 Si Eccleſia parochialis habitationem nō habeat, vbi tenebitur Parochus reſidere?
Reſp. Epiſcopus debet aſſignare locum commodiorem, & viciniorem ad ſuum officium exercendum. *DD. vbi ſup.*

14 Clerici inferiores habentes beneficia exigentia reſidentiam à quo debent cogi?
℞. Ab Epiſcopis tanquā Sedis Apoſtolicę Delegatis, qui etiam poſſunt ponere eis Vicarios idoneos cū congrua portione. *Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 2. de reform.*

15 Epiſcopus pōt retinere ſecū aliquē Parochum, & facere eum ſuū Vicarium, vel Secretarium excuſando eum à reſidentia, ſicut retinet duos Canonicos?
Reſp. Non, quia magis neceſſaria eſt reſidentia Parochorum, quàm Canonicorum. *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 6.*

16 Poteſt nè Epiſcopus facere Parochum ſuum Viſitatorem?
Reſp. Poteſt, & eum à reſidentia per quadrimeſtrē excuſare, poſito idoneo Vicario, quia viſitatio eſt magnæ vtilitatis.

CAPVT XLVIII.

De Clericis non reſidētibus in Eccleſia, vel Præbenda.

1 QVid eſt reſidere in Eccleſia?
Reſp. Eſt in Eccleſia corporaliter deſeruire, & Eccleſiæ, & beneficij curam habere. *c. conquerenti. de cler. non reſid.*

2 Poteſt quis corporaliter eſſe in loco, vel in ciuitate, vbi ſitum eſt beneficium, & non reſidere in beneficio?
Reſp. Bene poteſt eſſe, quia non dicitur quis reſidere, quia corpore reſidet, ſed quia facit officium, & habet curam ſuæ Eccleſiæ. *cap. quia nonnulli, de cleric. non reſid.*

3 Si quis ſeruiat per Vicarium, dicitur ne reſidere?
Reſp. Non, qui reſidet per Vicarium, vel tertiam perſonam, quia tradit alteri ſuas oues, & ſic, vt bonus paſtor, ipſe debet reſidere corpore, animo, cura, & ſollicitudine. *c. quia nonnulli, de cler. non reſid.*

4 Quando quis poteſt ponere Vicarium, & dicatur reſidere per ſubſtitutum?
Reſp. Primò, cum habet priuilegium non reſidēdi. Secundò, cùm eſt conſuetudo, vt poſſit reſidere per Vicarium, & ſubſtitutum, vt in beneficijs ſimplicibus quæ habent ſeruitium per proprietatem, vel tertiam perſonam. Tertiò, cùm Eccleſia parochialis vnita eſt præbendæ, vel dignitati, tunc dignitas poteſt ſeruire per ſubſtitutum, & ipſe reſidere in Cathedrali Eccleſia. Quartò, quando quis ſine culpa incidit in infirmitatem, morbum, vel ſenectutem, ita vt ipſe non poſſit ſeruire perſonaliter. Quintò, cùm eſt neceſſaria, vel vtilis abſentia talis perſonæ, ſiue Eccleſiæ, vel Reipublicæ, aut cauſa ſtudiorum, peregrinationis, litis, defenſionis Eccleſiæ, vel proprij beneficij cum licentia Prælati, vel Capituli. *Goffr. in ſum. tit. de offic. Vicarior. §. nec videndum.*

5 Clericus ſi habet iuſtā cauſam, quid debet facere?
Reſp. Petere licentiam à ſuo Epiſcopo, vel Pręlato, & eam in ſcriptis portare. *Abb. c. relatum. n. 4. de cler. non reſid.*

6 Si clericus habet iuſtā cauſam abſentiæ, & petat licentia, & Prælatus eam iniuſtè negat, vel nō poſſit adire Prælatum ex aliqua cauſa, quid agendum?
Reſp. Poterit appellare à denegatione, & adire Superiorem, vel ſi vrget neceſſitas, abire ſine licentia, quia neceſſitas caret lege, ſed debet ſtatim reddere rationem ſuæ abſentiæ ſuo Prælato, vt non incidat in culpam, vel moram. *Abb. cap. relatum, de clericis non reſid. num. 6.*

7 Qui iurat ſeruire alicui Eccleſiæ, ſi pro negotijs Eccleſiæ ſe abſentet, frangit nè iuramentum?
℞. Nō, quia qui pro bono Eccleſię ſe abſentat pręſens

ſens

ſens dicitur,& vt præſens reputatur, in tali iuramento non eſt fraus. *cap. ex parte tua, de clericis non reſid. Abb. ibi num.* 1.

8 Qui non ſeruit in beneficio, quos fructus debet percipere.
Reſp. Nullos, quia beneficium, & fructus dantur propter laborem, & officium, *c. conquerenti, de clericis non reſid.*

9 Si quis ſe abſentet per decennium, tale beneficium poterit ne prouideri, quod habetur pro derelicto?
Reſp. Non, dum viuit eius beneficiatus, quia beneficiatus habet matrimonium ſpirituale cum ſua Eccleſia, & per decennium tale matrimonium non ſoluitur, ſed per mortem, vel acquiſitionem alterius beneficij, vel delictum, & priuationem. *c. ex parte, de clericis non reſidentib.*

10 Quid quæritur, vt quis priuetur ſuo beneficio ob non reſidentiam?
Reſp. Vt citetur, & ſit contumax, & poſtea ſententietur. *c. ex parte, de clericis non reſidentib. inter quatuor c. fin. eod. tit.*

11 Si abſens à ſuo beneficio non compareat, vt citetur, quid debet Iudex facere?
Reſp. Tunc poterit citare eum ad redditum Eccleſiæ tribus edictis, & expectare aliquod iuſtum tempus, & ſi non compareat, poterit eum priuare, vt expreſsè habetur in *cap. inter quatuor, de clericis non reſidentibus, & ibi. Abb. n.* 2. *c. ex tua deuotionis, eod. titulo.*

12 Clericus poteſt abeſſe cauſa ſtudij?
Reſp. Poterit, quia eſt iuſta cauſa, ſed debet per alium ſeruire, ſed hodie habentibus beneficium curatum ex decreto *Concil. Trid. ſeſſ.* 5. *&* 23. *c.* 1. non datur licentia abeſſe cauſa ſtudiorum, quia habent arctiorem reſidentiam, ſic tenent *DD. in d. c.* 1. *ſed ſolùm alijs clericis. Abb. c. tua de cler. non reſidentib. nu.* 1.

13 Licentia non reſidendi à quibus debet dari?
Reſp. A Papa cum iuſta cauſa expreſſa in *Con. Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 1. *Abb. c. cum ad hoc, de clericis non reſidentib. num.* 4.

14 Si Eccleſia patiatur penuriam miniſtrorum, & ſint aliqui priuilegiati Bulla, vel breui Apoſtolico, quid erit agendum?
℞. In iſto caſu ab Epiſcopo poterunt priuilegiati vocari, & ſi non veniant, eis denegare fructus, quia ex tali cauſa ceſſat priuilegium, & nō præſumitur Summum Pontificem velle cum damno Eccleſiæ, & penuria ſeruitij, vt illi vtantur priuilegio abſentiæ. *cap. cum adhoc, de clericis non reſidentibus. Abb. ibi num.* 1.

15 Præſentatus, & non confirmatus, ſi velit non reſidere, debet ne confirmari à ſuperiori?
Reſp. Non, imò ſi ſit confirmatus, & nolit reſidere, per ſententiam priuatur à beneficio. *cap. relatum, de clericis, &c.*

16 Actus, qui poteſt referri ad malum, & ad bonum, ad quem finem referendus eſt?
Reſp. Ad bonum finem. *Abb. cap.* 1. *de clericis, non reſid. num.* 7.

17 Si aliquis notoriè ſit virtuoſus, & doctor, poterit ſine examine promoueri?
Reſp. Poterit. *tenet Abb. c. fraternitati. num.* 4. *de clericis non reſid.*

18 Clericus alterius diœceſis, cum quibus qualitatibus debet recipi, & admitti ad celebrandum?
Reſp. Cum litteris commendatitijs ſui Epiſcopi, & ſine litteris debet incarcerari, & mitti ad proprium paſtorem, *c. fraternitati, de clericis non reſid.*

19 Exceptio, quòd aliquis non fecit reſidentiam in beneficio, à quo poterit opponi?
Reſp. Ab illo, cuius intereſt, qui petit illos fructus, quia illi accreſcunt. *Abb. c. conquerenti, de clericis non reſin. num.* 4.

20 Poteſt ne compelli clericus, vt iuret ſe facturum deinceps continuam reſidentiam in ſua Eccleſia?
Reſp. Non, quia hoc iudicatur impoſſibile, vel nimis difficile, niſi ſit ſtatutum, vel conſuetudo faciendi tale iuramentum, & tunc intelligi debet humano modo, & ſecundum vires naturales. *Abb. in c. ex parte eod. tit. num.* 2.

21 Clericus infirmus quid lucratur?
Reſp. Fructus, & diſtributiones quotidianas, quia non ſtat per ipſum, quo minus ſeruiat, & in ſua neceſſitate ſuſtentari, & iuuari debet à ſua Eccleſia, quæ illi loco matris eſſe videtur. *Abb. c. ad audientiam eod. tit. num.* 5. *de clericis non reſidentib.*

CAPVT XLIX.

De Clerico ægrotante, vel debilitato.

1 QVis dicitur ægrotans?
Reſp. Ille, qui ex aliqua infirmitate, vel ſenectute non poteſt adire perſonaliter ad Eccleſiam, ſiue ſit in lecto, ſiue extra lectum. *c.* 1. *eod. tit.*

2 Si aliquis non habeat infirmitatem actualem, ſed timeat, quòd poſſit ex exitu à domo illi damnum venire, ſufficit ne hæc cauſa, vt habeatur infirmus?
Reſp. Si ex conſilio medici timeatur aliquod damnum ex motu, vel ex exitu domus obortum, ſufficit hæc ſola cauſa, vt tamquam infirmus reputetur, cum non debeat poni minor cura in conſeruanda ſanitate, quàm in acquirenda. *DD. in c.* 2. *eod. tit.*

3 Quis dicitur debilitatus?
Reſp. Ille, qui ſurgens ex aliqua infirmitate non adhuc benè conualuit, vel ille, qui ex ſenectute non habet vires, vel ille, cui deeſt pes, vel manus, vel vires ex dolore interno, iſte dicitur debilitatus. *DD. in cap.* 1. *eod. titulo.*

4 Clericus infirmus, quos fructus percipit?
Reſp. Si reſidebat ante infirmitatē, percipit omnes fructus ſui beneficij, quia afflictus non eſt afflictione onerandus, ſatis ſuperque enim infirmitate afflictus, ac pauper eſt; ſi verò ante infirmitatem in Eccleſia non reſidebat, in infirmitate nullos fructus percipit; infirmitas enim illum non facit melioris cōditionis. *Abb. c.* 1. *de clerico ægrotante, & c. num.* 1.

5 Si aliquis erat in ſua patria recreationis, vel negotij cauſa, & perdebat fructus, poſtea veniens animo reſidendi in itinere ſuperuenit infirmitas, quos fructus percipit?
Reſp. Omnes fructus, quia in hoc caſu voluntas pro facto reputatur, dummodo ſi conualuerit, recto tramite ad ſuam reſidentiam properet, & factum confirmat ſuam voluntatem.

6 Si Presbyter ita ſit debilitatus, vt non poſſit aſcēdere ad altare ſine baculo, poteſt ne celebrare?
Reſp. Non eſt permittendus celebrare. *tenet Abbas*

c. presbytero, de clerico ægrotante, num. 3.

7 Presbyter deformis, vel debilitatus eſt ne irregularis?

Reſp. Non, ſed inhabilis ad celebrandum. *Abb. cap. presbyterum, num. 4. de cler. ægrot.*

8 Si leproſus ſit rector alicuius Eccleſiæ, poterit ne illam adminiſtrare?

Reſp. Clerico leproſo dandus eſt coadiutor in omnibus officijs, quia lepra eſt infirmitas, quæ alijs cõmunicatur, & inducit horrorem. *cap. de rectoribus, de clerico ægrotante, c. tua nos, eod. tit.*

9 Si maritus ſit leproſus, eſt ne ei ſubtrahenda mulier?

Reſp. Non, ſine amborum conſenſu, quia lepra ſuperueniens non diſſoluit matrimonium, & vt vir habeat in ſua infirmitate ſolatium, & adiutorium propriæ mulieris. *Abb. c. de rectorib. n. 4. de cler. ægrot.*

10 Si Epiſcopus habeat morbum incurabilem, quid debet cum illo agi?

Reſp. Si talis morbus ſit perpetuus, & impediat illum ab adminiſtratione, & regimine Eccleſiæ, ita vt patiatur detrimentum, dandus eſt ei coadiutor. *c. ex parte, de clerico ægrotante.*

11 Si Epiſcopus confirmatus, & nondum conſecratus incidat in morbum, vel lepram impedientem Eccleſiæ gubernationem, poterit ne remoueri, vel dandus eſt coadiutor?

Reſp. Licèt variæ ſint doctorum opiniones, tamen diſtinguendum eſt, ſi non ſua culpa incidit in infirmitatem, non eſt remouendus, ſicut conſecratus, quia conſecratio non addit maius vinculum coniugale, vt habetur. *c. 2. de translatione Prælatorum. tenet Abb. c. ex parte n. 2. de clerico ægrotante.*

12 Si Archidiaconus laboret morbo paralitico, quid agendum?

Reſp. Dandus eſt coadiutor. *c. ſi. de clerico ægrotãte.*

13 Si Presbyter habet duos digitos, & medietatem palmæ abſciſſam, poteſt celebrare Miſſam?

Reſp. Non, propter deformitatem, ſed poterit facere omnia alia miniſteria, vt audire confeſſionem, prædicare. *c. presbyterum, de clerico ægrotante.*

14 Famulus incidens in infirmitatẽ à quo debet ali?

Reſp. Si dominus ſit diues, à domino ſuo, etiam in expenſis magnis, non ratione ſui famulatus, ſed quia eſt proximus. *Abb. c. 1. de clerico ægrotante. num.* 8.

15 Papa poteſt priuare clericum ſuo beneficio?

Reſp. Non ſine cauſa, vel delicto. *Abb. c. 1. de clerico ægrotante. num.* 3.

CAPVT L.

De Vicarijs, & Coadiutoribus Parochorum.

1 VIcarij perpetui, quomodo ſunt conſtituendi, & à quo?

℞. Cum electione Capituli, & aſſignatione congruæ portionis, & ab Epiſcopo, *DD. ſuper cap. 8. ſeſs. 7.*

2 Si in Eccleſijs monachis ſubiectis Parochi negligentes fuerint in ſuo officio, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus per cenſuras Eccleſiaſticas dictos monachos debet compellere, vt in fructibus beneficiorum idoneum miniſtrum prouideant, & hoc extenditur ad Eccleſias, etiam ſi ſint nullius diœceſis. *Trid. ſyn. ſeſs. 5. c. 2. de reform.*

3 In Eccleſijs curatis vnitis monaſterio, quis debet nominare Vicarios perpetuos?

Reſp. Ex Bulla Pij V. quæ incipit, ad exequendum intra decem dies, à die vacationis debet monaſteriũ nominare Vicarium, & Epiſcopo præſentare, vt eum confirmet.

4 Portio aſſignata tali Vicario debet ne detrahi à fructibus monaſterij, vel beneficij?

Reſp. A fructibus benefici), vt in Bulla Pij V.

5 Quæ portio debet Vicario perpetuo aſſignari?

Reſp. Non debet excedere numerum centum Ducatorum computatis omnibus emolumentis, vt habetur in dicta bulla.

6 Hæc centum ducata quomodo ſunt computãda?

Reſp. Secundum monetam, & morem cuiuſcumque Prouinciæ?

7 In beneficijs, in quibus à tempore immemorabili animarum cura in Vicarium tranſlata eſt, quid faciendum?

Reſp. Infra annum à fine concilij congrua portio Vicario aſſignetur arbitrio Epiſcooi, & cum primũ Vicarius, vel proprietarius diſceſſerint à vita, in beneficia curata reducantur, & nomen Vicarij ceſſet. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 16. de reformã*

8 Si totum capitulum habeat parochiam, & curam animarum, poterit ne Epiſcopus eam transferre in aliquam perſonam particularem?

Reſp. Si talis perſona ſit de capitulo, vel de illa Eccleſia, & ſufficiens, poterit, quia ſic meliùs prouidetur animabus. *DD. ſuper c. 13. ſeſs. 24.*

9 In quibus caſibus poteſt Epiſcopus ponere Vicarium ad tempus in parochia, ex ſumptibus ipſius Parochiæ?

Reſp. Septem caſibus. Primo, quando Parochus non eſt Sacerdos. Secundo, quando abeſt ex iuſta cauſa. Tertio, quando plura beneficia incompatibilia obtinet. Quarto, quando vacat Eccleſia. Quinto, quando ingreditur religionem durante anno probationis. Sexto, quando beneficia vnita ſunt Cathedralibus, monaſterijs, & pijs locis, & cura per clericos ſæculares exercetur. Septimo, quotieſcumque Parochus ſeruire non poteſt, puta ob delictum, exilium, infirmitatem. *c. cum in cunctis de elect. Trid. ſyn. ſeſs. 7. cap. 7. ſeſs. 23. c. 1. ſeſs. 24. c. 18. ſeſs. 25. c. 15. de reform.*

10 Ob quas cauſas poteſt Epiſcopus ponere coadiutores parochis pro tempore?

℞. Ob imperitiam, & turpitudinem, ſed poteſt illis aſſignare congruam portionem ex fructibus beneficij ſuo arbitrio, *Trid. ſyn. ſeſs. c. 6. de refor. ſeſs. 21.*

11 Si parochi, vel clerici ſint in ſcientijs minimè verſati, indocti, negligentes, vel ſcandaloſè vixerint, qua pœna puniuntur?

Reſp. Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus, poteſt illitteratis ponere Vicarios cum congrua fructuum deputatione; eos ſuſpendere ad tempus, & ſi admoniti incorrigibiles perſeuerarint, poterit eos beneficijs priuare, & in hoc caſu appetitio nõ habet effectum ſuſpenſiuum. *Tridentin. ſynodus ſeſſione vigeſimaprima, capitulo ſexto, de reformatione.*

12 Coad-

12 Coadiutor tenetur ne ad reſidentiam?
Reſp. Tenetur ſicut proprietarius, & debet cogi ab Epiſcopo pœnis à Iure impoſitis vſque ad priuationem coadiutoriæ. *DD. ſuper c.1. ſeſſ. 23.*

13 Si Epiſcopus det Parocho illiterato coadiutorem, ipſe Parochus tenebitur ne ad reſidentiam perſonalem in loco beneficij?
Reſp. Tenebitur, quaſi ei non eſſet datus coadiutor, quia ſua præſentia poterit populum ædificare, & dare eleemoſynas ex fructibus beneficij, & expendere cum ſuis ouibus. *DD. ſuper c.6. ſeſſ. 21.*

14 Poteſt ne Epiſcopus dare Parocho coadiutorem ad prædicandum?
Reſp. Poterit, ſi ipſe prædicator non ſit, vel ſit Surdus ad confeſſiones audiendas. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c.6. de reform.*

15 Si populus ſit numeroſus, & vnus Rector non ſufficiat, poterit Epiſcopus tali Parocho virtute *cap. 6. ſeſſ. 21. Conc. Trid.* coadiutorem ponere?
Reſp. Non, ſed eum cogere, vt ipſe eligat capellanum ſufficientem, vel capellanos, vt illum adiuuent?

16 Si aliquis clericus fuit approbatus, & examinatus à ſuo Epiſcopo ad miniſtranda ſacramenta, poterit idem Epiſcopus eum iterum examinare pro ſuo libitu?
Reſp. Non, niſi noua cauſa adueniente, ſed Epiſcopus de nouo veniens poterit de nouo omnes examinare, & pro eo, vt eos inuenerit, iudicare. *DD. ſuper c. 13. ſeſſ. 14.*

CAPVT LI.

De beneficijs.

1 QVot ſunt genera beneficiorum?
Reſp. Duo, aut ſunt ſecularia, quæ ſolis ſecularibus concedi poſſunt, aut ſunt regularia, quę ſolis regularibus debent dari in extrauag. execrabilis *de præbendis iunct. gl.*

2 Quot ſunt ſpecies beneficiorum?
Reſp. Duo, aut ſunt curata, quæ perſonalem requirunt reſidentiam, aut ſimplicia, quæ non requirunt talem reſidentiam.

3 Quot ſunt ſpecies beneficiorum ſimplicium?
Reſp. Plures, videlicet beneficium ſimplex, preſtimonium, preſtimonialis portio, capellania, canonicatus, dignitas, portio, & media portio in Eccleſia Cathedrali, quę licèt non habeant curam animarũ, reſidentiam requirunt. *c. de multa, de præbend. Nauar. conſ. 4. de ætate, & qual.*

4 Quis debet examinare diſpenſationes datas à Papa ad plura beneficia incompatibilia obtinenda?
Reſp. Epiſcopus, & ſi clericus non demonſtrauerit tales diſpenſationes, Epiſcopus poterit ponere Vicarios idoneos in eorum beneficijs cum congrua aſſignatione fructuum ſine appellatione. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 1.*

5 Parochialis Eccleſia, & canonicatus, ſunt ne beneficia incompatibilia?
Reſp. Parochialis Eccleſia eſt incompatibilis cum omnibus beneficijs, in quibus diſtributiones quotidianę aſſignatę ſunt, vel in quibus requiritur perſonalis reſidentia. *DD. ſuper c. 4. ſeſſ. 7.*

6 Clericus poteſt obtinere plura beneficia curata, vel plura beneficia incõpatibilia, etiã in cõmendam?
Reſp. Non ſine diſpenſatione Apoſtolica, imò ſi vnum non dimiſerit, priuatur omnibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 4. & ſeſſ. 24. c. 17. de reform.*

7 Poteſt ne Epiſcopus cõferre duo beneficia eidem perſonę, & ſub eodem tecto?
Reſp. Non, niſi ſint deformia, vt capellania, & canonicatus; & quodlibet per ſe non ſit ſufficiens ad ſubſtentationem talis clerici, vel ſi ſit conſuetudo, vt illa duo obtineantur ſine diſpenſatione Apoſtolica. *DD. ſuper c. 17. ſeſſ. 24. de reform.*

8 Poteſt ne Epiſcopus habenti beneficium ſimplex conferre aliud?
Reſp. Poterit, ſi primum non ſufficiat ad eius ſubſtentationem. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. c. 17. Abb. cap. quia nonnulli, de clericis non reſidentib.*

9 Si Epiſcopus conferat beneficium ſufficiens ad ſubſtentationem alicui habenti aliud beneficium, vacat ne primum?
Reſp. Habita pacifica poſſeſſione ſecundi, vacat primum, quia ſolus Papa diſpenſat in pluralitate beneficiorum. *c. 5. ſeſſ. 7. Conc. Trid. de refor.*

10 Si quis habeat vnum beneficium ſufficiens ad eius ſubſtentationem, poterit ne accipere aliud ab Epiſcopo ſine diſpenſatione Apoſtolica?
Reſp. Non, ſed peccat mortaliter. *Gloſ. in c. dudum de elect. Syl. verb. beneficium. 4. num. 1. Lopez. lib. 3. tit. 16. partit. 1.*

11 Hęc ſufficiẽtia ad ſubſtẽtationẽ quomodo ſumitur?
℞. Non ſtricto modo, ſed cõſiderata qualitate perſonę, & Prouincię, dignitatis, & ſcientię. *Zerola in pra. Epiſc. 1. p. tit. de beneficijs, §. 8. & 7. nu. 8. c. de multa, de præbend. Gl. in c. cum adeò, de reſcriptis.*

12 Quis debet iudicare hanc ſufficientiam?
℞. Epiſcopus, vel Papa, qui confert beneficium.

13 Quę ętas requiritur ad beneficium ſimplex obtinendum?
Reſp. Attigiſſe decimum quartum annum. *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. c. 6. de refor.*

14 Si in fundatione cautum ſit, vt quis in minori ętate obtineat beneficium, vel capellaniam, quid agendum?
Reſp. Obſeruanda eſt fundatio, quia per Conc. Tri. non eſt derogatum fundationibus.

15 Ad dignitates obtinendas, & ad beneficium curatum, quę ętas neceſſariò requiritur?
℞. Neceſſariò requiritur attigiſſe vigeſimum quintum annum, & habere ſcientiam, & ordinem requiſitum, vel illũ in proximis temporibus, vel extra tempora recipere, alias poſt monitionem tali beneficio priuatur, neque ei prodeſt appellatio, quo minus Epiſcopus non prouideat tali beneficio, quia talis appellatio non habet effectum ſuſpenſiuum, ſed ſolũ deuolutiuum, ne Eccleſia careat ſolatio paſtoris. *c. cum in cunctis, de elect. Trident. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12. de ref.*

16 Quę ętas requiritur ad obtinendum canonicatum in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiali?
Reſp. In Cathedrali illa ętas, quę requiritur ad obtinẽdum ordinem annexum tali canonicatui, in collegiali verò ętas quatuordecim annorum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 12.*

17 Poteſt ne Epiſcopus diſpenſare in ętate, vt quis obtineat beneficium?

Reſp. Non, quia eſſet diſpenſare, quod ſoli Papæ conuenit. *c. conſilia diſt. 17.*

18 Poteſt ne conferre dignitates, & canonicatus Epiſcopus habentes ordinem annexum ijs, qui non ſunt initiati?

Reſp. Poterit dum intra annum initiari poſſint. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. c. 12. & ſeſſ. 22. c. 4.*

19 Quæ ſcientia requiritur ad beneficium ſimplex obtinendum, vel ad capellaniam?

Reſp. Sufficit ſcire legere, & ſcire rudimenta Grammaticæ. *gloſ. in clem. 1. de conceſſione præbendæ. Nau. in c. ſi quando 13. exceptione. num. 3.*

20 Clerici pauperes, qui ſuo labore tenentur quærere victum, quam ſcientiam debent habere ad beneficiũ ſimplex?

Reſp. Sufficit ſcire ſicut ſimplices laici, & aliquantulo plus circa ſacramenta, in quibus quotidie verſantur. *tenet Innoc. in c. 1. de ſumma Trinitate, & fide Catholica, num. 4.*

21 Beneficium curatum, in quo caſu poteſt conferri clerico idiotæ, vel ignoranti?

Reſp. Dixi. *lib. 4. c. de beneficijs num. 40.*

22 Si beneficium ſimplex, vel capellania habeat onus dicendi Miſſas, quæ ſcientia requiritur?

Reſp. Illa, quæ eſt neceſſaria adimplendum onus annexum. *Hoſtienſis, Ioannis Andreas, Abb. in cap. cum in cunctis. de elect. num. 2. Gonzal. de alternatiua. Gloſ. 4. num. 79.*

23 Fructus beneficij poſt mortem poſſidentis ante collationem, cui applicantur?

Reſp. Succeſſori, & pro eo ſunt conſeruandi, ſed ſi beneficium eſt canonicatus, qui requirit perſonalem reſidentiam, applicantur præſentibus, & reſidẽtibus. *Abb. c. querelam, ne prælati vices ſuas. num. 7.*

24 Quibus contingit modis vacare beneficia?

Reſp. Octo modis. Primo morte. Secundo renunciare. Tertio ſucceſſione alterius beneficij incompatibilis. Quarto matrimonio contracto. Quinto per profeſſionem factam in aliqua religione. Sexto, qui habet beneficium curatum, & intra annum ſacerdotiũ non ſuſcipit. Septimo aſcenſione vnius beneficij ad alterum maius. Octauo priuatione ob aliquod delictum per ſententiam definitiuam. *c. de multa, de præbendis. c. 1. de clericis coniugatis. lib. 6. cap. beneficium de regulis iuris, lib. 6. c. licet de elect. lib. 6. c. grauem, de exceſſib. Prælator.*

25 Si quis habet beneficium curatum, vel ſimplex animo relinquendi habitum, & non perſeuerandi in ordine clericali, & relinquendi beneficium, qua pœna punitur?

Reſp. Si cum effectu relinquat habitum, tunc tenetur ad reſtitutionem fructuum à tempore, à quo habuit voluntatem relinquendi habitum. *c. commiſſa, de electione. in 6.*

26 Quibus modis conferuntur beneficia?

Reſp. Per concurſum, ſcilicet parochialis, canonicatus, doctoralis, & magiſtralis in Cathedralibus, & Collegiatis, alia conferuntur ſine concurſu, videlicet beneficia ſimplicia, canonicatus, & portiones. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 13. de reform.* Bulla Pij V.

27 Quam pœnam incurrit, qui ſe introducit in beneficium viuentis?

℞. Excommunicationis. *c. 1. de conceſſione præbendæ.*

28 Quam pœnam incurrit, qui propria auctoritate permutat beneficium?

Reſp. Perdit ſua beneficia. *cap. cum olim, de rerum permutatione.*

29 Quam pœnam incurrit, qui compellit aliquem reſignare ſua propria beneficia, vel impedit accedere ad Romanam Curiam?

Reſp. Si ſit Epiſcopus, triennio ſuſpenditur, ſi inferior, perdit proprium beneficium, ſi laicus excommunicatur. *clem. 2. de pœnis.*

30 Poteſt Epiſcopus beneficijs ſimplicibus imponere noua onera?

Reſp. Non poteſt.

31 Quæ beneficia non poſſunt grauari penſione?

Reſp. Epiſcopatus, ſi non excedat mille ducatorum & Parochialis, ſi non excedat centum ſingulis annis. *Trid. ſynod. ſeſſ. 24. capit. 13. de reform.*

32 Beneficia ſimplicia obligant ne ad reſidentiam perſonalem, vel ad aliquod ſeruitium?

Reſp. Non, nec per ſe, nec per alium, ſed ſolum ad recitandas horas canonicas. *DD. ſuper cap. 5. ſeſſ. 7. de refor.*

33 Quando poſſunt duo beneficia conferri vni, eidemque perſonæ?

Reſp. Quando vnum non ſufficit ad congruam ſuſtentationem ſecundum qualitatem perſonæ, vel quando ſunt beneficia non requirentia reſidentiam, & cum illo ex aliqua cauſa diſpenſatur. *tenet Abb. in cap. quia nonnulli, de clericis non reſidentibus. num. 2.*

34 Quæ eſt cauſa, quare poſſit dari diſpenſatio obtinendi plura beneficia?

Reſp. Propter Eccleſiarum paupertatem, & propter dignitatem, & excellentiam perſonæ obtinentis, in litteris, officijs, vel ſanguine. *tenet Abb. in c. quia in tantum, de præbendis, & dignitatibus. num. 1. ſed hodie ſtandum eſt determinationi. Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 4. & 5. & ſeſſ. 24. c. 17.*

CAPVT LII.

De Capellanijs.

1 CApellania, quæ habet onus adiuuandi Parochũ in adminiſtratione ſacramentorum, poterit ne ſimul obtineri cum canonicatu, vel cum beneficio curato?

Reſp. Non, quia reputatur ſicut parochialis. *DD. ſuper c. 4. ſeſſ. 7.*

2 Si quis habet capellaniam cum onere Miſſarum, dum non promouetur ad ſacerdotiũ, quid dẽt agere?

Reſp. Ipſe conſtituat capellanum, qui ſuppleat eius vices. *Sà verb. beneficium. num. 39.*

3 Capellanus habens capellaniam, etiam ſi ſit Sacerdos, poterit per ſubſtitutum ſatisfacere Miſſis ſibi impeditis?

Reſp. Poterit præcipere ſi ſit impeditus. *Zerola in praxi Epiſc. p. 1. verb. beneficia, q. 7. concl. 8.*

4 Si in fundatione capellaniæ dicatur, quòd capellanus debeat celebrare diuina officia die, ac nocte, requiritur neceſſario, vt ſit Presbyter?

Reſp. Non. *Garzia de benefic. tom. 2. p. 7. c. 1. nu. 99.*

5 Si in fundatione alicuius capellaniæ poſita ſit clauſula, quod per ſe ipſum celebret Miſſas, poterit ne Epiſcopus capellanũ cogere, vt per ſe ipſũ celebret?

℞. Cum

Reſp. Cum diſtinctione, ſi in fundatione dicatur, quod per ſe ipſum celebret, & non per alium, quia eſt conditio excluſiua, poterit cogere; ſi verò ſolùm dicat, quòd per ſe ipſū celebret, ſufficit, vt impeditus per alium celebret. *Bonacina diſput. 4. q. vlt. punct. 7. §. 1. num. 1.*

CAPVT LIII.

De Collationibus.

1 QVid eſt collatio?
Reſp. Eſt conferre alicui beneficium, quod non habet, vel eum introducere in beneficium, & dare ei eius percipiendi fructus, & adimpleri onera beneficij. *Goffred. in ſum. tit. de inrepatr.*

2 Quæ ſunt neceſſaria in collatione?
Reſp. Ex parte conferentis, vt conferat purè, libere, & ſponte ſine diminutione, vel cõditione; ex parte accipientis, quòd ſit idoneus, moribus, litteris, ætate: ex parte rei, vt beneficium vacet; & collatio ſpectet ad collatorem, & legitime conferat.

3 Ad quem ſpectat collatio beneficiorum?
Reſp. De iure ad Papam, Legatum, & Epiſcopum. *c. nullus omnino 16. q. 7. Abb. conſ. 116. num. 3. gloſ. cap. quamquam, de elect. in 6.*

4 Electus, & confirmatus antequam ſit conſecratus poteſt nè beneficium conferre?
Reſp. Affirmatiuè, quia eſt actus iuriſdictionis, quæ datur iu confirmatione, & non in ordine.

5 Collatio beneficiorum quotuplex eſt?
Reſp. Multiplex. Prima eſt collatio, quæ pertinet ad Summum Pontificem. Secunda eſt collatio, quæ pertinet ad ſolum Epiſcopum. Tertia eſt collatio, quæ pertinet ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, quæ vocatur ſimultanea. Quarta eſt collatio, quæ pertinet ad Epiſcopum cum conſenſu, vel aſſenſu Capituli. Quinta eſt collatio, quæ pertinet ad Epiſcopum ſolum. Sexta eſt collatio, quæ pertinet ad aliquem Abbatem, Priorem, vel aliquam perſonam particularem cum conſilio, vel conſenſu, vel aſſenſu Epiſcopi, vt habetur *in c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

6 Quæ eſt collatio, quæ pertinet ſolùm ad Summum Pontificem?
Reſp. Eſt collatio nimis priuilegiata, & omnes aliæ collatione pendent à poteſtate delegata à Sum. Pontif. quia eſt vniuerſalis Epiſcopus, & Dominus beneficiorum, & ad iſtam collationem pertinent omnia beneficia vacantia in octo menſibus anni, nempe in Ianuario, Februario, Aprili, Maio, Iulio, Auguſto, Octobre, Nouembre. Secundò in Eccleſijs, vbi Epiſcopus gaudet priuilegio alternatiuæ, pertinent ad collationem Summi Pont. omnia beneficia vacantia in ſex menſibus anni alternando, & incipiendo à menſe Ianuarij. Tertiò pertinet ad hanc collationem decanatus cuiuſcunque Eccleſiæ, in quocunque menſe vacet, vel illa prima dignitas, quæ fuerit caput Eccleſię, etiam ſi alio nomine appelletur. Quarto pertinent ad hanc collationem omnia beneficia quomodocumque reſeruata ſedi Apoſtolicæ, ſiue per familiaritatem, ſiue per exercitium alicuius officij Apoſtolici, ſiue ſit collector, ſeu ſubcollector, dummodo in ſuo tempore exercuerit officium. Quintò pertinent ad hanc collationem omnia beneficia vacantia, & non prouiſa à collatoribus ordinarijs in tempore ſibi ſtatuto quæ vocantur collatio per deuolutionem, vt tradit latiſſimè *Quaranta in 8. reg. Cancell. fol. 421.*

7 Quæ eſt collatio, quæ pertinet ad ſolum Epiſcopum?
Reſp. De Iure omnia beneficia vacantia in quatuor menſibus anni in ſua Diœceſi. Secundò, ſi Epiſcopus gaudeat alternatiua, pertinet ad ſuam collationem omnia beneficia vacantia in ſex menſibus alternando, in quibus Epiſcopus habet plenariam poteſtatem prouidendi perſonam idoneam abſque conſilio, vel conſenſu Capituli, & ipſe dat prouiſum ſuum titulum, & abſque alia expeditione bullarum, talis prouiſus iuſtè poſſidet. *cap. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

8 Quæ eſt collatio, quę pertinet ad Capitulum, & Epiſcopum ſimul, quæ vocatur ſimultanea?
Reſp. Quando Capitulum habet ius prouidendi, & totum Capitulum habet vnam vocem ęqualem cum Epiſcopo, tunc dicitur collatio ſimultanea, quia ſimul pertinet ad Capitulū, & ſimul pertinet ad Epiſcopum cum æquali poteſtate, vt habetur *in cap. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

9 In collatione ſimultanea ſi diſcordent Capitulum, & Epiſcopus, ad quem deuoluitur collatio?
Reſp. Ad Summum Pontificem, qui liberè poterit prouidere nominatum ab Epiſcopo, vel nominatum à Capitulo, vel tertiam perſonam, vt ſibi placuerit: ratio eſt, quia Summus Pontifex non habet manus ligatas.

10 Quando Capitulum habet collationem ſimultaneam cum epiſcopo ſede vacante, poterit facere collationem canonicatus, vel præbendarum pertinentium ad ſuam collationem?
℞. Epiſcopo mortuo vel ſuſpenſo, Capitulum, quod habet ſimultaneam, poterit facere collationem beneficiorum vacantium ſine epiſcopo, & è contra; ſi omnes Canoci ſint excommunicati, epiſcopus ſolus poterit facere collationem ſine Capitulo; ratio eſt, quia quando ſunt duo collatores æquales vno mortuo, vel longa abſentia impedito, alius ſupplet eius vices, ne beneficia diu vacent, & ſint ſine poſſeſſore, vt habetur *in c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

11 Quomodo acquiritur Ius ſimultaneæ à Capitulo contra Epiſcopum, vt neceſſariò ſimul debeant eligere Canonicos?
Reſp. Per priuilegium Apoſtolicum, & bullam ſibi conceſſam, & etiam per immemorabile conſuetudinem, quia Ius eligendi præſcribitur, & Canonici ſunt capaces preſcribendi contra Epiſcopum, vt habetur in *c. cum Eccleſia, de elect.*

12 Capitulum, quod habet collationem ſimultaneam, in quibus menſibus poteſt vt illa?
Reſp. Solùm in quatuor menſibus anni collatoribus ordinarijs reſeruatis, nempe in menſe Martij, Iunij, Semptembris, Decembris, & in hac Eccleſiâ Epiſcopus non gaudet alternatiua in collatione illorum beneficiorum, vel canonicatuum, in quibus talis Eccleſia habet ſimultaneam, ſed gaudet dicta alterna-

ternatiua in omnibus alijs beneficijs, in quibus ipſe ſolus eſt collator, *vt tenet DD. in d. c. 1.*

13 Quæ eſt collatio, quæ pertinet ad Epiſcopum cum conſenſu, vel aſſenſu capituli?
Reſp. Quando in prouiſione alicuius Canonicatus, vel dignitatis de conſuetudine, vel priuilegio Epiſcopus ingreditur capitulum, & dicit talem præbendam vacaſſe, & quod ipſe eam confert in perſonam Petri, quæ ſibi videtur idonea, tunc capitulum conſentit, vt habetur *in c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

14 Quando capitulum habet Ius conſentiendi, poterit ſede vacante, vel Epiſcopo excommunicato prouidere Canonicatum, vel præbendam vacantem in quatuor menſibus ordinarijs?
Reſp. Non, ſed deuoluitur ius collationis ad Sum. Pont. Epiſcopo mortuo, ratio eſt, quia Ius conſentiendi, vel conſiliandi non eſt Ius conferendi, ſed quid diſtinctum, vt habetur in *c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

15 In collatione, quam habet Epiſcopus de conſenſu, vel aſſenſu Capituli, poterit capitulum contradicere, vel nominare aliam perſonam diſtinctam, quam nominat Epiſcopus?
Reſp. Non poterit capitulum nominare aliam perſonam, quia tunc haberet ſimultaneã cum Epiſcopo, ſed bene poterit proponere Epiſcopo illam perſonã non eſſe idoneam, vel opponere aliquos defectus; & hoc audito, Epiſcopus poterit nominare aliam perſonam, vel illam, & quam priùs propoſuit, quia Epiſcopus ſolum tenetur petere conſilium, vel aſenſum, ſed non tenetur neceſſariò eum ſequi *DD. in c. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur.*

16 In collatione, quam Epiſcopus habet de conſenſu capituli, ſi capitulum appellet à prouiſione facta ab Epiſcopo, hæc appellatio, quem effectum habet?
Reſp. Solum effectum deuolutiuum, ſed non ſuſpenſiuum, & poſſeſſio debet dari prouiſo ab Epiſcopo, imo hęc appellatio erit quaſi friuola, niſi capitulum opponat defectum, qui reddat inhabilem, & incapacẽ talem prouiſum, ſicut ſi opponat, quòd non eſt baptizatus, vel hæreticus, vel excommunicatus.

17 Quomodo cognoſcitur, quòd Eccleſia Cathedralis non habet Ius ſimultaneũ, ſed ſolus Ius conſentiendi?
Reſp. Videndo omnes prouiſiones præteritas, & ſi fuerit aliqua prouiſio facta in menſe, in quo Epiſcopus gaudeat alternatiua, tunc certè cognoſcitur capitulum non habere ſimultaneam, neq; Ius prouidendi, ſed ſolum Ius conſentiendi propter honorem. Secundò, ſi non inuenitur aliqua prouiſio, in qua capitulũ diſcordauit cum Epiſcopo, & nominauit aliam diſtinctam perſonam; ex his clarè colligitur capitulum non habere Ius ſimultaneũ. Tertiò, ſi capitulum nũquam in tempore ſedis vacantis fecit collationem alicuius præbendæ, imò ſi præbenda vacauit, Epiſcopo mortuo, & Papa prouidit, certiſſimum eſt capitulum non habere ſimultaneam.

18 Quæ eſt collatio, quæ pertinet ad Abbatem cum conſilio, vel conſenſu epiſcopi?
Reſp. Quando aliquis inſtituit aliquod beneficium, vel cappellaniam, & iubet, vt eam prouideat aliqua perſona particularis, cum conſenſu tamen epiſcopi, tunc epiſcopo mortuo, vel longè abſente, tali perſona poterit facere collationem, abſq; illo conſilio, ne beneficium dicatur vacare, vt habetur in *cap. 1. ne ſede vacante aliquid innouetur in 6.*

19 Quæ eſt collatio, quæ pertinet ad ſolum capitulũ?
Reſp. Quando capitulum eſt in cõſuetudine immemorabili, vel habet priuilegium prouidendi Canonicatus, vel aliqua beneficia, vel capellania ſine epiſcopo, tunc in his epiſcopus ſolùm habet approbationem ſcientiæ *c. cum. Eccleſia de electione.*

20 Qui dicitur ordinarius collator?
Reſp. Epiſcopus, & capitulum. *Gl. in c. quamquam de elect. in 6. & Steph. Quaranta in 8. reg. cancellariæ.*

21 Quibus modis confert Summus Pont. beneficia?
Reſp. Iure ſuo per deuolutionem, per præſentationem per reſignationem, & per effectionẽ. *Regula Cancellariæ 8. Sthep. Quaranta vbi ſup.*

22 Quid dicitur inferior collator?
Reſp. Aliquis Abbas, vel dignitas, quando habet facultatem virtute alicuius fundationis inſtituendi aliquem in aliquam capellania, vel beneficio de iure patronatus. *Clemen. vnica, de ſupplenda neglig. Prælator. Trident. ſynod. ſeſſion. 24. capit. 18. Bull. Pij V. in numero 33.*

23 Si collatio ad Prelatum regularem, vel inferiorẽ collatorem ſpectet, & conſtituto tempore non conferat, ad quem deuoluitur?
Reſp. Si Prælatus ſit exemptus, ad ſedem Apoſtolicam ſi non ſit exemptus, ad Ordinarium. *Clem. vnica. de ſupplenda neglig. prælator.*

24 Quæ collatio eſt magis priuilegiata, collatio ordinaria, vel à collectore inferiori?
Reſp. Collatio ordinaria, quia tribuit titulum coloratum ex iuris diſpoſitione, ſed qui habet collatione, ab inferiori collatore, tenetur probare priuilegium, in cuius virtute facta fuit collatio. *Pariſ. conſ. 95. num. 8. vol. 4. Abb. in c. porro, de priuileg. Auth. de mandato Princip. §. deinde.*

25 Intra quod tempus debet Epiſcopus conferre beneficium?
Reſp. Intra ſex menſes à die notitię, & non vacationis computandos *c. licet, de ſupplend. neglig. Prælator. c. nulla, de conceſſione præbendæ. Bulla Pij V. de collationibus.*

36 Si Epiſcopus fuit impeditus, vel excommunicatus, currit ne tempus?
Reſp. Non, ſed numeratur totum tempus quo habuit impedimentum *c. quia diuerſitatem, de conceſſione præbendæ.*

27 Poteſt Epiſcopus conferre beneficia vacantia ob non factam publicationem reſignationis, quæ præcipitur in Bulla Greg. XIII. de reſignationibus publicandis?
Reſp. Non, ſed Papa, vt apparet in bulla reſignationibus faciendis.

28 Beneficia ſecularia cuiuſcumq; generis ſint, poſſunt nè conferri fratribus regularibus?
Reſp. Non, ſine diſpenſatione Apoſtolica. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 11. de reform.*

29 Collatio capellaniæ poteſt ne conferri ſimplici clerico?
Reſp. Poteſt, & non tenetur ſumere ordinem ſacrũ, niſi in fondatione cautum ſit, & poterit onera Miſſarum per alium ſatisfacere. *DD. ſuper c. 5. ſeſſ. 25.*

30 Collatio beneficij facta in eo, qui non habet legitimam ætatem, vel in eo, qui non habet ordinem, eſt ne valida?

℞. Non,

Reſp. Non. *Nauarr.conſ.1.de ætate,& qualitate nu.1.*

31 Si Epiſcopus conferat beneficiũ alicui abſq; mentione primi benefici, tali collatio erit ne nulla?
Reſp. Non,quia preſupponitur Epiſcopum,habuiſſe notitiam per librum viſitationis, & vbi non eſt ignorantia, non eſt defectus. *Clem.ſi.de offic.ordinarij.*

32 Epiſcopus poteſt conferre beneficia per aſcenſionem ad epiſcopatum?
℞.Non,quia Papæ ſunt reſeruata. *in Reg.8.Cancellariæ, Quaranta vbi ſup.*

33 Poteſt Epiſcopus conferre beneficia vacantia per priuationem?
Reſp. Poteſt, ſed non conſanguineo, nec familiari ſuo nec reſignatis,vt non detur occaſio, vt facilius,& citiùs ſententia priuationis detur, *Bulla Pij V.58.in §.qui verò.*

34 Poteſt ne Epiſcopus conferre beneficium eidem priuato?
Reſp. Poteſt, niſi priuatus fuerit de obtinendo in poſterum aliquod beneficium, quia tunc ſententia annullatur.

35 Si Epiſcopus conferat irregulari beneficium in caſibus occultis, in quibus ipſe poteſt diſpenſare, videtur ne ex hoc diſpenſaſſe?
Reſp. Non,quia in irregularitate requiritur expreſſa diſpenſatio, & habilitas ante collationem?

36 Poteſt ne Epiſcopus conferre beneficia abſenti?
Reſp. Poteſt, & debet prouidere, vt intra certum tempus acceptet, & ante poſſeſſionem litteræ expediendæ ſunt, & talis electus abſentes poteſt accipere poſſeſſionem per procuratorem. *c.accedens.tit.de præbendis.*

37 Poteſt Epiſcopus, ante abſentis acceptationem reuocare collationem,& alteri conferre?
Reſp. Non, quia prouiſus acquiſiuit ius per prouiſionem in eius fauorem. factam. *capit.ſi tibi abſenti, de prebend.in 6.*

38 Si de facto Epiſcopus conferat ante acceptationẽ & primus acceptet, ſecunda collatio erit ne valida?
Reſp. Non,etiam ſi fuerit ſub conditione, ſi primus non acceptauerit, vel refutauerit. *c.2.de elect.in 6. & c.2.de conceſſione præbendæ.*

39 Epiſcopus conferens beneficium, poteſt ne imponere onus fabricandi Eccleſiam dirutam?
Reſp. Minimè, quia collatio debet eſſe pura,& non conditionalis.

40 Poteſt ne Epiſcopus cõferre beneficia illegitimis?
Reſp. Vnum tantum. *cap.1.de filijs Presbyt.in 6.iuncta gloſſ.*

41 Intra quod tempus debet Epiſcopus conferre beneficia coram eo reſignata?
Reſp. Intra menſem ex Bulla Greg.XIII. de reſignationibus, & publicationibus.

42 Intra quot menſes tenetur Epiſcopus prouidere beneficia curata in ſuis menſibus vacantia?
Reſp. Intra ſex menſes, & ipſis elapſis, deuoluitur ad ſedem Apoſtolicam. *Bulla Pij V.32.in nu.*

43 Beneficia vacantia in menſibus Apoſtolicis, intra quod tempus tenetur Epiſcopus prouidere?
Reſp. Intra quatuor menſes, alias illis trãſactis abſq; ordinariorum concurſu collatio in cura fiet. *Bull. V.32.in num.*

44 Poteſt Epiſcopus conferre beneficia vacantia in Curia Romana ſuæ diœceſi,ſi vacent ſuo in menſe?
Reſp. Non,ſed Papa, *c.licet de prebend.in 6.*

45 Poteſt Epiſcopus conferre beneficia filiis hæreticorum?
Reſp. Non, neq; nepotibus. *c.ad abolendam, de hæret. Pegna.3.p.directorij Inquiſitor. conſil. 162.verſ.ad hoc collatio.*

46 Si hæreſis fuerit occulta,valebit ne collatio?
Reſp. Affirmatiuè, quia illa pœna ſolum imponitur hæretico,cui hæreſis deducta fuit in forum exteriorẽ.

47 Collatio beneficij facta excõmunicato licèt ignoret illum eſſe excommunicatum, valet ne?
℞ Non, quia excommunicatus eſt membum putridum, & ſic ex incapax beneficij, *Nauar.c.27.n.272.*

48 Collatio beneficij facta periuro tenet ne?
Reſp. Non,& erit annullanda per ſententiam. *Abb. in c.querelam, de iureiurando.*

49 Beneficia poſſunt conferri conſtituto in minoribus ordinibus ante decimum quartum annum.
Reſp. Non abſque diſpenſatione. *Trid.ſyn.ſeſſ.23.c.6.de reform.*

50 Beneficium ingredientis religionem, quando poteſt conferri?
Reſp. Sequuta profeſſione, vel ante, ſi accedat conſenſus ingredientis. *c.beneficium.de reg.iuris in 6.*

51 Vicarius poteſt ne conferre beneficia ſpectantia ad collationem Epiſcopi?
Reſp. Poteſt, ſi habeat ſpeciale mãdatum,alias non poterit.

52 Quando collatio ſpectat ad Epiſcopum, & capitulum communiter,alter ſine altero poterit ne conferre talem collationem?
Reſp. Non poterit,& collatio ab vno facta ſine alio nulla erit,& deuoluitur ad Summum Pont. *DD.ſuper c.18.ſeſſ.24.*

53 Quando collatio ſpectat ad capitulum, & intra ſpatium ſex menſium non conferat, ad quem deuoluitur collatio?
Reſp. Ad Epiſcopum, & eo negligente, ad Metropolitanum.Bulla Pij V.32.in num. & ſi conferatur a capitulo poſt ſex menſes non valebit, niſi ſit de conſenſu Epiſcopi. *c.litteras de conceſſione præbendæ c.licet c.fin.de ſupplenda neglig.prelat.*

54 In conferendis beneficijs curatis,quis ordo eſt ſeruandus?
Reſp. Poſitus *à Concil.Trid.ſynod.ſeſs. 24.cap. 18.& Bulla Pij V.* ſuper collatione beneficiorum parochialium data chalendis Aprilis 1568. *vt dixi lib.4.c.43.*

55 Quibus perſonis debent cõferri beneficia curata?
Reſp. Perſonis dignis,qui per ſe ipſos curam animarum exercere valeant, alias prouiſio erit nulla. *Trid. ſynod.ſeſ.7.c.3.de reform.*

56 Dignitates curam animarum habentes, quibus debent conferri?
Reſp. Attingentibus vigeſimum quintũ annum cum doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.12.*

57 Si Epiſcopus conferat beneficium indignis, qua pœna punitur?
Reſp. Si per concilium Prouinciale monitus talis Epiſcopus non reſipuerit, & ſe emendauerit, ſuſpenditur à collatione beneficiorum, donec per Summ. Pont.reſtituatur. *c.graue de præbendis,& dignit.*

58 Si Epiſcopus contulit alicui beneficium,quod non poterat dare,quia non erat ſuæ prouiſionis, ſed Summi Pont.ad quid tenetur?
Reſp. Ad dandum eidem perſonæ primum beneficiũ

ſuæ

ſuæ prouiſionis, quod vacauerit; ratio eſt, ne videatur fraudolenter feciſſe primam prouiſſionem, & etiam quia iam ſemel approbauit talem perſonām, non debet illam relinquere deſtitutam à congrua ſubſtentatione. *cap. inter cætera, de prebend. & dignitatibus.*

59 Si duo concurrant coram Epiſcopo in aliquo beneficio, vel dignitate, & vnus ſit ordinatus ab ipſo Epiſcopo, & alius fuit ordinatus ab alio Epiſcopo, cui debet Epiſcopus conferre tale beneficium?
Reſp. Si in cæteris qualitatibus iſti duo ſint æquales vel quaſi æquales, Epiſcopus debet conferre beneficium ordinato à ſe; ratio eſt, quia illum habet tanquam filium,& tenetur eum quoda modo alere; quia intercedit quodam vinculum reuerentiæ, & amoris inter Epiſcopum, & ordinatum, ſicut inter patrem, & filium.

60 Beneficium non vacans poteſt ne conferri certæ perſonæ?
Reſp. Non,ſed benè poterit collegio perpetuo vniri. *Abbas in capit.cum veniſſet numero 10. de reſtitut. ſpoliator.*

CAPVT LIV.

De Alternatiua.

1 IN quibus menſibus poteſt Epiſcopus conferre beneficia?
Reſp. Regulariter in quatuor menſibus, videlicet, Martij, Iunij, Septembris, & Decembris. *Quaranta reg. Cancellariæ.8.Clem.8.*

2 Epiſcopus, qui gaudet alternatiua, in quibus mēſibus poteſt confere beneficia?
Reſp. In ſex menſibus videlicet, Februarij, Aprilis, Iunij, Auguſti, Octobris, Decembris. *d.Reg.8.Cancell. §.inſuper.*

3 Quid debet agere Epiſcopus, vt gaudeat alternatiua?
Reſp. Duo. Primò reſidere verè, & realiter in ſua Eccleſia, & diœceſi. Secundò acceptare alternatiuam,& facere inſtrumentum acceptionis ſigillo proprio munitum, ſua manu ſubſcriptum, datum in aliquo loco ſuæ diœceſis, & tranſmittere ad datarium Papæ, & poſtquam fuerit in dataria recognitum, & regiſtratum, gaudebit priuilegio alternatiuæ; & non ante, & hoc expreſsè diſponitur in eadem *reg.8.cancellariæ.*

4 Si Epiſcopus abſit ex cauſa neceſſaria à ſua Eccleſia, vel ex mandato ſedis Apoſtolicæ, poterit ne gaudere priuilegio alternatiuæ, quam in Curia acceptauit?
Reſp. Non,quia conditio reſidendi eſt taxatiua, quæ excludit, & negat omne aliud tempus,& aliam cauſam. *Bartbol.in leg.1.num.1.ff. ſi quis ius dicenti non obtemperauit.Ruyn.conſ.133.num.6.vol.1.*

5 Si Epiſcopus abſens a ſua diœceſi breui tempore, & relinqua familiam in ſuo palatio veluti per viginti dies, vel triginta, & tempore abſentiæ vacauerint beneficia in menſibus alternatiuæ, poterit ne illa prouidere.
Reſp. Benè poterit, quia in ciuitate dicitur manere, licet ibi non ſit præſens, quia habet familiam in ciuitates. *Bartbol.in l.1.num.7.ff. de liberis agnoſcendis. Felyn.in cap.quoniam frequenter num.10.vt lite non conteſtata.Triden.ſyn.ſeſſ.23.c.1.de refor.*

CAPVT LV.

De permutationibus.

1 QVid eſt permutatio de iure ciuili?
℞. Eſt certa rei ad alterā mutua præſtatio. *L.1 ff.de rerum permutat.*

2 Quid eſt permutatio de iure Canonico?
Reſp. Vnum pro altero beneficio accipere. *Mandoſius de ſignatu. gratia.tit.de permut. beneficior.*

3 Quid requiritur in permutatione?
℞. Beneficium ab vtraq; parte,& cauſa cognita, & probata ab eo,qui debet admittere permutationem,

4 Quotuplex eſt permutatio?
Reſp. Duplex, alia ſimplex, quando vnum beneficium pro altero ſimpliciter permutatur; alia nō ſimplex quando in permutatione reſeruatur aliqua penſio, vel fit cum pacto, vt vnus ſoluat alteri expenſas bullarum, quæ conditiones exprimi debent in permutatione beneficiorum.

5 Epiſcopus poterit accipere reſignationes factas in manibus ſui cauſa permutationis?
Reſp. Poterit,ſi permutationes ſint ſimplices. *Clem. vnica, de permutatione. lib.6.*

6 Quibus poterit epiſcopus conferre talia beneficia cauſa permutationis reſignata?
Reſp. Ipſis permutatis,& non alijs. *Clement.vnica de permutatione. lib.6.Bulla Pij V.de reſignatione. Abbas in capit.inter cetera, de prabendis, & dignitatibus.*

7 Beneficium Iuris patronatus poteſt permutari ſine licentia patroni, ab epiſcopo conferri?
Reſp. Generaliter loquendo non; *Pariſ.lib.2. quæſt. 4.num.10.de reſignat.beneficiorum.*

8 In quibus caſibus poterit epiſcopus ſine conſenſu patroni conferre beneficium Iuris patronatus?
Reſp. Primò, quando patronus vocatus eſt peremptoriæ cum expreſſione cauſe, & non comparet. Secundo quando permutatio fit cum clauſula, ſi patrono placuerit; tunc enim permutans effugiet pœnas. Tertiò, ſi fiat magna vtilitas Eccleſiæ, puta ſi ſint hæretici, & ſi ſit magnus Theologus, qui accipit beneficium, vel exemplaris vitæ, & magne ſanctitatis. Quartò, ſi Romanus Pontifex in expeditione,& Bulla derogat Iuripatronatus, ſpeciatim. *Pariſ.in tit.9.cit.de benef.reſignat.& alij.*

9 Permutatio poteſt ne impediri ab his, qui expectant beneficia, vel prebændas primò vacaturas authoritate Apoſtolica?
Reſp. Non *c.2. de renuntiatione in 6.* ratio eſt, quia cum damno obtinentium Summus Pontif. non facit gratiam præbendæ primo vacaturæ.

10 Si permutatio non habeat effectum, & ambo volunt redire ad ſua beneficia, indiget ne noua collatione?
Reſp. De conſuetudine non Rebuffus, de permutatio-

tatione *num. 12. Ioannes Andrea in capit. vnico, de rerum permutat.*

CAPVT LVI.

De renuntiationibus.

1 QVid eſt renuntiatio?
℞. Iuris proprij, ſeù rei perſonæ ſpontanea repudiatio, *cap. cum periculoſum, 7. q. 1. & Bertachinus verbo renuntiatio, citans dictum caput.*

2 Quotuplex eſt renuntiatio?
Reſp. Duplex, expreſſa, quando fit in ſcriptis verbis expreſſis; tacita, quando fit ſine verbis, vt per ingreſſum, vel adoptionem beneficij incompatibili.

3 Quæ differentia eſt inter renuntiationem, & reſignationem?
Reſp. Magna; nam reſignatio ſemper eſt in fauorē certæ perſonæ nominatæ à reſignate; renuntiatio verò non eſt in fauorem alicuius perſonæ, vt ſuperior liberè prouideat, quem voluerit. Iterum reſignatio ſemper eſt de re, vel beneficio iam poſſeſſo; renuntiatio verò aliquando eſt de Iure poſſidendi. *Goffred. verb. renuntiatio.*

4 Papa poteſt renuntiare papatui?
Reſp. Poteſt, & illum non poterit iterum reaſſumere, ſed nō poterit reſignare in fauorē alicuius perſonæ, cum ipſe ſibi non poſſit eligere ſucceſſorem. *Felyn. c. 1. de conſtit. col. 42. c. Apoſtolica 8. q. 1.*

5 Epiſcopus poteſt abſque licentia renuntiare ſuæ Eccleſiæ, vel eadem cedere?
Reſp. Non, imò illi dari non poteſt niſi cauſa ſenectutis. *cap. 1. eod.*

6 Beneficiatus poteſt renuntiare beneficio ſine licentia ſuperioris?
Reſp. Non *c. admonet eod tit.*

7 Renuntiatio beneficij in manibus laici valet ne?
Reſp. Non, & renuntians priuatur beneficio. *c. quod in nobis, de renunt.*

8 Qui habet renuntiandi licentiam, & reſpuit, poteſt ne compelli?
Reſp. Poteſt. *c. quidam. eod. tit.*

9 Qui renuntiat beneficio, & iurat renuntiationem, poterit ne iterum admitti de conſenſu maiori partis capituli?
Reſp. Poterit, cum iuramentum non extendatur vltra id, quod profertur. *cap. cum, de renunt.* ſed ipſe illud repetere non poteſt ſine conſenſu capituli. *c. ex tranſmiſſa, eod. tit.*

10 Quæ eſt cauſa, propter quam Papa poteſt concedere, vt Epiſcopatus cedat Eccleſiæ?
Reſp. Si probabiliter, timeat mortē, aut non habeat, vnde ſuſtentetur. *c. ad ſupplicationem eod. titul.* & ſunt etiam aliæ ſex cauſæ, propter quas Papa concedit licentiam, his verſibus contentę. Debilis, ignarus, conſcius, irregularis, quem mala plebes odit, dans ſcandala cedere poſſit. *c. nili cum pridem eod. tit.*

11 Ex quibus cauſis poteſt Epiſcopus mutari ex vna Eccleſiam in alteram?
Reſp. Non auaritiæ, maioris lucri, dominationis, vel declarationis, ſed ſolum ex cauſa neceſſitatis, vel vtilitatis. *c. mutationes, 7. q. 1.*

12 Si aliquis Epiſcopus renuntiauit propter crimen, poterit reaſſumere?
Reſp. Non, ſecus autem ſi propter infirmitatem, vel defectum ſcientiæ, quæ tempore tolli poterat. *cap. poſt tranſlationem, eod. tit.*

13 Poteſt, ne quis priuari beneficio ſuo propter infirmitatem?
Reſp. Non. *c. Pontifices 7. q. 1.* ſed poteſt illi dari coadiutor. *q. 7. q. 1. petiſti.*

14 Qui ſponte renuntiauit electioni de factæ, poterit iterum eligi?
Reſp. Non. *c. in præſentia eod tit de renuntiatione.*

15 Si aliquis renuntiauit litteris beneficialibus, & ante renuntiationem factam eſt inſtitutio, videtur ne renuntiaſſe inſtitutioni?
Reſp. Non quia renuntiatio tantum valet quantum ſonat. *capit. ſane eod. tit.*

16 In vna, eademque Eccleſia poſſunt ne eſſe duo Epiſcopi?
Reſp. Non. *c. in apibus 7. q. 1.*

17 Illegitimus poteſt renuntiare beneficio, ad quod fuit diſpenſatus ex cauſa permutationis.
Reſp. Non, quia gratia diſpenſationis verificata eſt inprimo actu, & ſic neceſſariò debet exprimere, quod diſpenſatus fuit ad talem beneficium, & valorem primi, & ſecundi beneficij, vt congrue ſubſtentetur.

CAPVT LVII.

De reſignationibus.

1 QVid eſt acceſſus?
℞. Acceſſus eſt quando Summus Pont. beneficium puero non habenti ætatem concedit, & iſte acceſſus ſublatus eſt per *Trid. ſyn. c. 7. ſeſs. 25. de reformat.*

2 Quid eſt regreſſus?
Reſp. Quando Summus Pont. concedit alicui ſucceſſionē alicuius beneficij, vt illud poſſideat poſt mortē alicuius, & hoc ſublatū eſt per *Conc. Trid. c. 7. ſeſ. 25*

3 Quid eſt reſignatio?
Reſp. Iuris proprij ſpontanea refutatio.

4 Quotuplex eſt reſignatio?
Reſp. Duplex, abſoluta, quando quis ſine aliqua cōditione reſignat; conditionalis eſt, quando quis reſignat ſeruando ſibi aliquam penſionem. *cap. tua nos de ſimonia. Puteus. dec. 158. lib. 3.*

5 Poteſt Epiſcopus admittere reſignationes beneficiorum?
Reſp. Poteſt, ſiue ſint ſimplicia, ſiue curata, dummodo reſignatio fiat ſine nominatione perſonæ, nec reſeruatione perſonæ. *Bulla Pij V. quæ incipit, quanta Eccleſiæ Dei 58.*

6 Quibus ex cauſis poteſt Epiſcopus admittere reſignationes?
Reſp. Ex cauſis à Iure expreſſis, nempè quando de iure, vel de facto inſeruire Eccleſiæ nō poſſunt, puta quia ſunt crimine, vel cenſura irretiti, vel habent duo incompatibilia, vel volunt ingredi religionem, vel

contrahere

contrahere matrimonium, aut habent graues inimicitias, vel ſenio ſunt confecti, vel nimia infirmitate impediti. *d. Bulla Pij V.*

7 Quæ crimina erunt cauſæ ſufficientes ad admittēdam reſignationem beneficiorum?
Reſp. Si ſit adulter, homicida, ſimoniacus, concubinarius exul, irregularis, ſi ſcandaloſè viuat. *Pariſ. de reſignat. beneficior. lib. 5. 6. q. Abb. cap. 1. de iudicijs, & Steph. Quaranta in tract. de benefic. reſignatione.*

8 Quæ debilitas corporis requiritur, vt ſit cauſa ſufficiens ad reſignationem?
Reſp. Quælibet debilitas impediens ſeruitium Eccleſiæ, ſiue proueniat ex ſenectute, ſiue ex morbo accidentali. *c. niſi §. alia de renunt.*

9 Qui defectus ſcientiæ requiritur ad reſignationē, & renuntiationem?
Reſp. Quando caret ſcientia mediocri. *c. cum nobis, de elect. c. venerabilis de præbend.*

10 Quomodo debent intelligi inimicitiæ, malitiæ plebis ad hoc, vt ſint cauſę renuntiationis?
Reſp. Quando inimicitiæ ſunt tam arduæ, & plebs tam duræ ceruicis, & homines tantæ malitię, vt apud ipſos amplius proficere Prælatus non poſſit. *Steph. Quaranta in tit. de benef. reſignatione. §. qui etiam.*

11 Quod ſcandalum eſt ſufficiens ad renunciationē?
℞. Non intelligitur de omni ſcandalo, ſed de illo, quod ſedari non poteſt abſq; peccato mortali. *Steph. Quaranta vbi ſup.*

12 Quando quis renuntiat beneficio, vſque ad quem diem percipit fructum?
Reſp. Ex communi ſententia vſq; ad extenſionem conſenſu.

13 Si quis locauit ad triennium ſuum beneficium, & poſtea illud reſignet, reſignatarius de nouo intrans tenebitur ne locationi?
℞. Non, niſi ſit in vtilitatem Eccleſiæ.

14 Si in reſignatione committitur ſimonia, reſtituitur beneficium ad reſignantem?
℞. Non ſed vacat, vt dixi *lib. 3. c. de ſimonia.*

15 Quibus poteſt conferre epiſcopus beneficium ſibi reſignatum?
℞. Quibuſcunq; idoneis perſonis ſimpliciter, ſed nō ſuis conſanguineis, & nec familiaribus ſub pæna ſuſpenſionis à collatione beneficiorum, neque conſanguineis reſignantis, neq; familiaribus, cum tales non nominentur in reſignatione, quia hoc eſt prohibitū in dicta Bulla Pij V. quæ incipit, quanta Eccleſiæ commoda, & tenet Quaranta *in tit. de benef. reſignat. §. cęterum. fol.* 102.

16 Si quis committat aliquis delictum, cuius pęna ſit priuatio beneficiorum, poterit ne talis lite pendēte de Inquiſitione reſignare ſua beneficia in fauorem alicuius?
℞. Poterit, etiam poſt ſententiam, appellatione pēdente reſignare ſua beneficia in manibus Epiſcopi ſimpliciter, & in manibus Summi Pont. in fauorem alicuius perſonæ; ratio eſt, quia nemo priuatur ſuo beneficio, & ſuo iure vſq; ad ſententiam vltimam definitiuam. *Quaranta de benefic. de reſignat. fol.* 104. *Boer. dec.* 205. *Lancell. de attentatis. c.* 5 *nu.* 10.

17 Reſignans beneficium in manibus ordinarij poterit ne iterum idem beneficium recuperare?
℞. Non, vt tollatur omnis fraus, & dolus. *Pariſ. tract. de benef. reſig. q. 6. nu. 12. Quarant. eod. tract. §. circa renuntiationem.*

18 Si procurator ad reſignandum beneficium reuocetur, valet ne reſignatio?
℞. Si reuocatio non fuit notificata procuratori antequam extendat conſenſum, valebit tali reſignatio; *Puteus dec. 428. lib. 1. Pariſius de reſignatione beneficiorum lib. 9. quæſt. 27. num. 1.*

19 Si quis obtineat licentiam à Papa ad reſignandum, & poſtea eum pœnitet, & reuocat, poterit Papa eum compellere?
℞. Affirmatiuè, quia Papa ſemper conſiderat commodum Eccleſiæ, & quod primum fuit voluntariū, poſtea eſt neceſſarium. *capitul. quidam. de renuntiatione.*

20 Si Epiſcopus ſit intra curiam, poterit ne admittere reſignationem beneficij ſuę diœceſis?
℞. Affirmatiuè, ſed debet exire extra mœnia vrbis ob reuerentiam Papæ ad ea conferenda.

21 Capitulum ſede vacante poterit ne admittere reſignationem?
℞. Poterit, ex cauſa, quia ſuccedit Epiſcopo in omni iuriſdictione.

22 Capitulum ſede vacante poterit præſtare authoritatem permutationi præſtitæ?
℞. Poteſt, illis beneficijs exceptis, quorum collatio, electio, ſeù præſentatio pertinet ad ſolum Epiſcopū, quia in illis capitulum non ſuccedit, ſed neceſſariò expectandus eſt Epiſcopus de nouo intrans. *Abb. in Clementina vnica. de rerum permutatione, nu. 7.*

23 Si reſignatio, & permutatio completa ſit ex vna parte, & per alteram ſtet, quo minus adimpleatur, debet ne reſtitui pars ad ſuum beneficium?
℞. Debet; quia durum eſſet, vt abſq; ſua culpa perderet ſuum beneficium. *cap. cum vniuerſorum, de rerum permutatione. capitul. propoſuit de conceſſione præbend.*

24 Quotuplex eſt renuntiatio?
℞. Duplex, expreſſa, quando ſit in ſcriptis, vel verbis expreſſis, tacita, per ingreſſum religionis per crimen commiſſum, & per ademptionem beneficij incompatibili. *Doct. in c. cum vniuerſorum.*

25 Quid requiritur ad hoc, vt renuntiatio teneat?
℞. Vt fiat ſcienter, ſpontè, purè in ſcriptis, & quòd renuntians poſſit renuntiare.

26 Poteſt Epiſcopus renuntiare Epiſcopatum?
℞. Poterit ex cauſis contentis in *cap. niſi de renuntiatione?*

27 Illegitimus poteſt renuntiare beneficium, ad quod fuit diſpenſatus ex cauſa permutationis?
℞. Non, quia gratia diſpenſationis verificata fuit in primo actu.

CAPVT LVIII.

De publicationibus faciēdis.

1 INtra quod tempus debet fieri reſignationis publicatio?
℞. Intra nouem menſes à die datæ citra montes, *ex bulla Greg. XIII. 87. in num.*

2 Quomodo fit reſignationis, vel permutationis publicatio?

℞. Si ſint

Reſp. Si ſint in manibus ordinarij, debent fieri die feſtiuo, vel dominico in Eccleſia, & affigi ad portas Eccleſiæ, & de his Notarius debet facere fidem. *Bulla Gregorij XIII. in num. 87. Bullæ Pij V. ſuper admittendis reſignationibus* 58.

3 Quomodo debet fieri publicatio reſignationis, vel permutationis?

Reſp. Siue facta fuerit in manibus Apoſtolicis, vel ordinarijs, debet fieri talis publicatio in Cathedrali, & affigi in portis Eccleſię ipſius beneficij, & legi bulla reſignationis die feſtiuo, vel dominico, in Miſſa maiori, & Notarius de ijs debet facere fidem. *Bulla Greg. XIII.* 87. *in Bull. Pij V.* ſuper admittendis reſignationibus, quod etiam fieri debet cum eo, qui habet beneficium litigioſum.

4 Si beneficium ſit rurale, & nō habeat Eccleſiam, vel ſit bellum, vel peſtis, quid agendum?

Reſp. Si ſit rurale beneficium, publicatio fiat in Eccleſia parochiali proximiori: ſi ſit bellum, vel peſtis, debet ſumi teſtimonium, & fieri publicatio in proximiore Cathedrali, vel Parochiali; vt patet ex ſupradicta bulla §. ſi verò Eccleſia.

5 Si quis reſignet beneficium, & non faciat publicationem intra tempus debitum, quam pœnam incurrit?

Reſp. Beneficium ipſo iure vacat ad prouiſionem ſedis Apoſtolicæ, & neque reſignans, nec ille, in cuius fauore reſignatū eſt, poterunt illud retinere. *d. Bulla.*

6 Coadiutoriæ ſunt publicandæ?

Reſp. Affirmatiuè; quia vbi eadem ratio, idem Ius eſſe debet illud. *ff. ad legem Aquiliam, Crauetta conſil.* 183. *num.* 5. licèt aliqui dicant coadiutoria non cadere ſub dicta conſtitutione de publicandis reſignationibus, ſed ſecurius eſt eas publicare.

7 Regula de triennali quibus non ſuffragatur?

Reſp. Illis, qui non faciunt dictam publicationem reſignationis; ratio eſt, quia in duobus caſibus non ſuffragatur in his, qui per ſimoniam obtinuerunt beneficia: Secundo, non ſuffragatur his, qui obtinent ſine titulo beneficia reſeruata ſedi Apoſtolicæ: & quia, qui non facit publicationem ex dicta bulla, perdidit titulum, ideò illi ſuffragatur regula de triēnali. *tenet dicta Bulla Gregorij XIII. §. quòd ſi quidquam. Pariſius conſil. 176. & 185. lib. 4. Put. diſt. 250. lib. 2.*

CAPVT LIX.

De vnionibus.

1 QVid eſt Vnio?

Reſp. Aggregatio vnius beneficij ad alterum facta ob vtilitatem, vel neceſſitatem Eccleſiæ. *Vgolinus de officio, & poteſt. Epiſcopi fol.* 138.

2 Quotuplex eſt vnio?

Reſp. Duplex, alia tacita, alia expreſſa; tacita eſt, quando quis reſignat beneficium in fauorē capituli, vel monaſterij ſine aliqua expreſſione; expreſſa eſt, quando reſignat cum clauſula, quòd tale beneficium amplius non vacet. *Bulla Pauli II. in ordine 8. Pariſius de reſignatione beneficiorum lib. 4. q. 10.*

3 Quis poteſt vnire, & in quas cauſas, & in cuius fauorem?

Reſp. Summus Pontifex pro ſua voluntate abſq; expreſſione cauſæ, & Epiſcopus ob neceſſitatem, paupertatem, vel vtilitatem alicuius Eccleſiæ; vt Parochus commodè ſubſtentetur, vel in fauorem Seminarij. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 13. de refor. Abb. c. cum noſtris, de conceſſione præb. num.* 15.

4 Eccleſia non vacans poteſt ne vniri cum alia ab Epiſcopo, Rectore non vocato?

Reſp. Poteſt, ſed debet vnio à ſede Apoſtolica confirmari. *Abb. in c. conſultationibus. n. 3. de donationibus.*

5 Quid debet Epiſcopus attendere, quando facit vnionem?

Reſp. Debet prouidere, vt onera beneficiorum ſuppreſſorum ſubſtententur, & nō pereant, & exprimere cauſam vnionis, & eam a Summo Pont. confirmari. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 13. ſeſſ. 23. c. 18. de refor.*

6 Beneficium non vacans poteſt ne conferri certæ perſonæ?

Reſp. Non, ſed poterit vniri Collegio, vel Seminario. *Abb. c. cum veniſſet de reſtitutione ſpoliat. num.* 10.

7 Facultas vniendi duas parochiales data Epiſcopo *à Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 5.* intelligitur de parochialibus, quæ actu habent Parochos, vel de parochialibus, quę in potentia poſſunt illos habere?

℟. Solū de parochialibus habētibus actu parochos, quia in illo textu prouidetur neceſſitati præſenti.

8 Si aliqua parochialis ſit tenuis, poterit nè illi altera parochialis tenuis vniri, vt ex vtraque ſufficiat ſubſtentatio Parochi?

Reſp. Poterit, & ſi non ſufficiat, poterit iterum vti remedijs poſitis *in c. 13. ſeſ. 24. de refor. Trid. ſyn.*

9 Si parochialis ſit tenuis, poterit nè Epiſcopus vnire illi beneficia ſimplicia, etiam reſeruata?

Reſp. Poteſt, aut aſſignare primitias, decimas, vel collectas ſuper parochianos, ita vt ſufficiens portio parocho aſſignetur. *Trid. ſyn. ſeſ. 24. c.* 13. ſed non poteſt vnire parochialibus beneficia regularia, vel quæ vnita ſunt Cathedralibus, vel Collegiatis, quia hæc omnia ſunt excepta *à Trid. ſyn. ſeſs. 24. c.* 13.

10 Quæ beneficia non poteſt Epiſcopus vnire?

℟. Primò, nō poteſt vnire beneficia curata ſimplicia. Secundò, non poteſt vnire regularibus beneficia ſimplicia, nec curata. Tertiò, nec beneficia alterius diœceſis. Quartò, nec beneficia Iuris patronatus laicorum. Quintò, nec aliqua beneficia ſuæ menſæ, ſiue ſimplicia ſint, ſiue curata, hoc enim ſpectat ad Summum Pont. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. c. 13. ſeſſ. 23. c. 18. de ref.*

11 Quis poteſt vniones factas reuidere?

Reſp. Epiſcopus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 13. & ſeſſ. 7. c. 7. c. 6. de reform.*

12 A quo tempore poſſunt vniones ab Epiſcopo examinari?

Reſp. A quadraginta annis ante concilium, & ſi fuerint ſubreptitiæ, poteſt illas irritas declarare, ſed non poteſt examinare vniones factas ante quadraginta annos à die publicationis Conc. Trident. numeratos, quia iam gaudent priuilegio immemorabili.

13 Vniones, quæ ſunt non ſortitæ ſuum effectum, vel quæ deinceps conceſſę fuerint, debent ne ab Epiſcopis executioni mandari?

Reſp. Non, imò cum vacauerint beneficia, liberè vt antea conferantur, niſi Papa in ſuis Bullis expreſſam faciat mentionem, Conc. Trident. diſpenſando,

vt habetur in Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.9.de reform.

14 Quando vna Eccleſia vnitur alteri, quę ſolemnitates requiruntur?

Reſp. Requiruntur illæ ſolemnitates, quæ requiruntur in alienatione rei Eccleſiaſticæ, quia talis vnio eſt alienatio perpetua, de quibus dixi *lib.3.cap fin. & tenet Abb.in c.tua nuper.de his, quæ fiunt à prælatis ſine conſenſu capituli, num.4.& 1.*

15 Si aliquis patronus habeat in aliqua Eccleſia decimas, & oblationes, poterit nè Epiſcopus de conſenſu ipſius patroni ſine conſenſu capituli, eas vnire alicui monaſterio, vel pio loco?

Reſp. Non, quia cum iſta vnio ſit alienatio perpetua, neceſſe requiritur conſenſus capituli, & aliæ ſolemnitates. *cap.paſtoralis, de his, quæ fiunt à prælatis ſine conſenſu cap.*

16 Quis poteſt compellere clericos, vt exhibeant diſpenſationes ad beneficia incompatibilia obtinēda?

Reſp. Epiſcopus, & poteſt eis ponere Vicariū idoneum cum congrua aſſignatione fructuum ſine appellatione. *Trid.ſyn.ſeſſ.7. cap.5.*

CAPVT LX.

De Pręedicatoribus in Eccleſijs Cathedralibus, & Parochialibus tempore Quadrageſimæ, & Aduentus.

1 EPiſcopus tenetur prædicare per ſe ipſum?

Reſp. Tenetur, & ſi impeditus fuerit, viros idoneos deputare, qui eius vices ſuppleāt, & eos alere. *Trid.ſyn.ſeſſ.5.c.2.de reform.*

2 Si parochus per ſe ipſum vult prædicare, debet ne à populo, vel ab Epiſcopo alius prædicator admitti?

Reſp. Si ſit idoneus ipſe eſt præferendus, & non prohibendus, quia facit officium ſuū. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.4.*

3 Diaconus poteſt prædicare?

Reſp. Poteſt, quia in ordine datur ei officium cum approbatione Epiſcopi.

4 Poterit Epiſcopus committere prædicationē laico, qui non ſit in ſacris?

Reſp. Laico non, ſed benè Clerico, qui non ſit in ſacris, ſi doctrina, & ſanctitate polleat, *ex declarat. Cardinal. interpræ. Conc.*

5 Prædicatores omnes à quo debent examinari, & approbari?

Reſp. Ab Epiſcopo, tam ſæculares, quàm regulares, etiamſi habeant licentiam ab alijs Epiſcopis prædicandi in ſuis diœceſibus, & debent ab eo benedictionem, & licentiam in ſcriptis accipere, alias non ſunt admittendi, quia licentia aliorum Epiſcoporum non extenditur ad alienas diœceſes, *ſyn.ſeſſ.5.c.2. & ſeſſ. 24.c.4. Quaranta verb.prædicator.fol. 398. Bulla Leonis X. incipiens ſupernæ, & infra.*

6 Quo tempore debet prædicari?

Reſp. In Quadrageſima, Aduentu, Dominicis, & feſtiuis diebus, *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.4.*

7 Quis poteſt nominare pręedicatores in Cathedralibus tempore Quadrageſimæ, & Aduentus?

Reſp. Solus Epiſcopus, & non capitulum non obſtante conſuetudine immemorabili in contrarium.

8 Quis debet nominare prædicatores in Eccleſijs, quæ non ſunt Cathedrales?

Reſp. Epiſcopus, vel populus, qui erogat illis eleemoſinam ad eorum ſubſtentationem.

9 In Eccleſijs, quæ non ſunt Cathedrales, eſt ne ſublata conſuetudo immemorabili, vt populi, & ciuitates eligant prædicatorem, & Epiſcopo præſentent?

Reſp. Non, ſed tenentur illum alere, & adhoc cogi poſſunt ab Epiſcopo.

10 Si Epiſcopus velit in oppidis ſuæ diœceſis, vbi eſt conſuetudo, vt populus nominet Prædicatorem, poterit ne ipſe eum nominare?

Reſp. Si Epiſcopus eum ſubſtentare velit, poterit, ſi verò non, debet obſeruare conſuetudinem, & acceptare nominationem populi.

11 Populus poteſt cogi pœnis, vel cenſuris ad audiēdam Miſſam, concionem, vel doctrinam?

Reſp. Non, ſed ſolum moneri debet, & licèt non pareat monitioni, non eſt excommunicandus.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS DE CAVSIS ECCLESIASTICIS.

Et de delictis Clericorum, & pœnis.

CAPVT PRIMVM.

De cauſis Eccleſiaſticis.

1 Cauſæ omnes Eccleſiaſticæ, coram quo Iudice debent tractari?
Reſp. Coram ordinario. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 20. de reform.*

2 Iudex Eccleſiaſticus quot modis poteſt procedere in delictis Clericorum?
Reſp. Tribus modis. Primo ad inſtantiam partis. Secundo ex officio. Tertio ad inſtantiam fiſci. *cap. qualiter, & quando il ſecundo, de accuſat. Iulius Clarus in pract. crim. q. 3. §. fin.*

3 Quæ ſunt cauſæ, quæ poſſunt tractari coram alio Iudice præter ordinarium?
Reſp. Quæ iuxta canonicas ſanctiones apud ſedem Apoſtolicam ſunt tractandæ, vel quas Papa ex vrgenti, & rationabili cauſa, commiſſione, manu propria ſignatas ſibi auocauerit. *Trident. ſynod. ſeſſ. 24. cap. 20.*

4 Quæ cauſæ etiam excipiuntur, quæ non debent tractari coram ordinario in prima inſtantia?
Reſp. Cauſæ ſtudentium in vniuerſitatibus, quæ vigore conſeruatoriæ tractantur coram ſuo Iudice tam in poſſeſſione, quam in proprietate. *Doctorum ſuper cap. 20.*

5 Intra quod tempus debent fieri cauſæ Eccleſiaſticæ?
Reſp. Intra biennium à die motæ litis, quo tranſacto licitum eſt partibus ad iudices ſuperiores accurrere, & appellare, & debent ſumere litem in eo ſtatu, in quo eſt. *Trid. ſynod. ſeſs. 24. c. 20.*

6 Si per Iudicem non ſtat, quo minus cauſa finiatur intra biennium, poterit nè ab legitimè appellari?
Reſp. Quotieſcumque partes diligentiam non fecerunt, vt cauſa eſſet concluſa, non poſſunt appellare, ſed ſi cauſa non eſt concluſa, & biennium finitum, legitimè poterunt appellare.

7 Inhibitiones, quæ dantur à Metropolitano, quid debent continere?
Reſp. Neceſſariò debent continere diffinitiuam ſententiam ad grauamen irreparabile per diffinitiuam, alias nullæ ſunt.

8 Quando Iudex ad quem poteſt inhibere iudicem à quo?
Reſp. Quando appellatio eſt iuſta, & cauſa appellationis cognita ab ipſo Iudice ad quem, & citata parte contraria, & non antea. *Abbas in capit. ſuper eo, de appellationibus, capitul. Romana, de appellat. in 6.*

9 Si Iudex à quo reuocat decretum per ipſum factum, à quo legitimè fuit appellatum, poterit ipſe iudex à quo procedere in eadem cauſa, & illam finire?
Reſp. Poterit, & tunc cauſa non deuoluitur ad Iudicem ad quem; ratio eſt, quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus. *c. cum ceſſante cauſa, de appellationibus.*

10 Iudex ad quem, poteſt determinare cauſa appellationis in prima inſtantia non viſo proceſſu?
Reſp. Non, imò appellans tenetur acta ſuis expenſis producere, & portare ex Iudice à quo ad Iudicem ad quem, & Iudex à quo tenetur gratis poſtulanti exhibere. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 3.*

11 Quid requiritur in inhibitione, vt ſit iuſtificata, & ſuos operetur effectus?
Reſp. Primò, quòd Iudex ad quem ſit ſuperior. Secundò, quòd inhibitio totum negotium comprehendat. Tertiò, quòd concedatur parti, cuius intereſt. Quartò, quòd duret officium iudicis inhibentis. *C[illegible] de Graſſis dec. 109. de appell.*

12 Si quis appellat ad Metropolitanum, vel Nuntiũ, talis ſuperior poterit nè eximere appellantem à iuriſdictione ſui Epiſcopi in alijs negotijs, ſaltem durante ea lite?
Reſp. Non: quia hoc eſt prohibitum, & per appellationem non eximitur quis à iuriſdictione ſui iudicis.

13 Si quis appellat de vno negotio, poterit nè coram eodem iudice conueniri, & de alio puniri?
Reſp. Poterit, cum per appellationem à iuriſdictione non liberetur. *cap. propoſuit nobis. cap. præterea de appellat.*

14 Quando appellatur in criminalibus ad Romanam Curiam, cui debet committi in partibus?
Reſp. Archiepiſcopo, vel eius Vicario; ſed ex cauſa poteſt committi alteri viciniori Epiſcopo, & eius Vicario, ſed non inferiori. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 2. de reform.*

15 Si Clericus conſentiat, vt ſua cauſa in criminalibus in prima inſtantia tractetur coram Auditore Cameræ, vel Metropolitano, vel alio Iudice ſuperiore, poterit nè tractari?
Reſp. Non, niſi etiam conſentiat Epiſcopus; quia agitur de eius iuriſdictione, vel ſit commiſſio ſpecialis Papæ propria manu ſignata.

16 Delegationes in cauſis criminalibus in Curia Romana, vel a Nũtiis, vel Legatis factæ alijs iudicibus, & non ordinarijs, vel ſynodalibus, quã vim habent?
℞. Iſtæ tales delegationes cẽſentur ſubreptitię, quia non eſt credibile, vt iudices ſuperiores velint eximere illum reum, & ſubditũ à iuriſdictione ſui Epiſcopi, cum proprius paſtor poſſit mederi illã ouẽ melius,

quam alienus, cui nō incumbit cura illius ouis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 10. de reform.*

17 Quis debet cognoſcere de reſcripto appellationis a ſummo Pont. in rebus criminalibus impetrato?
Reſp. Solus Epiſcopus. *Trident. ſynod. ſeſſ. 13. cap. 5. de reformat.*

18 Intra quas dietas debet committi cauſa appellationis in criminalibus?
Reſp. Intra duas. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 2. de reform.*

19 Quando appellatur ab excommunicatione, vel tortura, vel carceratione, quomodo eſt procedendū?
Reſp. Tunc petenda ſunt acta, & Iudex non eſt inhibendus, niſi viſis actis, & ſi apparet grauamen, inhibitio datur.

20 Si quis incarceratus appellet, debet nè excarcerari?
Reſp. Non; donec viſis actis à ſuperiore aliud fuerit ordinatum. *Quaranta in ſum. Bullarum, verbo Archiepiſcopi authoritas. fol. 69.*

21 Si quis excommunicatus appellauerit, quis debet eum abſoluere, Iudex ſuperior, an inferior?
Reſp. Si viſis actis repertum fuerit, ſententiam excommunicationis fuiſſe iuſtam, remitti debet ad Iudicem inferiorem, vt ab eo accipiat abſolutionem; ſi verò repertum fuerit, iniuſtam fuiſſe ſentētiam, tunc Iudex ſuperior poterit eū abſoluere, & ſi dubitetur, debet eum remittere ad Iudicem inferiorem, vt intra breue tempus eum abſoluat.

22 Contra contumacē debet nè admitti appellatio?
Reſp. Dum appellans perſtiterit in contumacia, nec debet dari inhibitio, neque recipi appellatio. *Steph. Quaranta in ſum. Bullar. verb. Archiepiſcopi authoritas, vbi ſup.*

23 Poteſt nè quis abſolui ad cautelam, etiam ſi non ſit excommunicatus?
Reſp. Poteſt: *Decian. in capit. ad præſentiam, de appellationibus.*

24 Abſolutio ad cautelam quomodò debet dari, & quando?
Reſp. Quando dubitatur de iuſta cauſa excommunicationis, & tunc viſis actis, parte citata, præſtita cautione de parendo mandato, per breue tempus ad reſidentiam, expenſis ſatisfactis. *Quaranta in verbo Archiepiſcopi authoritas, num. 14.*

25 Si aliquis Epiſcopus habeat priuilegium Apoſtolicum corrigendi Clericos ſibi non ſubditos, & voluerit punire, & procedere contra aliquem Clericum ſibi non ſubditum pro aliquo crimine etiam atrociſſimo, quem ordinem debet ſeruare?
Reſp. In iſta cauſa debet procedere cum interuentu proprij Epiſcopi ipſius delinquentis, ſi apud Eccleſiā reſederit, aut cum interuētu perſonæ ab ipſo Epiſcopo deputandæ, & ideò debet in principio litis Epiſcopum certiorem facere, aliàs proceſſus, & omnia ſequuta ſunt nulla; ratio eſt, quia concilium voluit, vt quilibet paſtor non excludatur à punitione propriæ ouis. *Trid. ſyn. ſeſs. 14. c. 8. de reform.*

26 Sufficit nè, quod Epiſcopus, qui habet priuilegiū corrigendi alienos ſubditos, faciat certiorem Epiſcopum delinquentis de crimine, de proceſſu, & de ſententia?
Reſp. Non; ſed neceſſariò Epiſcopus delinquentis, vel perſona ab eo deputata debet interuenire in illa criminali cauſa cum plenaria poteſtate iudicandi, condemnandi, & abſoluendi, ſicut ille Epiſcopus, qui virtute ſui priuilegij vult corrigere alienum ſubditū; ratio eſt, quia priuilegium talis Epiſcopi per *capit. 8. ſeſſion. 14.* limitatum eſt, & modificatum ad hoc, vt de eo non vtatur ſolus, niſi cum interuentu Epiſcopi proprij delinquentis. Secundò, quia interuenire in aliquo negotio plus dicit, quam facere aliquem conſcium illius delicti. Tertiò, quia iuriſdictio proprij Epiſcopi illius delinquentis, ſemper manet integra, & non ſublata per priuilegium alterius Epiſcopi, & ſic dicere, quòd procedatur cum interuentu proprij Epiſcopi, eſt dicere, quòd ille interuentus ſit cum poteſtate iuriſdictionali. Quartò, quia dicta limitatio priuilegij Epiſcopi corrigendi ſibi non ſubditos eſt pœnalis, cum proceſſus, & inde omnia ſequuta ſint nulla, & viribus inde omnino careant. *Trid. ſyno. ſeſs. 14. c. 8.*

27 Epiſcopus iſtius clerici delinquentis, qui corrigitur ab alieno Epiſcopo, ſi ſit in propria Eccleſia, poterit deputare perſonam, quę cognoſcat de hac cauſa, vel neceſſariò debet eſſe extra ſuam Eccleſiam ad hoc, vt poſſit deputare dictam perſonam?
Reſp. Non; imò ſi reſederit in propria Eccleſia, datur illi hoc priuilegium ratione reſidentiæ, vt cum interuentu ipſius, vel perſonæ ab eo deputandæ, fiat punitio Clerici ſibi non ſubditi, at verò ſi Epiſcopus ſit extra ſuum Epiſcopatum, neque ipſe poteſt interuenire in punitione dicti Clerici, neque deputare perſonam, quæ ſuo nomine interueniat, quia hæc facultas data fuit Epiſcopo, ſi apud Eccleſiam reſederit, & non poteſt extendi ad Epiſcopum non reſidētem, præcipuè cum concilium dicat, ſi in propria Eccleſia reſederit; quia ſi eſt conditionale, & à contrario ſenſu, ſi non reſederit, non gaudet hoc priuilegio. *Trid. ſynod. ſeſs. 14. c. 8.*

28 Sententia lata ab Epiſcopo, qui habet priuilegium puniendi alienos ſubditos, cum interuentu Epiſcopi delinquentis, à quo debet mandari executioni?
Reſp. Ab Epiſcopo, qui habet priuilegium puniendi alienos ſubditos; quia in dicto cap. non eſt modificatum priuilegium, niſi ſolùm, quo ad hoc, quod procedatur cum interuentu proprij Epiſcopi. *Trid. ſyn. ſeſs. 14. c. 8.*

29 Capitulum, & Vicarius ſedis vacantis, gaudebunt nè dicto priuilegio?
Reſp. Affirmatiuè, quia in omnibus iuribus iuriſdictionis ſuccedunt Epiſcopo, & hoc eſt in fauorem rei, & priuilegium generalis iuriſdictionis.

30 Sententia lata à Iudice à quo, ſi nulla ſit ex defectu iuriſdictionis, quia illam protulit in hominem ſibi non ſubditum, vel quia nullam habebat iuriſdictionem, poterit nè confirmari à iudice ad quem?
Reſp. Si talis ſententia continebat iuſtitiam, debet Iudex ad quem eamdem ſententiam proferre, ſed non eam confirmare; quia ex defectu iuriſdictionis à principio nulla fuit. *Achil. de Graſ. de ſent. & re iudic.*

CAPVT II.

De vita, & honeſtate Clericorum.

1 IN hoc titulo quomodo ſumitur hoc nomen vita?
Reſp. Su-

Reſp. Sumitur pro vſu honeſto, vel inhoneſto viuẽdi, & degendi in hac vita, ſcilicet ſumitur pro actibus, vel operationibus benè, vel malè factis, & nõ pro ipſo viuere, & reſpirare hominis, *vt in Rubr. & tit. de vita, & honeſtate Clericorum.*

2 Hoc nomen honeſtas, quid ſignificat in iure?
Reſp. Honeſtatem iuſtitiæ publicæ, ideſt conſtitutiones Eccleſiæ, quæ propter honeſtatem ſunt editæ, vt quãdo prohibetur, ne quis nubat cum conſanguinea vxoris ſuæ, *c. 1. de ſponſal. lib. 6. Archid. ibi.*

3 In hoc titulo quomodo ſumitur, de vita, & honeſtate Clericorum.
Reſp. Sumitur pro honeſtate exteriori Clericorum quæ conſiſtit in complexu multarum rerum, ſcilicet in actionibus, in veſtibus, in verbis, in riſu, in celebratione, in ſobrietate, & officijs.

4 Cum celebrat Clericus quam honeſtatem debet habere?
Reſp. Debet eſſe diuiſus, & ſeparatus à populo, propter maiorem reuerentiam, & attentionem, & deuotionem. *c. 1. de vit. & honeſt. Cler.*

5 Clerici veniunt ne appellatione populi, vel vicinorum?
Reſp. In materia ſtricta, & odioſa negatiuè; ſed veniunt in materia fauorabili, & priuilegiata, licèt non nominentur, quia quidquid conceditur populo, ex maiori parte, & ratione, & cauſa debet Clerico concedi tamquam digniori. *Abb. c. 1. de vita, & honeſtate Cleric. num. 1.*

6 Appellatione populi veniunt feminæ?
Reſp. Affirmatiuè, cum populus conſtet ex maſculis, & feminis. *Abb. c. 1. de vita & honeſt. Cler. nu. 4.*

7 Quam pœnam incurrit Clericus portans arma?
Reſp. Excommunicatur per ſententiam. *c. Clerici, de vita, & honeſt. Cleric.*

8 Clericus vſurarius, quam pœnam incurrit?
Reſp. Debet excommunicari per ſententiam. *cap. Clerici, de vita & honeſt. Cleric.*

9 Poteſt Clericus abſque pœna portare arma defenſiua?
Reſp. Poterit, quia pœna impoſita eſt Clerico ferenti arma offenſiua, & ſic poterit portare abſque pœna, thoracem ferreum, quia cum iſtis armis defẽdit ſuam vitam, & neminem offendit. *Abb. c. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric. n. 3. de hac materia dixi latè c. 2. lib. 2. nu. 29. & ſeqq.*

10 Si Clericus non poſſet aliter mortem vitare, poterit occidere aggreſſorem?
Reſp. Poterit, abſque irregularitate, excommunicatione, vel pœna, ſi occidat cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia de iure vim vi repellere licet. *Abb. c. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric. n. 2.*

11 Clericus poteſt pugnare in bello iuſto ſine metu irregularitatis?
Reſp. Cum licentia Papæ poterit, & ſi ſit in naui, vel in triremi, & pugnetur, poterit ad euitandam ſuã mortem ſine irregularitate, etiamſi non habeat licentiam Summi Pontif. quia in hoc caſu vim vi repellit. *Abb. c. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric. nu. 5.*

12 Clericus portans cultrum habebit pœnam debitam Clericis portantibus arma?
Reſp. Si culter ſit ad vſum incidendi panem, carnẽ, mundandi arbores, & ad vſus neceſſarios ad vitam, vel ad aliquam artem exercendam, non habet aliquam pœnam, quia tex. c. Clerici, intelligitur de armis, quæ inuenta ſunt ex ſua inſtitutione ad offendẽdos homines, vt enſes, pugiones, & ſimilia. *Abb. capit. Clerici, de vit. & honeſt. Cler. nu. 7.*

13 Clericus, vel Monachus portans arma, excommunicatur ipſo iure, vel per ſententiam?
Reſp. Monachus portans arma, & tenens illa intra ſepta Monaſterij, excõmunicatur ipſo facto; at Clericus ſæcularis tenens arma non prohibita in domo, nulla pęna punitur, quamuis portans ſecum excommunicetur per ſententiam. *Abb. c. Clerici, num. 8. de vit. & honeſt. Cler.*

CAPVT III.

De peculio Epiſcoporum, & Clericorum, & quibus perſonis poſsint bona relinqui per teſtamentum.

1 Qvid eſt peculium?
Reſp. Eſt certa pecunia ſeparata à negotiatione, & rationibus patris, vel domini, vt detur filio, vel ſeruo. *l. depoſiti. ff. de peculijs. §. peculium.*

2 Vnde dicitur peculium?
Reſp. A pecunia, & pecunia à pecoribus, quia totũ, quod antiqui habebant, conſiſtebat in pecoribus; non enim inuenta erat pecunia ſigillata ex auro, vel argento, ſicut hodie. *c. totum. 1. q. 3.*

3 Quotuplex eſt peculium?
Reſp. Multiplex. Primò caſtrenſe. Secundò, quaſi caſtrenſe. Tertiò, aduentitium. Quartò, profectitiũ. Quintò, paganicum. Sextò, non paganicum, aliquando etiam ſumitur pro hæreditate, vel patrimonio. *l. cogi. ff. ad trebellianum. l. ſi quis Presbyter. C. de Epiſcopis, & Clericis. l. cùm oportet. l. cum multa. Cod. de bonis, quæ liberis.*

4 Quod eſt peculium [illegible]ſe?
Reſp. Eſt illa pecuni[illegible]cia, quam miles ſuo labore, vel fortun[illegible] bello, dum militat in caſtris, & in illo habet ius miles plenum, etiam ſi habet partem, & etiam milites ſerui, qui aſſiſtunt in palatio, illud, quod acquiritur, dicitur peculium palatinorum, qui licèt non ſint in bello, ſeruant perſonam Principis. *Bald. in l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis, col. vlt.*

5 Quod eſt peculum quaſi caſtrenſe?
Reſp. Illud, quod Aduocatus acquirit ſuo labore, præſtando litigantibus patrocinium in cauſis; quia ſicut miles in bello labore corporali, ſic Aduocatus in ſtudio labore animi, & ſpiritus acquirit illam pecuniam, & quod magiſter cuiuſcumque ſcientiæ acquirit docendo diſcipulos in ſcholis. *l. ſi. C. de inof. teſt.*

6 Quod eſt peculium aduentitium?
℞. Illa pecunia, vel ſubſtantia, quæ filio aduenit ab auo paterno, vel materno, vel ex teſtamento agnatorum, vel ſuorum parentum, & hoc peculium eſt proprium filij, quòad proprietatẽ, & patris, quòad vſumfructum, ſed ſi hoc fuerit datum à Rege, vel

Imperatore gaudet priuilegijs caſtrenſis peculij. *l. cum multa. C. de bonis, quæ liberis.*

7 Quod eſt peculium profectitium?
Reſp. Dicitur illa pecunia, quam pater, vel dominus dat filio, vel ſeruo, vt cum illa negotientur, & eſt patris, quo ad proprietatem, & ſerui, vel filij, quo ad vſumfructum, & aliquando appellatur peculium paganicum profectitium, vel non paganicum. *Bart. in l. illud de collationibus.*

8 Quod eſt peculium clericorum, & Epiſcoporum?
Reſp. Eſt patrimonium clericorum, quo ſuſtentantur. *l. cogi. ff. ad Trebell.*

9 Quotuplex eſt peculiũ clericorũ, & Epiſcoporũ?
Reſp. Duplex, profectitium, quod procedit ex fructibus ſui beneficij, vel ex acquiſitis introitu Eccleſię, & aduentitium, quod prouenit clerico intuitu ipſius perſonæ. *Goffr. in ſum. eod. tit.*

10 Quotuplicia ſunt bona, quæ Epiſcopus, vel clericus habet in ſua poteſtate?
Reſp. Duplicia. Primò ſunt bona ſui beneficij conſtituta ad ſubſtentationem clerici. Secundò ſunt bona Eccleſiæ conſtituta pro fabrica, vel pro ornamẽtis, & alijs neceſſitatibus.

11 Iſta bona in quo differunt?
Reſp. Primò in eo, quia in bonis fabricæ Epiſcopus, vel presbyter eſt adminiſtrator, in bonis ſui beneficij eſt vſuf. uctuarius cum plenaria adminiſtratione. Secundò de bonis fabricæ, vel Eccleſiæ tenetur reddere computum, & rationem legalem, de bonis ſui beneficij non tenetur reddere alicui computum, neque rationem. Tertiò ſi bona fabricæ in ſuos vſus, vel ſuorum conuertit, tenetur ſoluere de proprio; ſi verò bona ſui beneficij conuertit in vſum proprium, nihil tenetur ſoluere. Quartò in bonis fabricæ, vel Eccleſiæ, neque habet proprietatem, neque vſumfructum, in bonis beneficij habet vſumfructum, & ad illa defendenda habet proprietate. *Abb. cap. 1. de peculio clericorum. num. 3.*

12 Si clericus ex pecunia Eccleſiæ emat agrum, & in ſcriptura emptionis ponat, quod ipſe emit, cui debet adiudicari ager?
Reſp. Eccleſiæ, & ſi clericus viuit, debet puniri propter fraudem. *Abb. c. 1. de peculio clericorum, num. 4.*

13 Quãdo emitur aliquid, & ſoluitur ex pecunia, vel bonis Eccleſię, inſtrumentum quid debet continere?
℞. Inſtrumentum debet fieri nomine Eccleſię, & nõ Prælati, vel clerici ementis, aliàs talis Prælatus, vel æconomus remoueri debet ab adminiſtratione. *cap. presbyter, de peculio clericor. c. inquirendum, eod. tit.*

14 Res, quæ emitur, cuius præſumitur eſſe?
Reſp. Filius, de quo cantat inſtrumẽtum, niſi aliud in contrarium probetur. *Abb. c. presbyter, nu. 8. de peculio clericorum.*

15 Clericus quæ acquirit ex induſtria ſua, cui acquirit Eccleſiæ, vel ſuis hæredibus?
Reſp. Acquirit ei, cui ipſe voluerit ea dare ex teſtamento, præcipuè in regnis Hiſpaniæ, vbi clerici poſſunt teſtari de ſuis bonis, & Epiſcopi de illis bonis, & fortunis debeant, cum quibus fuerint electi, & ideò in electione fit ſolemne inuentarium, vt hæredibus eius reddantur illa bona, & valor eorum, quæ habebant ante ingreſſum ad Epiſcopatum. *Abb. c. 1. de peculio clericorum, num. 5.*

16 Si aliquis velit relinquere centum aureos Eccleſiæ, ſuaſus à confeſſore relinquit confeſſori, tenetur nè talis reſtituere Eccleſiæ?
Reſp. Si confeſſor faciat dolum, & dicat mendaciũ, nempè quod Eccleſia eſt diues, quòd non habet neceſſitatem; tunc tenebitur ad ſoluendum damnum inde exortum; ſi verò ſermonibus blandis ſine mendacio proponat ſuam neceſſitatem, non tenetur ad damnum, quia charitas à ſe ipſo incipit, & nemini facit iniuriam, *c. charitas eſt aqua, de pœnitẽtia d. 2. Abb. c. presbyter. num. 6. de peculio clericorum.*

17 Epiſcopus de quibus bonis debet ſubſtentari, & facere ſuas expenſas, ex bonis, & fructibus Eccleſiæ, vel ex bonis, quæ habet ante ingreſſum in Epiſcopatum?
Reſp. Ex bonis ſuę Eccleſiæ, quia dignus eſt mercenarius mercede ſua, diuina ſcriptura dicit, nõ alligabis os boui trituranti, & bona, quæ habebat ante ingreſſum in Epiſcopatum, & labores eius debent ſeruari intacta, & illæſa, vt ipſe in teſtamento diſponat.

18 De redditibus Eccleſiæ poſſunt nè Epiſcopi augere ſuos conſanguineos, vel familiares?
Reſp. Si ſint pauperes, vel in neceſſitate, eos poſſunt iuuare ſecundum ſtatum eorum, quia charitas benè ordinata à ſe ipſo incipit. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 1. de ref.*

19 Hæc paupertas quomodo eſt intelligenda?
℞. Largo, & politico modo, ſecundum natiuitatem, nobilitatem, qualitatem, & ſtatum perſonę, licèt nõ debeat eos ditare, quia hoc petit ratio, & charitas eſt benè ordinata. *tenet Abb. c. in eos de hæreticis, num. 2.*

20 Si Epiſcopus habeat ex vna parte fratrem carnalem hæreticum, vel chriſtianum, ex alia proximum vtroſque pauperes, cui eorum tenetur ſubuenire?
Reſp. Fratri carnali hæretico propter legem naturæ. *gloſ. c. 1. diſt. 30. Abb. c. ſi quis de hæret. num. 2.*

21 Si aliquis regularis factus ſit Epiſcopus, cui debet relinquere bona ſua poſt eius mortem?
Reſp. Illa bona, quæ habuit ante conſecrationem, debet relinquere monaſterio, & quæ acquiſiuit poſt conſecrationem ſuæ Eccleſiæ, tamquam vltimæ ſpõſæ. *c. vnico. 8. q. 1. Couar. tit. de teſtib. c. 1. num. 19.*

22 Epiſcopus poteſt per teſtamentum relinquere bona ſua ſuis conſanguineis, vel ſuis famulis?
Reſp. Cum diſtinctione, bona, quæ habuit ante conſecrationem facto ſuo inuentario tempore conſecrationis, poterit liberè ea relinquere ſuis parentibus, vel ſuis famulis, & teſtari de eis liberè, ſicut alij clerici; at verò bona, quæ acquiſiuit poſt conſecrationem, debet neceſſariò ea relinquere, vel Eccleſię, vel ei perſonæ, ad quam pertinet ſpolium; ratio eſt, quia illa acquiſiuit ex officio Epiſcopi, vel ex fructibus Eccleſiæ. *tenet Abb. in c. vt Vnus de peculio clericorum, num. 1. & 2.*

23 Si aliquis prælatus habeat officium, & munus aliquod Regium, veluti aliquam præſidentiam, vel delegationem Regiam, vel Proregnatum, vel ex ſua induſtria, & litteris abſque officio prælati acquirat aliqua bona, cui debet ea relinquere?
℞. Cui ipſe voluerit in ſuo teſtamento, ſicut bona, quę acquiſiuit ante conſecrationem, de quibus liberè potuit teſtari; ratio eſt, quia, qui habet ius percipiendi ſpolium, ſolùm habet hoc ius in bonis acquiſitis ex officio Epiſcopi, vel ex fructibus Epiſcopatus, ſed non habet Ius ad bona, quæ acquirit Petrus, non vt Epiſcopus, ſed ſicut Petrus, & textus in c. vt vnus, de peculio clericorum cum ſit ſtricti iuris, non debet extendi ad bona, quæ aliquis hæreditauit, vel ex ſuo

bono

bono labore, & ſcientia, vt Petrus acquiſiuit,ſed ſolum ad bona Eccleſiæ, de quibus loquitur, quia diuerſa ratio milita: in bonis Eccleſiæ, & in bonis acquiſitis, præcipuè cum nullus perdat ſuum Ius,ſuamque libertatem ex eo, quòd ſit prælatus.*c.relatum de teſtamentis,il 2.*

24 Ad faciendum ſuum inuentarium quas ſolemnitates debet habere inuentarium?

Reſp. Si prælatus ſit in Regno Hiſpaniæ,debet comparere per ſe vel per ſuum procuratorem, ſi ſit in Regno Siciliæ, debet comparere ante Pro regem, & Tribunal Patrimonij, & ibi demonſtrare ſuam præſentationem, vel bullas Apoſtolicas, & petere commiſſarium, vel commiſſarios ad faciendum ſuum inuentarium iuridicum, tamquam ſi illo die mortuus eſſet.

25 Prælatus quid debet facere ante commiſſarios datos à Nuncio, vel Collectore Apoſtolico, vel in Regno Siciliæ à Prorege?

Reſp. Debet ante eos comparere, & debet oſtendere ante illos omnia bona ſua mobilia, immobilia, domos, agros,argentum, & aurum, pecuniam,periſtromata, ſeruos, mancipia, & tendem omnia bona, quæ acquiſiuit intuitum ſuæ prębendæ, & beneficiorum, quando erat clericus, tàm bona, quæ hæreditauit à ſuis parentibus, quam bona, quæ acquiſiuit intuitu ſuę perſonę, vel donatione, & ſimul debet declarare, quę debita contraxerit vſq; ad præſentem diem, & quando debeat ſoluere, & quo tempore, & ſimul debeat ſolemniter iurare in manibus dictorum commiſſariorum, quòd omnia illa bona ſunt ſua, & non aliena, neq;ſibi mutuata ad illum effectum, & quod non eſt fraus, neq;dolus in oſtenſione illorum bonorum.

26 Dicti commiſſarij, qui faciunt inuentarium, quid debent agere?

Reſp. Debent vocare peritos diuerſę artis, & ſigillatim ſcribere dicta bona tàm mobilia,quàm immobilia, & valorem dictorum bonorum ſecundum iuſtam æſtimationem, & ex ipſis debent accipere iuramentum de veritate iudicanda, & taxanda, & ſigillatim debent ſcribere omnia bona cum ſuo iuſto valore,& poſtea facere ſummam omnium bonorum, & eam ſubſcribere, & Epiſcopus debet etiam ſe ſubſcribere dicto inuentario, quod debet fieri iuridicum cum ſui teſtibus ante Notarium, vel ſcribam, ſicut ſi eſſet inuentarium alicuius defuncti, poſita *in cap. facultate data commiſſarijs, vel commiſſario, qui facit dictum inuentarium à Nuntio Apoſtolico.*

27 Facto dicto inuentario quid vlterius eſt faciendũ, vt hæredes Epiſcopi habeant ſua bona integra poſt eius mortem?

Reſp. Hoc inuentarium debet poni in Hiſpaniæ regiſtris, ſeu officio Nuntij Apoſtolici, & in Regno Siciliæ in officiò Senatus Patrimonij Regij, & Epiſcopus debet accipere tranſumptum authoritate munitum huius inuentarij, & illum ſeruare, & relinquat ſuis hæredibus cum ſuo teſtamẽto, vt poſt eius mortem petãt valorem huius inuentarij.

28 Si Epiſcopus durente eius lite conſumat bona mobilia ſui inuentarij, vel tempore pereant ſicut mancipia,oleum, & frumentum, & vendat ad ſuam neceſſitatem bona immobilia, ſicut agrum,domum, cenſus, redditus, poſſeſſiones, vel villas, donet donatione inter viuos, poterit nè temporis mortis ſue teſtari de valore ſui inuentarij,& facere teſtamentum, & legare valorem illorum bonorum in pecunia numerata?

Reſp. Epiſcopus poteſt per teſtamentum relinquere valorẽ omnium bonorum in pecunia numerata perſonis, vel parentibus,quibus voluerit; ratio eſt, quia Epiſcopus de bonis ſui beneficij debet ſubſtentari,& non de bonis,quæ habuit ante conſecrationem,quia dignus eſt operarius mercede ſua. Secundo,quia bona, quæ habuit ante conſecrationem, non tenetur Epiſcopus illa conſeruare, ſed poteſt licitè ea profundare, & dare pauperibus.Tertiò, quia iſta bona, quæ habuit ante conſecrationem, & valor iſtorum bonorum habent hoc priuilegium, quòd Epiſcopus poſſit de eis teſtari,alias fruſtra ſit inuentariũ.Quartò, quia loco iſtorum bonorum, & ad ſolutionem eorum ſubrogantur bona, quæ Epiſcopus relinquit poſt ſuam mortem, etiam ſi illa habuerit intuitu Eccleſiæ. Quintò, quia ſi Epiſcopus non habuiſſet iſta bona, quæ acquiſiuit ante conſecrationem, conſumaret in ſuis neceſſitatibus bona Eccleſiæ, quæ relinquit poſt eius mortem. Sextò,quia ex bonis inuẽtarij, & ex bonis, quæ Epiſcopus acquirit intuitu Epiſcopatus, ſit vna maſſa integra, de qua maſſa debent tolli tempore mortis Epiſcopi valor, & pecunia dicti inuentarij;ſicut tollitur dos mulieris de corpore bonorũ mariti,& mulieris,quia valor iſtorum bonorum habet priuilegium, quòd Epiſcopus poſſit de illis diſponere per teſtamentum.

29 Si Epiſcopus non fecit inuentarium, & tempore mortis ſuæ relinquat partem ſuorum bonorum ſuis hęredibus,vel familiaribus, vel operibus pijs declarãs ſe acquiſiuiſſe illa bona ſuo labore,vel ſibi eſſe donata, & relicta, vel non eſſe ex fructibus Epiſcopatus, in iſto caſu quid eſt faciendum?

Reſp. In hoc caſu hæredes eius admittuntur ad probationem, & reſtituenda ſunt illis omnia bona, quæ probauerint non eſſe acquiſita intuitu Eccleſiæ; ratio eſt, qui in iſtis bonis ſpolium non habet vllum Ius, cum non habeat aliquod Ius,niſi in bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ deductis debiiis, & ære alieno. *tenet Abb.in c.1.de peculio clericorum, nu.1.*

30 Mercedes famulorum Epiſcoporum, debita contracta ab Epiſcopo, pompæ funerales,mercedes medicorum, & pharmacopolæ, ex quibus bonis debent ſolui, num ex bonis acquiſitis ante Epiſcopatum, an ex bonis acquiſitis poſt Epiſcopatum, & intuitu Eccleſiæ?

Reſp. Si debitum contractum fuit ante cõſecratione debent ſolui ex bonis ſui inuentarij, ſi verò fuit contractum poſt conſecrationem, debent ſolui cum omni pompa funerali, & mercede ſuorum famulorum ex bonis, quæ reliquit, & percepit ex fructibus Eccleſiæ; ratio eſt,quia bona, quæ habuit ante Epiſcopatum, & poſtea ſunt in ſuo inuentario, debent ſeruari intacta, & illæſa ad liberam diſpoſitionem epiſcopi per ſuum teſtamentum, alias nullum eſſet priuilegium inuentarij.

31 Quæ bona neceſſariò debet hæreditare Eccleſia Epiſcopi in eius morte?

Reſp. Omnia ornamenta altaris, veſtes ſacras, cum quibus celebrabat Epiſcopus,calices,vaſa aurea,& argentea, & omnia veſtimenta ſacra, & benedicta, quæ pertinebant ad cappellam Epiſcopi, & ipſe habebat in domo ſua, & in capella priuata, hæc omnia

nia non cadunt ſub priuilegio ſpolij, & in omnibus Eccleſijs Hiſpaniæ ex immemorabili conſuetudine, & ritu traduntur Eccleſijs Cathedralibus, vbi Epiſcopus moritur ex iuſta,& rationabili cauſa,quia illa Eccleſia eſt vera ſponſa illius epiſcopi, & recipit iugalia ſui ſponſi. Secundò, quia turpe, & fœdum eſt, vt res ſacræ vendantur in augmentum ſpolij.Tertiò, quia ex iſtis relictis Eccelſia Cathedralis ſubſtentatur cum honore, & ſplendore, & hæc conſuetudo tâquam rationi conſonans inuiolabiliter ſeruatur in Hiſpania.

32 Bona, quæ habet Epiſcopus accommodata à ſuis parentibus,vel amicis, vt argentum, vel periſtromata, aut alia ſimilia,poſt eius mortem cui deben dari? ℟. Suis proprijs dominis, quia ſunt bona aliena, et in alienis non intrat ius ſpolij, & ad probationem, quòd ſint aliena, ſufficit confeſſio Epiſcopi? vel eius ſcriptura, & non requiritur maior ſolemnitas,quàm in alio homine particulari, qui habet rem commodatam, & commodatarius pro beneficio, quod facit Epiſcopo, non tenetur ad maiorem probationem, quàm monſtrare per ſcripturam, vel confeſſionem partis rem eſſe ſuam *l. 1 ff. commodati, & Bar. ibi.*

33 Epiſcopus,dum viuit; quam poteſtatem habet in bonis, & fructibus ſibi prouenientibus intuitu ſuæ Eccleſiæ?
Reſp. Epiſcopus habet illam poteſtatem, quã habet fideicommiſſarius, vel primogenitus in maioratu,& liberè poteſt vſumfructum, & pecunias conſumere, donare, dare, & ex his ſe ſubſtentare modeſtè, & in bonos vſus conuertere abſq; eo, quòd teneatur reddere alicui computum, & rationem legalem; ratio eſt, quia eſt vſufructuarius cum plena adminiſtratione abſq; dependentia alicuius, *vt tenet Abb. c. 1. de peculio clericorum, num. 8.*

34 Si Prælatus, vel clericus malè expendat bona ſui beneficij, tenebitur nè de ſuo ſatisfacere?
Reſp. Si conſumat bona beneficij vitioſè in rebus indebitis, vt in ludis, in ſubſtentatione concubinæ,& his ſimilibus, & habet alia bona patrimonialia, vel acquiſita ſuo labore, tenebitur ſatisfacere,quia clericus non habet tantam facultatem in diſponendo de bonis ſui beneficij, ſicut habet laicus de bonis laicalibus, & ſæcularibus; ratio eſt, quia bona Eccleſiæ dantur ad bonum vſum, & ſubſtentationem, & decorem perſonæ ſecundum eius dignitatem, non ad vitia, & voluptates,quia eſt ſanguis Ieſu Chriſti. *tenet Abb. in c. fin. de peculio clericorum. nu. 5.*

35 Donationes factæ ab epiſcopo durante eius vita de aliquibus bonis ab ipſo emptis, dum eſt Epiſcopus,& contractus,& ſcriptura ab ipſo facta valet nè?
Reſp. Omnes donationes factæ ab Epiſcopo bonorum immobilium, vel mobilium, dum viuit, ſunt validæ, ſiue donet pauperibus, Eccleſijs,vel ſuis parentibus vel cuilibet perſonæ; ratio eſt, quia in bonis ſui beneficij eſt vſufructuarius cum plenaria adminiſtratione,& ſicut poteſt illa edere, & conſumere, poteſt illa donare. *tenet Abb. in cap. ſi quis de peculio clericorum.*

36 Poteſt Epiſcopus ex fructibus ſibi debitis ſui beneficij, dum viuit, emere agrum,villam, vel caſtellũ, vel redditus ſtabiles, & donare proprietatem ſui parentibus, vel alicui operæ, vel alicui perſonę, & reſeruare ſibi vſufructum?
Reſp, Benè poterit donare proprietatem, & ſeruare ſibi vſum fructum,durante eius vita,vel vita alterius; ratio eſt, quia ſicut poteſt liberè donare, vel conſumere illas pecunias, cum quibus emit agrum illum, ſic poteſt donare agrum, & rem emptam, cum ſit vſufructuarius cum plenaria adminiſtratione, tàm in vſufructu, quàm interuſurio proueniente ex vſufructu, *vt tenet Abb. & DD. loco allegato.*

37 Si Prælatus emat aliquem agrum ſuo nomine, poſt eius mortem debet adiudicari hæredibus prælati, vel Eccleſiæ, vel ſpolio?
Reſp. Si Prælatum fecit inuentarium, & in ſcriptura emptionis dicat ſe emere illum agrum ex bonis, quæ habuit in ſuo inuentario, vel ex acquiſitis ſuo labore, quia fuit emptus ex ſuo ſalario, tunc præſumitur pro hærede, & onus probandi contrarium incumbit Eccleſiæ; ſi in ſcriptura nihil dicat, vel non fecit inuentarium, præſumitur pro Eccleſia, & onus probandi incumbit hæredi; ſi verò ſi dubium, in dubijs præſumitur pro Eccleſia. *Abb. in c. vt vnus de peculio clericorum, num. 3. & 4.*

38 Si Prẹlatus emit aliquem agrum, & facit ſcripturam ſuo nomine, & viuens illum donat parentibus ſuis, vel ſeruis, cum moritur, Eccleſia poteſt petere aliquid?
Reſp. Non in iſto enim caſu Eccleſiæ nulla competit actio petendi,quia ſicut Prælatus quotidie donat, expendit pecunias, poterit donare bona immobilia, domos, oppida, & agros à ſe emptos,ſicut poteſt illa vendere, & in ſuos vſus conuertere.

39 Si quis Prælatus, vel clericus faciat meliorationes in rebus Eccleſiæ ſuæ, vel in ſuo palatio, vel in fundo ſuæ menſę de bonis ſui beneficij, poterit eas relinquere alicui poſt ſuam mortem?
Reſp. Non; ſed ſolum vti,dum viuit. Primò,quia rationi conſentaneum eſt, vt quis melioret beneficium de quo viuit, ſine quo Eccleſia non conſeruatur, & augetur. Secundò,quia acceſſorium ſequitur naturã ſui principalis. Tertiò, quia laborauit in terra quaſi aliena,cum ipſe habeat ſolum vſumfructum, & proprietas eſt pro Eccleſia, & ſucceſſoribus. *c. fin. de peculio cler. Abb. ibi nu. 2.*

40 Si Prælatus faciat meliorationes in eccleſia, vel fundo ſuę menſę de bonis ſui patrimonij, poterit eas in morte mandare ſuo hẹredi?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb. cap. fin. num. 3. de peculio clericorum.*

CAPVT IV.

De Bonis Clericorum.

1 BOna clerici cuius ſunt, vel ad quem pertinet?
℟. Poſt moderatam ſubſtentationem ad pauperes pertinet; quia bene dicitur, bona clericorum bona pauperum.

2 Clericus ſi habeat bona patrimonialia, & beneficium, de quibus bonis tenetur ſe ſubſtentare?
℟. De bonis beneficij,quia qui Altari ſeruit, de Altari debet ſubſtentari, & dignus eſt operarius mercede ſua, & bona patrimonialia poteſt relinquere liberè ſuis parentibus,etiam ſi ſint diuites. *cap. cum ſecundum*

cundum de præbend.& dignitatibus. Abb. in c. vlt. de peculio clericorum.

3 Bona clerici confiſcata propter delictum cui debent applicari?
Reſp. Fiſco ſui Epiſcopi, vel ſuę Eccleſię; quia antiquitus bona clerici mortui applicabantur ſuę Eccleſię. *Abb. in c. quia diuerſitatem, de conceſſione præbendæ, num. 14.*

4 In quos vſus debet clericus bona beneficij conuertere?
Reſp. Debet ſe honeſtè alere,& quę ſuperſunt pauperibus erogare, & parentes pręferendi ſunt, ſi ſunt pauperes, tamen non poteſt eos in vſus prauos, & inutiles expendere, vt in alendis canibus, & mulieribus impudicis. *DD. ſuper c. de multa, de præb.*

5 Paupertas parentum quomodo eſt intelligenda?
Reſp. Secundum qualitatem perſonę, oppidi, & loci, magis enim requiritur ad ſubſtentandum nobilem, quam ignobilem. *Abb. c. in eos, de hæreticis.*

6 Clericus poteſt ſuccurrere matri, vel ſororis de bonis Eccleſię?
Reſp. Poterit dare ad vitam neceſſaria, & adiungere matrimonio conſanguineas, vel dotare monaſterio iuxta qualitatem earum, & ſe obligare, & obligare fructus ſui beneficij ad ſolutionem. *tenet Abb. cap. 1. de cohabitatione clericorum, & mulierum, nu. 5.*

7 Clericus poteſt ſubuenire ſuis proprijs filijs de bonis Eccleſię?
Reſp. Poterit, & eſt obligatus ad id faciendum, etiã ſi filij ſint nati ex illicito, & ſacrilego coitu, quia talis clericus eſt pater naturalis talis filij, & de lege naturę tenetur alere, & iuuare, quę genuit. *tenet Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 4.*

8 Si quis ſit executor alicuius eleemoſynę, vel operę pię, & debeat diſtribuere triticum, pecunias, vel alia bona inter pauperes ad ſui electionem, poterit ne dare ea ſuis conſanguineis, vel familiaribus?
Reſp. Si ſint pauperes, poterit inter eos diſtribuere eleemoſynas; ratio eſt, quia ex eo, quòd quis ſit conſanguinius, vel familiaris, non efficitur incapax ad ſuſcipiendam eleemoſynam, & ſicut talis diſtribuens poteſt de ſuis proprijs bonis dare eleemoſynam ſuis parentibus, ita poteſt de bonis alienis, quę ſunt ſub eius diſpoſitione, *vt tenet Abb. in c. 1. de cohab. clericorum, & mulierum. nu. 5.*

9 Clericus quid debet dare famulo infirmo?
Reſp. Cibum, & tenus expenſas per octo, vel decem dies ſi ſit clericus pauper, ſi ſit canonicus, vel diues, debet eum curare, & dare medicos, & expenſas, quia eſt officium charitatis. *Abb. in c. 1. de clerico, ægrotante, numero octauo; Sylueſtr. verb. familia, numero quarto.*

CAPVT V.

De veſtibus Clericorum.

1 Clericus vtens veſtibus ſęcularibus, qua pœna punitur?
Reſp. Priuatur officio Sacerdotis, quoadusq; reſipiſcat. *c. Epiſcop. 21. q. 4.*

2 Quibus veſtibus debet indui Sacerdos, et qua pęna punitur, qui habitum honeſtum non fert?
Reſp. Tunica nigra talari, et ſi ſemel correptus ſe non emendauerit, poteſt peruenire cum eo ad priuationem officiorum, & beneficiorum. *c. pen. diſt. 23. Tri. ſyn. ſeſs. 14. c. 6.*

3 Qui colores ſunt prohibiti clericis ſuis in veſtibus?
℞. Color rubeus, aut viridis, et etiam prohibitum eſt eis portare calcaria deaurata, et fibulas, et corrigias auri, et argenti. *c. pen. de vita, & honeſt. cleric.*

4 Clerici poſſunt portare anulos?
Reſp. Si ſint in dignitate Eccleſiaſtica inſtituti, poſſunt, cęteri verò non. *cap. penultimo, de vita, & honeſtate clericorum.*

5 Clericus nutriens comam, et barbam, quã pœna punitur?
℞. A ſuo Archidiacono etiam inuitus tondendus eſt *c. clericus. c. clerici, de vita, & honeſt. clericor. c. clerici. diſt. 23.*

6 Sacerdotes quomodo ſunt ſepeliendi?
Reſp. Induti veſtibus ſacris ad imitationem Nadab, et Abiud, qui fuerint ſepulti veſtibus Sacerdotalibus induti, et cum magno honore, et luminaribus accenſis ſicut fuit antiqua conſuetudo primitiuę Eccleſiæ. *Lira c. Leuitici. 10.*

CAPVT VI.

De Pœnis Clericorum.

1 Poteſt Epiſcopus imponere pœnas clericis ſubditis?
Reſp. Poteſt, ſi alia via delinquentes coercere nõ valet, nam quando valet, a pœnis abſtinendum eſt, quum Epiſcopus ſit pater *Triden. ſyn. ſeſſ. 13. c. 1. de reform.*

2 Si plures pœnę ſint in vno delicto, quam debet Iudex, vel epiſcopus eligere?
Reſp. Poſſunt eligere, quam maluerint, ſed de ęquitate debent eligere mitiorem, vt fiat iudicium cum miſericordia, et quia epiſcopus eſt pater, & quem poteſt corrigere, non debet occidere. *tenet Abb. in c. at ſi clerici, de iudicijs, num. 36.*

3 Quando Iudex procedit ex ſolis pręſumptionibus, quam ſententiam debet proferre?
Reſp. Sententiam moderatam, et rarò vel nunquã debet pœnam ordinariam imponere, et magis debet reſpicere emendationem morum, quam punitionem delicti. *tenet Abb. c. ſi quiſquam, de cohabitatione clericorum, & mulierum, nu. 4.*

4 Quomodo debet procedi cum clerico incorrigibili?
Reſp. Si delicta ſint attrocia, & de ſe petant diſpoſitionẽ, degradationem, et in laico de iure illa delicta puniuntur morte temporali, tunc ſi clericus fuit admonitus, et correptus, primò, ſecundò, et tertiò, et ſi perſeuerauit in delictis, primò eſt deponendus, ſecundò excommunicandus, tertiò ſolemniter degradandus, quartò tradendus Curiæ ſęculari. *c. cum non ab homine de iudicijs.*

5 Iudex

5 Iudex ſecularis, quid debet agere cum Clerico degradato?
Reſp. Ex proceſſu facto à Iudice Eccleſiaſtico abſque nouo proceſſu, & probationibus, talem Clericũ condemnare ad mortem, & illam executioni mandare?

6 In quibus caſibus debet Clericus degradari, & tradir Curiæ ſeculari?
Reſp. In pluribus. Primò, quando eſt hæreticus, relapſus, vel impœnitens. Secundò, ſi commiſit crimẽ læſæ maieſtatis humanæ. Tertiò, quando eſt falſarius litterarum Apoſtolicarum. Quintò, quando Clericus infert calumniam ſuo Epiſcopo, tollendo illi famam, vel honorem, vel machinando mortem. Quintò, ſi ſit incendiarius, vel depopulator agrorum. Sextò, ſi aſſaſſinus, tandem conſiderandum eſt, an tale delictum commiſſum à Clerico in laicis petat mortem atrocem, & tunc conſiderata grauitate, & attrocitate delicti, debet Clericus tradi Curiæ ſæculari; quia ſunt aliqua delicta, quæ in homine ſæculari petunt pęnam mortis, & furtum, & homicidium caſuale, & in Clerico non ſemper petunt degradationem, ſed poſſunt puniri recluſione perpetua, cum ſacerdos ſit præcellentioris, & altioris conditionis, quam laicus. *cap. ſi quis Sacerdotem. 11. quæſt. 1. cap. ſi qui ſunt. 2. quæſt. 7. capit. nouimus, de verborum ſignificatione. cap. ad abolendam, de hæreticis.*

7 Inquiſitus debet ne puniri pœna æquali, ſicut accuſatus?
Reſp. Non, ſed mitiori modo; ratio eſt, quia inquiſitione proceditur ex ſolo zelo Iudicis, & nulla eſt læſio partis, ſed in accuſatione eſt damnum partis, & debet illi ſatisfieri. *tenet Abb. in c. at ſi Clerici, de iudicijs, num. 34.*

8 Quomodo debet Epiſcopus procedere cum ſubdito criminoſo, cum delictum non eſt publicum, ſed conſtat ſoli ipſo?
Reſp. Debet ſubditum priuatim corrigere, & remedium adhibere abſque iudicij ſtrepitu, attẽdendo ad medicamentum animæ. *Abb. c. conquerenti, de reſtitut. ſpol.*

9 Quando debet Clericus priuari ſuo beneficio?
Reſp. Cum tribus requiſitis. Primò, quod cauſa priuationis ſit iuſta, & Iure expreſſa pro tali delicto. Secundò, quòd delictum, ob quod priuatur, ſit publicum, & non occultum. Tertiò, quòd priuetur per ſententiam, ſeruato ordine Iuris. *Abb. c. conquerenti, de reſtit. ſpol. n. 2.*

10 Genera pęnarum, quæ ab Epiſcopo imponi poſſunt, quæ ſunt?
Reſp. Partim affligunt corpus, partim animam, partim rem, partim famam. *Henriq. lib. 13. c. 1.*

11 Quæ ſunt pęnæ corporis, quas Epiſcopus poteſt Clerici imponere?
Reſp. Damnatio ad triremes, detentio carceris, fuſtigatio, tractus cordæ, exilium, remiſſio ad brachiũ ſæculare, hæc omnia ſecundũm delicti qualitatem. *Bernardus Diaz in pract. crimin. c. 143. Iul. Clarus in practica q. 60. §. fin.*

12 Quæ eſt pęna pecuniaria?
Reſp. Quando quis debebat luere delictum in corpore, & luit in bonis, facta moderata compenſatione. *Felyn. c. cæterum, de offic. Ordin. num. 7.*

13 Quæ eſt pęna famæ?
Reſp. Depoſitio, degradatio, quæ hominem faciunt infamem. *c. degradatio, de pęnis, lib. 6.*

14 Quare ſtatuta eſt pęna à Iure in delictis?
Reſp. Quia pęna dirigit hominem ad virtutem, vt eius timore deſiſtat a malo, & à committendo delicto, *Abb. in c. niſi ſpecialis, de offic. legati, n. 5. & 6. & c. ad reprimendam, de offic. iudic. ordinarij, n. 1.*

15 Pęna in delictis quanta debet eſſe?
Reſp. Commenſurabilis delicto. *Abb. in c. niſi ſpecialis, de offic. legati, num. 5.*

16 Si quis committat aliquod delictum, & habeat alias virtutes, quomodo eſt puniendus?
Reſp. Mitiori modo, & etiam eſt diligendus, ſicut Clericus. *Abb. in cap. niſi ſpecialis, de officio legati, numer. 3.*

17 Conſpirantes contra proprium Epiſcopum, qua pœna puniuntur?
Reſp. Si conſpiratio ſit contra honorem, vel perſonã Epiſcopi, ſiue in re parua, ſiue in graui ſi ſint Clerici, deponuntur pro prima vice pro ſecunda tamquam incorrigibiles traduntur Curiæ ſecũlari, ſi ſint ſæculares, excommunicantur, & puniuntur pęna talionis. *Abb. in c. cum non ab homine, cap. at ſi Clerici de iudicijs. fin. de teſtibus cogendis, n. 4.*

18 In pœnis arbitrijs quomodo ſe debet gerere Iudex?
Reſp. Non debet dare pęnam ordinariam, neque maiorem, ſed minorem, conſiderata perſona, & qualitate delicti. *Abb. cap. inquiſitionis de accuſationibus, num. 9.*

19 Quæ eſt pęna animę?
Reſp. Excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, & ceſſatio à diuinis. *Tol. lib. 1. c. fin. Suar. lib. 5. de cenſ. Auila, & alij communiter DD.*

20 Poteſt Epiſcopus examinatores ſuos Clericos, & ſuſpendere eos ad tempus ab exercitio Ordinis, & officio, ſi ſint Parochi?
Reſp. Poteſt, quoties voluerit, etiamſi ſint approbati ab alijs Epiſcopus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. cap. 3. de reformat.*

CAPVT VII.

De armis Clericorum.

1 CLerici poſſunt habere arma ſuis in domibus.
Reſp. Poſſunt ad ſui defenſionem, ſed non poſſunt ferre ea extra domum.

2 Quibus ex cauſis poteſt Clericus ferre arma extra domum ſine pęna?
Reſp. Primò, de licentia ſui Epiſcopi. Secundò, in itinere. Tertiò, ſi habeat graues inimicitias ad ſui defenſionem. Quartò, ſi aliquis voluiſſet perfodere domũ ſuam, vel facere violentiam. *c. Clerici, de vit. & honeſt. Cleric.*

3 Quæ ſunt arma Clericorum, quibus debent ſe defendere, & Eccleſiam?
Reſp. Lacrymæ, lectiones, & orationes. *c. conuenior. §. quid ergo, 23. q. 8.*

4 Clericus, qui portat arma, quam pœnam incurrit?

℞. Tri-

Reſp. Triginta dies incluſus in carcere debent ieiunare in pane, & acqua *c.clerici.23.q.8.* ſed hodie punitur ſecundum conſtitutiones ſynodi ſuę diœceſis.

CAPVT VIII.

De Clericis pugnantibus in Duello.

1 QVot modis committitur homicidium?
℞. Quatuor, facto, pręcepto, conſilio, & defenſione. *cap.2.de clericis pugnantibus in duello.*

2 Quid eſt duellum?
Reſp. Eſt decertatio duorum, vel plurium, de facienda aliqua re vera, vel pro vindicāda aliqua iniuria ſtatuto tempore, & loco cū patrinis electis à partibus quorum officium eſt diuidere terram, & ſolent recognoſcere arma, iudicare de victoria: ita quod veritas illius rei poſita ſit in armis, & non in alio iudicio, ita definitur in libro antiquo duelli?

3 Quam pęnam incurrunt qui certant in duello?
Reſp. Tam ipſi, quàm patrini adiuuantes ſunt excommunicati, infames, & omnia ſua bona confiſcata, & ſi deceſſerint è vita in pugna, carent ſepultura Eccleſiaſtica. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.19.* & Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, ad tollendam deteſtabilem duellorum.

4 Domini temporales non prohibentes duellum quam pęnam incurrunt?
Reſp. Sunt excommunicati.

5 Si dicti Domini aſſignauerint locum duello, quam pęnam incurrunt?
Reſp. Vltra excommunicationem, amittunt quidquid ab Eccleſia obtinent; & ſi locus, vbi celebratur duellum, ſit de feudo, ſtatim perdunt. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.19.*

6 Hæc excommunicatio poſita à concilio, de quibus duelli intelligitur?
Reſp. De duellis ſolemnibus, & publicis tantùm, vbi ſeruantur omnia requiſita poſita in definitione duelli, non de duellis priuatis, quando quis accenſus ira aliquem priuatim prouocat in agrum, vel certum locum ad pugnandum, quia Concil. Trid. ſolùm voluit tollere gelum pugnarum, quod ſolemniter olim fiebat ad reſtitutionem honoris, & duella vocabantur, & lex pęnalis extendenda non eſt. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.cap.19.*

7 Si quis in duello, vel torneamentis vlneratus petat pęnitentiam, quæ ſacramenta debent ei adminiſtrari?
Reſp. Sacramentum pęnitentiæ, & Euchariſtiæ, non autem ſepultura Eccleſiaſtica. *cap.1.& 2.de torneament.*

8 Quare huic maiora conceduntur, & minora denegantur?
Reſp. Quia ſacramenta pęnitentiæ, & Euchariſtiæ ad ſalutem animæ ſunt neceſſaria, & ideò eis communicantur; at verò pęna pòſita ab Eccleſia, vt talis careat ſepultura Eccleſiaſtica, non tollitur ab Eccleſia per pęnitentiam, vt homines à tali crimine arceantur. *tex.in c.2.de torneament.& ibi gl.*

9 Quam pęnam incurrit clericus, qui pugnat in duello, ſiue ibi moriatur, ſiue non?
Reſp. Deponendus ab officio, & beneficio. *cap.1.de clerico pugnante in duello.*

10 Clericus prouocans, vel acceptans duellum ſolemne, qui cum effectu deſcendit in arenam, eſt nè ſuſpenſus ipſo Iure?
Reſp. Non, ſed venit ſuſpendendus per ſententiam, ſed ipſo Iure excommunicatur *à Conc.Tri.ſeſs.25.cap.19.c.1.de clericis pugnantibus in duello.*

11 Clericus prouocans aliquem ad pugnam, vel ad ſingulare certamen, vel acceptans prouocationem alterius, ſi non deſcendat ad talem pugnam, eſt nè excommunicatus, vel qua pęna punitur?
Reſp. Talis clericus non eſt excommunicatus, quia excommunicatio non incurritur verbis (niſi in materia hæreſis) ſed factis, & iſte talis punitur pęna graui arbitraria a Iudice, tanquam inquietus. *DD. in c.1. de clerico pugnante in duello.*

12 A quo diſpenſatur talis clericus pugnās in duello?
Reſp. Si in tali duello fuit mutilatio membri clerici, vel aduerſarij, vel mors, à ſolo Summo Pontifice; ſi autem non fuit mutilatio membri, neq; mors, ſed aliquod vulnus minimus à ſuo Epiſcopo. *c.1.de clerico pugnante in duello,& ibi DD.*

13 Clericus, qui dat enſem, vel pugionem, vt aliquis occidatur, & cum eo fit occiſio, quam pęnam incurrit?
Reſp. Incurrit pęnam irregularitatis, ſed ſi ipſe nihil ſciebat, & commodauit caſu enſem, vel pugionem alicui, & ille fecit homicidium, clericus non remanet irregularis, cum nullam dederit directa cauſam tali occiſioni, ſed cauſam remotiſſimam, vt ſi clericus ædificet domum, & iſta domus cadat, & occidat habitantes, non incurret irregularitatem, quia iſta cauſa eſt remotiſſima, & præter voluntatem ædificantis. *c.2.de clerico pugnante in duello.*

14 Si quis accedat ad locum torneamenti non animo pugnandi, ſed ex alio accidenti, & ibi moriatur, carebit nè ſepultura Eccleſiaſtica?
Reſp. Non; quia talis pęna poſita eſt contra eos, qui animo pugnandi accedunt ad duellum. *c.ad audientiā de torneamentis.*

15 Si in feſtis publicis, vbi pręmia proponuntur, aliquis ad oſtentationem virium aliquid faciat, & inde moriatur, vt ludendo enſe, ſaltando per arborem, luctando, vel alia ſimilia faciendo, debet nè talis carere ſepultura Eccleſiaſtica?
Reſp. Si exercitium ſit licitum, & non ſit in euidenti periculo amittendi vitam, ſed ſolùm ad oſtendendas magnas vires, vel corporis agilitatem, talis non caret ſepultura Eccleſiaſtica; quia, dū viuit, aliquos ludos facere licet, vt in *l.ſolent.ff.de aleatoribus,* ſi aūt exercitum ſit in euidenti periculo vitæ, vt antiquitùs faciebant gladiatores, talis caret ſepultura Eccleſiaſtica. *vt l.ſequenti.ff.eod tit.*

16 Quando nobiles, & equites ob aliquam lætitiam edunt torneamenta, vel ludunt arundinibus curſando cum æquitibus, & ibi quis moriatur, caret nè ſepultura Eccleſiaſtica?
Reſp. Non; quia præcipua intentio Equitum non eſt interficere aliquem, ſed ſolùm ludere, & plaudere Principi, vel populo. *cap. ad audientiam, de torneament.*

17 Quis

17 Quis dicitur incorrigibilis?
Reſp. Ille, qui pluries admonitus non ſe emendat.

18 Clericus homicidia incorrigibilis quam pœnam incurrit?
Reſp. Deponendus eſt, degradandus, & tradendus Curiæ ſæculari, vt naturaliter moriatur. *c. 1. de homicidio voluntario, vel caſuali.*

19 Qui occidit latronem, vel inimicum inculpata tutela defenſionis ſuæ perſonæ, ità quòd aliter ſe non poterat liberare, quam pœnam incurrit?
Reſp. Nullam, quia vim vi repellere licet, & quilibet magis tenetur ſuam vitam conſeruare, quam vitā alterius. *c. 2. de homicidio voluntario, & caſuali.*

20 Moderamen inculpatæ tutelæ quomodo debet iudicari ſtricto vel largo modo?
Reſp. Largo modo in fauorem clerici ſe defendentis, cum tale moderamen inculpatæ tutelæ dependeat à futuro euentu, & ſæpè ex eo ſuccedit caſus inopinatus & preter intentionem, imò, & ſæpè contra voluntatem facientis; ratio eſt, quia conſeruatio vitæ eſt primum bonum, & quilibet tenetur ad ſuam vitam defendendam. *DD. in c. 2. de cler. pugnante in duello.*

21 Si aliquis clericus occidat latronem, ita tamen, vt fugiendo vel alio modo ſe potuiſſet liberare, quam pœnam incurrit?
Reſp. Puto, quòd ſit irregularis, quia potius debebat dimitere ſua bona, quam hominem interficere. *Gloſ. in c. ſuſcepimus, & infra de homicidio volunt. vel caſuali.*

22 Quam pœnam incurrit clericus homicida voluntarius?
Reſp. Priuatur officio, vel beneficio obtento, vel obtinendo, & fit irregularis, cuius abſolutio eſt reſeruata Papæ, ſed ſi homicidium ſit caſuale, vel vim vi repellendo, cognita cauſa, ab Epiſcopo diſpenſatur. *Trid. ſyn. ſeſs. 14. c. 7. de refor.*

CAPVT IX.

De Clerico homicida.

1 SAcerdos homicida quam pœnam incurrit?
Reſp. Tam Sacerdos, quàm Diaconus, vel Subdiaconus ordine priuantur, & deponuntur, & recluduntur in monaſterio, vt faciant pœnitentiam duodecim annis. *c. tue diſcreptionis, de pœnis.*

2 Clericus pugnans pro ſe, vel pro alio, quam pœnam incurrit?
Reſp. Non debet amplius ſacros ordines exercere, etiamſi neminem interfecerit. *cap. Henr. Præsbiter, de cler. pugnat. in duello.*

3 Clericus, qui in duello, vel rixa moritur, quam pœnam incurrit?
℞. Non priuatur ſepultura Eccleſiaſtica, ſed in oratione, & oblatione pro eo non poſtulatur. *c. quicumque clericus. 23. q. 8.*

4 Clericus, qui occiderit Cardinalem, vel Epiſcopū, qua pæna punitur?
Reſp. Amittit beneficium, & omnia bona ſua confiſcantur. *c. felicis, de pœnis, clem. 1. in 6.*

5 Clericus, qui occidit paganum, qua pœna punitur?
Reſp. Eſt ſuſpenſus, nec poterit promoueri ad alios ordines. *c. clericorum, diſt. 50.*

6 Clericus, qui ob ſui defenſionem aliquem occiderit, qua pœna punitur?
Reſp. Si aliter non potuit vitare mortem, non incurrit irregularitatem, neque aliquam pœnam clementina *c. ſi furioſus, de homicidio, & latè de hoc in iſto lib 5.*

CAPVT X.

De clerico Simoniaco, vſurario, vel falſario, vel latrone.

1 QVam pænam incurrit clericus Simoniacus?
Reſp. Priuatur ſacerdotio, & beneficio, *c. de hoc c. inſinuatum, de ſimonia.*

2 Pro ſepultura poteſt nè exigi aliquid?
Reſp. Non, ſed ſi quid ſponte offeratur ab heredibus defuncti, recipi poteſt. *c. queſta eſt, 13. q. 2. c. in Eccleſiaſtico, ead. q.*

3 Poteſt exigi pretium pro danda poſſeſſione, pro ordinatione, pro collatione ſacramentorum, pro benedictione nubentium, & pro mortuis ſepeliendis?
Reſp. Non poteſt pro his rebus exigi pretium, cum ſint res ſacræ, & exigatur, committitur ſimonia. *c. non ſatis, de ſimonia.*

4 Quam pœnam incurrit Sacerdos, qui pretium petit ab eo, cui ſacram communionem diſpenſat?
Reſp. Deponitur. *c. nullus. 1. q. 1.*

5 Quam pœnam incurrit clericus faciens furtum, vel frangens domum?
Reſp. Semptem annis debet pœnitere, & recludi in aliquo loco. *c. ſi quis clericus. 17. q. 4.*

6 Quam pœnam incurrit clericus falſarius?
Reſp. Si falſificauerit bullas Apoſtolicas, priuatur officijs, & beneficijs, & degradatur, & traditur Curiæ ſæculari. *cap. ad audientiam. cap. dura. c. ad falſarium, de crimine falſi, c. nouimus, de verborum ſignificatione.*

7 Clericus tentans furto ſubtrahere vaſa ſacra, qua pœna puniendus?
Reſp. Grauiſſima pœna, & ſi de facto id fecerit, maiori pœna a Iudice Eccleſiaſtico eſt puniendus, ita vt, ſi furtum ſit qualificatum, poſſit degradari, & ad triremes mitti.

CAPVT XI.

De cohabitatione clericorū, & mulierum, ex libro tertio decretalium.

1 QVid eſt cohabitatio clerici, & mulieris?
Reſp. Eſt ſimul in vnum habitare, quaſi habitant maritus, & vxor.

2 Cle-

2 Clericus poteſt retinere mulierem in domo ſua?
Reſp. Si talis mulier ſit ſuſpecta de incontinentia, non debet eam domi retinere, etiam ſi ſit ſoror, vel conſanguinea, ſiue ſit ſuſpecta cum ipſo clerico, vel cum tertia perſona propter honoſtatem clericorũ. *c.1.de cohabitatione, cler.& mul.*

3 Quis dicitur fornicator notorius?
Reſp. Ille, qui eſt notorius per ſuam confeſſionem, vel per ſententiam, vel per euidentiam facti, vt cum quis publicè habet concubinam, vel publicè eſt fornicator. *c.veſtra,de cohabitatione clericorum, & mulierum, Abb ibi num.3.c.fin.nu.4.eod.tit.*

4 Iudex,quãdo procedit ex præſumptionibus,quam ſententiam debet ferre?
Reſp. Debet ſententiare moderatè plurimum,& raro debet pęnam ordinariam imponere. *Abb. cap.ſi quiſquam de cohabitatione, num.4.*

5 Ex ſolis inditijs poteſt quis facere ſententiam?
Reſp. Si inditia ſint adeò vrgentia,& in tanto numero,arbitrio iudicis, ſufficiunt ad dandam ſententiam in criminalibus. *l.inditia.C.de rei vendicatione. Abb. c.veſtra,de cohabitatione clericorum,nu.13. c.afferte,de præſumptionibus.*

6 Epiſcopus debet compellere clericum, vt iuret ſe dimiſſurum concubinam intra tantum tempus?
Reſp. Non,quia nemini parandus eſt laqueus, vt ſi reuertatur ad concubinam, ſit concubinarius,& periurus, ſed per ſententiam ſuſpenſionis, & interdicti debet procedere, & creſcente contumacia, augenda eſt pœna.*c.Clericos, de cohabitatione Clericorum.*

7 Si quis Clericus moneatur, vt euitet conuerſationem,& familiaritatem mulierum,qua pęna punitur, ſi non fecerit?
Reſp. Præmiſſa trina monitione excommunicatur, *c.ſi quiſquam, de cohab.*

8 Clerici poſſunt habitare cum ſuis ſororibus, & conſanguineis?
Reſp. Poſſunt,cum naturale fędus excludat omnem ſuſpitionem delicti,& mali.cap.a nobis,de cohabitatione. *Abb.ibi num.1.*

9 Epiſcopus poteſt habere matrem, ſororem, vel aliquam fęminam non ſuſpectam in domo?
Reſp. Poterit. *Abb.c.1.de cohabitatione nu. 1. & 2.*

10 Clericus in minoribus poterit nè matrimonium contrahere?
Reſp. Poterit licitè abſque pœna. *Abb.c.ſi autem,de cohabitatione, num.2.*

11 Debet quis audire Miſſam à Clerico notorio fornicatorio, vel concubinario?
℞. Non,ſed abſtinere,non ideò,quòd ſacramẽta ab eo confecta non ſint ſacramenta, ſed in pęnam delicti illius Clerici,vt emendetur. *c.veſtra. de cohabitat.*

CAPVT XII.

De Clerico concubinario, vel fornicatore.

1 QVis dicitur notorius concubinarius?
Reſp. Quando delictum eſt notum per cõfeſſionem factam in iudicio, aut per ſententiam, aut per facti euidentiam,quæ tergiuerſatione aliqua celari non poteſt; verbi gratia, ſi clericus retinet concubinam,vt vxorem, & iſte talis dicitur notorius cõcubinarius, *cap.quæſitum, de cohabitat. clericorum,& mulierum. Abb.in c.veſtra,nu.6. de cohabitatione Clericor. & mulier.*

2 Quis dicitur publicus fornicator?
Reſp. Ille,qui publicè vagatur abutens hac,vel illa. *Diaz in praxi criminali.c.73.& Nauar.in ſumm.cap.25 num.77.*

3 Clericus concubinarius, vel fornicator notorius celebrans, vel exercens actum ordinis ante abſolutionem ſuſpenſione, quam pœnam incurrit?
Reſp. Irregularitatis.*Silu.verb.irregularitas, in fine n. 15 Abb.in c.quia circa.nu.5.de bigamis.*

4 Quis poteſt abſoluere ab hac irregularitate?
Reſp. Sunt variæ opiniones, ſed *Couar. in Clem.ſi furioſus. 1.p.§.1.num. 5.* dicit eſſe communem opinionem,quòd ſolus Papa poteſt diſpenſare, *iuxta Abb. in cap.veſtra,de cohabitatione Clericorum,& mulierum,* ſed ſi ſit occulta, poterit Epiſcopus abſoluere ſine dubio.

5 Quis poteſt diſpenſare in ſuſpenſione cum Clerico notorio concubinario, & fornicatore?
Reſp. Epiſcopus ſine aliquo dubio.*Sylu.verb.irregularitas. in fine, & Abb. in c.quia circa.nu.5. de bigamis. Trid.ſyn.ſeſs.25.c.14.*

6 Notorietas iſta concubinarij,& Clerici fornicatoris, quomodo cognoſcitur, & probatur, vt clericus ſciat ſe eſſe ſuſpenſum,& alij ſciant illũ eſſe euitadũ?
Reſp. Ex tribus capitibus cognoſcenda eſt iſta notorietas. Primò, ſi talis clericus coram iudice confeſſus eſt ſe eſſe notorium concubinarium, vel fornicatorem. Secundò, quando Iudex per ſententiam diffinitiuam iudicauit, Petrum eſſe notorium concubinarium, vel fornicatorem. Tertiò quando facti euidentia ita eſt, vt talis clericus non audeat negare ſe eſſe notorium concubinarium.*c.cum tua,de cohabitatione clericorum, & mulierum.*

7 In ſupradictis notorietatibus requiritur nè aliqua citatio, vel declaratoria?
Reſp. Non de iure,ſed de conſuetudine,quæ ſeruãda eſt,requiritur citatio, & declaratoria, & ſine his qui non eſt habendus pro ſuſpenſo. *Couar. 1.p.relect.*

8 Si quis ſit conſtitutus in minoribus ordinibus, & ſit concubinarius notorius, erit nè ſuſpenſus?
Reſp. Pęna ſuſpenſionis imponitur omnibus tàm in maioribus, quam in minoribus ordinibus conſtitutis. *canone præter.diſt.32.Sylu.verb.concubin.§.4.*

9 Clericus notorius fornicator quam pęnã incurrit?
Reſp. Eſt ſuſpenſus ipſo Iure. *Nauarr.in ſum.cap.25. num.76.*

10 Clericus notorius concubinarius, quam pœnam incurrit?
℞. Eſt ipſo Iure ſuſpenſus.*c.quæſitum,de cohab.Clericorum,& mulierum. Trid.ſyn.ſeſs.25.c.14. de refor.*

11 Hæc ſuſpenſio eſt nè ſolùm ab officio?
Reſp. Eſt ab officio, & beneficio, & à perceptione fructuum.*Abb.in c.veſtra,dè cohab.Clericorum,& mulierum, num.7. Trid.ſyn.ſeſ.25.c.14.*

12 Ad condemnandum aliquem in pœna ſuſpenſionis pro concubinatu, quid requiritur?
℞. Vt priùs admoneatur ſolemniter ſecundum legẽ Euangelij, & poſtea cõtra illũ procedatur, & habeat

vnam ex tribus prædictis notorietatibus,& non ſufficit,vt per edictum generale quis admoneatur. *DD. ſuper c.14.ſeſſ.25.*

13 Cognitio de cõcubinarijs ad quem Iudicem pertinet, ad Eccleſiaſticum, vel ſæcularem?

Reſp. Quando laici committunt hoc crimen,cognitio eſt mixti fori, ſcilicet iudicis Eccleſiaſticis, & ſæcularis,& eſt locus præuentionis, ſi verò committat hoc delictum aliquis Clericus etiam in minoribus, vel clericus etiam in maioribus, vel Clericus vxoratus, cognitio in ſolidum pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum,& poteſt procedere ſummariè ſine ſcriptura Iudicis. *Trid.ſyn.ſeſ.24.c.8.*

14 Poteſt Iudex Eccleſiaſticus cognoſcere ex officio, vel ad inſtantiam fiſci de crimine concubinariatus in mulieribus vxoratis?

Reſp. Non poterit procedere ex officio,neq; ad inſtantiam fiſci, propter periculum mortis mulieris, ſed ſolùm poterit procedere ad petitionem mariti, & magna cum cautela,ſed aliquando cum crimen eſt ſcandaloſum, poterit detecto nomine mulieris, Clericum de incõtinentia punire. *tenet Ber.Diaz in prax. cap.65.*

16 In quibus caſibus poterit Iudex Eccleſiaſticus in cauſa adulterij,cõcubinatus, fornicationis procedere contra mulieres vxoratas ſine petitione mariti?

℞. Poterit procedere,quando adulterium eſt publicũ,& maritus perſona vilis,& non timetur de morte mulieris. Secundò,quãdo maritus conſentit in adulterium,& tunc ipſe maritus prius eſt incarcerandus, quàm ipſa mulier. *Bernard. Diaz in praxi,c.65.*

17 Quis dicitur propriè cõcubinarius,& vnde dicitur?

℞. Concubinarius deriuatur à concubina,& propriè dicitur ille,qui cum aliqua muliere, ſiue vxorata, ſiue libera,tam familiariter cohabitat per aliquod tẽpus, ſicut vir cum ſua vxore, licèt non viuant in vna domo, neque vnus alatur ſumptibus alterius; hæc enim ſunt inditia, & præſumptiones violentæ, quæ cum alijs adminiculis, vel vno teſte faciunt probationem plenam. *DD.ſuper c.14.ſeſſ.25.*

18 Crimina concubinatus in qua differentia ſunt?

Reſp. In duplici differentia; nam aliquis eſt concubinarius notorius, aliquis concubinarius occultus. *Abb.in cap. veſtra,de cohabitatione Clericorum,& mulierum.*

19 Quis dicitur occultus concubinarius?

Reſp. Ille,qui habet concubinam, vel in domo cum ſua ſorore,vel matre,vel extra domũ,ſed tã occultè, & cautè,vt hoc delictũ à nullis, vel à paucis ſciatur, & iſte mitiùs eſt puniendus,cum non det ſcandalum.

20 Quis dicitur notoriè concubinarius?

Reſp. Quando delictum eſt notum,& publicum,aut per ſententiam Iudicis,aut per confeſſionem factam in iudicio à parte,aut per facti euidentiam,& publicam famam,verbi gratia,ſi Clericus retineat concubinam in ſua domo,vt vxorem,& hoc ſit tam publicum,quòd tergiuerſatione aliqua occultari,& cælari non poſſit, præcipuè ſi ipſe extraiudicialiter de hoc cum amicis ſuis laudetur.

21 Quis dicitur publicus, & notorius fornicator?

Reſp. Ille Clericus, qui publicè vagatur, abutens hac, vel illa muliere, & iſte talis non punitur pœnis poſitis à Concilio concubinarijs, ſed alijs pœnis à Iure expreſſis. *Bernard. Diaz in praxi crim.cap.73.& Nau.in ſum.c.25.n.77.*

22 Qualis debet eſſe ſententia, quæ faciat notorium concubinarium?

Reſp. Illa ſententia,quæ tranſit in rem iudicatam,à qua non fuit appellatum, non pendente appellatione, talis ſententia poteſt reuocari à ſuperiore.

23 Quæ confeſſio partis facit notorium concubinarium, & fornicatorem?

Reſp. Confeſſio facta iuridicè coram Iudice, & teſtibus,non confeſſio exorta vi,vel metu,neq; confeſſio extraiudicialis: nam cum ſimus in pęna grauiſſima,dari non debet,niſi per confeſſionem iuridicam.

24 Quæ notorietas facti ſufficit ad probationem cõcubinatus, vel fornicationis?

Reſp. Quando facti euidentia crimen ita eſt publicum,notorium,& famoſum, vt talis clericus non audeat negare, ſe eſſe notorium concubinarium. *c. tua de cohabit.Cleric.& mulier.*

25 Fama publica, vt faciat notorietatem delicti in concubinario fornicatore,vel alio delicto,quas qualitates debet habere, vt ſit ſufficiens probatio?

Reſp. Fama iſta publica dent eſſe talis,quòd à toto populo,vel maiore parte populi in iudicio, & extra iudicium affirmetur,Petrum,v.g.commiſiſſe tale delictum cum tali perſona,abſque aliqua varietate, & hoc eſſe publicum notorium, & famam publicam,& licèt nullus dicat ſe vidiſſe, hæc conteſtatio totius populi, vel maioris partis populi facit tale delictum famoſum, & notorium per famam.

26 Si quis Clericus ſit concubinarius,vel fornicarius per murmur publicum, debent ne contra illum recipi teſtes ad eum condemnandum?

Reſp. Si tale murmur non tranſit in famam publicam, debent fieri proceſſus, & recipi teſtes ad condemnandum tale crimen,quia murmur nõ facit probationem,imò ſæpe eſt mendacium, & falſum. *c.tua nos, de cohabit. Cleric.& mulier.*

27 Si ſint plurimi hoĩes, qui extraiudicialiter dicant, Petrũ eſſe cõcubinariũ notorium notorietate facti, & nolint in iudicio iuramento affirmare, Iudex dent ne condẽnare talem Clericum pœna concubinarij?

℞. Non,quia ad condẽnandũ aliquẽ plus requiritur iuramẽtũ,quã loquela extraiudicialis, cũ agatur de dãno alterius,ſolũ poteſt monere teſtes, vt dicãt veritatẽ,& proteſtare eis,quòd in conſcientia teſtis reſtat tale delictum, & debet charitatiuè monere talẽ Clericum,vt tollat occaſionẽ illius rumoris,& famę, & cum hoc talis Iudex reſtat ſecurus in conſcientia, quia ipſe non poteſt aliquem condemnare ſine probationibus,& teſtibus legitime receptis. *tenet Abbas in cap.tua nos, de cohab.Cleric.& mulier.*

28 Crimen notorium concubinatus quam probationem requirit, vt non indigeat alijs teſtibus?

Reſp. Si ſit notorium notorietate ſententiæ, vel facti,vel famæ,ita vt de crimine dubitari non poſſit, vt dictum eſt,non indiget aliquo teſte,neque accuſatore ad eius punitionem,ſed rarò contigit. *tenet Abbas in c.tua nos, de cohab.Cler. & mul.*

29 Ex ſolis inditijs, & præſumptionibus poteſt quis condemnare concubinarios pęna poſita à Concilio?

℞. Si prẽſumptiones,& inditia ſint adeò vrgẽtia, & violẽta,& in tãto numero, quòd arbitrio Iudicis ſufficiãt,poterit aliqua pęna extraordinaria,& omnino tollere occaſionem illius mulieris, ſed nõ poterit eũ condemnare pœna ordinaria,quæ grauiſſima eſt: ratio eſt,quia delictũ cõcubinarij nõ eſt ita occultum,

ſicut

ſicut alia delicta, imò de eo plurimi, vt ſunt vicini, & famuli debent habere notitiam, cum ad veram rationem requiratur, vt talis homo vtatur tali muliere ea ſecuritate, & familiaritate, qua vtitur maritus cũ ſua vxore, & in delictis, in quibus poſſunt haberi teſtes, inditia, & præſumptiones adiuuant, ſed non cõdemnant. *tenet Abb. in c. veſtra, & in c. ſi quiſquam nu. 4. de cohab. clericorum, & mulierum, & c. afferte mihi gladium, de præſumptionibus.*

30 Quando clericus eſt infamatus de crimine concubinatus, Iudex quid debet agere?
Reſp. Si teſtes non deponant crimen, ſed ſolùm deponant infamiam, & ſcandalum de auditu, tunc Iudex debet conſtringere clericum ad purgationem canonicam, & ſi in ea defecerit, poterit cùm punire pœna extraordinaria. *tenet Abb. in c. tua nos, de cohabit. cleric. & mulierum, num. 5.*

31 Si crimen concubinarij, vel fornicarij non ſit notorium aliqua notorietate ex ſupradictis, quam probationẽ debet facere Iudex ad pęnam ordinariam?
Reſp. Probationem iuridicam per teſtes, vel per cõfeſſionem partis, ſicut in alijs delictis.

32 Quam pœnam poſuit Conc. Trid. clericis concubinarijs?
Reſp. Si Clericus à ſuperiore admonitus non dimiſerit concubinam, quam intra domum habet, vel extra domum, pro prima vice priuatur ipſo facto tertia parte fructuum; obuentionum, & prouentuum omnium beneficiorum ſuorum, & penſione, quæ pæna fabricæ Eccleſiæ applicatur, vel alij pio loco arbitrio Epiſcopi; ſi verò cum eadẽ, vel alia fęmina perſeuerauerit, & ſecundæ monitioni non paruerit, fructus omnes, & prouentus ipſo facto amittit, & ſuſpẽditur ab adminiſtratione ſuorum beneficiorum per tantum tempus, quantum ſuo ordinario placuerit, & ſi pro tertia vice ſuſpenſus perſeuerauerit, tunc beneficijs, officijs, dignitatibus perpetuò priuatur, donec reſipiſcat, & à ſuis ſuperioribus habilitetur, & pro quarta vice ſi perſeuerauerit excommunicatur, & extra Eccleſiam eijcitur. *Tri. ſeſs. 25. de refor. c. 14.*

33 Iſta pœna ponitur à Concilio concubinarijs, & fornicatoribus notorijs, & publicis, vel etiam occultis, qui abſque ſcandalo, & notorietate habent concubinas?
Reſp. Hæc pœna æqualiter ponitur à concilio clericis habentibus concubinas publicas, quia in iſto. *c. non punitur ſcandalum, ſed delictum*, licèt mitiùs agendum ſit cum clericis habentibus concubinas occultas, quia non dant tantum ſcandalum. *DD. in d. cap. 14. ſeſs. 25.*

34 Si clerici non habeant beneficia, qua pæna puniuntur?
Reſp. Carcere, ſuſpenſione ab ordine, recluſione perpetua, inhabilitate ad beneficia obtinenda, & alijs pœnis iuxta grauitatem delicti. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 14.*

35 Requiritur neceſſariò ad crimen concubinatus, vt clericus cõtinuato tempore cum vna muliere cohabitet, vel ſufficit, vt diuerſis temporibus cum diuerſis mulieribus cohabitet inhoneſtè?
Reſp. Vtroque modo eſt proprius concubinarius, ſi vtatur dictis mulieribus tamquam concubinis; ratio eſt, quia crimen iteratum, & crimen continuatum idem ſunt, quoad pœnam, præcipuè cum concilium dicat expreſſè eum eadem, vel alia fęmina perſeuerauerit; ratio eſt, quia diuerſitas perſonarum non diuerſificat delictum, neque tollit pœnam, cum ſit in eodem genere. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 14.*

36 Si Epiſcopus tale delictum committat, quod abſit, qua pœna punitur per Conc. Trid.
Reſp. Cum Epiſcopo alius ordo eſt ſeruandus propter eius dignitatem, quia raró poteſt contingere, & ita ſi Epiſcopus, qui hoc crimen commiſit, admonitus à ſynodo Prouinciali non ſe emendauerit, ipſo facto eſt ſuſpenſus, & ſi perſeuerauerit, ſynodus ſummum Pont. certiorem faciat, vt eum animaduertat. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 14. de reform.*

37 Si quis priuatus ſit fructibus ſui beneficij pro delicto concubinatus, & illum reſignet, illa priuatio tranſit nè in ſucceſſorem?
Reſp. Non, quia pœna impoſita eſt tali perſonæ, & non tali beneficio?

38 Quando concilium *Trid. in c. 14. ſeſſ. 25.* imponit pœnam concubinario, qui admonitus non dimittit concubinam, de qua monitione loquitur?
Reſp. De monitione ſolemni ſecundum legẽ Euangelij, ſcilicet quòd primò debet eſſe admonitio priuata inter Epiſcopum, & clericum. Secundò coram duobus, vel tribus teſtibus viris religioſis. Tertiò coram alijs teſtibus viris probis, & religioſis referendo ſemper reliquas monitiones charitatiuè hortando, & non ſufficit, vt hæc monitio ſit per edictum, ſed de perſona ad perſonam; ratio eſt, quia ad tam magnam pœnam requiritur magna contumacia, *vt tenent DD. ſuper c. 14. ſeſſ. 25.*

39 Iſtæ tres monitiones debent fieri, prima vice, quando quis priuatur tertia parte fructuum, & ſecunda vice, quando priuatur omnibus fructibus, & tertia, quando priuatur beneficijs?
Reſp. In qualibet vice debent fieri iſtæ tres monitiones, quia in qualibet vice eſt diuerſum iudicium, & diuerſa pœna, verùm, quod poteſt mederi oleo, non debet ſanari ferro. *tenent DD. ſuper c. 14. ſeſſ. 25.*

40 Quod tempus debet intercedere inter primam, ſecundam, & tertiam monitionem?
Reſp. Arbitrio Epiſcopi relinquitur, vt neceſſitas poſtulauerit, quia à Iure non eſt ſtabilitum.

41 Si Iudex voluerit condemnare concubinarium, vel fornicatorem in pecunia, exilio, reclufione, vel alijs pœnis à Iure ſtabilitis, debent nè præcedere neceſſariò iſtæ tres monitiones?
℞. Tunc ſufficit monitio, quę fit per edictũ ab Epiſcopis in principio cuiuſlibet anni, quia iſta trina, & ſolemnis monitio ſolum requiritur, quando dẽt priuari beneficijs, & dari pęna poſita à *Conc. ſeſſ. 25. c. 14.*

42 Quando Concil. Trid. poſuit pęnas concubinario, & fornicario in *d. c. 14. ſeſſ. 25.* ſubſtulit ne pœnas à Iure poſitas contra fornicarios, adulteros, & concubinarios?
℞. Non ſubſtulit pęnas à Iure poſitas, neque pęnas poſitas à capitulis Eccleſiarũ, vel poſitas à concilijs Prouincialibus, & ſynodalibus, imò illas auxit, vt à tãto crimine clerici deterreãtur. *Tri. ſyn. ſeſs. 25. c. 14.*

43 Clericus concubinarius, vel fornicator notorius, de Iure qua pœna punitur?
℞. Eſt ſuſpenſus, & ſi celebret ante abſolutionẽm, efficitur irregularis: *tenet Syl. verb. irreg. §. 15. notabili. 27. Ab. 1. c. quia circ. n. 3. de bigamis, Na. ĩ ſũ. c. 25. n. 27.*

44 Quis poteſt diſpenſare in ſuſpenſione poſita à Iure clerico notorio concubinario, & fornicatore?

 Reſp. Epi-

Reſp. Epiſcopus in aliquo dubio, & ſi priuatus ſit exercitio ordinis, & adminiſtratione beneficij, Epiſcopus poteſt eum rehabilitare, poſtquã reſipiſcat. *tenet Syluester, & Nauar. vbi ſup.*

45 Si aliquis clericus ſit fornicator, vel habeat vnã, vel duas concubinas, & non ſit notorius modo dicto, immò illas habet cum magna cautela, taliter, quòd hoc delictum ſcitur, & ſuſpicatur à paucis perſonis, talis erit nè ſuſpenſus, vel irregularis, ſi celebret?

Reſp. Iſte talis clericus non eſt ſuſpenſus, quia iſta pœna poſita eſt ſolùm notorijs concubinarijs, & fornicatoribus, qui habent aliquam notorietatem ex tribus ſupradictis. *Tol. lib. 1. cap. 15. de ſuſpenſione, & concubinario notorio.*

46 Clericus concubinarius notorius notorietate facti, ſed ſub aliquo dubio, & velamine, qui habet concubinam in conſortium ſororis, vel matris, eſt nè ſuſpenſus, & abijciendus ab Eccleſia?

Reſp. Talis clericus, quo ad ſe, & ſuam conſcientiã, eſt ſuſpenſus, & non debet celebrare, ſicut ille, qui exiſtit in peccato mortali, quia eſt in ſtatu damnationis, cum Paulus dicat, quòd talis iudicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini, tamen talis clericus in foro exteriori non eſt ſuſpenſus, nec debet ab Eccleſia iudicari; ratio eſt, quia delictum eſt ſub dubio, & non eſt ſententiatum à Iudice, & quod poteſt ad bonam partem interpretari, non debet in reprobam partem iudicari. *tenet Abb. in c. veſtra, de cohabit. clericorum, & mulierum, num. 1.*

47 Quæ differentia eſt inter clericum concubinariũ, & fornicatorem?

Reſp. Maxima, & à iudicibus multum aduertenda, quia delictum, & pœna eſt diſtincta, quia fornicator dicitur homo libidinoſus, qui cùm incertis, & pluribus mulieribus habet rem, & actum carnalem, & huic non imponitur pæna concubinarij, ſed mitior, cum hoc delictum procedat ex fragilitate hominis, & non habeat illam perſeuerantiam, & duritiam, quam habet concubinarius. *tenet Abb. in c. veſtra, de cohabitatione clericorum, & mulierum.*

48 Quæ differentia eſt inter concubinarium notoriũ notorietate ſententiæ, vel ſuæ propriæ confeſſionis, vel inter notorium notorietate facti, qui habet domi concubinam, ſed nondum eſt ſententiatus?

Reſp. Maxima differentia eſt: nam notorius notorietate ſententiæ, ſi celebrat, ſit irregularis, quia eſt ſuſpenſus, ſed notorius notorietate facti, ſolum quo ad ſe eſt ſuſpenſus, ſicut qui eſt in peccato mortali, & non remanet irregularis; ratio eſt, quia ad iſtam irregularitatem requiritur monitio, & ſententia ſuſpenſionis, & hoc tenet *Ioannes Andreas in c. tua nos, & c. veſtra, de cohabitatione clericorum, & mulierum.* ſed Abbas tenet dicto loco, quòd ſi iſte talis ſit ita notorius notorietate facti, quod habeat concubinam in domo abſque velamine, & taliter quod iſte talis ſit ſuſpenſus ante ſententiam, & ex conſequenti ſit irregularis, ſi celebret, & Abbas tenet hanc opinionem, quia notorietatem facti indubitatam ponit locò probationis, & ſententiæ, ſed cum in *Conc. Trident. ſeſſ. 25. c. 14.* ponatur ordo in infligendi pœnis, hæc dubitatio eſt ſublata, quia neceſſariò debent præcedere monitiones, & ſententiæ, vt deueniatur ad vltimam pœnam, quæ eſt grauiſſima. *Trid. ſynod. ſeſſione 25. cap. 14.*

49 Donatio facta à clerico ſuæ concubinæ valet ne?

Reſp. Non, quia donatio facta à milite ſuæ concubinæ non valet, & clericus eſt miles cæleſtis. *cap. 2. de donationibus inter virum, & vxorem, & Abb. cap. 1. de clerico ægrotante, num. 4.*

CAPVT XIII.

De Clerico libidinoſo.

1 Clericus fornicarius, quam pœnam incurrit?

℞. Secundum canonem Apoſtolorum *diſtinct. 81. c. Presbyter,* decem annis debet agere pęnitentiã, ſed hodie propter fragilitatem naturæ, mitius punitur per Iudicem Eccleſiaſticum, videlicet carcere, & alia pœna pecuniaria ſecundum ſtatuta cuiuſcumque diœceſis, & ſecundum ſynodum diœceſanam?

2 Clericus adulter qua pœna punitur?

℞. Per totam vitam in monaſterio recludi debet, & priuatur officio, & beneficio. *c. ſi quis clericus. diſt. 81.*

3 Clericus contra naturã peccans qualiter punitur?

Reſp. Perpetuò in monaſterio reclud itur ad agendam pęnitentiam, ſed hodie degradari debet, & curię ſæculari tradi. *c. clerici, de exceſſibus Prælatorum.*

4 Sacerdos, qui fornicatur cum ſua filia ſpirituali, quam pęnam incurrit?

℞. In Monaſterio per totam vitam recluditur ad agendam pœnitentiam, poſtquam duodecim annos peregrinauerit, ſed hodie ſi in actu confeſſionis id ſolicitauerit, per bullam particularem ab Inquiſitoribus punitur. *Bulla Gregorij XV. & dixi latè iſto lib. 5. c. de clerico ſolicitante in confeſſione.*

5 Clericus, qui matrimonium contrahit, qua pœna punitur?

℞. Si ſit Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos excõmunicatur, & matrimonium non valet, & carcere; vel exterminio punitur. *Clem. vnica, de conſanguinitate, & affinitate.*

CAPVT XIV.

De Clerico excommunicato celebrante.

1 Sacerdos excommunicatus, ſi celebrat, qua pœna punitur?

Reſp. Tribus annis debet ſe abſtinere à carnibus, & vino, ſecunda, quarta, & ſexta feria, *cap. de illis. 11. q. 3.* ſed hodie punitur carcere, exilio, & alijs pęnis à Iudice Eccleſiaſtico, & remanet irregularis. *c. 1. eod. tit.*

2 Sacerdos interdictus, ſi celebrat, qua pęna punitur?

℞. Si monitus non reſipiſcat, deponitur perpetuò, *c. clerici, de clerico excommun.*

3 Sacerdos ligatus minori excommunicatione, ſi celebrat, eſt nè irregularis?

℞. Si id non fecerit in contemptũ Eccleſiæ, vel ſuperioris, nõ eſt irregularis, ſi autem fecerit, eſt excommuni-

municandus, & peccat mortaliter. *cap.ſi celebrat, de clerico excommunicato.*

4 Sacerdos degradatus, ſi celebrat, qua pœna punitur?

Reſp. Per totam vitam ſuam debet agere pœnitentiam, & in die obitus ſui viaticum illi debet dari. *c. accedens diſtinct. 50.*

CAPVT XV.

De Clerico blaſphemo, & periuro.

1 CLerici debent ne iurare?

Reſp. Rarò ex grauiſſima cauſa, ponendo manus ſupra pectus, & coram Iudice Eccleſiaſtico, & ſi iurent ante Iudicem laicum debent id facere cum licentia ſui Epiſcopi, & non aliter. *cap.ſi quis Presbyter 2. quaeſt. 4.*

2 Clericus periurus qua pœna punitur?

Reſp. Ab officio, & beneficio ſuſpenditur. *c. querelam, de iureiur.*

3 Clericus blaſphemus qua pœna punitur?

Reſp. Pro prima vice priuatur per annum fructibus beneficiorum, pro ſecunda vice priuatur vno beneficio, & ſi plura beneficia habeat, ordinarius eligat, quod beneficium debet amittere, pro tertia vice priuatur omnibus beneficijs. *cap.ſi quis per capillum. 22. quaeſt. 1. Conc. Lateranenſe ſub Leone X. cap. de reformatione Curiæ.*

CAPVT XVI.

De Clerico reuelante Confeſsiones.

1 POteſt nè quilibet Sacerdos, poſtquam accepit ordinem Presbyteratus, audire confeſſiones?

Reſp. Non, ſed ſolùm illi, qui habent parochiale beneficium, vel licentiam Epiſcopi, poſtquam fuerint approbati examine, quæ licentia gratìs dari debet; ſolum in articulo mortis ſimplex Sacerdos propter neceſſitatem poterit audire confeſſionem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 15. clem. dudum, de ſepulturis.*

2 Sacerdos, qui reuelat peccata ſibi confeſſa, quam pœnam incurrit?

Reſp. Deponitur, & in monaſterio perpetuò recluditur. *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pęnit. & remiſſionibus.*

3 Sacerdos quando poteſt aperire peccatum ſibi confeſſum?

Reſp. Numquam, niſi ex vrgenti cauſa habeat licentiam ab ipſo pœnitente conceſſam. *c. omnis, de pænitentijs, & remiſſionibus. Abb. in c. ſignificaſti, de adulterijs, num. 5.*

CAPVT XVII.

De Clerico ſolicitante in Confeſsione.

1 QVod eſt delictum clerici ſolicitantis in confeſſione?

Reſp. Eſt delictum patratum à confeſſore inducente mulierem pęnitētem ad actus libidinoſos. *Param. lib. 3. directorij Inquiſitorum, q. 10. nu. 118. & titulo de ſolicitante ad libidinem in actu confeſſionis.*

2 Delictum ſolicitantis in quo genere peccatorum reputatur?

Reſp. Computatur inter peccata ſacrilegij, quia hoc delictum eſt enorme, & adducit ſecum maximā deformitatem, & ſolicitans eſt vehementer ſuſpectus de fide. *cap. infames. 3. q. 7. Ledeſma in additionibus ad tertiam partem, q. 10, art. 2. conſ. 1. Paramus lib. 3. directorij 2. p. q. 10. n. 122. Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana, c. 79. num. 2. Pegna in directorio Inquiſit. p. 1. q. 55.*

3 Quibus modis committitur hoc delictum ſolicitationis?

Reſp. Tribus modis, verbis, ſignis, & tactu. *Param. loco alleg. Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana, titul. de confeſſore reuelante confeſſionem. Gregorius XV. in conſtitutione edicta 31. Auguſti anno 1622.*

4 Quomodo committitur delictum ſolicitationis, verbis?

℞. Dicendo mulieri pænitenti in confeſſionario, vel in loco conſtituto ad confeſſionem, verba libidinoſa, & illicitos ſermones, qui ducunt ad actum libidinoſum, alliciēdo mulierem ad ſuum amorem. *Pegna in directorio Inquiſitorum. 2. parte, q. 55. Paramus loco citato, conſtitutio Greg. XV. ſup. cit.*

5 Quomodo committitur delictum ſolicitationis, ſignis?

Reſp. Riſu, vultu, ore, manu, capite, facie, oculis, pede, faciendo cum his membris aliquod ſignum amoris, beneuolentiæ, ſummiſſionis, ita vt mulier illo ſigno cognoſcat illum talem confeſſorem eſſe ſuum amantem; ſicut faciunt homines ſæculares aſpiciendo oculis attentis, & hilaribus mulieres, quas amāt, oſculando manus, &c. ſed in his ſignis cum magna cautela procedendum eſt: nam rarò contingit, quòd quis ſolis ſignis ſolicitet, niſi prius dixerit verba, & ſcripſerit litteras, vel mandauerit Nuncium, & ſic dicta ſigna magis ſeruiunt ad circumſtantiam, ſuſpitionem, & adminicula, quam ad integram probationem. *Param. p. 2. loc. cit. Practica Archiepiſcopalis loco cit.* dixit quemdam confeſſorem ſolicitaſſe quandam mulierem ſignis, & aliam tactu.

6 Quomodo committitur delictum ſolicitationis tactu?

Reſp. Si confeſſor tangat manum mulieris, & opprimat illam, vel tangat pectus, vel faciem, vel aliud ſimile, vel oſculetur illam in ore, facie, vel fronte. *Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana. c. 6. num. 2. Paramus loco citato.*

7 Requiritur ne ad conſumandum delictum ſolicitationis in confeſſione, vt concurrant tria hæc, nempè verba, ſigna, & tactus ſolicitantis?
Reſp. Non, ſed ſufficit vnumquodlibet ex dictis, vel ſimilibus ad incurrendam pœnam ſolicitationis, vt expreſsè declaratur in Bulla Gregorij XV. & in bulla Pij IV. edita anno 1561. ſui Pontificatus anno 2. quæ Bulla per conſtitutionem Greg. XV. ſupra citata confirmatur.

8 In quo loco committitur delictum ſolicitationis in confeſſione?
Reſp. Primò in actu confeſſionis. Secundò ante inceptam confeſſionem. Tertiò poſt eam finitã. Quartò in loco confeſſionarij, in quocumque loco Eccleſiæ, vel domus, vbi ſub prætextu confeſſionis tales ſolicitationes fiant, conſtitutio Greg. XV. ſupra citata hoc expreſsè declarans.

9 Si tales ſolicitationes fiant à confeſſore, & confeſſio non fiat, nec abſolutio ſequatur, ſed ſolùm interſint amoris verba, erit nè delictum ſolicitationis, & infligetur pœna ſolicitanti?
Reſp. Si tales ſolicitationes fiant occaſione, prætextu, pallio, vel ſimulatione confeſſionis, eandem pœnã incurrit ſolicitans, ac ſi in ipſa confeſſione ſolicitaret, quia abutitur ſacramento, & illud ſumit ad ſui delicti occultationem, vt expreſsè declarat Sanctiſſimus D.N. Greg. XV. conſtitutione allegata.

10 In toto Iure canonico inuenitur ne pœna contra ſolicitantes in confeſſione ſtabilita?
Reſp. Non, quia licèt *in c. omnes, & c. non decet Epiſcopis, & c. ſi quis 30. q. 1.* imponatur pœna contra confeſſores, qui habent rem cum filiabus confeſſionis, ibi nòn ſolicitatio punitur, ſed incontinentiæ delictum cum filiabus ſpiritualibus, vt videtur *in d. cap. omnes 30. quæſt. 1.*

11 Quare in toto Iure non inuenitur expreſſa pœna ſolicitantibus in confeſſione?
Reſp. Quia forſan tempore Greg. XV. quando decretales collectæ fuerunt, tam magnum ſcelus, & flagitium non erat inuentum, & perpetratum à confeſſoribus, & Eccleſia medicinam, quando infirmitas oritur, applicat, & ſic duco, quod tempore Pij IV. anno Domini 1561. hoc delictum incæperit, quia ipſe Pius dicto anno pœnam degradationis huic delicto impoſuit, quam poſtea Clemens VIII. per conſtitutionem editam anno Domini 1592. & etiã Greg. XV. eam confirmauit anno Domini 1622. addendo pœnas, declarando probationes, & locum ſolicitationis, ita vt in nihilo poſſit deinceps dubitari.

12 Solicitans in confeſſione qua pœna punitur de Iure nouo?
Reſp. Pluribus. Primò ſuſpenſione ab executione ordinum, & confeſſionis. Secundò priuatione beneficij, dignitatis, & officij. Tertiò recluditur in carcere perpetuo, vel in monaſterio. Quartò mittitur ad triremes. Quintò mittitur in exilium. Sextò degradatur, & traditur Curiæ ſæculari interficiendus. Septimò ſi fuerit regularis, priuatur perpetuo voto actiuo, & paſſiuo, & hæc pœnæ abſque venia infliguntur, vt expreſsè traditur in conſtitutione Greg. XV. ſupra allegata, in Bulla Pij IV. quæ directa eſt ad Archiepiſcopum Hyſpalenſem Inquiſitorem Generalem in Regnis Hiſpaniæ; Pena in directorio Inquiſitorum, *p. 2. q. 55. Paramus lib. 3. directorij, titulo de ſolicitatione. quæſt. 10.*

13 Quid debent Iudices conſiderare in condemnãdo confeſſores ſolicitantes in dictis pœnis?
Reſp. Primò grauitatem perſonæ ſolicitatæ, & perſonæ ſolicitantis. Secundò dignitatem, vel affectum ſolicitantis. Tertiò numerum ſolicitationum. Quartò tempus, & annos, vel menſes, in quibus vſus eſt delicto, ſolicitationis. Quintò damnum, quod fecit ſolicitando. Sextò ſcandalum, quod dedit ſolicitando, vt de Iure pœna ſit proportionata delicto perpetuò, cum in dicta Bulla Greg. XV. expreſſa facultas iudicibus detur, vt pro criminum grauitate, & circũſtantijs hoc delictum puniant, & ſic non in qualibet ſolicitatione iſtæ pœnæ grauiſſimæ ſunt imponendę.

14 Si quis ſemel ſolicitet mulierem ordinariam, qua pœna debet puniri?
Reſp. Sufficit, vt priuetur officio confeſſarij, *vt tenet Praxis Archiepiſcopalis Neapolitana, num. 2. c. 66.*

15 Si quis diuerſis temporibus duas mulieres ſolicitet, qua pœna puniretur?
Reſp. Tunc poterit priuari officio confeſſoris, & ſuſpendi ab executione ordinis, & perpetuò in monaſterio recludi, præcipuè ſi ſcandalum fuit ortum. *dicta praxis Neapolitana loco citato.*

16 Quando debet imponi pœna degradationis, vel triremis clerico ſolicitanti in confeſſione?
Reſp. Quando eſſet ſolicitata monialis, vel filia, ſeu vxor alicuius Ducis, vel magni viri, vel quando ſolicitans commiſit hoc delictum cum pluribus mulieribus, & denique quando ſcandalum eſſet magnum in populo, & crimen publicum, & notorium; tunc enim grauioribus pęnis eſt vtendum; quia hoc relinquitur arbitrio iudicis *in d. Bulla Greg. XV. & gloſ. in c. non debet. 30. q. 1.*

17 Si confeſſarius in confeſſione ſolicitet aliquã mulierem vetulam, vt ipſa extra confeſſionem ſolicitet aliquam mulierem formoſam, mãdet litteras, delegationes, puniretur nè talis confeſſarius pena ſolicitantis in confeſſione?
Reſp. Licèt hoc non ſit expreſſum in dicta conſtitutione Greg. XV. tamen eſt peccatum eiuſdem generis tendens ad finem libidinoſum, & ſacrilegum, & ſic Iudex, qui eum priuaret facultate audiendi confeſſiones, benè iudicaret, & ſecundum mentem conſtitutionis, quia non faceret extenſionem pœnæ, vel declarationem, *vt tenet gl. in c. 1. de temporibus ordinationum, in 6. Steph. Quaranta ſuper declarationem Bullæ Pij IV. edita anno 1561. Paramus 2. p. directorij. q. 10. titulo de ſolicitante.*

18 Confeſſarius ſolicitans in confeſſione mulierem, vel pœnitentem ad alia peccata, veluti ad furtum, homicidium, puniretur ne pœna ſolicitantis in confeſſione?
Reſp. Licèt puniretur pœna grauiſſima, quia abutitur ſacramento ad rem illicitam, tamen non puniretur pœna ſolicitantis poſita in conſtitutione Gregorij XV. ratio eſt, quia pœna extenditur ad aliud genus peccati, de quo non loquitur conſtitutio, & in pœnis non debet fieri extenſio. *c. 1. de pænitentia. c. in pænis de reg. iur. lib. 6. Dec. l. factum. §. in pænalibus, ff. de reg. iuris.*

19 Clericus ſolicitans puerum in confeſſione ad ſodomiam qua pœna punitur?
℞. Eadem pęna, qua punitur clericus ſolicitãs mulierem. Primò, quia hic non fit extenſio pęnę, ſed declarato. Secundò, quia eadem ratio eſt fortior, cum

ſit in

ſit in eodem genere delicti, in quo valet argumentū de minori ad maius, quia in dicta conſtitutione Gregor. XV. non punitur directè libido, ſed locus, & circumſtantia confeſſionis, quia ſacramento ad libidinem vtuntur. Tertiò, quia peccatum contra naturam eſt de delictis, in quibus optimo Iure ſępè punitur affectus, licèt non ſequatur effectus. quartò, quia forſan dicta Bulla hoc delictum ſilentio inuoluit propter enormitatem. Sextò, quia ſi quis Iudex iudicaret delictum ſolicitationis in puerum, ſicut de delicto ſolicitationis in mulierem motus exemplo dictæ conſtit. Greg. XV. benè, & prudenter iudicaret; *tenet Stephanus Quaranta, verbo confeſſor* . §.*fin.* ſuper declarationem Bullæ Pij IV. editam anno Domini 1561. die 16. Aprilis, *& tenet Paramus 2. part. directorij. q. 10. titulo, de ſolecitante. gloſſ. in capit. 1. de temporibus ordinationum*, in 6. *verbo Italiæ*, vbi docetur incluſionem, & declaratione pœnæ poſſe fieri.

20 Mulier ſolicitata quam pęnam incurrit, ſi non denuncia ſolicitationem iudici vt puniatur?
Reſp. Eſt excommunicata ratione generalis edicti, quod omnibus annis publicatur ab ordinarij in ſuis Eccleſijs, & ab Inquiſitoribus includens hunc caſum. *tenet Paramus lib. 3. directorij q. 10. num. 127.*

21 Si quis confeſſor non dicat ſuis pœnitentibus teneri manifeſtare delictum ſolicitationis, vel interrogatus dicat, non teneri mulierem ſolicitatam manifeſtare ſollecitationem ab ipſo factam, vel ab alio confeſſore, qua pœna punitur?
Reſp. Grauiter debet puniri ab ordinarijs locorum, quæ pena relinquitur in arbitrio ordinariorū iudicū per *d. Bullam Gregor. XV. & tenet Param. loco ſupr. citat.*

22 Si quis confeſſor extra confeſſionem ſollicitet, & habeat rem cum muliere ſua pœnitente, incurrit nè pęnam poſitam ſolicitanti clerico in confeſſione?
Reſp. Non quia non ſit extēſio in pęnis, ſed priuatur officio, & debet exterminari per duodecim annos, & poſtea degere vitam in monaſterio, & ſi fuerit Epiſcopus quindecim annos pœnitentiam agere, *c. non debet Epiſcopus. 30. q. 2.*

23 Mulier, quæ habet rem cum patre ſpirituali, cui confitetur peccata, quam pęnam incurrit?
Reſp. Debet dare omnia bona ſua pauperibus, & perpetuò in monaſteriò recludi, vbi non erit monacha, ſed ibi ſicut in carcere manebit. *Gloſ. in c. ſi quis Sacerdos. 30. q. 1.*

24 Talis cognitio ſpiritualis orta inter confeſſorem, & pęnitentem impediet nè matrimonium contrahendum inter filios, & filias confeſſoris, & pęnitētis?
Reſp. Minimè, quia Conc. Trid. expreſſè declarat oriri dictum impedimentum ſolum in baptiſmate, & confirmatione, ſed talis cognitio ſpiritualis inter cōfeſſorem, & pęnitentem eſt quoddam vinculum aggrauans delictum, & augens pęnam. *Gloſſ. in c. ſi quis, Sacerdo. 30. q. 1. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 2. de reform.*

25 Quod eſt maius peccatum in Sacerdote, adulterium committere, vel cognoſcere carnaliter filiam ſpiritualem?
Reſp. Filiam ſpiritualem cognoſcere, quia inter cōfeſſorem, & pænitentem oritur quædam cognatio ſpiritualis, quia dicitur in *c. omnes, & in c. ſi quis. 30. q. 1.* omnes quos in pęnitentia accepimus, ita filij noſtri ſunt, vt in baptiſmate ſuſcepti.

26 Sacerdos græcus poterit audire confeſſiones, & peccata ſuæ propriæ vxoris?
Reſp. Non licet, vt hoc faciat, quia ipſa non liberè confiteretur, præcipuè ſi commiſit adulterium, vel aliud peccatum in damnum, & honorem mariti.

27 Mulier de Iure poteſt eſſe teſtis?
Reſp. Licèt *gloſ. cap. 2. de iudicijs lib. 6.* de Iure prohibeātur, teneat, quòd mulieres non ſunt teſtes idoneę, tamē certū eſt, quòd in criminalibus in defectu probationum, poſſunt eſſe teſtes, & magis certum eſt, quod in crimine ſolicitationis mulier eſt teſtis inſtrumentalis idonea, & neceſſaria, quia, ſi ipſa neget eſſe ſolecitatam, nullum eſt crimen, & quod in criminalibus mulier poſſit eſſe teſtis. *tenet Ioan. Andr.* in additionibus ad ſpeculum, titulo, de teſtibus. *Iaſon in l. fin. C. de bis, quibus vt indignis, num. 7. Dec. in l. fœminæ, de reg. iur. Paramus par. 2. directorij. lib. 3. q. 10. num. 137. titulo de ſolicitante.*

28 Quibus teſtibus probatur crimen ſollicitationis?
Reſp. Teſtibus ſingularibus cōcurrentibus pręſumptionibus, inditijs, & alijs adminiculis, vt in dicta conſtitutione Greg. XV. habetur.

29 Singularitas teſtium quotuplex eſt?
Reſp. Triplex obſtatiua, diuerſificatiua, cumulatiua. *Baldus c. licet cauſam, de probationibus, num. 11. & Pegna vbi ſupra.*

30 Qualis eſt ſingularitas obſtatiua?
Reſp. Quando ex dictis duorum teſtium naſcitur repugnantia, videlicet quando quod vnus affirmat, alter negat. *Anchar. conſ. 64. Bald. in l. de quibus ff. de legibus num. 39. Pegna in 3. par. directorij*,

31 Qualis eſt ſingularitas diuerſificatiua?
Reſp. Quando ex dictis duorum teſtium naſcitur diuerſitas rei in aliqua circunſtantia ſubſtantiali, vt quando vnus teſtis aſſerit aliquod delictū cōmiſſum eſſe in ciuitate, alius teſtis aſſerit commiſſum eſſe in agro. *Pegna in 3. par. directorij comment. 121. Roias tract. de hæreticis. 2. p. nu. 122.*

32 Qualis eſt ſingularitas cumulatiua?
Reſp. Quando dictum vnius teſtis coadiuuat dictū alterius, vel in genere, vel in ſpecie, vel in ſubſtantia, vel in modo, vt ſi vnus dicat Franciſcus confeſſor ſolicitauit, me his verbis die Dominica; alter dicat idē confeſſor ſolicitauit me die veneris in confeſſionario tertio in tali Eccleſia; alter dicat idem confeſſor ſolicitauit me die ſabbati in eadem Eccleſia tangendo pectus meum, ſingularitas horum teſtium eſt cumulatiua, & adiuuat probationem. *Pegna 3. part. directorij inquiſitorum commentario 121. Alexand. in conſil. 21. & alij Doctor.*

33 Quę ſingularitas teſtium in caſu ſolicitationis facit probationem plenam?
Reſp. Singularitas cumulatiua admittitur, quia coadiuuat veritatem, & probationem delicti, vt in dicta conſtitutione Greg. XV. videtur.

34 Quare non requiruntur in probatione delicti ſolicitationis niſi teſtes ſingulares cum inditijs, & circumſtantijs, cum Iure in alijs delictis grauioribus requirantur ad minus duo, vel tres teſtes, in quorum ore ex Euangelio ſtat omne verbum?
Reſp. Quia hoc delictum habet difficiliorem probationem, quam omnia alia delicta, cum ea, quæ in confeſſione tractantur, non poſſūt ſciri, niſi à confeſſore, & pęnitente, propter ſigillum confeſſionis, & ideò in dicta coſtitutione Gregor. XV. datur facultas

cultas Iudicibus, vt cum teſtibus ſingularibus, & alijs adminiculis poſſint proferre ſententiam. *l.ſi quis, ff. de quæſtionibus. Praxis Neapol. ſupra alleg. cap.79.*

35 Si Confeſſor ſolicitet mulierem, & mulier conſentiat ſolicitationi, & taceat, admittitur ne confeſſor in teſtem contra mulierem, quæ non reuelauit delictum?

Reſp. Licèt de Iure ſocius criminis non admittatur in teſtem, tamen in hoc caſu tanquam in re grauiſſima, & occulta admittitur ad teſtificandum contra mulierem tacentem ſollicitationem. *tenet Paramus in directorio 2.p.q.10.titulo de ſolicitatione.gloſ.l fin. C. de teſtib.Salyc.col.2.c. de accuſation. gloſ.c.vlt.15.q.3. Bald.lib.1.conſ.95.*

36 Quis dicitur ſocius criminis?

Reſp. Qui ſimul cum alio committit idem crimen, ſicuti dicitur ſocius mercantiæ, qui ſimul cum alio exercet mercaturam in communem vtilitatem, & damnum, etiam dicitur ſocius criminis, qui occultat, vel conſenſit crimini. *l.comparantem. C.ad l. Fabiam, de plagiarijs.l.quoniam.liberi.C.de teſtib.Paramus in directorio 5.allegat.*

37 Teſtis vnus ſufficit nè in hoc caſu ad torturam, reo negante?

Reſp. Si ſit omni exceptione maior, ſufficit ſine alijs adminiculis.*Capic.deciſ.126.n.1.Zerbla practic.Arimin. verbo teſtis.dicta praxis Archiepiſc.Neap.tit.de reuelante confeſſionem.*

38 Si verò aliqua mulier petulans ſolicitet in actu confeſſionis confeſſorem ad ſuum amorem laſciuũ, poterit nè admitti confeſſor ad deponendum contra eam, vt puniatur?

Reſp. Admittitur, quia talis mulier videtur ſuſpecta de fide, cum ad ſuam libidinem accipiat ſacramentum pro velamine, & pallio. *tenet Paramus 2. par. directorij.c.10.tit. de ſolicitante. Maſcard.de probationibus, lib.1.conc.26.n.11.*

39 Talis mulier puniretur eadem pęna, qua punitur confeſſor ſolicitans mulierem?

Reſp. Licèt de iure debeat puniri grauiſſima pęna, nempè fuſtibus, vel perpetua recluſione ſecundùm qualitatem perſonæ, tamen non debet puniri pęna poſita in conſtitutione Greg. XV. Primò, quia illa pęna non eſt impoſita pęnitenti, & eſſet extenſio pęnæ, ſi extenderetur ad diſtinctam perſonam. Secundò, quia confeſſor in actu illo eſt Iudex, & habet maiorem culpam, & pęnam. *c. odia reſtringi, c.in pęnis, de reg.iur.in 6.*

40 In crimine ſolicitationis creditur nè vni teſti ſine alijs coniecturis?

Reſp. In caſibus difficilis probationis, ſicuti in crimine ſolicitationis, creditur ſtante conſtitutione Greg.XV. quæ dicit ad probationem ſufficere teſtes ſingulares cum alijs adminiculis, videtur, quod vnus teſtis omni exceptione maior ſufficit ſolum ad imponendum aliquod remedium, vel medicinam. *latè Maſcard.l.ſi quis ff.de quæſtionibus.*

41 Si quis accuſatus de crimine ſolicitationis habeat contra ſe ſolùm dictum mulieris ſolicitatæ, & nullum habeat inditium, ſufficiet nè hoc ad integram probationem?

Reſp. Non ſufficit, licèt talis mulier ſit bonæ, & iuſtæ famæ; ratio eſt, quia dicta conſtitutio Gregor. XV. expreſsè dicit, vt probatio fiat teſtibus ſingularibus concurrentibus alijs adminiculis, inditijs, & præſumptionibus, & illud verbum concurrentibus eſt copulatiuum, & non diſiunctiuum; vnde ſequitur, quòd teſtis ſingularis, & inditia copulatiua, & non vnus ſine altero faciunt plenam probationem, licèt, vt dixi, ſufficeret vnus teſtis ad imponendum aliquod remedium, & medicinam ad abijciendum damnum, & ſcandalum, ſicuti quando proceditur ex ſolis inditijs, raro debet pęnam imponere. *Abb.c.ſi quiſquam, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, nu.4.*

42 Solis inditijs, & præſumptionibus poteſt Clericus ſolicitans in confeſſione condemnari?

Reſp. Si inditia ſint plura vrgentia, & euidentia, ſufficiunt in hoc crimine, & in alijs criminibus ad condemnandum reum. *l. inditia. C. de rei vendicatione. l.ſciant cuncti.c.de probationibus. c.afferte mihi gladium, de probationibus. Ab.c.veſtra, de cohabit.Cleric. & mulier.n.13.*

43 Si aliquis accuſatus de crimine ſolicitationis habeat contra ſe duos, aut tres teſtes mulieres, quæ dicant eſſe ſolecitatas in confeſſione ante, vel poſtea diuerſis temporibus à tali confeſſore, & nullum ſit inditium, hæc erit nè ſufficiens probatio cõtra talem delinquentem?

Reſp. Si illæ duæ, vel tres mulieres nullam patiantur exceptionem, facient eandem fidem, ac ſi conteſtes deponerent de vno, eodemque actu, & conuenirent de loco, de caſu, & tempore; ratio eſt, quia dicta conſtitutio Gregor. XV. hoc expreſsè præcipit. *Dec. l.fœmina, num.36.Paramus, lib.3.quæſt.10.num.136. Dec.c.at ſi Clerici, de iudicijs. gl.in c.præſul.2.q.4.*

44 Si iſtæ duæ, vel tres mulieres teſtificantes, forſan patiantur aliquos defectus in Iure, ex quibus de Iure non admittuntur ad teſtificandum; veluti ſi ſunt meretrices, libidinoſæ, periuræ, ebriæ, infames, Iudex debet dare illis integram fidem virtute dictæ Conſtitutionis Greg.XV.?

Reſp. Dicta Conſtitutio non ſupplet defectus teſtiũ, nec habilitat teſtem inhabilem, ſed hoc relinquitur in Iure communi. *l.fin.C.de probation.*

45 Si vnus teſtis, præſtito iuramento, aſſeueret ſe aliter dixiſſe teſtimoniũ, quam à Tabellione ſcriptũ eſt, creditur magis Tabellioni, an teſti?

Reſp. Diſtinguendo, vel ex cauſa ciuilis, vel criminalis; ſi eſt criminalis, iterum diſtinguitur, vel agitur de pęna contra reum, vel de pęna contra teſtem vacillantem; ſi agatur de pęna contra reum, magis ſtandum eſt vltimo dicto teſtis, quam ſcripturæ Tabellionis; ratio eſt, quia ille teſtis eſt, qui condemnat, vel ſaluat reum, non verò tabellionis ſcriptura. *tenet Couarr.variar.reſol.lib.2.c.13.§.verum.Panormitanus. c.ad audientiam, de præſcriptionibus, nu.7. argumento legis vltimæ.c.de probat.Fely.Speculator.in ti. de teſtib.*

46 Si agatur de pęna imponenda teſti vacillanti, vel contrarium dicenti in cauſa criminali, cui creditur magis, teſti, an Tabellioni?

Reſp. Si Tabellio ſcripſit depoſitionem coram teſtibus inſtrumentalibus, ſeu coram Iudice, & poſtea legit ſuum dictum teſti ante ſubſcriptionem, & teſtis dicit benè eſt, in hoc caſu magis creditur Tabellioni, quàm teſti; nam pro Tabellione pręſumitur. *l. ſi quis decurio. C. de falſis. c.ad audientiam, de præſcriptionibus.Couar.lib.2.var.reſ.cap.13.§.verum.*

47 Quæ

47 Quæ ſunt præſumptiones, inditia, & adminicula, quæ debet Iudex inquirere, & ponderare, quando eſt vnus teſtis ſingularis ad condemnandum confeſſorem ſolicitantem?

Reſp. Plura. Primò, ſi confeſſor aliàs eſt libidinoſus. Secundò, Si in occulto extra confeſſionem cum ea ſit loquutus amoroſè, occultando ſe vt non videretur ab alijs. Tertiò, ſi dedit dictæ mulieri victum, & veſtitum, pecunias, ſeù donum. Quartò, ſi mittat Nuntios ad eam viſitandam, vel ſolicitandam. Quintò, ſi ſcribat dictæ mulieri litteras, cantilenas, vel verſus; Sextò, ſi dicta mulier amoroſè, & peculiariter cum eo loquatur, & ipſe eam grauiter non repellat. Septimò, ſcandalum, & murmur vicinorum, vel ciuitatis: aliqua inditia ex his ſimul cum depoſitione mulieris plenam in hoc caſu faciunt probationem, vt colligitur, ex dicta conſtit. Greg. XV.

48 Quæ inditia, & præſumptiones ſunt conſiderandæ in fauorem confeſſoris accuſati?

Reſp. Primò vita, fama, grauitas, ſanctitas, dignitas, officium; ætas dicti confeſſoris. Secundò religio, quam profitetur. Tertiò honeſtas vel pudicitias, & qualitas mulieris deponentis. Quartò an talis confeſſor habeat inimicum, & talis mulier ab eo ſeducta ſit promiſſionibus, pecunia, donis amore odio, vel alia de cauſa, Quintò ſi talis mulier facilè conſueuit alios accuſare etiam in iudicio ſæculari. *Paramus vbi ſup.*

49 Si mulier talis ſeducta ab alio ſit, qua pęna punitur?

Reſp. Licèt non pęna talionis, tamen grauiſſima pęna, videlicet fuſtibus, exilio debet ipſa puniri, & ſeducens, vt in toto titulo de calumniatoribus, & Doctores ibi.

50 Quis eſt Iudex competēs in delicto ſolicitationis?

Reſp. In Hiſpania punito huius delicti pertinet priuatiuè ad inquiſitores hæreticæ prauitatis, per bullā Pij IV. editam anno 1561. directam ad Archiepiſcopum Hiſpalenſem, tunc Generalem Inquiſitorē, & tenet Paramus, & Pegna in directorio loco citato; hodie vero in Regnis Siciliæ, & Italiæ pertinet iuriſdictio ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Inquiſitores ad ſingulos priuatiuè in ſuis diœceſibus, qui ſtrictè procedunt in hac cauſa, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati, virtute *d. conſtitutionis Greg. XV.*

51 Dicti Iudices quomodo debent procedere in cauſa ſolicitationis contra reum?

Reſp. Tanquam in cauſa fidei. Primò interrogando, an talis ſit Chriſtianus, baptizatus, confirmatus, & ritè ordinatus. Secundo, vbi ſit natus, qui fuerint eius parentes, nomen patris, & matris, officium, & qualitatem cuius diœceſis ſit, cui Archiepiſcopo, vel Epiſcopo ſubdatur. Tertiò, vnde ſit educatus, quas litteras didicerit, & an ſit in eis graduatus. Quartò, quam religionem ſit profeſſus, quæ officia vel beneficia habuerit in vita ſua. Quintò, quid ſentiat de fide, ſacramentis Eccleſiæ, de ſacramento confeſſionis, à quo habuit licentiam confitendi per quos annos exercuit officium confeſſoris, & in quibus locis, & partibus. Sextò, an cognoſcat talem mulierem; quo tempore inceperit cum eo cōfiteri, & quoties in anno, vel menſe, qua in Eccleſia, quo in loco, vel cōfeſſionario. Septimò, an ſciat eius domum, an cognoſcat eius parentes, an loquutus fuerit extra confeſſionem cum dicta muliere, & quo loco, quoties, & quando. Octauo an dictæ mulieri dederit aliquando pecunias, veſtes, dona, panem, vinum, vel carnem, in qua quantitate, quoties, cum quibus ſeruis, & nuntijs eam miſerit. Nonò, an promiſerit dictæ mulieri aliqua dona vel ſe eam adiuuaturum in ſuis neceſſitatibus. Decimò, an miſerit aliquando dictæ mulieri epiſtolas, verſus, vel cantilenas; & qui continebat, & cum quibus nuntij. Vndecimò, an tali die, menſe, & anno in tali Eccleſia, in tali confeſſionario, vel loco vbi ſolitus ſit audire confeſſiones, loquutus fuerit cum dicta muliere talia verba, vel fecerit talia ſigna, vel oſculatus fuerit eam, vel palpauerit, & tetigerit eius pectus, manus, & ſimilia, animo alliciendi eam ad ſuum amorem. Duodecimò, ſi antea, vel poſtea habuit cum ea rem, quoties, & in quo loco. Decimotertiò, qui homines, vel mulieres ſciant, & nouerint hoc delictam, quod ſcandalum fuerit ortum; conſtitutio Greg. XV. præcipit implicitè hæc omnia interrogari, quando dicit, vt cum reo procedatur, tanquam in cauſa fidei interrogando, quid de fide ſentiat.

52 Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Inquiſitores contra quas perſonam ſolicitantes in confeſſione poſſunt procedere?

Reſp. Contra omnes confeſſarios ſuæ diœceſis, & iuriſdictionis quilibet poteſt procedere, ſiue ſint Clerici ſæculares, ſiuæ monachi, ſiue fratres regulares, ſiue religioſi cuiuſcumq; ordinis, & inſtituti exempti, & non exempti, ſubditi immediatè Summo Pont. ſiue ſuis Principalibus, & Generalibus ſiue degant vitam intra clauſtra monaſterij, ſiue extra, *d. conſtit. Greg. XV. omnes ſpecificè comprehendit.*

53 Dicti regulares, & religioſi poſſunt ſe defendere, & ſubtrahere à iuriſdictione Epiſcoporum, & iudicum virtute priuilegij religioſorum, vel gratiarum, etiam maris magni, vel virtute conſuetudinis, etiam immemorabilis, vel virtute alicuius exemptionis?

Reſp. Non, quia hæc ſunt derogata, & annullata quaſi de his priuilegijs fuiſſet facta expreſſa mentio per conſtitutionem Greg. XV. & niſi oſtendant aliquam derogationem expreſſam factam de dicta conſtitutione, & datam poſt. 31. die Auguſti anno Domini 1622. Iudex debet procedere contra eos, & in articulo declarante iuriſdictionem, nō debet eos audire.

54 Iudex, qui cognoſcit de aliquo religioſo regulari, poterit nè eum extra ſuum monaſterium incarcerare, & alios compellere regulares, vt in hac cauſa teſtificentur?

Reſp. Poterit eum incarcerare in monaſterio, vel extra monaſterium, vt magis iudicauerit conuenite, & contra eum procedere ad torturam, & ad omnes actus iudiciales vſq; ad executionem ſententiæ diffinitiuæ incluſiuæ, & poterit compellere reliquos religioſos pœnis, cenſuris, carcere, & omni remedio iuris vt in hoc caſu teſtificentur, ſi neceſſarium fuerit; ratio eſt, quià cui conceditur iuriſdictio, conceduntur omnia neceſſaria ad talem iuriſdictionem exercendam *l. 1. ff. de iuriſdictione omnium iudicum, & ibi Doctores.*

55 Si aliquis religioſus ſit alicuius diœceſis, & in aliena diœceſi committat delictum ſolicitationis à quo Epiſcopo debet puniri?

Reſp. Ab Epiſcopo, in cuius diœceſi, commiſit delictum. Primò, quia quis conſequitur forum ratione delicti.

delicti. Secundò, quia Epiſcopus illius diœceſi, in qua eſt commiſſum delictum melius poteſt facere probationes,& ſubſtantiare cauſas cum ſuis proprijs ſubditis, quàm Epiſcopus alienę diœceſis (cum ipſe habeat maiorem cognitionem perſonarum. Tertiò, ne mulier ſolicitata, & teſtes extrahantur extra ſuā propriam diœceſim. *Abb.c. ſane, & c. fin.de foro compet. num.6.*

56 In crimine ſolicitationis ſi probatio fuerit dubia, pro quo iudicandum eſt pro reo, vel contra reum? Reſp. Iudicandum eſt in fauorem rei. Primò, quia delictum non præſumitur, vbi poſſibile eſt, quod ſine crimine aliquid fieri poſſit. Secundò ratione dignitatis, & officij confeſſoris. Tertiò ratione loci ſacri, ideò in fauorem confeſſoris eſt iudicandum, *tenet Cald. in c. de Eccleſia S. Mariæ, de conſuetudinibus.*

57 Quando dicitur probatio dubia in crimine ſolicitationis?
Reſp. Quando ſunt tot indicia, vel teſtes equales in qualitatibus de affirmatiua in fauorem rei, quot ſunt contra reum, vel quando mulier accuſans eſſet malæ vitæ, & famæ, vel pateretur aliquod defectum expreſſum in Iure, ex quo titubaret eius fides, & reus eſſe bonæ famæ, & exiſteret negatiuus.

58 Quis debet iudicare probationem in crimine ſolicitationis eſſe dubiā, vel quando vnico teſte,& alijs adminiculis eſt procedendum ad condemnationem?
Reſp. Iudices, qui de crimine cognoſcunt, quibus in dicta conſtitutione Gregorij XV. hoc expreſsè commiſſum eſt.

CAPVT XVIII.

De Clerico luſore.

1 QVam incurrit Clericus ludens cartis?
Reſp. Pęna arbitraria debet puniri, à Iudice Eccleſiaſtico.

2 Quam pęnam incurrit Clericus ludens aleis?
Reſp. Excommunicationis. *c. Epiſcop. diſt. 35. authent. de Epiſcop. & Clericis. §. interdicimus, collatione 9. cap. Clerici officia, de vita, & honeſtate Clericor.*

3 Quam pęnam incurrit Clericus, qui in domo ſua habet ludum publicum, vel ſecretum?
Reſp. Punitur pœna grauiori, quàm illi, qui ludunt præcipuè ſi ludi ſint prohibiti per leges Regni, tunc ſi admonitus perſeuerauerit, poterit in exilium mitti dicta authentica, *& DD. ibi.*

CAPVT XIX.

De Clerico ebrio.

1 CLerici edendi, vel bibendi cauſa poſſunt ingredi tabernas?
Reſp. Non, niſi peregrinationis, vel itineris. *c. clerici. diſt. 44.*

2 Quam pęnam habent Clerici ebrij?
Reſp. Ab officio,& beneficio ſuſpenduntur,& ſi non ſe emendauerint, omnibus honorum gradibus perpetuò priuantur, vel ſupplicio corporali puniuntur, arbitrio iudicis. *cap. à crapula de vita, & honeſtate Clericor.*

3 Quam pęnam incurrit Clericus cantans in epulis?
Reſp. Excommunicatur, & acerrimè corripitur arbitrio iudicis. *Conc. Cartaginenſe 4. actione 62.*

4 Quam pęnam incurrit Clericus, qui per ſuam ebrietatem euomit Euchariſtiam?
Reſp. Debet pęnitere ſeptuaginta diebus, ſi fuerit Epiſcopus nonaginta diebus, ſed ſi id fecerit propter infirmitatem, ſeptem diebus. *c. ſi quis per ebrietatem, diſt. 2. de conſecrat.*

CAPVT XX.

De Clerico qui aſsiſtit publicis ſpectaculis.

1 CLericus, qui aſſiſtit ſpectaculis, qua pęna punitur?
Reſp. Tribus annis ab officio ſuſpenditur. *authent. interdicimus. c. de ſanctiſſimis Epiſcopi.*

2 Clericus aſſiſtens agitationibus taurorum quam pęnam incurrit?
Reſp. Excommunicationis. Bulla Pij V. edita annos 1567. & Bulla Gregorij XIII. edita anno 1575. & hoc intelligitur in illis Prouincijs, vbi dictæ Bullæ ſunt quo ad penas excommunicationis.

CAPVT XXI.

De Clerico negotiatore.

1 QVid eſt negotiatio?
Reſp. Eſt frequens contractio pecuniæ, vel alicuius rei lucri gratia facta.

2 Quotuplex eſt negotiatio?
Reſp. Duplex, licita,& illicita: rurſus illicita eſt duplex, alia illicita per ſe, vt ſimonia, alia illicita per accidens, videlicet ratione finis, vel perſonæ, per totum titulum, de Clerico negotiatore.

3 Clericus negotiator gaudet ne priuilegio fori?
Reſp. In bonis patrimonialibus gaudet. *Abb. in c. recolentes, de ſtatu monachorum. c. fin. de vita, & honeſtate Clericorum.*

4 Licet ne Clerico negotiari?
Reſp. Non, imò à Clerico negotiatore tanquam à peſte fugiendum eſt. *c. fornicari. diſt. 88.*

5 Clericus poteſt negotiari fructus ſui beneficij, vel patrimonij abſq; pęna?
Reſp. Poterit, videlicet vendere, & ferre de loco in locum, vinum, oleum, frumentum, linum, & his ſimilia. *Innocentius. c. quod quibuſdam. de fideiuſſ.*

6 Clerici poſſunt per alias perſonas negotiari?

℞. Pro-

Reſp. Prohibitum eſt Clericis negotiari per alios, & per ſe, ſed Clericus, qui negotiatur per alium, non incurrit pęnas poſitas contra Clericum negotiantem per ſe, niſi poſt monitionem, & ſententiam prohibentem negotiari per alium. *Vgolin. de offic. & poteſtat. Epiſcopi.* §. 18. *fol.* 88.

7 Clerici poſſunt emere lanam, & linum, & eam laborare, & poſtea vendere pannum, linteum, & alia ſimilia?

Reſp. Poſſunt, & ſuis manibus ea facere, nam Apoſtoli ſuis manibus ſubſtentabantur, & plurimi Sancti. *cap.* 20. *de actu Apoſt.*

8 Clerici poſſunt per ſe ipſos exercere aliqua officia mechanica, & vendere opera ab eis facta, & ſic ſe ſubſtentare, vel ſe ditare?

Reſp. Officia mechanica ſunt in duplici differentia, aliqua officia ſunt, quæ ſecum afferunt indecentiam, & fæditatem, vt ſunt curare pelles, facere muros, tondere barbam, & his ſimilia; alia officia ſunt munda, & honeſtoria, vt eſt argentarius, pictor, ſutor, faber, & ſcultor, librarius, vel facere capſulas, pallia, & ornamenta Eccleſiæ, & his ſimilia; officia primi generis Clericis non debent exercere, quia portant ſecum indecentiam; officia verò ſecundi generis licitè poterunt exercere, tàm ad ſe ſubſtentandũ, & alendum, quàm ad ſe adiuuandum, vel vt tollat otium peccati cauſatiuum, quia hoc non ſolùm non eſt prohibitum Clericis ſed multis in locis conſultũ a ſanctis patribus, qui in eremo vitam degebant, vt legitur in vitis patrum.

CAPVT XXII.

De Clerico, qui comparet ante Iudicem ſęcularem.

1 Clericus poteſt aliquem prouocare, vel trahere ante Iudicem ſæcularem?

Reſp. Non, ſine licentia ſui Epiſcopi. *Concil. Calcedonenſe actione* 15. *c.* 9. *Conc. Carthag.* 3. *c.* 9.

2 Quam pęnam incurrit Clericus comparens ante Iudicem ſecularem abſq; licentia Epiſcopi?

Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico punitur grauiter, carcere, vel pęna pecuniaria. *c. quod verò.* 11. *q.* 2.

3 Clericus poteſt deponere coram Iudice ſęculari?

Reſp. Non, ſine licentia Iudicis Eccleſiaſtici, & in defectu aliorum teſtium. *Archidiaconus in c. teſtimonium.* 11. *q.* 1.

4 In quibus caſibus poteſt clericus eſſe teſtis coram Iudice ſæculari ſine pęna?

Reſp. Primò, de licentia ſui Epiſcopi. Secundo, ad defenſionem. Tertio, quando de pęna ſanguinis non agitur. Quarto, extra Iudicium, vt in contractibus, & vltimis voluntatibus, in reliquis rebus ſemper requiritur licentia Prælati. *cap. ſuper prudentia* §. *poteſt etiam.* & *ibi gloſ.* 14. *q.* 2.

5 Quæ forma debet obſeruare à Iudice Eccleſiaſtico, vt det licentiam Clerico ad deponendum coram Iudice ſæculari in defectu aliorum teſtium?

℞ Iudex Eccleſiaſticus debet videre articulos, circa quos Clericus debet deponere, & eos deſignare propria manu, aduertendo, vt non deponat quidquam circa articulos continentes criminalitatem, vel infamiam. *Vgol. de offic. & poteſtat. Epiſc.* §. *de teſtibus.*

6 Quam pęnam incurrit Iudex laicus, qui aliquem Clericum nominat in tutorem, vel curatorem?

Reſp. Pro eo non oratur in Eccleſia, & ſi moriatur, non offertur ſacrificium pro anima eius; quia ab altari miniſtros Dei volui auocare. *l. generaliter, il ſecundo. C. de Epiſcopis, & Clericis. c. Ciprianus.* 21. *q.* 3. *c. generaliter.* 16. *q.* 1.

CAPVT XXIII.

De Clerico Aduocato, tabellione, vel procuratore.

1 Clericus poteſt eſſe aduocatus?

Reſp. Etiam ſi ſit in minoribus ordinibus, non in negotijs ſęcularibus coram Iudice ſæculari, niſi in negotijs propriæ Eccleſiæ, vel miſerabilium perſonarum, & ſic clerici debent petere licentiam à Sũmo Pontifice, ſi volunt eſſe aduocati in iudicio ſęculari, quæ ſolet illis concedi à Sũmo Pont. ex cã paupertatis, in negotijs ciuilib. & nõ in criminalib. *Conc. Lateranenſe de poſtulando. c.* 2. & 3. & *c. te* 11. *q.* 1.

2 Quam pœnam incurrit clericus, qui eſt Aduocatus in iudicio ſæculari ſine licentia?

Reſp. Priuationis beneficij. *c. denique Sacerdos*, 14. *q.* 1. *c. finali, de poſtul.*

3 In quibus caſibus Clericus in ſacris poteſt eſſe Aduocatus ſine pœna?

Reſp. Pro cauſa propria defendendo ſe, & agendo, ſeruata forma. *c. pen. de homicidio, lib.* 6. Secundo, pro perſonis ſibi coniunctis, & pro ſuis ſeruis, cum neceſſitas adſit. Tertiò, in cauſa ſuæ Eccleſiæ. Quartò, defendendo viduas, & miſerabiles perſonas. Quintò, in foro Eccleſiaſtico. Sextò, quando cauſa Eccleſiaſtica vertitur coram Iudice ſæculari. Septimò, quando Clericus non comparet perſonaliter in iudicio coram Iudice ſæculari, ſed verbo, vel ſcripto faciendo informationem Iure adiuuat aliquem ſuis litteris. *Abb. in rubr. de poſtul.*

4 Clericus poteſt ex domo ſua adiuuare aliquem in ſua lite, & facere informationes in Iure, & petitiones in Iure, & facto, & pro ſuo labore accipere pecunias, ſicut alij Aduocati, abſq; diſpenſatione Summi Pont.?

Reſp. Si negotia in quibus ſcribit, ſint ciuilia, & non criminalia, poterit adiuuare ex domo ſua, & ſcribere in Iure abſq; aliqua diſpẽſatione, & accipere pecunias, vel munus ratione ſui laboris: ratio eſt, quia hoc nullo Iure eſt prohibitum, & ſicut poſt legere Cathedram pro ſuo ſtipẽdio, & ſcribere, & imprimere conſilia, ſic poteſt verbo deſcripto in ciuilibus adiuuare ſuum clientulum. *tenet Abb. vbi ſup.*

5 Clericus poteſt eſſe fideiuſſor?

℞. Nõ in foro ſęculari, neque in negotijs ſæcularib. ſe intromittere. *c. te quidem.* 11. *q.* 1.

6 Clericus Sacerdos poteſt locare poſſeſſiones, vel accipere

accipere gabellas Regias, vel eas colligere?
Reſp Non quia hoc non decet ad honeſtatem Clericorum, & eſt negotium mere ſęculare, ſed bene poterit laborare, & locare poſſeſſiones ſuæ Eccleſiæ, vel capituli, ſi ſit Canonicus, quia hoc eſt locare ſuas propria poſſeſſiones, & non laicorum, neq; alienas. *c. peruenit diſt. 86. c. fin. de vit. & honeſtat. Clericorum.*

7 Clericus poteſt proferre ſententiam ſanguinis, vel eſſe teſtis vel aſſiſtere, vbi profertur?
Reſp. Non poteſt illam proferre, neque ſtare, vbi sētentia profertur, ſed ſi interfuit, non ideò eſt irregularis, quia irregularitas ſolùm contrahitur, quando Iudex profert ſententiam ſanguinis, & poſtquam mandata fuerit executioni, ideò Iudices Eccleſiaſtici non proferunt ſententiam mortis, ſed remittunt Clericos ad brachium ſæculare, & precantur, vt cum eis ſe habent non immites, *c. ſententiam, ne Clerici, vel Monachi.*

8 Clericus Sacerdos poteſt eſſe curator, vel tutor?
Reſp. Non, niſi miſerabilium perſonarum. *c. peruenit diſt. 86. c. fin. de vita, & honeſtat. Clericor.*

9 Clericus poteſt eſſe tabellio?
Reſp. Non, & ſi id fecerit, priuatur beneficio. *c. ſicut ne clerici; vel monac.*

10 Clericus poteſt eſſe publicus tabellio, ſi ſit in minoribus ordinibus?
Reſp. Non, etianſi ſit in minoribus ordinibus & habeat beneficium propter honeſtatem. *c. ſicut accepimus, ne Clerici, vel monachi.*

11 Clericus Poteſt eſſe Notarius?
Reſp. Poteſt, etiam ſi ſit in ſacris, quia hæc eſt iuriſditio Eccleſiaſtica.

12 In quibus Caſibus Clericus in ſacris poteſſe eſſe ſcriba, vel tabellio ſine aliqua pœna?
Reſp. Primò, in cauſa hæreſis, in fauorem fidei. Secundò, coram Papa ipſo Conſcio. Tertiò, ſi eſſet pauper, & non haberet aliunde, vnde ſubſtentaretur, & tunc debet eſſe in Curia Eccleſiaſtica. Quarto, ſi eſſet in minoribus, & non haberet beneficium. Quinto, ſi ante Clericatum forſan fuit tabellio, inſtrumenta ante facta poterit tranſumptare. Sexto, ſi eſſet Notarius, & tabellio ſimul, & faciat inſtrumentum in cauſa ſpirituali, puta matrimonio. Septimo, ſi faceret inſtrumenta in fauorem ſuæ Eccleſiæ. *c. vt officium, de hereticis lib. 6. & gloſ. ibi.*

13 Si Clericus tabellio de facto faceret aliquod inſtrumentum profanum, valeret nè, & facere fidem?
Reſp. Faceret, quia per Clericatum non ammittit fidem neceſſariam tabellioni, imò creſcit fidem tanquam de perſona magis honorata, ſed ſolum prohibetur exercere tale officium propter decentia. *Abb. in c. ſicut. in littera, ne Clerici, vel monachi. num. 9.*

14 Clericus poteſt eſſe œconomus, miniſter, vel procurator laicorum, aut exercere bona alicuius?
Reſp. Non, quia dignitas Clericorum eſt maxima. *c. ſacerdotibus, ne Clerici, vel monachi. c. placuit. 12. q. 3. c. fin. de vita, & honeſtate Clericorum.*

15 Clericus poteſt dare operam medicinæ, vel chirurgiæ?
Reſp. Non, propter periculum occidendi aliquem ſua imperitia, vel medicina, & cum diſpenſatione Apoſtolica curare, & exercere officium debet. *cap. ſuper ſpecula. ne Clerici, vel Monaci.*

16 Clericus poteſt ſtudere, audire lectiones, & dare operam Iuri Canonico, & ciuili?
Reſp. Iure Canonicum eſt proprium Clericorum, eſt ſint deciſiones Summorum Pontifice, & Cōciliorum poterit licitè ſe graduari in Iure Canonico, & audire lectiones Iuris ciuilis, & dare operam Iuri ciuili, quia adiuuat plurimum Ius Canonicum, dummodo id faciat intentione proficiendi, & non intentione faciendi officium iudicis ſęcularis, neque ad effundendum ſanguinem, cum ſententiat ſæculares. *tenet DD. in cap.* ſuper ſpecula, ne Clerici, vel monachi, & in Eccleſia Dei fuit copia Summorum Pontifice doctiſſimorum Iure ciuili, qui cum magno fructu gubernauerunt Eccleſiam Dei, ſicut Sanctiſſimus Dominus N. Vrbanus VIII. qui hodie præeſt vniuerſali Eccleſiæ, & eſt doctiſſimus in iure ciuili, & canonico.

17 Clerici poſſunt eſſe procuratores, œconomi, vel factores bonorum alicuius Principis ſęcularis, vel exercere iuriſdictionem ſæcularem?
Reſp. Non, imò puniuntur grauiter. *c. ſed nec procurationes, ne Clerici, vel monachi.*

CAPVT XXIV.

De Clerico aruſpice.

1 Clericus conſulent aruſpices, qua pœna punitur?
Reſp. Recluditur in monaſtrio, & priuatur beneficio, & honore, & ſi illis credat excommunicatur. *Conc. Tolet. 26. q. 1. c. ſi quis Epiſcopus. 26. q. 5. cap. ſi quis Clericus.*

2 Clericus furta requirens per inſpectionem Aſtrolabij, qua pęna punitur?
Reſp. Per annum ſuſpenditur. *c. 2. de ſortileg.*

CAPVT XXV.

De Clerico venatore.

1 Clericus habens canes ad venandum, aut aues accipites qua pœna punitur?
Reſp. Si fuerit Presbyter per duos menſes ſuſpenditur, ſi Diaconus ab omni officio ſuſpenditur. *cap. Epiſcopum. diſtinct. 34.*

2 Clericus poteſt venari?
Reſp. Si venatio ſit honeſta, vt accipere lepores, & cuniculos, vel perdices, vel aues volatiles cum inſtrumentis honeſtis, ita vt ſuam vitam non ponat in periculo, neque conſumat ſua bona, licitè poterit venari recreationis, & ſalutis cauſa; ſi verò venatio ſit periculoſa, ſicut venatio leonum, ferarum, non eſt licitum Clerico facere has venationes, tàm propter periculum, quàm propter decentiam.

CAPVT

CAPVT XXVI.

De Clerico vagante, vel peregrinante.

1 CLericus vagans ſine licentia ſui Epiſcopi, qua pœna punitur?
Reſp. Deponitur. *c. non oportet. 7. quaſt. 1. c. quoniam. diſtinct. 21.*

2 Epiſcopus admittens Clericum alienum ſine licentia ſui proprij Epiſcopi qua pœna punitur?
Reſp. Tàm Epiſcopus, quàm Clericus excommunicantur. *c. Clericos. diſt. 71.*

CAPVT XXVII.

De Clerico non recitante horas canonicas.

1 QVi tenentur recitare Horas Canonicas?
Reſp. De præcepto ordine ſacro initiati; regulares profeſſi, ſi ſint recepti ad chorum, habentes beneficium Eccleſiaſticum, etiam ſi non ſint initiati ordine ſacro, hi omnes tenentur ſub pœna peccati mortalis. *cap. Presbyter. diſt. 91. Nauar. cap. 7. de horis Canonicis.*

2 Ex his, qui excuſantur à recitatione horarum?
Reſp. Infirmi, neſcientes eas recitare, dummodo operam dent, vt ſciant, qui non habent Breuiarium, nec facultatem ad eum emendum, vel ſunt in terra, vbi non ſunt; qui legitima obliuione aliquam horam dimiſerunt, qui habent diſpenſationē à ſummo Pont. qui ſunt cæci. *Nauarr. in commentario. de horis Canonicis. cap. 11.*

3 Qui non recitat horas Canonicas impeditus aliqua neceſſitate, vel eſt cæcus, tenebitur nè eas audire ab alio recitante?
Reſp. Non, quia præceptum non eſt de audiendo, ſed ore proprio recitando. *Paludan. lib. 4. diſt. 5. Nau. c. 11. num. 6.*

4 Qui vno die non recitat horas Canonicas, & in eodem die lucratur omnes fructus ſuæ præbendæ puta veſtuarium, vel maſſam groſſam, perdidit nè totam maſſam, vel totum veſtuarium, quod lucratus eſt?
Reſp. Non, ſed ſolum partem illam, quæ tali die cōpetit; ratio eſt, quia illa maſſa datur pro totius anni ſubſtentatione; & ſic reſpectiuè debet amittere, licèt vno die, vel vna hora totum lucretur. *Pius V. in bulla quæ incipit, ex proximo; data Romæ anno 1571.*

5 Sacerdos omittent officium diuinum qua pœna punitur?
Reſp. Si obtento beneficio poſt ſex menſes non dixerit, amittit fructus beneficij pro rata, ſed ſi admonitus perſeuerauit non recitandi, priuatur beneficio. *Soto lib. 10. q. 5. art. 6. de iuſtit. & iur.*

6 Quanto tempore debet perſeuerare nōn recitando, vt amittat beneficia?
Reſp. Secundum communem DD. opinionem ſi in ſpatio quindecim dierum bis non recitauerit, & monitus fuit, priuatur beneficijs. *Sot. de iuſtit. & iure lib. 10. quæſt. 5. art. 6. col. 1.*

CAPVT XXVIII.

De Clerico frangente carcerem.

1 QVam pęnam incurrit Clericus tentans frangere carcerem?
Reſp. Arbitrio iudicis, quando fuga non fuit ſequuta. *Alber. leg. in eos. ff. de cuſtodia reorum.*

CAPVT XXIX.

De Clerici domicilio.

1 CLericus per quod tempus acquirit domicilium?
Reſp. Momento temporis, ſi declaret ſuam voluntatem eſſe in tali loco, ſi non, per decennium iuxta legem cjues, & incolæ, *C. de appel.*

2 Domicilium Clerici vbi propriè dicitur?
Reſp. Si habeat beneficium in loco ſui beneficij, ſi verò nō habeat beneficium, in loco, vbi habitat cum ſua propria domo, & de eo dixi latè lib. 1.

CAPVT XXX.

De clerico cuſtodiente Euchariſtiam Criſma, & veſtes ſacras.

1 CLericus non cuſtodiens benè Euchariſtiam, & Criſma, qua pęna punitur?
Reſp. Si non habeat claues, & portas bene cuſtoditas, tribus menſibus ab officio ſuſpenditur. *Conc. Lateranenſe. de cuſtodia Euchariſtiæ, c. 20.*

2 Clericus curam Eccleſiæ habens, ſi non habet bene cuſtoditam Euchariſtiā, & quia dirupta eſt porta ſacrarij, mus, vel aliquod animal illam comederit, qua pęna punitur?
Reſp. Quadraginta diebus debet pęnitere. *c. qui bene, de conſecrat. diſt. 2.*

3 Sacerdos, cuius negligentia aliquid de ſanguine

Chriſti diſtillat in terra, qua pœna punitur?
Reſp. Quadraginta diebus pœniteat, & ſi ſuper altari diſtillauerit, tribus diebus pœniteat, ſi ſuper linteum, quatuor diebus, ſi vſque ad quartum, viginti diebus, & omnia lauentur, radantur, & crementur & cinis in baptiſterium mittatur. *cap. ſi per negligentiam. diſt. 2.*

4 Quibus veſtibus indutus Sacerdos debent Miſſam, celebrare?
Reſp. Veſtibus ſacris, & mundiſſimis, in quibus maxima cura ponenda eſt, ne extra Eccleſiam veſtibus ſacris indutus exeat. *Burcardus. lib. 2. c. 50.*

5 Corporalia debent eſſe de panno ſerico?
Reſp. Nō, ſed de lino in terra procreato, quia Corpus Domini N. Ieſu Chriſti in ſindone linea, & munda poſitum fuit. *c. conſulto. de conſecr. diſt. 1. S. Thō. opuſculo de offic. Sacerdotis c. 1.*

6 Pallæ ſordidæ, & vela ſanctuarij, quomodo ſunt abluenda?
℞. Intra ſanctuariū à Diaconis, & aqua debēt in Baptiſteriū mitti. *c. nemo per ignorantiā. de conſecr, diſt. 1.*

7 Vaſa, calices, & veſtimenta ſacra debent ne dari pignori?
Reſp. Non ſine grauiſſima Eccleſiæ neceſſitate, & licentia ſuperioris, & non debent profanari. *c. veſtimenta de conſecrat. diſt. 1.*

8 Mortui poſſunt nè inuolui veſtimentis Altaris?
Reſp. Non, & ſi Diaconus hoc fecerit, per ſex menſes ab Altari arceatur, & excommunicatione feriatur. *c. nemo, de conſecr. diſt. 1.*

CAPVT XXXI.

De Clerico vagante, vel peregrinante, vel fugitiuo.

1 Quis dicitur Clericus vagans?
Reſp. Ille, qui extra ſuam propriam patriā, vel diœceſim abſque licentia ſui Epiſcopi vagatur per diuerſas partes mundi abſque aliquo negotio, vel fine. *c. non oportet. 7. q. 1. & c. quoniam diſt. 21.*

2 Quis dicitur Clericus peregrinans?
℞. Ille, qui cum licentia ſui Epiſcopi ob aliquod negotium, vel deuotionem peregrinatur extra ſuā diœceſim, vel ciuitatem, & Clericus, qui vadit ad viſitanda limina Apoſtolorum, vel S. Iacobum, vel S. Mariā de Laureto, vel aliam deuotam Imaginem.

3 Quis dicitur Clericus fugitiuus?
Reſp. Ille, qui ob aliquod delictum, vel metu incarcerationis fugit à ſuo Prælato, & vagatur per diuerſas Regiones, vel loca.

4 Clericus fugiens, vel vagans ſine licentia ſui Epiſcopi qua pœna punitur?
℞. Vocatus per edictum, & non comparēs talis Clericus excommunicatur, priuatur beneficijs, & deponitur. *c. non oportet. 7. q. 1. c. quoniam diſt. 21.*

5 Epiſcopus, vel Vicarius admittens Clericum alienum in ſua diœceſi ſine licentia ſui proprij Epiſcopi qua pœna punitur?
Reſp. Siue Clericus ſit vagans, ſiue fugiens, tā Clericus, quam Epiſcopus excommunicatur, & Clericus alienæ diœceſis non debet admitti ad celebrandum ſine dimiſſorijs ſui Epiſcopi, imò talis debet incarcerari, & remitti ad ſuum Epiſcopum. *c. Clericos, diſt. 71. Trid. ſynod. ſeſſ. 22. de ritibus obſeruandis in celeb. Miſſæ.*

6 Clericus, qui cauſa peregrinationis, vel alicuius negotij vult iter facere extra ſuam diœceſim, quid debet agere?
Reſp. Debet ſe præſentare ante ſuum Epiſcopum, vel eius Vicarium, & debet petere litteras dimiſſoriales cum expreſſione cauſæ, & ciuitatis, ad quam vadit, & cum expreſſione ordinis, & licentia, vt poſſit miniſtrare, & celebrare extra diœceſim, declarando talem Clericum non eſſe ſuſpenſum, neque excommunicatum. *Bernardus Diaz. in praxi.*

7 Iudex Eccleſiaſticus quid debet conſiderare ad dandas tales dimiſſorias?
Reſp. Primò, debent illi conſtare de cauſa per teſtes, & ſcript, & non ſe debet mouere ſolum ex dicto talis Clerici. Secundò, debet conſiderare an cauſa ſit iuſta, vel non. Tertiò, an poſſit fieri per procuratorē, an neceſſaria ſit præſentia talis Clerici. Quartò, tempus, in quo dat dictam licentiam, & non ſit tempore Quadrageſimæ, neque Aduentus, ſi talis Clericus adminiſtret ſacramenta. Quintò, difficultatem itineris, & pericula, quæ poſſunt accidere. Sextò, longitudinem illius ciuitatis, & dilationem negotiorum. Septimò, perſonam Clerici, virtutem, & litteras & ſecundum has conſiderationes dare, vel negare tales dimiſſorias.

8 Iſtæ dimiſſoriæ, vel litteræ teſtimoniales debent eſſe in perpetuum, vel pro tempore limitato?
Reſp. Neceſſariò debent eſſe pro tempore limitato, niſi talis Clericus prouiſus fuerit de aliquo officio, vel beneficio in aliena diœceſi, & ita vt numquā reuertatur, *Bernardus Diaz, in praxi.*

9 Clericus peregrinans pro aliquo negotio, vel deuotione quid debet facere, cum primum peruenerit in alienam diœceſim?
Reſp. Præſentare ſe ante Vicarium Epiſcopi, & demonſtrare illi ſuas dimiſſorias, & petere ab eo licentiam celebrandi, vel audiendi confeſſiones, & viuere in illa ciuitate cum modeſtia, & bono exemplo, & ſubiectus Epiſcopo illius diœceſis, tamquam ſi eſſet proprius Epiſcopus.

10 Clericus cum reuertitur à ſua peregrinatione quid debet agere?
Reſp. Ex vrbanitate præſentare ſe ante ſuum Epiſcopum, vel Vicarium, & reddere rationem ſuæ peregrinationis, vel negotij.

CAPVT XXXII.

De Clericis Græcis.

1 Græci ſunt ne ſubiecti Epiſcopo latino?
℞. Sunt, tam laici quam Cleri ſubiecti Epiſcopo illius diœceſis, in qua ſitum eſt oppidum. Bulla Pij IV. quæ incipit Romanus Pontifex 97. in ordine, & in omnibus ſunt ſubiecti, in quibus latini. *cap. quod translationem, de temporibus ordinandorum.*

2 Sacerdos Græcus poterit habere Eccleſiam inter latinos?

Reſp. Pote-

Reſp. Poterit, ſi dimittat vxorem, & viuat more latinorum, quia legitimè ordinatus eſt. *Abb. in c. cum olim de Clericis coniug. num. 2.*

3 Quid ſumût prius Clerici Græci ordines, an vxorem?
Reſp. Prius quatuor ordines minores, & poſtea vxorem, & ipſa mortua, non tranſeunt ad ſecundas nuptias, & poſt ordines ſacros. *Abb. vbi ſup.*

4 Filius Sacerdotis greci poterit nè promoueri more latinorum abſque diſpenſatione?
Reſp. Poterit, ſi viuat more latinorum. *c. cum olim, de Cler. coniug.*

5 Græci ad ordines debent nè accipere dimiſſorias Epiſcopi latini?
Reſp. Debet, & ordinari cum Epiſcopo græco habente communionẽ Apoſtolicam, alias ſunt ſuſpenſi. *c. quod translationem de temporibus ordin.*

6 In hac ſuſpenſione poteſt Epiſcopus latinus diſpenſare cum græcis?
Reſp. Non, ſed ſummus Pontifi. *Bulla Clement. VIII. verbo græcorum ritus.*

7 Græci in matrimonio tenentur ne ſeruare ritus latinos?
Reſp. Tenentur ſeruare. *Quaranta, in verbo græcorum ritus, ex bulla Clem. VIII.*

8 Si latinus ducat græcam, quem ritum debent ſeruare?
Reſp. Si fieri poteſt latinum, & ſi non, quilibet poteſt ſanctè viuere in ſuo ritu. *c. fin. de baptiſmo.*

10 Proles quem ritum debet ſeruare?
Reſp. Ritum patris latini; ſed ſi mater eſt latina, & præualet, debet ſeruare ritum matris, quia ſemper debet præualere ritus latinus.

11 Qualis Presbyter græcis præeſſe debet?
Reſp. Sciens linguam græcam, vt poſſit ſacramenta miniſtrare, & idem dicitur, ſi ſint in aliqua diœceſi aliqui homines alterius linguæ.

CAPVT XXXIII.

De Clericis coniugatis.

1 Clericus poteſt contrahere matrimonium?
Reſp. Si ſit in ſacris non poteſt contrahere, & ſi de facto contraxit, debet eam dimittere; ſi verò ſit in minoribus, tenet matrimonium, ſed de facto, & ipſo Iure vacant beneficia ab eo obtenta. *c. 1. de Clericis coniugatis.*

2 Si Clericus contrahat per verba de futuro, perdit ipſo facto beneficium?
Reſp. Non, ſed ſolum quando contrahit per verba de præſenti, quia per verba de futuro, non fit verum matrimonium, ſed vera obligatio contrahendi, & pœna impoſita eſt Clerico contrahenti per verba de præſenti, & pœna extendi non debet. *Abb. c. 1. de Clericis coniugatis. num. 5.*

3 Quis poteſt diſpenſare cum Clerico in ſacris, qui de facto contraxit matrimonium?
Reſp. Facta pœnitentia, ſi vxor erat virgo, Epiſcopus diſpenſat ad ordines, & ad beneficia, ſi verò vxor erat vidua, vel corrupta ſummus Pon. diſpenſat propter bigamiam. *c. 2. de Clericis coniugatis.*

4 Si Clericus in ſacris occultè contrahat cum virgine, indiget ne diſpenſatione?
Reſp. Facta pœnitentia, & confitẽs ſuum peccatum, quod eſt occultum, non indiget diſpenſatione. *Abb. c. ſane de Clericis coniugatis, num. 1.*

5 Quid eſt maius peccatum in Clerico in ſacris, cõtrahere matrimonium, vel committere adulterium?
Reſp. Contrahere matrimonium, quia videtur non bene ſentire de ſacramento matrimonij, vel de ordine. *Abb. c. ſane de Clericis coniug. num. 4.*

6 Clericus non incedens in habitu, & tonſura perdit nè priuilegium clericorum ipſo Iure?
Reſp. Non, ſed poſt trinam monitionem. *Abb. cap. Ioannes, de Clericis coniugatis, num. 4.*

7 Papa poteſt diſpenſare, vt Clerici latini habeant vxores, ſicut Græci?
Reſp. Poterit, niſi tales Clerici emiſerint tacitè, vel expreſsè votum caſtitatis, & in dictis votis rarò diſpenſat Summus Pontifex. *Abb. c. cum olim, num. 5. de Clericis coniugatis.*

8 Clericus coniugatus in primis ordinibus conſtitutus poterit obtinere beneficium?
Reſp. Non, ſed eſt incapax, niſi de eo conſenſu vxoris vouat prius caſtitatem, vel ambo ingrediantur religionem, & tunc cum diſpenſatione Papæ, *Abbas c. Ioannes, de Clericis coniugatis, num. 7.*

9 Si Clericus in minoribus de facto contrahat matrimonium, & dedit aliquod donum Eccleſiæ, vel de ſuis bonis inſtituit beneficium, debet portare ſuum donum, quod dedit Eccleſiæ, vel beneficium?
℞. Nõ, quia qui recipit ab Eccleſia ſine crimine, vel cum iudicis authoritate, iſte portat ſecum, quod dedit Eccleſię; ſecus verò, qui ſine licentia committens delictum, recedit ab Eccleſia, tunc perdit, quod dedit Eccleſiæ, *c. quod à te, de Clericis coniugatis, num. 1.*

10 Clerici coniugati in primis ordinibus debent cogi ad portandum tonſuram, & habitum Clericalem?
Reſp. Si non habeant beneficium, non debent cogi, ne detur occaſio mulieribus eorũ, vt eos non ament, vel odio habeant. *cap. Ioannes de Clericis coniugatis, num. 1.*

11 Quis poteſt diſpenſare cum Clerico coniugato, vt habeat beneficium Eccleſiaſticum?
Reſp. Solus Summus Pontifex, *Ioan. Andr. in cap. ex litteris de tranſactionibus, c. 2. de inſtitutionibus, c. ſtatutum, de reſcriptis.*

12 Clerici vxorati debent admitti ad Eccleſiaſticas dignitates?
Reſp. Non, imò ſi habeant, debent dimittere propter Eccleſiæ decorem, & ornatum. *c. cum decorem, de Clericis coniugatis.*

13 Clerici coniugati, ſi portant tõſuram, & habitum, gaudent nè priuilegio Clericorum?
Reſp. Non, quia priuilegium non perditur ratione habitus, ſed ratione vxoris, & tonſura non eſt de ſubſtantia Clericatus, ſed eſt ſignum Clericale. *c. Ioannes de Clericis coniugatis. Abb. ibi num. 4.*

14 Si Clericus coniugatus gaudet priuil. Clericali ex aliquo priuilegio, in quibus caſib. gaudet tali priuil.
Reſp. Solum in duobus caſibus, Primò in omnibus cauſis criminalibus. Secundò in caſu capitis, ſi quis ſuadente diabolo, ſcilicet, quòd ſi quis eum percutiat, cadit in dictum canonem, in omnibus alijs ciuilibus iudicatur à Iudice laico. *Abb. c. Ioannes de clericis coniugatis, num. 3.*

15 Si Clericus in minoribus militet, eſt nè cogendus ad deferendum habitum, vel tonſuram?
Reſp. Non, quia habitus non eſt aptus ad tale exercitium. *c. fin. de Clericis coniugatis, & Abb. ibi num. 1.*

CAPVT XXXIV.

De Clerico, qui gaudet beneficio c. Odoardus, de ſolutionibus.

1 QVid requiritur, vt quis gaudeat priuilegio c. Odoardus, & faciat ceſſionem bonorum?
Reſp. Primò, quòd confiteatur debitum. Secundò, vt executio fiat in bonis eius. Tertiò, vt ſit carceratus. Quartò, vt det veram relationem ſuorum bonorum, & debitorum, quia faciens fraudem in bonis, non gaudet tali priuilegio, cum fraus, & dolus nemini patrocinentur. *Abb. in cap. olim vobis, de reſtitutione ſpoliat. num. 7.*

2 Clericus in minoribus gaudet nè beneficio capit. Odoardus?
Reſp. Gaudet, quia in fauorabilibus lex eſt ampliãda. *Couar. lib. 2. variar. reſolut. c. 1.*

3 Qui Clerici non gaudent beneficio c. Odoardus?
Reſp. Primò, qui non confitentur debitum. Secũdò, doloſi, qui falſo aſſerunt ſe habere idoneas facultates, quando acceperunt debitum. Tertiò, qui in fraudem creditorum conſumpſerunt bona. *l. penult. de Iure dotium. l. ſi quis dolo. ff. de re iudic.*

4 In delictis, & pœna poſita pro delictis gaudet nè Clericus beneficio c. Odoardus?
℞. Non, imò, ſi non habet in bonis, debet luere in corpore, carcere, vel exilio. *l. ſi. ff. de in ius vocando.*

5 Clericus, qui conſumpſit bona gaudendo, vel luxurioſè viuendo, gaudebit nè beneficio c. Odoardus?
Reſp. Non. *Bald. in l. 1. C. qui bonis cedere poſſunt.*

6 Clericus exercens illicitam negotiationem gaudebit nè dicto beneficio c. Odoardus?
Reſp. Non, imò talis priuatur priuilegio Clericali. *Ioan. Andr. in c. 1. de obligatis ad ratiocinia.*

7 Laicus factus clericus poſt debitum contractum fraude creditorum gaudebit dicto beneficio c. Odoardus?
Reſp. Non, quia malitia, & dolus nemini patrocinantur. *Ioan. Andr. in c. 1. de obligatis ad ratiocinia.*

8 Clericus conuictus actione reali, poteſt gaudere dicto beneficio c. Odoardus?
Reſp. Non, vt maritus. *Bart. in l. maritum. ff. de ſoluto matrim.*

9 Clericus, qui renuntiauit beneficio c. Odoardus, poterit ne gaudere hoc priuilegio?
Reſp. Affirmatiuè; quia cum priuilegium ſit commune, à particulari renuntiari non poteſt, quia hoc eſt renuntiare ſuam libertatem, & homo non eſt dominus membrorum ſuorum, nec ſuæ libertatis. *Couar. lib. 2. variarum, cap. 1. Hoſtienſis in dicto c. Odoardus, & Abbas c. lator de pignoribus, & alijs cautionib. num. 2.*

10 Qui condemnatus fuit à Rota, vel per tres ſententias, vel qui in ſcriptura renuntiauit beneficio cap. Odoardus, his non obſtantibus, poterit nè gaudere tali priuilegio?
Reſp. Affirmatiuè; quia cum priuilegium ſit commune à particulari renuntiari non poteſt. *Couar. var. reſolut. c. 1. Hoſtienſis in dicto c. Odoardus.*

11 Qui non coguntur cedere bonis, & gaudent benefic. cap. Odoardus?
Reſp. Prælatus, eques, nobilis, miles, Doctor, quia eſt res infamis, & diminuens authoritatem, & iſti ſunt exempti ab hac infamia, & in eorum perſonam non poteſt fieri executio, neque poſſunt incarcerari pro debito ciuili, licet in ſcriptura renuntient hoc priuilegium; eodem priuilegio gaudent mulieres, quæ pro debito ciuili non poſſunt incarcerari, neque renuntiare hoc priuilegium, & ſi renuntient, renuntiatio eſt nulla, & tabellio habet magnam pœnam priuationis officij per leges tauri. Nobiles Hiſpani, quos vulgò vocãt (Hidalgos) & equites religionum militarium, non ſolum habent hoc priuilegium, verum etiam cum fit executio in eorum bonis, debet illis relinqui intactus lectus, in quo dormiunt, arma ſuæ perſonæ, equus, in quo equitant per dictas leges tauri.

12 Officiales mechanici quod priuilegium habent, quãdo fit executio in eorum bonis propter debitum ciuile?
Reſp. Non poſſunt illis auferri inſtrumenta ſuæ artis, cum quibus laborant; ratio eſt, quia tollendo illis iſta inſtrumenta, inhabiles, & deterioris conditionis fiunt ad ſoluendum tale debitum, & ad ſe ſubſtentãdos, & ſic creditor contra ſe facit tollendo illis inſtrumenta ſuæ artis. Hoc intellige de illis inſtrumentis, ſine quibus laborare non poſſunt, non de inſtrumentis ſuperfluis. *tenent DD. in dicto c. Odoardus.*

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER SEXTVS
DE POTESTATE EPISCOPI
In laicos, Monachos, Moniales, & Seminarium.

CAPVT PRIMVM.
De Laicis.

1 QVam iuriſdictionem habet Epiſcopus in laicos?
Reſp. Poteſt eos excommunicare, & incarcerare, & de eis cognoſcere in caſu matrimoniali, vſurario, ſacrilego, periuro, & hæretico, & in alijs mixti fori. *Abb. in cap. 1. de emptione, & vendit. num. 5. & 9.*

2 Laici poſſunt ne habere beneficium Eccleſiaſticum, vel penſionem Eccleſiaſticam?
Reſp. Non in titulum, quia ſunt incapaces: ſed cum diſpenſatione Apoſtolica poterunt habere penſionem, vel reſeruationem fructus alicuius beneficij, & hæc diſpenſatio ſemper datur à ſede Apoſtolica cum grauiſſima cauſa. *Abb. in c. Ioannes, de Clericis coniugatis, num. 7.*

3 Laici, habentes penſionem, vel fructum alicuius beneficij cum diſpenſatione Apoſtolica, tenentur ne recitare officium magnum, quod Clerici recitant?
Reſp. Licèt non teneantur recitare officium magnum, tamen ferè ſemper tenentur recitare Officium beatæ Mariæ, vel Roſariũ, vel quid ſimile; quia, qui de altari viuit, etiam debet ſeruire altari, & in Bulla Apoſtolica ſemper hoc ponitur, vt laicus in conſcientia fruatur penſione, & ſciat illud, quod debeat facere.

4 Laici, quærentes eleemoſynam ſine licentia, vel neceſſitate à quo puniuntur?
Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico propter peccatũ mortale, quod committitur, & à Iudice ſæculari propter iuriſdictionem ſæcularem, quam habet in laicos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 9. de reform.*

5 Vagabundi, & peregrini quem Parochum habent?
Reſp. Si vagentur ſine licentia proprij Epiſcopi, & Parochi, habent Parochum illius oppidi, in quo habitant. Si verò ambulent cum licentia proprij Epiſcopi, iudicantur vt itinerantes, & habent ſuum proprium Parochum. *Barth. Vgol. f. 109.*

6 Peregrinos, & prauos quæſtores eleemoſynarum laicos quis poteſt punire?
Reſp. Epiſcopus tam laicos, quàm Eccleſiaſticos. *Trident. ſynod. cap. 9. ſeſſion. 21. cit. cap. cum ex eo, de pœnitentijs.*

7 Peregrini, & quæſtores eleemoſynarum quid prohibentur facere ſine licentia Epiſcopi?
Reſp. Dare imagines, ſeu migdalias, neque deferre ſigna, aut publicare indulgentias, neque dare reliquias, ſeu terram ſanctam loco hoſpitij, ſeu eleemoſynæ; ratio eſt, quia in his rebus ſunt plurima inconuenientia, & plurimæ falſitates, & cum ſit res tanti momenti, requiritur authoritas Epiſcopi. *Trident. ſynod. ſeſſion. 21. cap. 9. cit. cap. cum ex eo, de pœnitentijs.*

8 Studentes in vniuerſitate quem Parochum habent, dum dant operam litteris?
Reſp. Parochum illius domus, in qua habitant; quia licèt habeant animum reuertendi, tamen tempore ſtudij habent illam domum quaſi domicilium. *Nau. cap. placuit, de pœnit. n. 85.*

9 Quis poteſt imponere pœnitentias publicas laicis, & in quibus caſibus?
Reſp. Epiſcopus, & non ſimplex Sacerdos, & hoc cum magna conſideratione, quia cùm non ſint in vſu, ex his poſſunt oriri maxima ſcandala, & ſic ſi aliquando imponuntur, debent eſſe pro crimine publico, & ſcandaloſo, ſed non pro crimine occulto, & in foro conſcientiæ. *Abbas in cap. litteras, de præſumpt. Nauar. in man. cap. 8. notab. 2. Trid. ſyn. ſeſſ. 24. cap. 8. de reformat.*

10 Mulieres vetulæ, quæ ex officio occultant, vel vendunt mulieres virgines, vel exercent incantationes, aut magicas artes, vel committunt crimen lenocinij, & ponuntur à Iudice Eccleſiaſtico ad portas Eccleſiæ, iſta eſt ne pœnitentia publica, de qua loquitur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 8. de reform.*
Reſp. Iſta eſt pœna delicti, & cauſata ſententia ex foro exteriori, & non eſt pœnitentia ſecreta, de qua loquitur Concilium *in d. c.* vbi propriè loquitur de foro interiori, & pœnitentiali ob ſui magnam humiliationem vult detegere, & cõfiteri publicè ſua peccata, & facere publicam pęnitentiam, ſicut faciebant antiqui Patres, qui habitabant in eremo.

11 Laici quid tenentur ſeruare?
Reſp. Præcepta Decalogi, & præcepta Eccleſiæ ſub pœna peccati mortalis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. de delectu ciborum, diſt. 76. per totam.*

12 Quis debet monere, compellere, & caſtigare ſæculares, qui traſgrediuntur præcepta Decalogi?
Reſp. In foro interiori Parochus, & Confeſſores debent monere ſæculares, at verò in exteriori in delictis manifeſtis Iudices Eccleſiaſtici debent compellere, & caſtigare tranſgreſſores ſecundum leges Eccleſiaſticas.

13 In quibus diebus tenentur laici audire Miſſam?
Reſp. Diebus feſtiuis, & Dominicis. *cap. Miſſas. diſt. 1. de conſecr.*

14 Laici tenentur nè neceſſariò audire Miſsã maiorẽ dieb. feſtiuis, & Dominicis, vel audire neceſſariò cõ-

 cionem,

cionem,& ſuper hoc puniri, vel mulctari à parocho?
Reſp. Laici ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ audiendo vnam Miſſam,ſiue cantatam,ſiue recitatam,& à Parochis ſunt monendi, & non compellendi, vt audiant Miſſam maiorem, & concionem, verum ſi in aliquibus diæceſibus,& terris eſt conſuetudo,vt omnes audiant Miſſam maiorem, & hæc conſuetudo tamquam bona ſuauiter conſeruanda eſt.

15 Poteſt Epiſcopus dare facultatem laicis,vt diebus feſtiuis laborent?
Reſp. Poteſt,poſt auditam Miſſam, vrgente neceſſitate, vt dixi *lib.3.cap.1.*

16 Si laici aliquam celebrent feſtiuitatem in honorē alicuius ſancti,poſt Miſſam poſſunt nè fieri cōuiuia.
Reſp. In hoc nihil eſt innouandum dummodo fiant extra Eccleſiam,vel in atrio Eccleſiæ.*Trid.ſyn.ſeſſ.25 de delectu cib.*

17 Iudex Eccleſiaſticus poteſt compellere laicos ad deponendum coram ſe?
Reſp. Poteſt tàm in cauſa ciuili,quàm in criminali, *cap. ſuper, de teſtibus cogend.*

18 Quando poſſunt laici teſtes excommunicari, & torqueri coram Iudice Eccleſiaſtico?
Reſp. Quando deponunt falſum,vel vtuntur fraude in ſua depoſitione,vel ſunt ſocij criminum,quia conceſſa iuriſdictione, conceditur omnia neceſſaria ad talem iuriſdictionem adimplendam. *l.2.C. de iuriſdictione omnium iudicum. l.nullum. C.de teſtibus.*

19 Laici offendentes curſores Eccleſiaſticos facientes ſuum officium à quo debent puniri?
Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico. *Abb.in c.conqueſtus de foro compet. num. 1.*

20 Laici fideiuſſores clericorum coram quo Iudice debent comparere?
Reſp. Coram Iudice Eccleſiaſtico ſine licentia iudicis ſæcularis. *l.ſi quis. C.de Epiſcopali audientia.*

21 Laici poſſunt nè renuntiare ſuum forum, & ſubijcere ſe Iudici Eccleſiaſtico ſine aliqua pęna?
℞. Poſſunt. *l.Epiſcopale.C.de Epiſcopal.audientia.*

22 Quare laici poſſunt renunciare ſuum forum, & clerici non?
Reſp. Quia laici cōſtituerunt ſibi Reges, & ſe ipſos illis ſubiecerunt,ſic poſſunt renuntiare iuriſdictioni, quam ipſi ſupra ſe Regibus dederunt;iuriſdictio vero Eccleſiaſtica, & exemptio data fuit Clericis à Deo,& ſic illa nō poſſunt renūtiare, quia nō eſt ſua.

23 Laici communicātes in Paſchate Reſurrectionis, ſi non confiteantur, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Epiſcopus poteſt eos excommunicare, & de conſuetudine condemnantur in aliqua pœna pecuniaria.*gloſ.in c.hi qui,de conſecrat,diſt.2.c.omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent.& remiſs.*

24 Poteſt Epiſcopus reſeruare ſibi abſolutionem eorum, qui non confitentur in Paſchate?
Reſp. Non expedit, vt hoc faciat,ne à confeſſione imperata terreantur.

25 Epiſcopus poſſunt imponere laicis excommunicationem, vt diebus feſtiuis, & Dominicis audiant conciones, & doctrinam Chriſtianam, & Catechiſmum, vel Miſſas cantatas?
Reſp. Non,ſed ſolum poſſunt eos monere;benè tamen poterit aliquando Epiſcopus imponere pęnam excommunicationis, vt omnes concurrant ad aliquā concionem, quando in ea debet publicari aliquod edictum.

CAPVT II.

De Confraternitatibus.

1 QVid ſunt confraternitates piæ?
Reſp. Sunt communitates à Chriſtianis inſtitutæ.

2 Quis poteſt eligere confraternitates.
Reſp. Epiſcopus,& earum conſtitutiones approbare. *Bulla Pij V.in ordine 156.& Greg.XIII.*

3 Quis debet earum curam habere?
Reſp. Epiſcopus,qui ex Conc.Triden.habet curam omnium piarum operarum. *Trid.ſyn.ſeſs.22. c.8.& 9.de reform.Clem. quia contingit, de religioſis domibus.*

4 Quis debet eas approbare?
Reſp. Epiſcopus, vel Summus Pont. *Tuſc.in tract. de Viſitatione lib.2.*

5 Quis debet eas viſitare, etiam ſi ſint inſtitutæ à laicis, & omnes fratres ſint laici?
Reſp. Epiſcopus,& poteſt eos corrigere, carcerare, & pœnis compellere, vt adimpleant inſtituta dictæ confraternitatis, & petere ab eis computa, & rationes,& ſtatuere, quæ neceſſaria fuerint ad cultum diuinum, & eas reformare, quia ſunt opera pia, quæ exercentur per ſubditos,& oues Epiſcopi.*Tuſc.de viſitatione,lib.2.cap.14.num.5.Trid.ſyn.ſeſs.22.c.8.& 9. de reform.*

6 Si confraternitates laicorum habeant capellas in clauſtris,vel Eccleſijs Monachorum,vel religioſorū, vbi viget regularis obſeruantia, quomodo debet Epiſcopus viſitare has confraternitates?
Reſp. Tunc Epiſcopus debet viſitare perſonas, ſtatuta, bona, viuendi modum; non autem altaria,neque capellas eorum, quia ſunt intra clauſuram religioſorum; & ſicut non poteſt viſitare Eccleſias religioſorum,qui viuunt in obſeruantia,ſic neque capellas ſitas intra clauſtra, vel Eccleſias; quia acceſſorium ſequitur naturam principalioris. *Trid.ſyn. ſeſſ. 22.c.8. de reform.*

7 Quid dēt attendere Epiſcopus in tali viſitatione?
Reſp. Primò, quas preces recitent, ne ſint ſuperſtitioſæ. Secundò,an die,vel nocte congregentur, nam nocte non facilè permitti debet propter ſcandalum. Tertiò,in proceſſionibus quo habitu vtantur. Quartò, quæ bona,& eleemoſynas habeant, & in quibus rebus ea conſumant. Quintò, ſingulis annis ab œconomo rationes recipiat. Sextò, examinare debet ſtatuta,& ea addere, vel minuere, ſi ad earum ſeruitium expedit. *Trid.ſyn.ſeſſ.22.cap.8.Nauar.conſ.3. de foro competenti.*

8 Poteſt Epiſcopus compellere dictas confraternitates, vt veniant ad proceſſiones publicas?
Reſp. Si ex ſuo ſtatuto non ſunt obligatæ ire ad proceſſiones, compelli non debent; ſi autem ex ſuo ſtatuto debeant ire,& ſit competentia ſuper præcedentia inter eos,Epiſcopus debet eam finire. *Steph. Quaranta in ſuo bullario verb.præcedentia.*

CAPVT

CAPVT III.

De Hoſpitalibus.

1 QVis debet exercere hoſpitalitatem?
Reſp. De conſilio omnes regulares, & ſeculares obtinentes loca pia, quæ fundata ſunt ad neceſſitatem infirmorum, & peregrinorum. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.8.de refor.*

2 Poteſt Epiſcopus concedere proceſſionem Eccleſiæ pro hoſpitalibus?
Reſp. Affimatiuè, quia eſt magnum ſeruitium Dei. *Abb.in c.olim num.2.de reſtit.ſpol.*

3 Quis debet cogere obtinentes talia bona, & domos, vt hoſpitalitatem exerceant?
Reſp. Epiſcopus. *Trid.ſyn. vt ſupra, & ſeſ.7. cap.15. de refor.*

4 Si in illis locis non ſunt infirmi, nec peregrini, quis poterit talia bona applicare in aliud pium opus hoſpitalitati ſimile?
Reſp. Epiſcopus cum duobus de capitulo ab eo eligendis. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.8.vt ſup.*

5 Hoſpitalia poſſunt habere conſeruatores?
℞. Poſſunt, *& per c.5. ſeſſ.14.d Conc.Trid.* hoſpitalibus actu hoſpitalitatem exercentibus, conſeruatores non ſunt derogati, ſed includuntur in Bulla Gregorij XIII. *vt in c.de conſeruatoribus dicemus.*

6 Famulos infirmus à quo debet ſuſtentari?
℞. A Domino ſuo, ſi eſt diues quia in ſuo ſeruitio incidit in infirmitatem. *Abb.in cap.1.de clerico agrotante. num.8.*

7 Per quod tempus adminiſtratores Hoſpitalium debent durare?
℞. Vltra triennium non debent exercere officium, quia expreſsè eſt illis prohibitum. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.8. niſi forte in fundatione aliter cautum ſit.*

8 Quis debet viſitare hoſpitalia?
℞. Epiſcopus, & petere rationem redituum, & computorum. *Trid.ſyn.ſeſſ.22.c.8.de refor.*

6 Si hoſpitalia ſint ſub protectione alicuius religionis militaris, vel ſæcularis, poterit nè Epiſcopus ea viſitare?
℞. Si talis religio ſit in regulari obſeruantia, vt Ordo S.Iacobi, & cæteræ, Epiſcopus non debet ſe intromittere, quia habent ſuos proprios ſuperiores. *Trid. ſyn.ſeſs.22.c.8.vt ſup.*

10 Quis poteſt adminiſtrare ſacramenta exiſtentibus in hoſpitalibus?
℞. De iure Parochus, in cuius Parochia xenodochium exiſtit; ſed ſi eſt conſuetudo quadraginta annorum, vt presbyter inſeruiens hoſpitali adminiſtret ſacramenta, ſeruanda eſt talis conſuetudo. *Clem.quia contigit.de religioſis domibus.*

11 In hoſpitalibus gaudet nè quis immunitate Eccleſiæ.
℞. Si ſit campana, & celebretur Miſſa, gaudet, quia præſumitur Eccleſia authoritate Epiſcopi conſtructa. *Abb.in c.patientibus, de priuileg. & exceſſibus priuil.nu.1.*

12 Qui habent hoſpitalia, poſſunt nè illa dare religioſi adminiſtranda?
℞. Affirmatiuè, quia regulares habent modum viuendi approbatum à ſede Apoſtolica, & magis ſtrictum, quam ſæculares, & ſic præſumitur, quod cum maiori charitate curent infirmos, quam ſæculares. *c.inter dilectos, de donationibus.*

CAPVT IV.

De Capellis Monachorum.

1 QVæ eſt capella monachorum?
℞. Sumitur in iſto titulo pro eorum Eccleſia, quę diſtinguatur ab Eccleſijs Cathedralibus, & parochialibus.

2 Monachi debent nè habere curam animarum?
℞. Non, quia ad eos de Iure non pertinet, ſe ad Epiſcopum, & parochos ſęculares. *c.1.de capellis. Monachorum.*

3 Si forſan monaſterium habeat Eccleſiam vnitam cum cura animarum, qui debent adminiſtrare ſacramenta, ſæculares, an regulares?
℞. Presbyteri ſæculares; tales enim ſubiacent Epiſcopo, & non Monachi, quia adminiſtrant ſacramenta ſubditis Epiſcopi. *Abb.c.1. de capelli monachorum. num.1.*

4 Quibus in caſibus Monachi poſſunt adminiſtrare ſacramenta ſæcularibus, ſi habeant in ſua propria Eccleſia parochiam, & Monaſterium?
℞. In caſu, in quo Eccleſia Monaſterij eſt parochia, & in caſu neceſſitatis, vel conſuetudinis immemorabilis poterunt Monachi exercere curam animarum per ſe ipſos, & tunc ſunt approbandi, & inſtituendi ab Epiſcopo loci, & in concernentibus adminiſtrationem ſacramentorum ſubiacent Epiſcopo, in reliquis ſubiacent ſuo Abbati, vel Priori, & ſi ſemel cōſtitutus ad hoc officium mutetur non debet alius ingredi ſine noua Epiſcopi approbatione, & inſtitutione. *Abb.in c.quod Dei, de ſtatu Monach. & cap.1. de capellis Monachorum.*

5 Si aliquis Monachus aſſumitur ad regendam Eccleſiam ſæcularem, eximitur nè ab obedientia Abbatis, & ſuæ religionis?
℞. Eximitur, & ſubiacet Epiſcopo loci in concernentibus adminiſtrationem. *Abb.c.fin.de capellis Monach. num.2.*

6 Monachus ſolus debet commorari in prioratibus vel vineis Monachorum?
℞. Non, & ſi ad hoc habeat priuilegium, debet tale priuilegium facere mentionem de Conc. Lateranēſi prohibente hoc, alias cenſetur ſubreptitiū. *c. ex p.de capellis Monach.*

7 Quis debet compellere Abbates, aut Priores, ne Monachos ſolos per vias admittant, vel ne ſinant eos ſolos in prioribus, & in Eccleſijs commemorari?
Reſp. Epiſcopus diœceſanus. *c. fin.de capellis Monachorum, & in hoc caſu per Trid.ſyn. vtitur poteſtate ſedis Apoſtolicę delegata.*

8 In defectum Abbatis quis poterit Monachos corrigere?
Reſp. Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicę delegatus.

tus. *Abbas capit. final. de capellis, & num. 1. Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 14.*

CAPVT V.

De ſtatu Monachorum, & Canonicorum regulariũ, & de capitulis eorum.

1 VNnde dicitur Monachus?
℞. A verbo græco, monos, quod eſt vnum, & acos, quod eſt cuſtos, quaſi dicatur Monachus vnius animæ cuſtos. *gloſ. in l. decernimus. C. de Epiſcopis, & Cler. auth. de Monachis. Bertach.* & in mundo mortuus Deo viuens, & extra clauſtrum in vita ſpirituali non poteſt viuere, ſicut neque piſces extra acquam. *cap. placuit 16. q. 1.*

2 Monachorum appellatione veniunt nè canonici regulares?
Reſp. In odioſis non ſed de illis debet fieri expreſſa mentio. *Abb. c. quod Dei, nu. 2. de ſtatu monach.*

3 Quis dicitur canonicus regularis, & ſub qua regula viuit?
Reſp. Dicitur ille, qui viuit in clauſtro, & obedientia ſub regula S. Auguſtini, & habitu clericali procedit cum cotta, ſeu ſuperpelliceo candido.

4 Eſsẽtia religionis, vel ſtatus Monachorũ quid eſt?
Reſp. Profeſſio trium votorum, caſtitatis, paupertatis, obendientiæ. *Abb. c. cum ad monaſterium. de ſtatu mon. nu. 7.*

5 Quis dicitur Apoſtata?
Reſp. Quis deſerit habitum, vel monaſterium habitu retento, vel ille, qui non obedit ſuperiori. *Abb. c. cum ad monaſterium, de ſtatu monach. nu. 8.*

6 Si monachus fugiat à monaſterio, & ſua induſtria acquirat plura bona, cui debent adiudicari poſt eius mortem monaſterio, vel parentibus, vel hæredibus in teſtamento relictis?
Reſp. Siue mortuus, ſiue viuus ipſe cum ſuis bonis adiudicandus eſt monaſterio, & eius ſuperior poterit ſibi eum, & bona vendicare, quia quidquid acquirit ſeruus, vel monachus, non ſibi ſed domino, vel monaſterio acquirit. *c. quod à te, de clericis coniung. Abb. ibi nu. 6.*

7 Pro monachatu debet dari aliquid?
Reſp. Non, quia eſt vſura, & ſic receptus non promouetur ad ſacros ordines, neque in ſuſceptis miniſtrabit, & recipiens ab officio ſuſpenditur. *c. monachi, de ſtatu monachor.*

8 Quam pęnam incurrit, quid dat pecuniam pro acquirendo aliquo officio in monaſterio?
Reſp. Dans, & recipiens deponuntur. *c. monachi. de ſtatu monach.*

9 Monachi Ciſtercienſes quam regulam debent obſeruare?
Reſp. Suam primam regulam ſecundum eorum inſtitutionem. *c. recolentes, de ſtatu mon.*

10 Monaſteria, quę aggregantur monachis Ciſtercienſibus, quam regulam debent obſeruare?
Reſp. Regulam Ciſtercienſium, quia qui ſimilem vitam ducunt, ſimili priuilegio gaudent, & quod alteri aggregatur, eius naturam in omnibus debet imitari. *c. recolentes, de ſtatu mon.*

11 Monachi, & regulares, quando debent facere ſua capitula, vel concilia Prouincialia?
Reſp. Ad minus ſingulis triennijs, vt eorum religio meliùs obſeruetur. *c. in ſingulis, de ſtatu monach.*

12 Quid debet in capitulis tractari?
Reſp. De electione viſitatoris, & viſitatorum, ſi ſit tempus de reformatione ordinis, de religione, vt creſcat & floreat ad maiorem Dei laudem, & Eccleſiæ Sanctæ vtilitatem. *cap. in ſingulis, de ſtatu monach.*

13 Quando dicitur concorditer conuenire in aliqua electione facta in aliquo capit.?
Reſp. Quando electio fit nemine diſcrepante. *Abb. cap. in ſingulis, de ſtatu monach. num. 4.*

14 Qui debent conuenire ad capitulum Prouinciale?
Reſp. Prior, & vnus pro monaſterio, ſed in hoc quęlibet religio habet ſuum ſtatutum, & conſuetudinẽ, quę ſeruanda eſt. *cap. in ſingulis, de ſtatu monachorum.*

15 Quanto tempore debet durare capitulum?
Reſp. Tempus eſt præfixum in qualibet religione, & debet eſſe breue. *cap. in ſingulis, de ſtatu monach.*

16 Quis debet ſoluere expenſas factas in capitulo?
Reſp. Omnes communiter ſecundum poſſibilitatem monaſterium. *cap. in ſingulis, de ſtatu monachorum.*

17 Monaſteria ſubueniunt Epiſcopis.
Reſp. Non, quia exempta ſunt a lege diœceſana pręterquam in cauſa correptionis, in caſibus *à Trid. ſyn.* ſibi commiſſis, ſed Archiepiſcopus Montis Regalis habet omnimodam iuriſdictionem in monachos. S. Benedicti, qui aſſiſtunt in Metropolitana Eccleſia in omnibus delictis commiſſis in clauſtro, & extra exceptis in concernentibus eorum monaſticam regulam per ſententias rotales, & bullas Apoſtolicas. *c. 1. de ſtatu monach.*

18 Si monachus præfertur alicui Eccleſiæ parochiali ad adminiſtranda ſacramenta, ſubijcitur ne Epiſcopo?
Reſp. Talij ſubijcitur Epiſcopo, & non habet amplius aliquam communionem cum ſuo monaſterio, licèt teneatur obſeruare ſuam regulam. *Abb. c. 2. de ſtatu monach. nu. 3.*

19 Monachus diſpenſatus ad obtinendum canonicatum, vel beneficium curatum, eſt ne ſub obedientia ſuperiori ſui monaſteri?
Reſp. Non, imò eximitur ab obedientia ſuperiorum ſui ordinis, niſi fortè talis Eccleſia parochialis ſit vnita tali ordini, & per fratres illius ordinis adminiſtrari conſueuit. *Abb. cap. quod Dei, de ſtatu monachorum, numero 9.*

20 Monachus debet conſtitui in Parochum ad miniſtranda ſacramenta?
Reſp. Non, quia tale officium ſi fieri, poteſt, debet exerceri per clericos ſæculares. *cap. 2. de ſtatu monac.*

21 Si aliquis recedit a monaſterio, vel eijcitur à monaſterio, vel collegio, debet nè reſumere, quod ipſe portauit ad monaſterium; vel ad collegium?
Reſp. Debet reſumere, quod portauit in monaſteriũ licèt fecerit donationem monaſterio, vel collegio; ratio eſt, quia licèt non exprimatur intelligitur feciſſe talem donationem intuitu ſuæ ingreſſionis, & ſicut donationes factæ intuitu religionis non ſequuta profeſſione annullantur a ſacro *Conc. Trid.* ſic iſtæ donationes

nationes annullantur à Iure. Secundò vt habeat talis, vnde viuat, & ſubſtentetur. *Abb. c. recolentes, de ſtatu monach. nu.* 3.

22 Si fratres minores habeant legatum alicuius rei, quam ſecundum regulam nō poſſunt poſſidere, quid debent agere?
Reſp. Renuntiare hæredibus, vel vendere, dare eleemoſynam, vel mutare in aliam rem, cuius vſufructu poſſunt vti. *Abbas cap. recolentes, de ſtatu monachor. num.* 4.

23 Quæ non poteſt monachus facere?
Reſp. Non poteſt habere proprium, & ſi habeat, in morte ſepelitur in ſterquillinio. *c.* 2. *c. cum ad monaſterium, de ſtatu monach.* Secundò non poteſt eſſe aduocatus. Tertiò non poteſt eſſe procurator niſi in vtilitatem monaſterij. *c.* 1. *de poſtulan.* Quartò non poteſt deſerere prioratum, vel adminiſtrationem ſine licentia Abbatis. *c. porrecta, de confirm. vtil vel inut.* Quintò non poteſt transferri ad regulam ſtrictiorem ſine licentia, licèt poſſit petita, & non obtenta, ſed ad largiorem regulam requiritur licentia. Summi Pont. ad æqualem ſaltem licentia ſui ſuperioris. *c. licèt. c. non eſt, de regularibus. l. qui ſub prætextu. C. de Sacroſanct. Eccleſ.*

24 Monachus poteſt habitare ſolus?
Reſp. Non, neq; ambulare per vias, vt per ſocium tollatur omnis ſuſpicio male conſeruationis. *c.* 2. *de ſtatu monach. & gloſ. ibi. Trid. ſyn. ſeſſ.* 25. *c.* 1.

25 Monachus, vel religioſus vnius ordinis, poteſt eligi in Abbatem, vel Superiorem alterius ordinis?
Reſp. Non, niſi diſpenſatione Summi Pont. & mutatione habitus, & noua profeſſione in illo ordine. *Abbas in cap. quod Dei, de ſtatu monach. num.* 6.

26 Abbas poteſt diſpenſare, vt monachus proprium habeat?
Reſp. Non, quia abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis, iſta ſunt annexa regulæ monachali, vt ſint de intrinſeca eius ratione. *c. cum ad monaſterium de ſtatu monach.*

27 Monachus poterit ne vti lineis indumentis, vel ſubuculis?
Reſp. Non, quia illi ſecundum eius ſtatum prohibitum eſt uti tunica linea. *c. cum ad monaſterium, de ſtatu monach.*

28 Monachus acquirit ſibi relicta, vel legata, & hæreditatem ſuorum maiorum?
Reſp. Non, ſed acquirit ſuo monaſterio. *Abb. c. cum monaſterium, num.* 2. *de ſtatu monach.*

29 Si monachos adminiſtret agrum religionis, vel expendat aliquid in ſuum vſum, & vtilitatem, vel expendat in ſtudio, dicitur nè talis habere propriū?
Reſp. Non, ſed ſolum vſum, & hunc cum licentia ſui perioris. *Abb. c. cum ad monaſterium, de ſtatu monach. nu.* 9.

30 Abbas poterit concedere licentiam monacho comedendi carnes?
Reſp. Poterit ex cauſa præcipuè ſanitatis, tam ad recuperandam ſanitatem, quam ad præſeruandam ſalutem. *Abb. c. cum de ſtatu mon. nu.* 16.

31 Si in aliquo monaſterio habeant conſuetudinem comedendi carnes, indigent nè diſpenſatione aliqua?
Reſp. Non; nam præſumitur per longam conſuetudinem habuiſſe legitimam diſpenſationem. *Abbas capit. cum ad monaſterium, de ſtatu monachorum, numer.* 18.

32 Summus Pont. Poterit nè diſpenſare contra votū religionis?
Reſp. Poterit ex magna cauſa. *Abb. c. eodem de ſtatu monach. nu.* 20.

33 Monialis profeſſa poterit nè contrahere matrimonium?
Reſp. Poterit ex Summi Pont. diſpenſatione, ſi ex hoc expectetur magna vtilitas Reipub. Chriſtianæ, vt fit in Regibus, Principibus, & proceribus, quando eorum ſtatus carent ſucceſſione. *Abb. c. cum ad monaſt. nu.* 21 *de ſtato monachorum.*

34 Quibus cauſis poteſt deponi Prior, vel Abbas?
Reſp. Si ſit dilapidator, ſi viuat incontinenter, ſi ſit negligens. *c.* 2. *de ſtatu monach. Abb. ibi. nu.* 5.

35 Quæ negligentia requiritur ad depoſitionem Abbatis, vel Superioris?
Reſp. Non ordinaria, ſed magna, quod relinquitur arbitrio viſitatoris, qui debet ponderare honorem Abbatis, & damnum monaſterij. *Abb. c. final. de ſtatu monach. nu.* 3.

36 Correctio monachi ad quem ſpectat generaliter?
Reſp. Primò ad Abbatem, & in eius negligentiam, vel defectum, ad Epiſcopum. *Abb. c. fin. eod. tit. nu.* 1. & Conc. *Trid. c.* 14 *ſeſſ.* 25. *de regularib. & monialib.*

37 Pœna monachorum qualis eſſe debet?
Reſp. Proportionata delicto, & talis, vt alijs arceantur à ſimili crimine. *c. fin. de ſtatu monach.*

38 Clerici ſæculares debent nè habere præbendam in monaſterio regularium?
Reſp. Non, neque contra; ſed quilibet habere ſuam portionem in ſuis proprijs Eccleſijs; & ſic regularia beneficia regularibus danda ſunt, ſæcularia ſæcularib. ſic diſponit *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 11. *de reform. c. fin. de ſtatu monach.*

39 Si Prouincialis delinquat, quis debet eum corrigere?
Reſp. Generalis, vel viſitatores generales. *c. fin. de ſtatu monach.*

40 Si aliqua religio habeat in ſuis conſtitutionibus certas pœnas poſitas pro certis delictis, & inter eas, vt ſuperior deponatur, qui hoc, vel illud fecerit, tunc viſitator debet habere arbitrium ad moderādas iſtas pœnas?
Reſp. Tunc Viſitator ſolùm habet arbitrium ad iudicandum factum, & informationes; ſed non Ius, & pœnas, quæ legales ſunt, & ipſe ſolus eſt executor ipſarum vt habetur *in c. fin. iſto tit.*

41 In criminibus regularium debet dari parti proceſſus, & copia teſtium?
Reſp. Debet, & iuridicè procedi ad alias ſententias, & ſi aliter procedatur, res erit nulla, cum igi agatur de honore alterius. *Abbas cap. final. de ſtatu monach. numer.* 13.

42 Diſpoſitum, & præceptum monachis videtur nè diſpoſitum, & præptum monialibus?
℞. Si ſint eiuſdem regulæ affirmatiuè, quidquid eſt diſpoſitum monachis, eſt monialibus, ſed non è contra. *Abb. c. fin. eod. tit. num.* 5.

43 Canonicus regularis poteſt habere proprium?
℞. Non, imò ſi illud non reſignabit, non datur ei ſepultura Eccleſiaſtica, imò ex ea exhumatur; ſupra de ſtatu monach.

44 Canonicus regularis poteſt nè conſtitui ad regendam Eccleſiam parochialem?
℞. Poterit ibi adminiſtrare ſacramenta, ſiue Eccleſia

cleſia parochialis ſit ſui ordinis, ſiue ſit ſæcularis ordinis S. Petri, tamen ſi fieri poteſt, habeat ſocium ſui ordinis. *c.quod Dei de ſtatu monach.*

45 Canonicus regularis, & religioſus, vel monachus poſſunt promoueri in Epiſcopos, vel in Parochos?
Reſp. Poſſunt cum licentia, diſpenſatione Summi Pont. & cauſa principalis promotionis debet eſſe, vt faciat officium prædicandi Euangelium Dei. *Abb.c. quod Dei, de ſtatu monach. nu.5.*

46 Monachus poteſt promouari in Epiſcopum ſine licentia ſui Abbatis?
Reſp. Non, & Abbas tenetur dare licentiam iuſtè petitam, aliàs cogetur à ſuperiore; & ſuperior dabit repugnante Abbate. *Abb.c.quod Dei, de ſtatu monach. numer. 12.*

47 Monachus factus Epiſcopus poterit comedere carnes?
Reſp. Poterit. *Abb.c.cum ad monaſt. de ſtatu monach. nu.3.citans c.3.16.q.1.*

48 Qui Canonicus, vel Dignitas, vel Parochus, vel Prælatus poterit ſine licentia intrare religionem, & dimittere ſuum beneficium?
Reſp. Poterit quilibet iſtorum dimitrere prelaturã & intrare religionem ſine licentia alicuius, ſed ſolum Epiſcopus id non poteſt facere ſine licentia Summi Pontificis, cum habeat ſtatum perfectiorem, & regulam arctiorem. *Abbas capit. quod De ſtatu monach. num.11.*

CAPVT VI.

De Regularibus.

1 FRatres tertij Ordinis Minorum, tàm viri, quàm mulieres, qui portant habitum, & viuunt ſuis in dominibus quibus Iudicibus ſubditi ſunt?
Reſp. Eccleſiaſticis, & ſęcularibus, tàm in cauſis criminalibus, quàm ciuilibus, & debent recipere ſacramenta à proprio Parocho, ſicut cæteri ſæculares. Bulla Leonis X. quæ eſt in ordine, decimaſeptima, & in ea datum eſt priuilegium, vt poſſint recipere ſacramenta, & confiteri in die Paſchatis à ſuis fratribus; cætera verò ſacramenta, ſcilicet extremam vnctionem, & matrimonium debent recipere à Parocho, qui in domum illorum debet portare viaticum.

2 Quid ſignificat eremita?
Reſp. Eſt nomen græcum; & ſignificat ſolitarum.

3 Quæ genera eremitarum inueniuntur?
Reſp. Sunt in dupplici differentia. Primi, qui habent regulam approbatam à Summo Pont. vt ſunt eremitę S. Auguſtini, & S. Hieronymi, & hi ſubditi ſunt ſuis ſuperioribus. Alij ſunt, qui viuunt pro ſua deuotione in capellis eremiticis ſine regula approbata, & hi in ſpiritualibus ſubijciuntur Iudici Eccleſiaſtico in ſæcularibus Iudici ſæculari, *Zabarell.q.2. clemen. 1. de præbend.*

4 Regulares tàm viri, quàm mulieres, quam regulam debent profiteri?
Reſp. Suæ primęuę inſtitutionis, & ſeruare ad vnguem tria vota, obedientiæ ſcilicet, caſtitatis, & religionis. *Trident.ſynod.ſeſſ. 25.c. 1. de regul.& monia.*

5 Qui transfertur ex vna religione ad aliam, ad quid tenetur?
Reſp. Ad viuendum ſub obedientia Prælati illius religionis, & vacant officia, & beneficia, quæ in prima religione habebat. *Trid. ſyn. ſeſs. 24. cap. 11. de ref.*

6 Religioſi dimittentes habitum ad quid compelluntur?
℞. Si dimiſerunt poſt emiſſam profeſſionem, compelluntur ad illum reaſſumendum, & puniuntur pęnis ſtatutis in ſuo ordine. *Abb.in c.tua fraternitati, nu. 4.& c. à nobis, de apoſtatis.*

7 Si aliquis religioſus abſq; licentia ingrediatur religionem laxiorem, punitur nè pœna Apoſtaſiæ?
℞. Non, quia non relinquit tria vota ſubſtantialia, in quibus conſiſtit religio, & pœna Apoſtaſiæ in Iure non eſt impoſita iſtis, & cum ſit grauiſſima, non eſt extendenda. *Abb.c.fin.de Apoſtatis, nu. 4.*

8 Poteſt nè aliquis regularis profeſſus transferri ad religionem laxiorem?
℞. Non, benè tamen ad ſtrictiorem. *Trid. ſynod. ſeſs.25.c. 19.de reg.& monial.*

9 Poteſt aliquis ſuperior dare licentiam alicui religioſo, vt occultè ferat habitum ſuæ religionis?
℞. Non. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.19.ſup.cit.*

10 Regulares, qui tranſeunt ad Cartuſianum ordinẽ, poſſunt nè in eo obtinere aliqua beneficia?
℞. Poſſunt eſſe Priores, & Procuratores, quia eis non eſſe prohibitum, *per Conc.Trid.ſeſſ.14.c.11.*

11 Regulares poſſunt nè ſeruire alicui Principi, Prelato, vel vniuerſitati?
℞. Non ſine licentia ſui ſuperioris in ſcriptis, etiam prætextu lectionis, vel piæ operæ, alias ab ordinario puniuntur tanquam deſertores ſui inſtituti non pęna excommunicationis, ſed alijs pęnis. *Trident.ſyn. ſeſſ.25.de reg.monial.c.4.& Rodriguez.q.2.& 63.*

12 Generalis, vel ſuperior religionis, poteſt concedere licentiam alicui religioſo, vt tranſeat ad religionem laxiorem?
℞. Ex iuſta cauſa poterit, cũ mens, & intentio *Concil Trid.c.19.ſeſſ.25.* non fuerit tollere iuridicas facultates *Io.de la Cruz.de ſtatu religioſ.lib.1.c.7.dub.3. Sayrus dec.55.de regul.*

13 Si aliquis monachus profeſſus ingrediatur ſtrictiorem religionem, vel laxiorem; & ante emiſſam profeſſionem reuertatur ad ſuam, debet nè iterum facere profeſſionem, vel ammittere locum primæ antiquitatis?
℞. Non, & reuertitur prout minum erat, quia de licentia ſui ſuperioris licitè hoc tentauit, & eſt deciſio Rotæ 33.p.1.

14 Aliqua mulier fundatrix alicuius monaſterij, poteſt ne ingredi monaſterium regularium?
℞. Non, imo indiget expreſſa Summi Pont. licentia.

15 Quando poſſunt mulieres ingredi prima clauſtra monaſterij?
℞. Solùm in publicis proceſſionibus, & in clauſtris, vbi celebrantur diuina officia, ita tamen vt reputentur tanquam Eccleſiæ publicæ. *Trid. ſyn. ſeſſ.25.c.5. de reg.& mon.*

16 Quo Iure prohibitum eſt regularibus, vt non poſſint alloqui cum monialibus, neque mulieribus, quæ aſſiſtunt in monaſterio educationis cauſa?
℞. Prohibitum eſt à Sagra Cõgregatione regul. ſub pœna priuationis vocis actiuæ, & paſſiue, ſed non

ſub

ſub pena excommunicationis, quod obſeruatur in Italia, ſed non in Hiſpania, vbi hoc decretum adhuc non eſt receptum. *Quaranta in ſumma Bull. verbo Monaſteria Monialium, f. 348.*

17 Quibus in caſibus poſſunt Regulares aliqui Monialibus ſine pœna?

Reſp. Primò, Superior, qui habet curam monaſterij. Secundò, Viſitator. Tertiò, Confeſſarius extraordinarius, vel ordinarius, Quartò, qui habent expreſſam licentiam à Sacra Congregatione. *Ioann. Baptiſta in ſumma priuilegiorum ordin. Mendic. tit. 20. cap. 8.*

CAPVT VII.

De electione Superiorum.

1 SVperiores Regularium quomodo debent eligi?

Reſp. Per ſecreta ſuffragia, & non ſunt ſupplēda vota abſentium. *Triden. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6. de regul.*

2 Si in aliqua religione ſit permiſſum, vt aliquis ſuperior impeditus mittat ad electionem ſubſtitutū, hoc eſt, ne ei derogatum per dictum. *cap. 6. de Conc. Trident.*

Reſp. Non, ſed ſolùm data eſt forma, quomodo debeat procedere in electionibus.

3 Prouinciales, & Abbates poſſunt ſibi reſeruare caſus ſicut Epiſcopi?

Reſp. Poſſunt ex legitima cauſa, ſed debent ſeruare Bullam Clem. VIII. ſuper hoc editam.

CAPVT VIII.

De iuriſdictionem Epiſcopi in Regulares.

1 PRiuilegia Regularium edita ante Concilium quomodo ſunt intelligenda?

Reſp. Omnia, quæ ſunt contraria Conc. Trid. debent, ad eius terminos reduci, vt ſunt redacta per Pium IV. in Bulla edita anno 6. ſui Pontificatus, quæ incipit, in Principis Apoſtolorum.

2 Regulares in ciuilibus coram quo conuenire debent?

Reſp. Si degant intra clauſtrum coram ſuo conſeruatore, ſi extra clauſtra, coram Epiſcopo. *Trid. ſyn. ſeſs. 7. c. 14.* & Bulla Greg. XIII. de Conſeruatoribus, data Religioſi Italiæ.

3 Regularis, qui intra clauſtra monaſterij degit, ſi publicè deliquit, à quo debet puniri?

Reſp. A ſuo Superiore, ſed Epiſcopus deſit præfigere tempus tali Superiori, vt eum certiorem faciat de tali punitione, & correptione, & ſi id non adimpleuerit, Epiſcopus poteſt punire errantem, & Superior priuatur officio. *Trid. ſyno. ſeſs. 25. c. 14.* de Regularibus, & Monialibus.

4 Si aliquis Religioſus comprehendatur a miniſtris Epiſcopi in aliquo delicto, vel in domo alicuius mulieri ſuſpectæ, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus debet eum incarcerare in ſua carcere, donec informationes capiantur, & poſtea debet remittere a ſuum ſuperiorem cum proceſſu.

5 Regularis incorrigibilis poteſt emiti è monaſterio?

Reſp. Non, & ſi in aliqua religione hoc priuilegiū ſit, non poteſt emitti habitu retento. *Cardin. in Clem. 1. §. quia verò, q. 1. de ſtatu Monach.*

6 Si aliquis Regularis propter aliquod delictum ſe conferat ad Curiam Romanam, quid debet agere?

Reſp. Adire ſuum Superiorem, & dare ei memoriale ſuæ cauſæ. *Rodrig. de Regular. tomo 2. quæſt. 2. & 63.*

7 Si aliquis Religioſus ad fabricam monaſterij deputatus monaſterium relinquat, à quo debet puniri?

Reſp. Si monaſterium ſit regularis obſeruantiæ, à Superiore ſuo; gaudet enim priuilegio dato à *Concil. Trid. c. 14. ſeſſ. 25. de Regul. & Monial.*

8 Si aliquis Regularis, qui degit intra clauſtra monaſterij, vagatur ſine licentia ſui Superiori, à quo debet puniri?

Reſp. Ab Epiſcopo. Bulla Clem. VI. quæ incipit (*Suſcepti muneris*) & *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 4. de Regul. & Monial.*

9 Religioſi, qui ad Vniuerſitatem ſtudiorum cauſa mittuntur, vbi debent habitare?

Reſp. In ſuis monaſterijs, alias per Ordinariū contra eos proceditur, & ab eo puniuntur. *Tri. ſyn. ſeſs. 25. c. 4. vbi ſup.*

10 Si quis Regularis vadat in itinere, & vagetur, & non portet licentiam ſui Superioris in ſcriptis, & committat aliquod delictum, a quo debet puniri?

Reſp. Ab Epiſcopo debet puniri de delicto, & ſi non committat delictum, & non portet licentiam, debet incarceratus ad ſuum ſuperiorem remmiti. *Tri. ſyn. ſeſs. 25. c. 4. ſup. cit.*

11 Regulares poſſunt ne puniri ab Inquiſitoribus, & Iudicibus Cruciatæ?

Reſp. Non, niſi in cauſis fidei.

12 Monaſteria, quæ in ſe ipſa habent iuriſdictionem, & alicui Congregationi non ſunt ſubiecta, intra quod tempus debent ingredi aliquam Congregationem, & habere Prouincialem, & Viſitatores generales?

Reſp. Infra annum à publicatione Concilij, alias Metropolitanus, & eo negligente, Epiſcopus antiquior debet eos cogere cenſuris, vt ingrediantur dictam Congregationem, & de hoc tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 8. de Regul. & Monial.*

13 Regulares poſſunt ne cogi ad ſeruandos dies feſtos, quos Epiſcopus iubet obſeruari?

Reſp. Tenentur ſeruare, & etiam cenſuras, & interdicta à Sede Apoſtolica, & Epiſcopis probata, etiāſi dicti Regulares ſint exempti. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 12. de Regluar. & Monial.*

14 Si Regulares, qui non dicunt officium Romanū, concinent in Eccleſijs ſecularium, quæ Euangelia, & Epiſtolas debent declarare?

Reſp. Cogi debent, vt declarent Euangelia, quæ leguntur in Eccleſijs, in quibus concinunt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 12. cit.*

15 Excommunicationes, & interdicta ab Epiſcopo data contra aliquem particularem, tenentur nè regulares in ſuis Eccleſijs illa publicare?
Reſp. Tenentur non ſolùm interdicta generalia, ſed particularia. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.12.de reg.& mon.*

16 Regulares poſſunt publicare Bullas, indulgentias, vel facere proceſſiones extra ſua clauſtra?
Reſp. Non abſq; expreſſa licentia Epiſcopi. *Trid.ſyn. ſeſſ.25.c.12.cit.*

17 Regulares poſſunt ne dicere Miſſas maiores, tangere campanas ad horas antequam tangantur in Cathedrali?
Reſp. poſſunt, & non tenentur in ijs expectare Eccleſiam Cathedralem, quia nullibi eſt prohibitum, excepto in die Sabbati Sācti, quia per particulare breue, & bullam eſt eis hoc prohibitum.

18 Poteſt Epiſcopus prohibere regularibus, ne in ſuis Eccleſijs recipiant Sacerdotes ſæculares ad celebrandas Miſſas, niſi viſis ſuis litteris comēdatitijs?
℞. Poteſt, & debet, & regulares tenentur obedire.

19 In monaſterijs regularium debet nè eſſe lectio ſacræ ſcripturæ?
Reſp. Epiſcopus debet curare, vt ſi monaſterium habeat facultatem, habeat talem lectionem. *Trid.ſyn. ſeſſ.5.c.1.verſ.in monaſterijs, de reformat.*

CAPVT IX.

De predicatoribus & Confeſſoribus Regularibus.

1 Regulares volentes prædicare in ſuis Eccleſijs, a quo debent approbari?
Reſp. A ſuis ſuperioribus debent examinari, & approbari, & cum dicta approbatione in ſcriptis coram Epiſcopo ſe perſonaliter debent preſentare, demonſtrare ei dictam licentiam, & ab eo benedictionem petere. *Trid.ſynod.ſeſſ.5.c.2.§.regulares verò, de reformation.*

2 Epiſcopo contradicente poterit aliquis regularis in Eccleſia ſui ordinis cum licētia ſui ſuperioris prędicare?
Reſp. Non, neq; Epiſcopus tenetur reddere cauſam, ſeu rationem ſuæ contradictionis; ſufficit enim, quod oues, ad quas fit ſermo, ſint propriæ Epiſcoporū, & non ſunt ſubditæ dictis regularibus, & ſic Epiſcopus debet eas paſcere modo ſuo. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.4.& ſeſs.5.cap.2.de refor.* ſuper quibus ita declaratum eſt ab Illuſtriſſimis Cardinalibus.

3 Regulares volentes prædicare extra ſuas Eccleſias à quo debent examinari?
Reſp. Ab Epiſcopo, & etia approbari, licentiamq; habere in ſcriptis ratio eſt, quia *Trid.ſyn.c.2.ſeſſ.5.in §.in Eccleſijs verò* vltra licentiam, & approbationem ſuorum ſuperiorum ſpecialiter petit licentiam ab Epiſcopo in ſcriptis, quæ licentia ſine prævio examine dari non poteſt. *Stephan. Quaranta, verb. prædicator.fol.398.& affert Bullam Leonis X. quæ incipit (ſuperna, & infra) quæ expreſsè præcipit dictum examen.*

4 Quæ differentia eſt inter dare benedictionem, & concedere licentiam?
℞. Dare benedictionem eſt ſolum dare conſenſum, & aſſenſum approbationi factæ à ſuperioribus regularium; dare verò licentiam, eſt illum ex certa ſcientia approbare, & eum ſuo in loco deputare vt prædicet ſuis ouibus, & in ſua Eccleſia, & ideò non ſine magno Concilio ſacra Trid. ſyn. ad prædicandum in ſuis Eccleſijs, dicit, vt ſufficiat regularibus habere benedictionem ſolam ab Epiſcopo, & ad prædicandum in Eccleſijs, quæ ſui ordinis non ſunt, dicit eſſe neceſſariam expreſſam Epiſcopi licentiam in ſcriptis.

5 Poterit Epiſcopus abſque examine dare licentiam alicui religioſo docto Cathedratico, vel Prouinciali, de quo, Epiſcopo conſtat eſſe doctum, & ſufficiētem ad prædicandum, vel doctori ſæculari legenti, publicè, vel nororiè docto?
Reſp. Licèt diuerſæ ſint opiniones, dato caſu, quòd Epiſcopus concedat talem licentiam, mihi videtur non benefacere. Primò, quia non obſeruat formam Concilij, neq; declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium præcipientes dictum examen. Secundò, quia nō imitatur Summum Pont. qui licèt quotidie eligat in Epiſcopos viros doctos, Auditores Rotæ, Magiſtros ſacri Palatij, tamen eos examinat ante confirmationem Epiſcopatus ſicut cæteros. Tertiò, vt non detur occaſio, vt alius, qui non ſit tàm doctus petat approbari ſine examine, & datur cauſa erroris, & ideò raro vel nūquam faciendum eſt ab Epiſcopo, vt omnia patent, *ex Conc.Tri.ſeſſ.5.c.2.& ſeſs.24.c.4.de ref.*

6 Quis debet punire exemptos, qui prædicant ſine benedictione Epiſcopi, aut ipſe contradicente in ſuis proprijs Eccleſijs, vel dicunt, quòd ſufficit eam petere, etiam ſi eam non obtineant, vel prædicant in alienis Eccleſijs abſq; expreſſa licētia Epiſcopi in ſcriptis?
Reſp. Epiſcopus habet plenariam facultatem circa dictas perſonas, & poteſt in eas liberè omnem exercere iuriſdictionem, ſicuti ſi eſſent clerici ſæculares, vt habetur *in Bulla Gregor.XV.edita 9.Februarij, anno 1623.& ſeſſ.5.c.2.Conc.Trid.de refor.*

7 Quis debet corrigere Prædicatores, etiam ſi ſint regulares?
Reſp. Cum diſtinctione, ſi error non ſit contra fidem Epiſcopus, quia eſt error contra ſuas oues; ſi verò ſit contra fidem, Inquiſitores hæretice prauitatis per particularia priuilegia, ſimul cum ordinario illius diœceſis; etiam ſi delinquens fuerit religioſus cuiuſcumque religionis etiam exemptæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.5.c. 2.de reformat.*

8 Prædicatores poſſunt petere temporalia pro ſua ſubſtentatione?
Reſp. Poſſunt cum moderatione, quia dignus eſt operarius mercede ſua, & de Iure nemo cogitur gratis ſeruire, etiam ſi habeat, vnde aliūde viuere poſſit. *Abb.in c.cum ex officij, de præſcriptionibus.nu.7.*

9 Si in aliqua ciuitate ſit conſuetudo, vt in Eccleſia regularium populus audiat prædicationes, poterit Epiſcopus cogere tales regulares, vt admittant aliū Predicatorem ſæcularem, vel alterius ordinis?
Reſp. Poterit, ſe in æqualitate praeferēdus erit prædicator ſui ordinis, vide capitulum de prædicatoribus, vbi dictū eſt, quibus in caſibus poteſt hoc cōtingere.

10 Regulares ad audiendas confeſſiones, à quo debent examinari?

Reſp. Ab

Reſp. Ab Epiſcopo, & debent habere licentiam in ſcriptis, quæ gratis dari debet, ſed ſi talis religioſus habeat beneficium curatum, tunc non indiget alio examine, quia ad dictum beneficium iam fuit examinatus,& approbatus. *Trid. ſyno. ſeſſ. 23. c. 15. de ref.*

11 Epiſcopus poterit ſine examine dare licentiam alicui regulari, vt audiat confeſſiones ſæcularium? Reſp. Poterit, ſi ſibi aliàs ſit cognitus, & experientia certò ſciat talem eſſe idoneum, ſed rarò debet id facere, ne detur alijs occaſio petendi ſimilia, qui non habent tantam ſufficientiam.

12 Poterit Epiſcopus tollere licẽtiam confitendi alicui regulari, etiam ſi fuerit approbatus à ſuo anteceſſore, vel ab ipſo?

Reſp. Poterit,& non tenetur alicui reddere cauſam, cum oues ſint ipſius proprij Epiſcopi,& non regularium,& notanda ſunt verba *Conc. ſeſs. 23. c. 15.* vbi dicit, quod talis licentia detur ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, vbi non imponit Epiſcopo neceſſitatem talem licentiãdi, ſed relinquit libertatem dandi, vel non dandi, & in ijs, quæ ſunt meræ libertatis, nullus tenetur,& ſic cenſuit cõgregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium.

13 Ad audiendas confeſſiones ſuorum regularium à quo debent examinari?

Reſp. Sufficit, vt examinentur à ſuis ſuperioribus, ſed non poſſunt audire confeſſiones famulorum ſæcularium, qui ſeruiunt monaſterijs pro ſua mercede, quia illi ſunt de foro Epiſcopi, niſi aliunde priuilegium habeant.

14 Epiſcopus debet examinare, & approbare confeſſores monialium, quæ ſibi non ſunt ſubditæ, ſed regularibus?

Reſp. Sufficit, vt à ſuis ſuperioribus approbentur. *Tri. ſyn. ſeſs. 25. c. 10. de reg.*

15 Regularis ſemel approbatus ab examinatoribus Epiſcopi debet nè iterum ab eodem Epiſcopo examinari?

Reſp. Non, niſi adueniente noua cauſa, vel veniente nouo Epiſcopo.

16 Regulares poſſunt abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo ratione priuilegiorum conceſſorum ante Conc. Trid.

Reſp. Non, ſed ſi priuilegia confirmata poſt Concilium ſunt, erunt valida. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 7.* de caſum reſeruatione.

17 Regulares poſſunt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis?

Reſp. Solùm ſuos regulares, monachos, & moniales, ſuper quibus habent iuriſdictionem.

18 In quibus caſibus poteſt contingere, vt populus audire poſſit concionem in aliqua Eccleſia regularium, & non in ſua parochia?

Reſp. In duobus caſibus. Primò, ſi populus ſit numeroſus,& parochia non ſit ædificata, vel ſtricta, & ideò eligat aliquam Eccleſiam capacem regularium in qua Prędicator, qui debebat prędicare in ſua propria parochia, faciat concionem. Secundò, ſi dicti regulares habeant eccleſiam parochialem pro ſua propria eccleſia, & ibi cantent horas, & officia diuina, vel habeant beneficium curatum, & per ſe ipſos curam animarum exerceant; verùm hæc omnia intelligenda ſunt extra priuilegium.

CAPVT X.

De modo ædificandi Eccleſias à Regularibus.

1 CVm qua licentia debent erigi in aliqua ciuitate, vel diœceſi monaſteria de nouo?

Reſp. Cum licentia Epiſcopi illius dięceſis,& nullo modo ſine illa. *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 3. circa ſi. de reg.*

2 Epiſcopus poteſt concedere, & donare eccleſias eremiticas, & ſanctuaria regularibus, & religioſis?

Reſp. Poteſt ſine præiudicio poſſidentis, non ſolùm in ſua dięceſi, ſed etiam in locis exemptis, dummodo ſint intra ambitum ſuæ dięceſis. *Abb. in c. Apoſtolicæ, de donat. n. 3. & in c. cum veniſſent n. 2. de reſt. ſpol.*

3 Epiſcopus poteſt concedere has eccleſias religioſis ſine conſenſu ſui capituli?

Reſp. Non, etiam ſi eccleſiæ ſint in locis dięceſis,& capitulum in ciuitate, quia ſapit ſpeciem alienationis. *Abb. in c. paſtoralis, de donat. nu. 5.*

4 Si epiſcopus conceſſit eccleſias regularibus & habeat aliquos fructus in ea, & de eis non faciat mentionem in conceſſione, poterit poſtea epiſcopus recipere ipſos fructus, ſicut antea?

℞. Non, quia videtur eos vniſſe,& donaſſe; ratio eſt, quia eccleſia, & fructus pro eadem re reputantur, & acceſſoriũ ſequitur naturam principalioris; ideò dictæ conceſſiones, & ſcripturæ debent fieri ab epiſcopis magna cũ cautela, reſeruando ſemper ſibi,& ſucceſſoribus viſitationem fructus, iuriſdictioné,& alia, quæ ſeruari poſſunt. *Abb. in c. paſt. de don. nu. 8. & 1.*

5 Si epiſcopus concedat regularibus eccleſiam iuris patronatus cum conſenſu patroni, vel ad eius petitionem, & non fiat mentio; neque conditio in ſcriptura de iure patronatus, poterit ne amplius vendicare ſibi ius patronatus patronus?

Reſp. Non, quia videtur donaſſe tale ius patronatus per ſuum conſenſum dictis religioſis,& hoc diſponitur in fauorem religionis, quæ in cauſa iuris nimis fauorabilis eſt, *text. in c. paſtoralis, de donat. & ibi Ab. num. 2.*

6 Quid debet epiſcopus obſeruare ad dandam licentiam, vt monaſterium, vel eccleſia de nouo ædificetur in ſua diœceſi?

℞. Poſt petitionem religioſorum volẽtium intrare in ſcriptis mandatam, vel fundatoris volentis ædificare tale monaſterium, epiſcopus debet vocare, & citare per publica edicta Priores, & Procuratores monaſteriorum, quæ antea ſunt fundata, Parochum, Archipresbyterum, & Clerum, Prætores, Gubernatores, Iuratos, laicos gubernantes ciuitatem, vbi talis fundatio eſt facięnda, & omnes alios ſæculares, & eccleſiaſticos tàm dicti loci, quàm circumuicinorum locorum, quorum intereſt, vel intereſſe poteſt, & ſi omnibus ijs habere vnum, vel plura concilia, & coram eos legere petitionem religioſorum de nouo intrantium, vel fundatoris. *Bulla Clementis VIII. edita vigeſimatertia Iunij 1603. quæ incipit, quoniam.*

7 Quid debet tractare epiſcopus in dicto concilio

V cum

cum dictis vocatis, qui comparuerint?
Reſp. Primò, ſi dicti fratres ſint docti, ſancti, & bonæ ædificationis. Secundò, ſi in dicta ciuitate eſt penuria, vel paucitas Religioſorum ſecundum eius amplitudinem. Tertiò, fructum, & vtilitatem, quam dicti Regulares de nouo intrantes poſſunt facere in ſuis prædicationibus, & confeſſionibus. Quartò, ſi dicti Regulares poſſunt commodè ſubſtentari ſine aliorum detrimento, eleemoſynis, vel redditibus datis à fundatore. Quintò, an fundator habeat facultatem ad ædificandum tale monaſterium, & ad id poſtea reparandum, & gubernandum. Sextò, an ornamenta, & ſubiugalia Eccleſiæ dentur de præſenti à fundatore, vel de futuro. Septimò, quæ cautio, & ſecuritas datur de omnibus ijs articulis, & de ſingulis eorum à fundatore, vel à dictis Regularibus de nouo volentibus fundare, & ijs ſolemniter, & in ſcriptis redactis, Epiſcopus ſecundùm eorum rationes debet negotium ad finem perducere, vt habetur in dicta Bulla Clementis VIII. & Bulla Gregorij XV. edita anno 1621. Auguſti die 18. vbi omnia hæc explicantur, quæ fuit recepta, & executoriata in Regno Siciliæ die 18. Februarij anno 1622. & ſic inuiolabiliter obſeruari debet.

8 Epiſcopus facto dicto Concilio tenetur neceſſariò ſequi ſuffragia omnium aſſiſtētiū, vel maioris partis?
Reſp. Epiſcopus ſolùm tenetur redigere in ſcriptis ea, quæ ab vnoquoque proferuntur, & dare terminum vnicuique ad id probandum, ſed poſtea ipſe ſolus poterit dare, vel negare licentiam ædificandi abſque dependentia alicuius; dicta bulla Clem. VIII.

9 Quæ cauſę ſunt ſufficientes, vt Epiſcopus tuta cōſcientia poſſit dare licentiam Regularibus ædificādi de nouo monaſterium in aliquo loco ſuæ diœceſis?
Reſp. Auditis, & penſatis omnibus incommodis, & vtilitatibus dictis, & prolatis ab ijs, qui aſſiſterunt in Concilio, tria ſunt maximè conſideranda ab Epiſcopo, & Capitulo. Primò, ſi commodè poſſint ſubſtentari, & dotatio ſit ſufficiens. Secundò, ſi in illa diœceſi, vel ciuitate ſunt pauca, vel nulla monaſteria. Tertiò debet ponderari fructus, qui ſeparatur ex exemplo, concionibus, & confeſſoribus dictorum Religioſorum. *Abb. in cap. Paſtoralis, de priuileg. & exceſſ. priuileg. in 6.*

10 Si aliquis eorum, qui aſtiterunt in Concilio, appellauerit pro ſuo damno à licentia data ab Epiſcopo, quid debet Epiſcopus agere?
Reſp. Suſpendere executionem, & introitum Religioſorum de nouo venientium, & remittere Sum. Pōtif. omnia, quæ in tali Concilio dicta, & probata fuerunt & expectare, vt Sum. Pont. in eadem cauſa pronuntiet, vt habetur in d. bull. Clemen. VIII. vbi datur forma Epiſcopis, quomodo debent vti facultate ſibi tradita à *Trid. ſyn. in c. 3. ſeſs. 35. de Reg.*

11 Si d. Regulares de nouo intrantes ijs non ſeruatis, imò ſpretis abſq; licentia Epiſcopi per vim, vel nocte ponant campanam, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in aliqua Eccleſia, vel Oratorio, quid erit agendum?
Reſp. Epiſcopus inuocato auxilio brachij ſæcularis, ſi opus fuerit, debet intrepidè iubere, vt S. Sacramentum cum debita reuerentia conſumatur, & d. Regulares excommunicare, & incarcerare, & cum ſuis miniſtris ligatos mittere ad ſuos ſuperiores, vt illos mulctent, & corrigant, & certiorem faciant Epiſcopum de pœnitentia, & pœna illis data. *d. Bulla Clem. VIII. dans formam in d. c. 3. ſeſſ. 25.*

12 Epiſcopus quomodo poteſt dare licentiam, vt aliquis ædificet Eccleſiam Regularium?
Reſp. Epiſcopus non poteſt dare licentiam, vt quis ædificet monaſterium, conuentum, domum, vel ſocietatem Religioſorū Regularium, vel aliarum perſonarum, niſi cum tali dotatione, & portione perpetua, cum qua commodè poſſint ſubſtentari duodecim fratres, alioquin monaſteria, & loca huiuſmodi, quæ recipiantur ab anno 1625. in poſterum, in quibus duodecim Religioſi ſubſtentari non poſſint, & actu non habitauerint, ſunt ſubiecta correctioni, viſitationi, ac omnimodæ iuriſdictioni Ordinarij loci illius, in quo tale monaſterium ſitum eſt, per decretum editum à S. D. Papa Vrbano VIII. die 21. Iunij 1625. & hoc intelligitur intra fines Italiæ, & inſularum adiacentium, & non extenditur ad Hiſpaniam, & Germaniam, nec vltra montes, vt in ipſo decreto declaratur.

13 Prouinciales, & Generales, quid tenentur agere ex mandato, & decreto Vrbani VIII. ad reformanda Monaſteria, & domus?
Reſp. Tenentur, aſſumptis ſibi duobus, vel tribus Regularibus ſuæ Religionis, viſitare omnia monaſteria, & ſcribere fideliter numerum Religioſorum, redditus, & prouentus, eleemoſynas, bona mobilia, & hæc omnia portare ad ſuum Capitulum generale, vbi diligenter tractetur de numero Religioſorum, qui in illo conuentu cōmmodè ſubſtentari poſſint, & hæc omnia mittere in ſcriptis ad ſacram Congregationem interpretum ſacri Conc. Trident. poſt annum à primo Capitulo generali ſub pœna priuationis omnium officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ, & alijs pęnis, vt ibi iudicetur, & ordinetur, qui numerus Religioſorum debeat habitare in quolibet conuentu, & diſponantur omnia neceſſaria ad regularem diſciplinam, vt d. decreto Vrbani VIII. habetur.

14 Omnia priuilegia Regularium tàm ſuper ędificatione Eccleſiarum, quàm ſuper alijs rebus edita ante Concilium, quomodo ſunt intelligenda?
Reſp. Omnia, quę ſunt contraria Conc. Trid. ad eius terminos reduci debent, ſicut redacta ſunt per Pium IV. in Conſtitut. Principis Apoſtolorum, edita anno 6. ſui Pont.

CAPVT XI.

De beneficijs Regularibus vnitis.

1 Beneficia curata, & Eccleſiæ Parochiales poſſunt ne vniri Regularibus, & monaſterijs?
Reſp. Poſſunt, & Sacramenta adminiſtrari per dictos Regulares, quia ex diſpenſatione Apoſtolica ſunt capaces faciendi officium Parochorum, ſicut alij Clerici. *Abb. de ſtatu Monachorum per plura capita.*

2 In beneficijs curatis Regul. vnitis, ſi per Regulares ſeruiatur Eccleſiæ, quid debet Epiſcopus facere?
Reſp. Debet examinare, & approbare Regularem, qui

qui facit officium Parochi, & illo amoto, alium de nouo venientem, quia talis eſt ſubditus Epiſcopo in ijs, quæ ad animarum curam pertinent, & facere, vt non habitet ſolus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 15. de reform. & 25. c. 11. de reg.*

3 Baptiſterium poteſt eſſe in monaſterio?
Reſp. Non. *cap. pridem.* 18. *q.* 2.

4 Si monaſterium iunctum ſit cum aliqua Eccleſia parochiali, & in dicta Eccleſia regulares decantent officia diuina, & faciant officium Parochi, poſſunt nè ad libitum ſuperioris ſui adminiſtrare ſacramenta?
℟. Non, ſed in tali caſu ſuperior monaſterij deputabit Epiſcopo duos, vel tres regulares, & cum examine, & approbatione epiſcopi tales poſſunt facere officiũ Parochi, quia in hoc pendent à voluntate Epi.

5 In Eccleſijs parochialib. vnitis monaſterijs, Epiſc. poterit ponere Vicarium perpetuum, vel tẽporalẽ?
Reſp. Si vnio beneficij curati facta ſit cum cõditione, & priuilegio, vt tali beneficio ſeruiatur per vnum à regularibus, non poterit deputare Vicarium: ſi verò vnio non habeat hanc conditionem, tunc Epiſcopus virtute decreti *Conc. Trid. ſeſ. 7. c.* 8. poterit deputare Vicarium cum congrua aſſignatione, & cum examine coram ſynodalibus, vt habetur in Bulla Pij V. de Vicarijs perpetuis.

6 Si aliquis relig. ſeruiat alicui Eccleſię parochiali, quoniã tenebitur dicere Miſſam, & cantare horas?
Reſp. In hoc debet conformari cum populo, in reliquis verò cum ſua religione. *V gol. de offic. & poteſtate Epiſc. c. 2. §. 2. num. 4.*

7 In Eccleſijs parochialibus vnitis Monaſterijs, in quibus vicaria perpetua erecta eſt ab Epiſcopo, onera omnia pertinent ad monaſterium, vel ad Vicariũ?
Reſp. Cum diſtinctione; onera ſpiritualia, vt confeſſiones, adminiſtratio Sacramentorũ, prædicationes, doctrina Chriſtiana ad vicarium; onera verò temporalia, vt reædificatio Eccleſiæ, prouiſio paramentorum, cera, oleum, ad conuentum; ratio eſt, quia monaſterium percipit omnes fructus: Vicarius verò ſolùm ſuam congruam ſubſtentationem, *vt habetur in Bulla Pij V. de Vicarijs perpetuis. in ordin.* 46.

8 In Eccleſijs regularium exemptis, vbi ſunt clerici ſæculares adminiſtrantes Sacramenta, tales à quo debent approbari, & viſitari?
Reſp. Ab Epiſcopo, quia ſunt eius ſubditi, & adminiſtrant Sacramẽta ſuis ouibus, excepto monaſterio Cluniacenſi, & alijs, videlicet ordinum militarium, in quibus Abbates, & Superiores habẽt iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & ſubditos in ſpiritualibus ſibi ſubiectos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 11. de reg. & mon.*

9 Vniones perpetuæ beneficiorum monaſterijs alterius diœceſis factæ ſunt nè prohibitæ?
Reſp. Sunt prohibitæ, & ſemper vnio facienda erit monaſterio de aliquo beneficio in propria diœceſi, ſed in ijs omnibus Bullæ Apoſtolicæ ſunt. *Trid. ſynod. ſeſs. 14. c. 9. de reform.*

10 Beneficia regularia, quæ ante Conc. Trid. conſueuerunt conferri ſęcularibus, vt prioratus, & alia, poſſunt nè poſt concilium eiſdem ſæcularibus conferri?
Reſp. Poſſunt cõferri ſæcularibus propter magnam beneficiorum dignitatem, & quantitatem, & propter dignitatem Regum, & patronorum, qui præſentant d. beneficia, ſed tales ſæculares ſic præſentati debent ſuſcipere habitum, & emittere profeſſionem in tali religione; ita enim eſt in conſuetudine.

CAPVT XII.

De ſepultura mortuorum in Eccleſijs Regularium.

1 Regulares quibus modis poſſunt obtinere Eccleſias?
Reſp. Quinque modis. Primò quoad ius patronatus dumtaxat, vt ſi à fundatore ædificetur aliqua Eccleſia, & inter alios patronos nominetur Abbas talis monaſterij, ſeu quoad collationem, ſeu inſtitutionẽ tituli alicuius beneficij, vel capellaniæ. Secundò quoad inſtitutionem authorizabilem, vel viſitationem alicuius Eccleſiæ, vel operæ piæ ſimiliter ab aliquo teſtatore ſibi commiſſæ. Tertiò quoad temporalia dumtaxat, vt ad recipiendos fructus in aliqua Eccleſia ſæculari ſibi perpetuò aſſignatos. Quartò quoad regimen, vt ſint parochi alicuius eccleſiæ. Quintò ſi habeát ipſi eccleſias ſuas regulares, & monaſterium ibi ſimul. *Abb. in tit. de iure patron.*

2 Poteſt quilibet ſibi eligere ſepulturam in eccleſia vel ſæculari, vel regulari?
Reſp. Poteſt per teſtamentum, vel alio modo fabricare ſepulchrum, & ſepulturam ſibi eligere in eccleſia, clauſtro, capitulo, ſacriſtia regularium, vel in Eccleſia ſæculari. *c. 1. & c. cum quis, de ſepult. lib. 6.*

3 Quis debet ſepelire mortuos, & facere officium Presbyteri in proceſſione defuncti?
Reſp. Proprius parochus illius defuncti, vel alter clericus de licentia parochi: ratio eſt, quia Parochus proprius, qui eum ſacramentauit, habet iuriſdictionem in illum defunctum vſque ad vltimam benedictionem, & reſponſorium, quod cantatur pro defuncto, & talis actus eſt iuriſdictionis, & ſic non poteſt ſeparari à Parocho ſine eius licentia. *clem. dudum. de ſepult. & c. ex parte, eod. tit.*

4 Quando quis iubet ſepeliri in aliquo monaſterio extra ſuam parochiam, quid debent facere religioſi illius monaſterij, & parochus illius defuncti?
Reſp. Parochus defuncti debet dicere mortuo vltimum reſponſorium in domo ſua, & illum aſſociare vſque ad portam eccleſiæ talis monaſterij, & facta benedictione mortuum tradere regularibus, vt intra ſuam eccleſiam eum ſepeliant, nam vſque ad portas eccleſiæ durat iuriſdictio parochi. *c. 1. de ſepult. c. licet eod. lib. 6. & c. is, qui, eod. tit.*

5 Cum aliquis ſepelitur in eccleſia regularium, poſſunt regulares ingredi parochiam alienam cum cruce, & inuito parocho abſque cruce parochiæ ſepelire talem mortuum?
Reſp. Licèt aliquando de hac re aliquæ fuerint ortæ quæſtiones, tamen hodie hanc difficultatem ſubſtulit congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium interpretum Concil. Trident. ordinantium, vt dicti regulares, neque prætextu conſuetudinis immemorabilis, neque priuilegiorum maris magni non intrent parochiam alienam proceſſionaliter cum cruce ad deferenda corpora defunctorum, niſi vocato proprio defuncti parocho, & eo præſente, & licètiam

concedente. *Steph. Quaranta in ſum. Bull. verb. priuilegia regularium, vbi refert hoc decretum.*

6 Priuilegium Bonifacij VIII. datum in regularibus ſcilicet, quòd habeant liberam ſepulturam in ſuis Eccleſijs, quomodo eſt intelligendum, & executioni mandandum?

Reſp. Eſt intelligendum taliter, quòd regulares poſſint cum ſua cruce ire proceſſionaliter ad domū defuncti, vel ad aliquam Eccleſiam, ſi defunctus ibi ſit depoſitatus, & ibi decantare defuncto officium, & eum aſſociare, & portare vſque ad ſuum monaſterium, & Eccleſiam ſimul cum cruce parochiali, & Parocho defuncti, vt expreſſè habetur in dicta Bulla Bonifacij VIII. & in declar. Illuſtriſ. Cardinalium ſupra allegata, & in iſto caſu crux parochialis præcedere debet omnibus tamquam proprium defuncti vexillum, & hoc ſeruatur in ſepultura Regum, & Principum, & ego vidi in Hiſpania in regali monaſterio S. Laurentij proceſſionem Philippi potentiſſimi Regis II. mortui, & erat pręſens D. Garſias de Loayſa Archiepiſcopus Toletanus, qui faciebat officium, & in ea Parochus parochiæ oppidi (de el Eſcurial) cum ſua cruce, & proceſſio ambulauit per clauſtrū, & atrium regium dicti monaſterij, vſque ad portam Eccleſiæ, vbi Parochus cum ſua cruce reuerſus fuit, & diſtat Eccleſia parochialis à monaſterio per duo milliaria, vel circa.

7 Si aliquis ſepeliatur in aliquo monaſterio, & hęredes defuncti, vel regulares monaſterij dicant Parocho, vt cum ſua cruce accedat ad eius ſepulturam, & ipſe nolit venire, quid agendum?

Reſp. Tunc facta requiſitione in ſcriptis coram Notario, vel teſtibus liberè poſſunt regulares intrare proceſſionaliter in alienam parochiam cum cruce, & ſepelire talem defunctum; ratio eſt, quia iam impleuerunt conditionem poſitam in declaratione Illuſtriſ. Cardinalium ſuper Bulla Bonifacij VIII. & quilibet vtens Iure ſuo nulli facit iniuriam, præcipuè cum talis caſus iam ſit extremæ neceſſitatis, ſed hoc raro, vel numquam poteſt contingere, quia parochi ſemper defendunt accerrimè iuriſdictionem.

8 Si regulares aliquando petant licentiam à Parocho, vt ipſi ſoli poſſint ſepelire defunctum abſq; cruce parochiæ ſolutis iuribus Parochi, tunc poterunt liberè ſepelire talem defunctum?

℞. In iſto caſu liberè poſſunt ingredi proceſſionaliter, & portare defunctum ad ſuam Eccleſiam, quia licentia, & conſenſus parochi eos liberat a quacumque pæna, ſed parochus id debet facere raro, & dare licentiam in ſcriptis pro illa vice. & pro illa cauſa, reſeruando ius parochiæ illius ſibi: & in dicta declaratione cauetur, quòd de parochi licētia id fieri poſſit.

9 Regulares parochi poſſunt petere, vel accipere aliquid pro ſepeliendis mortuis?

Reſp. Nihil, cum ſit officium charitatiuum, niſi ſit conſuetudo accipiendi aliquid pro labore, vel pro cera, vel apertione ſepulturæ; tunc enim talis conſuetudo eſt ſeruanda, ſed non cum pauperibus, qui ſemper gratis ſepeliendi ſunt. *Abb. in c. abolendæ, de ſepult. num. 6. ad Apoſtolicam de ſimonia.*

10 Quando, quis eligit ſepulturam in aliquo monaſterio, vel in aliena parochia, quid debet percipere proprius parochus?

Reſp. Quartam funeralem, quæ ei de Iure debetur, quia defunctus eſt propria eius ouis, & ipſe eum ſacramentauit, & dedit extremam vnctionem, & pauit à die Natiuitatis vſque ad vltimum diem, ideò de Iure debetur quarta funeralis Cathedralibus, vel parochis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13. de refor. & clem. dudum. de ſepult. §. verùm ne parochialis, & ibi Gloſ.*

11 Quę eſt quarta funeralis, quę dari debet parocho?

Reſp. Quarta pars candelarum, quæ ad pompam deferuntur. *Trident. ſynod. ſeſſ. 25. cap. 13. de refor.*

12 Si talis quarta funeralis ex cōſuetudine in aliqua Eccleſia intelligatur eſſe tertia pars, vel medietas funeralium, debent ne poſt Conc. Trident. ſeruari talis conſuetudo?

℞. Talis conſuetudo ſeruāda eſt in fauorē Eccleſię, præcipuè ſi fuerit immemorabilis, & executioni madata ante concilium, vel poſt, *vt tenet Bal. conſ. 70. quē refert, & ſequitur. Tuſc. lit. Q. concl. 23. & 30.*

13 Si aliquod monaſterium, vel hoſpitale habebat priuilegium percipiēdi talem quartam funeralium, poterit ne hodie illo vti?

℞. Non, quia talia priuilegia reuocata fuerunt per Conc. Trid. etiam ſi ſint contenta in mari magno, vt habetur in *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13.* & ſic declarauerunt ſæpè ſæpius Illuſtriſ. Cardinales congr. concilij.

14 Quæ monaſteria, & priuilegia excipiuntur ab hac reuocatione generali?

Reſp. Excipiuntur omnia illa monaſteria, quæ per quadraginta annos ante publicationem Cōcilij cum priuilegio Apoſtolico accipiebant dictam quartam funeralem.

15 Si lis oriatur hodie ſuper dicta quarta funerali inter monaſterium, & parochum, cui incumbit onus probandi?

Reſp. Monaſteriū debet probare eſſe in poſſeſſione percipiendi dictam quartam funeralem per quadraginta annos ante publicationem cōcilij vſque ad diē præſentem, quia tunc tale priuilegium non eſt reuocatum per Conc. Trid. Parochus autem, cum habeat de Iure ſuam intentionem fundatam, nihil tenetur probare ad percipiendam dictam quartam funeralem, quia ei debetur ad ſuam ſubſtentationem, ſicut debentur decimę. *cap. cum homines, de decimis, c. 4. ad Apoſtolica. & ibi gl. eod. tit. Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13.*

16 Ad percipiendam dictam quartam funeralē, ſufficit, vt aliquod monaſterium probet ſe eſſe in poſſeſſione per tres, vel quatuor actus percipiendi dictam quartam funeralem?

Reſp. Cū ſimus in lege prohibitiua, & in decreto expreſſo *Conc. Trid. ſeſ. 25. c. 13.* irritate omniā priuilegia regularium ſuper dicta quarta funeralium, & in decreto iubente, vt detur Eccleſijs, vel parochis monaſterium, neceſſariò debet probare omnia contenta in anteriori interrogatione, alias ſuccumbet.

CAPVT VIII.

De bonis Regularium.

1 QVæ monaſteria poſſunt poſſidere bona immobilia?

Reſp. Omnia, quibus non eſt prohibitum in ſua inſtitutione, vt fratres minores S. Franciſci, & Capuccini, qui per ſuam inſtitutionem nulla bona poſſunt poſſidere. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3. de regularib.*

2 Si

2 Si fratribus Capuccinis, vel minoribus S. Franciſci fuerit relictum in teſtamento legatum aliquorum bonorum immobilium, quid debent agere?
Reſp. Debent renunciare tale legatum, quia ſunt incapaces, vel illud vendere, & pretium dare pauperibus. *Bulla Pij V. de regularibus.*

3 Si in aliquo monaſterio hominum, vel mulierum, qui ſub arctiori regula viuunt, de ſuo inſtituto non liceat habere bona ſtabilia, poſſunt nè poſt Concil. Trid. bona licitè habere?
Reſp. Non, quia tales excipiuntur in Concilio, & relinquuntur in ſuo inſtituto primo. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 2. & 3. de reg.*

4 Si monachus fugiat à monaſterio, & ſua induſtria acquirat plura bona, cui debent adiudicari, ſuis hæredibus in teſtamento relictis; an monaſterio?
Reſp. Monaſterio, quia quidquid monachus acquirit monaſterio. *c. quod à te, de clericis coniugat. & Ab ibi num. 6.*

5 Bona mobilia, quæ acquirunt regulares, poſſunt ea poſſidere tamquam propria, & alienare?
Reſp. Non, ſed ſtatim debent ea tradere ſuperioribus, vt conuentui incorporentur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 2. de reg.*

6 Superiores poſſunt dare bona ſtabilia alicui religioſo, vt ea poſſideat, & recipiat vſumfructum?
Reſp. Non, ſed ſolùm mobilia, & id ſolum ad vſum. *Trident. ſyn. ſeſſ. 25. c. 2. de reg.*

7 Quam pœnam incurrit, qui contrarium facit?
Reſp. Biennio actiua, & paſſiua voce priuatur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 2. de reg.*

CAPVT XIV.

De ordine à Regularibus ſuſcipiendo.

1 QVis dicitur proprius diœceſanus regularium? Reſp. Epiſcopus proximior monaſterio, & non diœceſi, & hoc propter vtilitatem regularium, ſed hoc debet intelligi in monaſterijs nullius diœceſis, ſed in monaſterijs ſitis intra diœceſim alicuius Epiſcopi, epiſcopus diœceſanus erit ordinarius regularium talis monaſterij, & illos poterit ordinare. *Bul. Clem. VIII. dat. Romæ die 15. Martij 1596.*

2 Abbates ſancti Benedicti habentes mitram, & baculum, & poteſtatem conferendi ordines minores, poſſunt illos conferre regularibus alterius religionis, vel clericis ſæcularibus alterius diœceſis?
℞. Poſſunt, ſi habeãt dimiſſorias ſuorum ſuperiorũ. *Vaſquez 3. p. tom. 3. diſput. 243. nu. 33. Azor. par. 2. lib. 3. c. 48. q. 15. Quaranta verb. ordo. §. Abbatibus.*

3 Epiſcopus, quod ſcrutinium tenetur facere cum regularibus, vt eos ordinet?
Reſp. Primò debet videre litteras dimiſſoriales Prælati illorum, in quibus fiat integra fides de vita, ætate, & moribus. Secundò debet eum examinare perſonaliter, vel cum ſuis examinatoribus, licèt talis regularis doctiſſimus ſit, & lector, quia de hoc Epiſcopo non poteſt conſtare, niſi per examen, & hoc expreſsè præcipitur à *Conc. Trid. ſeſ. 23. c. 12. in fi. de refor.* Tertiò debet examinare litteras præcedentium ordinum propter interſtitia, & ne quis promoueatur per ſaltum, reliqua requiſita relinquuntur in cõſcientia ſui ſuperioris, cum Epiſcopus non poſſit cognoſcere eius conuerſationem præteritam. Bulla Sixti V. in fauorem regularium, vbi Summus Pontifex declarat regulares poſſe ordinari à quocumque antiſtite cum litteris ſuorum ſuperiorum, & *Concil. Trid. ſeſs. 23. c. 12. de reform.*

4 Si talis regularis ſit deformis, vel ſit bigamus, vel habeat defectum corporalem impedientem ſuſceptionem ordinum, quis debet cum eo diſpenſare, Epiſcopus, vel ſuperior ſuæ religionis?
Reſp. Epiſcopus debet animaduertere defectum, & ipſe, vel Summus Pontifex (cui de Iure competit) debet diſpenſare, niſi talis bigamia ſublata fuerit per ingreſſum religionis; ratio eſt, quia in dicta bulla Sixti V. *& in c. 12. ſeſſ. 23. Conc. Trid.* non committitur Superioribus religioſorum, niſi ſolùm approbatio de moribus, & vita, reliqua verò relinquuntur Epiſcopo prout de Iure, & *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de reform.*

5 Quis debet diſpenſare interſtitia religioſis, Epiſcopus ordinãs, vel Epiſcopus originis, vel eius ſuperior?
℞. Epiſcopus ordinãs, & faciliùs cum religioſis, quã cum ſæcularibus; ratio eſt, quia dictus Epiſcopus ordinãs in dicto caſu factus eſt ordinarius talis religioſi. *Quaranta in ſum. Bullar. verbo ordo; Vaſquez 3. p. to. 3. diſp. 146. c. 6. n. 58.* & hoc intelligitur, tàm in ordinibus maioribus, quàm in minoribus.

6 Quæ interſtitia debent in regularibus obſeruari?
Reſp. Interſtitia minorum ordinum, & interſtitia Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, vt quilibet aſcendat magis probatus, & inſtructus, & exercitatus ad ordinem ſuperiorem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 11. 13. & 14. de reform.*

7 Quæ interſtitia debent ab Epiſcopo diſpenſari?
Reſp. Interſtitijs minorum ordinum faciliùs eſt diſpenſandum, & cum leuiori cauſa, in interſtitijs Subdiaconatus, & Diaconatus difficiliùs, in interſtitijs verò Presbyteratus raro, & difficillimè, & non ſine cauſis à concilio expreſſis; ratio eſt, quia Concilium cap. 11. relinquit arbitrio Epiſcopi ſine expreſſione cauſæ diſpenſationem minorum ordinum, & in c. 13. Concilium dicit, promoti ad ſacrum Subdiaconatus ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliter Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur, & ita relinquit diſpenſationem arbitrio Epiſcopi, & in c. 14. expreſſè dicit, quòd ex Diaconatu non aſcẽdat ad Presbyteratum; niſi per annum integrum in Diaconatu ſe exercuerit, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel vtilitatem aliter Epiſcopo videatur, & cum iſtæ cauſæ, & conditiones, reſtringant, & modificent facultatem Epiſcopi, Epiſcopus non poterit diſpenſare in his interſtitijs, niſi impleta ſaltem vna ex ipſis conditionibus.

8 Epiſcopus poterit diſpenſare interſtitia minorum ordinum Diaconatus, & Subdiaconatus abſque aliqua cauſa pro ſuo libito, quia concilium *in d. c. 11. & 13.* hoc relinquit in ſua voluntate?
Reſp. Non poterit diſpenſare ſine cauſa, & licèt diſpenſatio valeret, ipſe malefaciet; ratio eſt, quia diſpenſatio eſt ſtricti iuris, & contra regulam generalem, & ſic non poteſt fieri ab Epiſcopo ſine cauſa.

9 Quę cauſæ requiruntur, vt epiſcopus diſpenſet tuta cõſcientia ab interſtitijs minorum ordinũ, Diaconatus, & Subdiaconatus cum regularibus, & alijs?

℟. Primùm neceſſitas, vel vtilitas Eccleſię. Secundò, ſi aliquis regularis, vel ſæcularis eſſet in magna ætate, & inueniatur bene inſtructus in ordinibus præteritis. Tertiò, ſi quis eſſet doctus in aliqua ſcientia, & ſtudia fuerint iam finita. Quartò, ſi habeat parentes pauperes, & neceſſarium ſit illos alere. Quintò, ſi per longum iter debeat venire iterum ad ſe ordinandum cum expenſa, & periculo itineris. Sextò, ſi timeatur, quod finito illo anno de proximo non erunt ordines, & ille talis patiatur detrimentum non ſe ordinando finito anno, iſtæ cauſæ omnes relinquuntur arbitrio Epiſcopi ad mouendum ſuum animum in diſpenſatione interſtitiorum minorum ordinum, Subdiaconatus, & Diaconatus; ſed in diſpenſatione, in interſtiti s ad Presbyteratum, debent neceſſariò requiri neceſſitas, ac vtilitas Eccleſiæ, aliter non eſt diſpenſandum, vt expreſsè habetur in *c. 14. ſeſſ. 23. Concil. Trid.*

10 Quæ ſunt cauſæ in Iure expreſſæ, vt Epiſcopus diſpenſare poſſit interſtitia cum religioſis ad Presbyteratum?

Reſp. Duæ, vtilitas, & neceſſitas Eccleſiæ, ſcilicet quòd dictus religioſus ſit doctus, ſanctus, vel in muſica peritus, & quòd tali in Eccleſia ſit penuria miniſtrorum, & hoc debet conſtare Epiſcopo per litteras expreſſas ſui ſuperioris. *Trid. ſyn. ſeſ. 23. c. 14. de reform.*

11 Regulares debent facere publicationes ante ſuã ordinationem, ſicut ſæculares?

Reſp. Non, quia teſtimonium ſuorum ſuperiorum ſupplet dictas publicationes. *Mirandula in manu Prælator. par. 1. quæſt. 38. art. 7. & 8. Molfeſ. in ſum. tomo 1. tract. 2. c. 2. num. 58.*

12 Regulares, à quo tenentur ſuſcipere teſtimonium & litteras ſuorum ordinum?

Reſp. Siue ordinentur in maioribus, ſiue in minoribus ab Epiſcopo ordinante ſigillatas ſuo ſigillo, ſubſcriptas ſua manu, referendatas à ſuo ſecretario in papyro, ſiue parcæmino, & eas vſque ad mortem ſeruare. *tex. in cap. legum, 2. q. 1. & omnes DD*, ibi ratio eſt, quia ſententia, quæ ſine ſcriptis profertur, non meretur nomen ſententiæ, & vt talis poſſit ad ſuperiores ordines aſcendere, & in dictis ordinibus miniſtrare extra ſuum monaſterium.

13 Dimiſſoriæ datæ à Generalibus, Prouincialibus, vel Abbatibus talem habentibus facultatem, ſpirant nè morte, depoſitione, vel finito officio dantis?

Reſp. Non, ſed illis vti poteſt abſque noua licentia noui ſuperioris, cum ſint litteræ gratioſæ, hoc eſt de Iure; de vrbanitate verò, & maiori obedientia eſſet conueniens eas oſtendere nouo ſuperiori, vel cum certiorem facere; licèt aduertendum, quòd ſi talis ſuperior de nouo intrãs reuocet omnes gratias à ſuo anteceſſore factas, vel à ſede vacante, tunc illis non eſt vtendum, quia talis puniendus eſſet quaſi ordinatus ſine dimiſſorijs. *Sanch. tom. 3 lib. 8. diſp. 28. diſpenſat. Abbas c. fin. de offic. legati. nu. 9. Card. in clem. ſi. num. 9. q. 5. de elect. Imola ibi num. 2.*

14 Si aliquis habeat litteras ordinis Diaconatus, & non habeat litteras aliorum ordinum, Subdiaconatus ſcilicet, vel alterius ordinis minoris, talis poterit promoueri ad Sacerdotium?

Reſp. Siue ſit regularis, ſiue ſęcularis, nõ poterit Epiſcopus ſecura conſcientia eum ordinare, quia in ceremon. Clem. VIII. dicitur, examinentur de ordine, in quo ſunt conſtituti, & id ſine litteris, vel teſtibus fieri non poteſt, & ei aſſerenti ſe ordinatum eſſe creditur, quia dicit in ſuum fauorem, imò præſumitur ordinatus per ſaltum, vt in to. o titulo, *de cler. per ſalt. promoto, & de eo, qui furtiuè ordines ſuſcepit, habetur, & in c. 1. de clericis peregr. & c. primatus, & c. nullũ diſt. 71. c. legum. 2. q. 1. c. 1. de cler. per ſal. promoto. Hoſtienſ. in ſum. de cler. peregr. num. 4.*

15 Si aliquis religioſus amittat litteras Epiſcopi, qui eum ordinauit de Epiſtola, & eius loco habeat teſtimonium in ſcriptis ſui Prouincialis, quod talis fuit ordinatus de Epiſtola tali die à tali Epiſcopo, & eã ſæpè ſæpius cantauit, ſufficiet nè hoc, vt Epiſcopus tuta conſcientia eum ordinet de Euangelio?

℟. Non. Primò, quia de Iure tenetur habere litteras ordinis ab Epiſcopo ordinante tamquam in cauſa graui, vt præcipitur. *in c. legum 2. q. 1.* Secundò, quia iſte defectus de Iure non ſuppletur per teſtimonium vnius, ſed per informationem aliquorum iuridicam. *c. ſuper ijs, de accuſat. Boer. dec. 171. num. 23.* Tertiò, quia Epiſcopus ordinans tenetur attendere, ne quis per ſaltum promoueatur, & eſt competens Iudex iſtius cauſæ. *cap. vnico, de cler.* per ſaltum promoto, neq; obſtat, ſi quis dicat, quòd Bulla Sixti V. in fauorem regularium dat facultatem ſuperioribus ordinũ, vt de moribus, & natalibus ſuos approbent ſubditos, & relinquit, vt Epiſcopus approbet religioſos de ſcientia, Primò, quia in dicta Bulla non continetur hæc facultas, vt ſuperior ſuppleat litteras Epiſcopi ordinantis, ſicut non continetur, vt diſpenſet interſtitia, & cum hoc ſit in diminutionem iuriſdictionis ordinariæ datam à Conc. Trid. non debet extendi ad rem in bulla non contentam. *ex regul. iur.* Secundò dicta Bulla conceſſa fuit ſuperioribus religionum ſolùm ad approbandos ſuos ſubditos in his rebus, in quibus Ordinarius non poteſt habere notitiam, ſicut ſunt mores, & vita præterita. Tertiò ad derogandum ius, quod competit Epiſcopo ratione ſui officij, & ratione Conc. Trid. requiritur expreſſa mentio, quæ in dicta Bulla non habetur, neque militat ratio, quare debeat derogari, quia melius poſſet ſuperior religionum approbare de ſcientia ſuũ ſubditum, quod poteſt illi per examen conſtare, quam dare fidem, quòd ordinatus ſit de Epiſtola, cum ipſe præſens non fuerit ad eius ordinationem.

16 Si quis amittat litteras ordinis inferioris, vel relinquat domi, & facilè eas recuperare non poſſit, quid debet agere, vt promoueatur?

Reſp. Cum matura deliberatione recurrendũ eſt ad remediã Iuris in caſibus, in quibus res non apparet, nempe probandum eſt per teſtes, per publicam famam facto proceſſu, quem proceſſum debet ſeruare cum ſua dimiſſoria, & titulo ordinis, quem de præſenti ſuſcipit, vt ſeruiat loco prædictarum litterarũ. *Nauarr. de præſumpt. conſ. 4. & de ſucceſſionibus ab inteſt. conſil. 5. Boer. deciſ. 171. num. 23. in iſto caſu tenet Felyn. in cap. ſuper ijs, de accuſat. nu. 19. Boer. in d. deciſ. Couar. pract. quæſt. c. 33. num. 3. Zerola verb. Bulla ad 3.* quod ſi talis homo ſit vir bonus, religioſus, & doctus, & publica fama ignotum non ſit, quòd ſit ordinatus, & quòd miniſtrauit in tali ordine, credatur eius iuramento ſolemni facto in manu Iudicis: ratio eſt, quia in ijs, in quibus non agitur de præiudicio alterius, poteſt probari per iuramẽtum, ſed in iſto caſu aduerte duo. Primò, quòd publica fama debet probari

bari per teſtes Iuratos in ſcriptis. Secundò, quod iuramentum debet eſſe in ſcriptis, & vtrumque debet ſeruari loco litterarum.

17 Poſſunt nè quatuor minores ordines conferri vno die religioſis in fauorem religionis?
Reſp. Affirmatiuè, ſi ſit conſuetudo illius loci, quod non poteſt fieri in maioribus, licèt interſtitia diſpenſetur. *Gloſſ. in cap. cum H. lator præſentium, & c. vltimo. de eo, qui furtiuè ordinem ſuſcipit.*

18 Quatuor minores ordines, & Epiſtola, poſſunt nè vno die conferri?
Reſp. Non, etiam regularibus, quia prohibitum eſt per ceremoniale *Rom. Clem. VIII. in rubr. de ord.* maioribus, neque hoc ab Epiſcopo poteſt diſpenſari, cum expreſsè prohibitum ſit in dicto ceremoniali.

19 Regulares, debent nè ordinari ad titulum paupertatis?
Reſp. Debent, & poſſunt ex eorum priuilegijs.

20 Si quis regularis ad titulum paupertatis promouetur ad Subdiaconatū, & relinquat religionem iuſſu ſuperiorum, debet nè ad titulum eiuſdem paupertatis promoueri ad Diaconatū, & Presbyteratum?
Reſp. Non, ſed ad titulum patrimonij, vel beneficij, quia iam factus eſt de foro ſæculari: ita cautum eſt in Bulla Pij V.

21 Si aliquis regularis ante profeſſionem, vel poſt profeſſionem factam per vim, vel metum cadentem in conſtantem virum ſuſcipiat ordines ſacros ad titulum paupertatis, quam pœnam incurrit?
Reſp. Eſt ſuſpenſus, & ſi exerceat ordines, efficitur irregularis Bulla Pij V. quæ incipit (Romanus Pontifex) publicata anno 1568.

22 Si regularis in apoſtaſia dimiſſo habitu ſuſcipiat ordines, à quo debet diſpenſari?
Reſp. A ſolo Papa. *c. fin. de apoſtatis.*

23 Quare Clericus ordinatus occultè ſine patrimonio non incurrit ſuſpenſionem, ſed aliam pœnam, & regularis ordinatus ante profeſſionē eſt ſuſpenſus?
Reſp. Quia pœna Clerici imponitur Epiſcopo, qui illum ordinauit propter eius negligentiam, & pœna regularis imponitur ipſi regulari, quia neceſſariò fallit ſuperiorem ſuum, & occultè id facit propter vehemens deſiderium aſcendi ad ordines.

24 Clerici ſocietatis Ieſu poſſunt ordinari ante profeſſionem ad titulum paupertatis?
Reſp. Poſſunt, quia non ſunt comprehenſi in d. Bulla Pij V. imò habent priuilegium Greg. XIII.

25 Epiſcopus poteſt diſpenſare cum aliquo regulari in ętate, vel in eo, quòd ordinetur ſine diligenti examine de ſcientia?
Reſp. Non, quia primum prohibitū eſt illi *à Concil. Trident. & à Concil. Nicæno, & Toletano, & capit. ſi quis, diſtinct. 78. & ſecundum, nempè examen, expreſſè iubetur à Trident. ſynod. dicta ſeſſion. 23. cap. 12. ſub his verbis* præcepriuis (regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuſcumque, quod ad hoc penitus excluſis,) & ita in hoc pares cum ſæcularibus facti ſunt.

26 Regulares, qui volunt celebrare Miſſas in Eccleſijs Epiſcoporum, quomodo debent admitti?
Reſp. Si ſint itinerantes debent demonſtrare litteras dimiſſoriales ſuorum ſuperiorum in ſcriptis, & eas debent portare ſcriptas vt tales regulares ante Iudicem ordinarium conueniant, vt ille conſideratis dictis litteris, & tempore quo vagantur, poſſit dare illis, vel negare licentiā, vel incarcerare aut mittere ad ſuum ſuperiorem, ne detur occaſio Apoſtatis: ſi verò dictæ litterę ſint fideles non erit neceſſarium inſpicere titulum ſuæ ordinationis; hoc enim in conſcientia ſuperioris relinquitur.

CAPVT XV.

De profeſsione Regularium.

1 Ad emittendam profeſſionem in regularibus, quæ ætas requiritur?
Reſp. Siue in viris, ſiue in mulieribus dicimus ſextus annus completus, & fuiſſe in nouitiatu per integrum annum. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 15. de regul.*

2 Tempus anni ad emittendam profeſſionem poteſt nè prorogari?
Reſp. Poteſt arbitrio ſuperioris, ſed non minus, quia prorogatio non eſt prohibita *à Conc. Trid. dict. c. 15. citato.*

3 Annus nouitiatus debet eſſe continuus, & ſi interpoletur per aliquod tempus, debet iterum integer reſumi.
Reſp. Debet eſſe continuus, nec debet interpolari, *Nauar. conſ. 89. de regularibus, nu. 1.*

4 Patres ſocietatis Ieſu comprehenduntur ſub decreto, vt faciant profeſſionem intra annum?
Reſp. Non, quia ſunt expreſsè exceptuati à Conc. Trid. & ſic alium modum obſeruant iuxta pium eorum inſtitutum *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 16. de regul.*

5 Tacita profeſſio eſt ne ſublata à Conc. Trid.?
Reſp. Non, neq; *per c. 15 neque 16. ſeſſ. 25. ſi in ea concurrunt neceſſaria.*

6 Quæ eſt tacita profeſſio?
Reſp. Quando quis poſt annum, & diem nouitiatus cōpletumq; decimum ſextum annum, ſe ingerit actibus profeſſorum, & ipſe ſe habet tāquam profeſſus, & ab alijs habetur tanquam profeſſus; tunc enim taciturnitas partium tam dantis, quam accipientis, habetur in Iure pro expreſsè confeſſo. *Rodriguez tom. 3. queſtion. 17. art. 1. Azor inſtitutionem moral. lib. 12. cap. 4.*

7 Milites S. Iacobi, Calatrauæ, & alcantaræ, comprehenduntur nè ſub hoc decreto?
Reſp. Comprehenduntur, & tenentur facere profeſſionem poſtquā impletus eſt annus, & dies nouitiatus: forma verò nouitiatus debet eſſe ſecundum eorum inſtitutā. *Rodriguez in ſum. tom. 2. cap. 8. conſ. 1.*

8 Si quis non habeat decimum ſextum annum, ſed habeat decimum quartum, vel decimum quintum, & faciat nouitiatum, poterit ne admiti ad profeſſione poſtea expleto decimo ſexto anno?
Reſp. Poterit, quia decimus ſextus annus non poſtulatur à Concilio ad nouitiatum, & ſic poteſt elongari, ſed præcisè poſtulatur ad profeſſionem, licèt nouitiatus fuerit per duos, vel tres annos. *Nauar. conſ. 30. de regul. num. 1.*

9 Nouitius de conſenſu Prælati, poterit ne renuntiare annum integrum nouitiatus, & facere profeſſionem?

℞. Non,

Reſp. Non,quia eſt lex affirmatiua poſita à Conc. Trid. tam in vtilitatem Nouitij, quàm Religionis. *Nau.conſ.30.de regul.n.1.*

10 In Religione S. Franciſci de Paula eſt ſtatutum, vt nullus emittat profeſſionem ante decimum octauum annum ſuæ ætatis, ſi quis illam emittat in 16. anno erit nè valida?

Reſp. Erit, quia Concil.Trid. habet legem generalē poſita in *cap.15.ſeſſion.25. & huic legi non eſt derogatum.*

11 Si quis poteſt contractum matrimonium ratum ingrediatur Religionem,& poteſt ſex mēſes tranſeat ad aliam Religionem, & incipiat nouitiatum, debet nè compelli, vt intra annum faciat profeſſionem, vt non faciat fraudem coniugi remanenti in ſęculo?

Reſp. Non, ſed poteſt in qualibet Religione nouam profeſſionem incipere. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.cap.15. de Regul.*

12 Finito anno nouiatus, quid debent facere Superiores cum Nouitijs?

Reſp. Quos habiles inueniant, ad profeſſionem admittant, aut eos ex monaſterio eijciant; excipiuntur Religioſis Societatis Ieſu, qui alium modum obſeruant iuxta pium eorum Inſtitutum. *Trid.ſyn.ſeſſ.25. c.16.de Regul.*

13 Tranſlatus ex Religione arctiori ad laxiorem poteſt facere profeſſionem ante annum nouitiatus, etiam de conſenſu Superiorum Religionis?

Reſp. Non, ſed debet facere annum nouitiatus integrum. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.15.Nauar.conſil.61.tit. de Regul.*

14 Monaſterium de bonis nouitij poteſt ne accipere aliquid ante profeſſionem?

Reſp. Nihil,ſub excommunicationis pœna tàm dantibus, quam recipientibus; exceptis victu,& veſtitu, imò exeuntibus omnia debent integrè reſtitui.*Trid. ſyn.ſeſs.25.c.16. de Regul.*

15 Regulares, qui inducunt aliquem ad ingrediendū ſuam religionem ea intentione, vt lucrentur partem ſuorum bonorum, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Peccant, & malè faciunt, & donatio in illos facta nulla eſt, *vt tenet Abb.in c.prætterea.de offic. Iudic.delegat.num.5.c.cùm dilectus, de ijs, quæ vi metuſue cauſa fiunt.*

16 Quis poteſt cogere Regulares, vt reſtituant Nouitio omnia bona ſua, ſi non fecerit profeſſionem?

Reſp. Epiſcopus per cenſuras,etiamſi Nouitius moriatur ante profeſſionem, & talia bona debent reſtitui ſuis parentibus. *Trid.ſyn.ſeſs.25.c.16.ſup.cit.*

17 Si quis faciat donationem ſuorum bonorum fratri ſuo, intuitu ingrediendi Religionem, & id in donatione non exprimat, ſi poſtea ex aliquo accidente non ingrediatur, talis donatio erit ne valida?

Reſp. Non erit valida talis donatio, licet cauſa in ea non fuerit expreſſa, dummodo per teſtes probetur, talem feciſſem donationem intuitu ingrediendi religionem; ratio eſt, quia ceſſante cauſa non ſequitur effectus, & eadem militat ratio,cum ſimus in fauorabilibus, ac ſi feciſſet Nouitius talem donationem, & profeſſio non fuerit ſequuta, cùm ſemper veritas inquirenda ſit. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.16.*

18 Pœna excommunicationis poſita *à Concil. Triden. ſeſſion.25. cap. 16.* dantibus vel recipientibus aliquid de bonis nouitij ante profeſſionem,incurritur ne ipſo iure?

Reſp. Non,ſed poſt ſententiam. *Rodrig.t.1.quæſt.37. artic.2.*

19 Si quis ante ſuſceptum habitum fecerit donationem, vel teſtamentum, valebit ne tali donatio, vel teſtamentum?

Reſp. Valebit, ſi illam non faciat animo ingrediendi Religionem, & defraudandi diſpoſitionem huius decreti,ſed ingreſſu Religionis non valebit.*tenet Quarant in ſum.bullar.verbo Monaſteria,pag.330.verſ. piū. Gratian.dec.37.n.2.*

20 Teſtamentum factum ante ingreſſum Religionis poteſt reuocari ante profeſſionem?

Reſp. Poterit, etiamſi ſit ſolemne. *Molin. lib. 2. de primogen.c.9.num.38. Matienzo l.1.gl.3.n.4.lib.5. nouæ recopil.*

21 Vt Nouitius faciat donationem validam, quid debet agere?

Reſp. Intra duos menſes ante profeſſionem petere licentiam ab Epiſcopo, vel eius Vicario faciendi talē donationem,quæ licentia debet dari in ſcriptis,& tunc facere ſuam donationem, & inſerere licentiam in ſcriptura donationis, alias donatio facta etiam iurata,& in fauorem operæ piæ, irrita cenſetur. *Tri. ſyn.ſeſſ.25.c.16.de Regul. Ledeſma lib.2.cap.4. Rodrig. tom.1.q.37.*

22 Renuntiatio, & donatio facta, & iurata cum licentia Epiſcopi, & omnibus ſolemnitatibus, ſi profeſſio non ſequatur, valebit ne?

Reſp. Non, quia facta eſt intentione profeſſionis, & ad agendam vitam monaſticam, & ſi affectus non ſequatur cauſa corruit. *Triden. ſynod.ſeſſ.25.cap.16. citat.*

23 Si quis faciat renuntiationem ſui beneficij intuitu ingrediendi Religionem, valebit ne talis renuntiatio?

Reſp. Non, ſed debet illam facere intra duos menſes ante profeſſionem, aliàs ſequuta profeſſione, beneficium vacabit ad prouiſionem Summi Pont. Flamin de reſignat.*lib.3.q.13.n.3.*

24 Si licentia obtineatur ante duos menſes profeſſionis, & profeſſio aliqua cauſa dilatetur per aliquos menſes, erit ne neceſſaria noua licentia?

Reſp. Non. *Rodrig.tom. 1.q.37.de Regul.*

25 Duo menſes, qui requiruntur ad petendam hanc licentiam renuntiandi, recipiunt ætatem Nouitij, vel tempus profeſſionis?

Reſp. Tempus profeſſionis, & ſic aliquando ante decimum ſextum annum poteſt talis licentia peti, dummodo ſit intra duos menſes ante profeſſionem?

26 Nouitij tenentur ne ad obſeruationem caſuum reſeruatorum à ſuis Superioribus?

Reſp. Non, quia non obligantur conſtitutionibus Regularium, donec profeſſionē emittant. *Azor. inſt. moral.1.p.lib.12.c.x.x.ad noſtram de Regul.*

27 Profeſſio facta per timorem, vim, vel metum, valet ne?

Reſp. Non, ſi metus ſit iuſtus.*Trid.ſyn.ſeſſ.25.c. 19. de Regul. Aloyſ.Ricc.in collation.deciſ.p.4. collat. 932. prope ſin.*

29 Quæ differentia eſt inter timorem, vim, tremorem,& metu?

Reſp. Licèt ſæpe pro eadem ſignificatione ſumantur,tamen ex Laurentio,Bulla,& alijs DD. magnam habent inter ſe differentiam, nam timor propriè eſt de re præſenti, vt ſi quis alium minetur morte gladio

gladio euaginato, tremor verò eſt quidam ſtupor ſeſuum interiorum, & exteriorum proueniens ex viſione alicuius phãtaſmatis, vel ex alia re horribili viſa, vel imaginata; metus verò propriè eſt de re futura, vt cum quis timet, quòd ſi non facit profeſſioné, parentes eius tollent ab eo hæreditatem.

29 Quotuplex eſt metus?
Reſp. Triplex, metus iuſtus, ſeù probabilis cadens in conſtantem virum, & iſte annullat profeſſionem, & matrimonium. *c.cum dilectus, de ijs, quæ vi metuſue cauſa fiunt*; metus iniuſtus cadens ſolùm in virum formidoloſum, vt ſi quis timeat, quod iuſta ratioñe timere non debet; metus reuerentialis.

30 Quid eſt metus reuerentialis, & quotuplex?
Reſp. Metus reuerentialis eſt ille, qui oritur ex imperio, vel præcibus patris, vel matris, Epiſcopi, vel Superioris, & eſt duplex, alius, qui facit trepidare mentem ex præſentia prædictorum; alius eſt metus reuerentialis mixtus cum aliquibus minis, verberibus, vel carcere, quæ damna timeantur probabiliter ex ira dicti Superioris. *Bart.in l.ſi ob turpem ff.de condit.ob turp.cauſ. Bal.in l.C. quod metus cauſa, quem cit. Couar.c.3.2.p.§.4.num.18. Pan.in Gl.in c. Abb. de his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt.*

31 Metus reuerentialis ſufficit ne ad annullandam profeſſionem?
Reſp. Si metus non ſit ſolùm reuerentialis, ſex mixtus cum aliquibus minis, & terroribus dicti ſuperioris, veluti ſi quis timeat, quòd ſi non facias talẽ profeſſione pater, vel ſuperior, qui timetur, verberabit eum, & carcerabit, vel tollet alimenta, & ſi probetur, quòd talis ſuperior ſoleat ſæuire in ſubditos, tunc iſte metus reuerentialis vocatur minor iuſto metu, & ſufficiet ad annullandã profeſſionem. *Abb. & Gloſ. ſingularis in c.preſens. 20.q.3.verb.patrem in fi. Rodriguez.c.21.nu.50.vbi dicta Gloſſ.* facit diſtinctionem inter metum ſufficientem ad annullandam profeſſionem, & ad annullandum matrimonium, & ſic intelligendi ſunt omnes DD. qui tenent metum reuerentialem non eſſe ſufficientem ad annullandam profeſſionem.

32 Vbi requiritur maior metus, ad annullandã profeſſionem, vel ad annullandum matrimonium?
Reſp. Maior metus requiritur ad annullandum matrimonium. Primò, quia eſt Sacramentum Eccleſiæ, & vinculum indiſſolubile niſi per mortem. Secundò, quia eſt ſtatus magis liber, & ſponſus non habet illam clauſuram, & verecundiam, quam habet Nouitius veſtitus, & ſic ad matrimonium requiritur metus cadens in conſtantem virum. *iuxta Gl. ſingular. in c.præſens 20.q.3.*

33 Quænam ſunt conſideranda in metu?
Reſp. Primò, perſona, quæ habet metum, & eius ætas; nam fœmina non eſt ità fortis, vt vir, puer, vt homo. Secundò, damnum ſi eſt præſens, futurum, corporale, ſpirituale, rei familiaris, honoris, mortis, carceris præſentis, vel futuri. Tertiò, minans, ſi eſt perſona æqualis, vel ſuperior, Princeps, Epiſcopus, Iudex, pater, mater, vel latro. Quartò, locus, ſi eſt in agro, cubiculo aperto, vel clauſo, ſine teſtibus, vbi non poſſit habere auxilium, & conſideratis omnibus circunſtantijs, Iudex debet arbitrari; nam certa regula dari non poteſt, cum diuerſi ſint caſus, & varientur in circunſtantijs. *DD.in c.cũ dilectus, de ijs, quæ vi, metuſue cauſa fiunt.*

34 Si quis emittat profeſſionem ante decimum ſextũ annum, & fecit priùs donationem ſuorum bonorum, donatio erit ne valida?
Reſp. Neque profeſſio, neq; donatio erit valida, imò ſi poſtea de nouo facit profeſſionem, de nouo debet facere donationem, quia prima nullos parit effectus, neque reuiuiſcit. *Trident.ſyn.ſeſs.25.cap. 15. & 16. de regul.*

CAPVT XVI.

De quæſtoribus eleemoſynarum in Regularibus.

1 Regulares quæſtores eleemoſynarum quid debent facere?
Reſp. Petere licentiam à Iudice Eccleſiaſtico, & eleemoſinam ſimpliciter recipere modeſtè quo libenter offertur *Trid.ſyn.ſeſs.21.c.9.de reform.*

2 Quæſtores eleemoſinarum quid prohibentur facere?
Reſp. Concionari, portare campanellas, & reliquias facere conuentiones, & locationes elemoſinarum, inducere fideles minis, & terroribus ad eleemoſinas dandas. *Trid. ſyn. ſeſſ.21.c.9. cit.*

3 Qui dicuntur praui quæſtores eleemoſinarum?
Reſp. Qui faciunt ſupra dicta, vel conuertunt eleemoſinas in prauos vſus, veluti ludendo luxuriando, manducando apud cauponas. *Trid.ſyn.ſeſs.21.cap.9. citat.*

4 Quid debet Epiſcopus facere cum iſtis quæſtoribus?
Reſp. Eos in carcere tradere, & caſtigare, & eorum loco nominare duos de capitulo, qui ſuo tempore publicent indulgentias gratis, & eleemoſinas colligant *Trid.ſyn.ſeſſ.21.c.9.cit.*

CAPVT XVII.

De Abbatibus exemptis.

1 Monaſteria, & Abbatiæ, quæ datæ ſunt in commendam, quomodo, & quando debent conferri?
Reſp. Cum primum vacauerint, debent prouideri regularibus probatæ, vitæ, & in prouiſione qualitas ſingulorum exprimẽda eſt, alias prouiſio erit ſurreptitia. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.21.de regul.*

2 Si monaſterium datum in comendam habeat certum numerum perſonarum, & nouitiorum ad portiones recipiendas, ad quem pertinebit prouiſio earum, quando vacauerint ad Priorem, vel conuentum, vel ad commendatarium eorum?
Reſp. Deſtinguendo, ſi tale monaſterium nõ ſit ſub aliqua congregatione, pertinet ad commendatariũ, ſi verò ſit vnitum alicui congregationi, prouiſio pertinet ad

tinet ad Priorem, & conuentum, & debent eam facere iuridicè ſecundum regulã talis congregationis.

3 Abbates, Collegia, & capitula poſſunt ne dare minores ordines non ſubditis ſuis?
Reſp. Non, etiam ſi ſint exempti, & habeant iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, niſi cum dimiſſorijs ſuorum ordinariorum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 10. de ref.*

4 In Abbatia, vbi non eſt cura animarum, tenentur ne Abbas reſidere?
Reſp. Non, ſicut nec beneficiatus ſimplex.

5 Qui obtinent beneficia in commendam, quibus in caſibus non tenentur promoueri ad ſacros ordines, neq; facere perſonalem reſidentiam?
Reſp. Primò, ſi monaſteria careant cura animarum. Secundò, ſi ſolùm habeant iuriſdictionem temporalem. Tertiò, ſi cura animarum conuentui incumbit, vel Vicario, & non perſonæ commendatariæ. Quartò, ſi per ipſos non ſtat, quò minùs eam exerceant, quia de facto prohibentur. *Mandoſius, de ſigna. grat. tit. diſpenſat. de non reſidentib.*

6 Abbates exempti, ſi habeant priuilegium ſedis Apoſtolicæ conferendi ſacramentum Chriſmatis, poſſunt ne illud conferre?
Reſp. Non, ſine expreſſa Epiſcopi illius diœceſis licentia, quæ debet dari in ſcriptis, & non generalis, ſed quoties debet actu exerceri tale officium.

7 Abbates exempti, ad quem Epiſcopum tenentur accedere pro ſanctis oleis?
Reſp. Ad Epiſcopum in cuius diœceſi exiſtunt, vel ad viciniorem.

8 Abbates benedicti, quas veſtes poſſũt benedicere?
Reſp. Omnes veſtes vaſa, in quibus non interuenit Chriſma; hoc enim Epiſcopis tantum eſt reſeruatũ. *cap. 1. de ſacra vnctione.*

CAPVT XVIII.

De proceſsionibus Corporis Chriſti.

1 QVare inſtitutum eſt feſtum peculiare Corporis Chriſti, & proceſſio illa publica ſolemniſſima?
Reſp. Ob gratitudinem, & memoriam tam magni beneficij, & miſterij. *Trident. ſyn. ſeſſ. 13. c. 5.*

2 In die corporis Chriſti vnde ſumendum eſt ſanctũ Sacramentum?
Reſp. Ex Cathedrali, vel maiori Eccleſia, & per vias cũ magna deuotione, muſica, feſtis, & iubilo, & in eãdem Eccleſiã eſt reportandũ. *Trid. ſyn. ſeſs. 13. c. 5.*

3 In quibus Eccleſijs debent fieri proceſſiones Corporis Chriſti?
Reſp. In omnibus, in quibus Euchariſtia in ſacrario ſeruatur, ſiue ſint Monialium, Monachorum, vel Parochorum; aduertendum tamen eſt, quòd non debent impedire diem, neq; horam proceſſionis matricis Eccleſiæ; neq; cum illa concurrere; ratio eſt, quia Concilium generaliter loquitur cum omnibus Eccleſijs, quæ habent in ſacrario Euchariſtiam. *Trid. ſynod. ſeſs. 13. c. 5.*

4 Qui ordo ſeruandus eſt in proceſſionibus?
Reſp. Vt omnes religioſi, confraternitateſq; vadant in loco ſuæ antiquitatis ſecundum eorum inſtitutionẽ, ita tamẽ quod Clerici regulares præcedãt laicos.

5 Ad proceſſionem Corporis Chriſti qui debent vocari?
℞. Omnes Clerici, & regulares tamen exempti, quã non exempti, tàm beneficiati, quàm non habentes beneficium. *Declaratio Cardinalium ſuper c. 5. ſeſs. 13.*

6 In proceſſione Corporis Chriſti quem pertinet nominare horam, locum, & vias, per quas debet ire proceſſio?
℞. Ad Epiſcopum, & capitulum. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 13.*

7 In his proceſſionibus, & in alijs quem locum habet Epiſcopus?
Reſp. Primum locum, primamque ſedem, quã ipſe voluerit; quia eſt caput, & repreſentat locum Summi Pontificis. *Trident. ſynod. ſeſſ. 25. c. 13.*

8 Si Epiſcopus fuerit abſẽs, quis debet habere hunc locum?
Reſp. Suus Vicarius, qui eſt caput, & repreſentat ſuam perſonam.

9 Qui habet authoritatem dirigendi proceſſiones generales, vel particulares, quæ ſolent fieri extraordinariè pro aliqua neceſſitate?
Reſp. Epiſcopus cum conſenſu capituli. *Trid. ſynod. vbi ſupr.*

10 Vicarius Epiſcopi, ſi Epiſcopus fuerit abſens, poterit dirigere proceſſiones?
Reſp. Poterit cum capitulo, quia ſuccedit iuriſdictione Epiſcopi.

11 Sacerdos indutus cappa, vel pluuiali, vel caſula, qui facit officium presbyteri in omnibus proceſſionibus Corporis Chriſti, vel in ſepeliẽdis mortuis, vel in alijs proceſſionibus particularibus, quem locum debet habere, & obſeruare?
Reſp. Debet habere locum magis honoratum, etiã ſi in proceſſione ſunt Epiſcopi, & Cardinales; ratio eſt quia Presbyter indutus ſacris veſtibus, repreſẽtat Chriſtum, & Summum Pontificem, & ſummum Sacerdotem, & ſic incedit vltimus medius inter maiores dignitates, licèt ipſe ſit ſimplex Sacerdos.

12 Poteſt Epiſcopus compellere monachos, vt ad publicas proceſſiones accedant?
Reſp. Si vocati fuerint, poteſt compellere monachos, & Clericos. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13. de regul.*

13 De quibus proceſſionibus loquitur *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 13.* vbi dicit, quod Epiſcopus poſſit compellere Clericos, & regulares, vt ad proceſſionem veniant?
Reſp. De generalibus, non de particularibus.

14 Quæ dicuntur proceſſiones generales?
Reſp. Quæ pro cauſa particulari aliquando fiunt, in quibus inuitantur regulares, & Clerici; particulares vero ſunt, quæ ſtatutis diebus per Eccleſiam fiunt?

15 Quis debet componere controuerſias in proceſſionibus inter ſeculares, & regulares?
Reſp. Epiſcopus omni amota appellatione, & debet exequi, quod ipſe ordinauerit, cum appellatio non habeat effectum ſuſpenſiuum, ne proceſſio peruertatur, & perturbetur, & ne ſæculares excandalixentur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 13. cit.*

16 Quam pœnam poteſt Epiſcopus inponere regularibus, qui vocati non veniunt ad proceſſiones, vel in con-

in controuerſijs ortis ei non parent?
Reſp. Excommunicationis, & alias arbitrio, & carcere, ſi opus fuerit. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

17 Quomodo debet Epiſcopus procedere in controuerſijs componendis in proceſſionibus?
Reſp. Summariè, ac benignè ſine ſtrepitu iudicij, amota appellatione, quia non habet effectum ſuſpẽſiuum, ne officium diuinum, vel proceſſio retardetur, & ſufficit, vt Epiſcopus ſolo verbo proferat ſententiam, licèt finita proceſſione debeant recipi teſtes, & iurati ſcribere omne illud, quod in proceſſione, vel actu, vel officio publico actum fuit, & quis ordo datus fuit ab Epiſcopo, & quæ ſententia probata, & iterum debet partibus notificari, vt omnia fiant iuridicè.

18 Poterit Epiſcopus innouare controuerſias iam finita, in proceſſionibus inter confraternitates, & regulares, vel inter ipſos regulares, vel inter ipſas cõfraternitates?
Reſp. Non, quia ſolùm datur ei facultas dirimendi controuerſias, quæ de nouo oriuntur, non vt ſuſcitet quæ finitæ ſunt iam, vt nulli tollatur ius neq; fiat iniuria. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 13. Bulla Pij V. in fauorem regularium edita.*

19 In quibus proceſſionibus generalibus debet Epiſcopus cogere regulares, & omnes Clericos, vt in ijs interſint?
Reſp. In proceſſione Corporis Chriſti; in litanijs generalibus, in iubileis, & in proceſſionibus, quæ fiunt pro ſalute Regum, pro peſte, vel pro electione Summi Pont. vel pro alia publica neceſſitate: ratio eſt, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & adiuuari, & debent eſſe participes laboris, ſicut & vtilitatis.

20 Quos religioſos non poteſt compellere Epiſcopus vt vadant ad proceſſiones?
Reſp. Qui sũt nullius diœceſis, vel ſunt diſtantes per milliaria ab vrbe, vel qui ſunt in collegijs nec choro inuigilant, nec vitæ monaſticæ, vel qui nunquam exeunt à monaſterio.

21 Poteſt Epiſcopus cogere regulares exemptos, vt aſſiſtant in Eccleſia Cathedrali ad celebrationem quadraginta horarum?
℞. Nõ, ſed ipſi eas debent celebrare ſuis in domibus.

22 Poteſt Epiſcopus compellere confraternitatis laicorum, vt vadant ad proceſſiones?
Reſp. Non, niſi in ſua conſtitutione præcipiatur, vel habeant conſuetudinem eundi ad proceſſiones; quia iſtæ confraternitates debent ſeruare regulam, & modum, ſub quo inſtitutæ ſunt, & vltra illum non poteſt illis imponi onus, neq; pondus.

23 Epiſcopus poteſt compellere Clericos, qui non habent officium, neque beneficium in ſua diœceſi, vt proceſſiones comitentur, ſed ibi ſunt cauſa itineris;
Reſp. Non, quia itinerantes non habet commoditatẽ, & ornatum neceſſarium, ſed ſi ipſi ex ſua deuotione voluerint aſſociare proceſſiones, debet Epiſcopus, & Clerus dare illis locum honoratum ſecundum eorum qualitatem, & darre illis candelas, & ea, quæ dãtur cæteris Clericis, quia hoſpites maiori honore habendi ſunt. *DD. ſuper c. 13. ſeſſ. 25. de regul.*

CAPVT XIX.

De Conſeruatoribus.

1 QVi ſunt Conſeruatores?
℞. Iudices conceſſi à ſede Apoſtolica in fauorem religioſorum, hoſpitalium, ac locorum piorum ad ſolùm defendendum eos in poſſeſſione ſuorum bonorum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. de reform.*

2 Qui gaudent priuilegio conſeruatoriarum litterarum?
Reſp. Religiones, & pia loca, quibus à Summo Pont. conceſſum eſt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. cit.*

3 In criminalibus, & cauſis mixtis vigore litterarũ conſeruatoriarum poſſunt regulares excuſari, vt Epiſcopus, aut ſuperiores, ad quos pertinet iuriſdictio, non procedant contra eos?
Reſp. Non, quia Trid. ſyn. iuriſdictionem hanc expreſsè tollit à conſeruatoribus, & eam dat Epiſcopis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. vbi ſup.*

4 Habentes litteras conſeruatorias poſſunt citare aliquem, & eſſe actores ante conſeruatorem?
℞. Non, ſed debent petere ante iudicem rei. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. cit.*

5 Per quod tempus durat beneficium cõſeruatoris?
Reſp. Vltra quinquennium à die conceſſionis non valet; debet enim confirmari à Sũmo Pont. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5. cit.*

6 Iudices conſeruatores poſſunt habere tribunal erectum?
Reſp. Non, *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. vt ſup.*

7 In cauſis mercedum, videlicet hominum ſeruientium monaſterijs, qui petunt ſuos labores, & in cauſis miſerabilium perſonarum, qui Iudices debẽt procedere?
℞. Contra Monachos extra monaſterium degentes quomodolibet exemptos, & contra Clericos ſeculares, non conſeruatores, ſed Iudices Eccleſiaſtici ordinarij debent procedere, quia hoc eſt reſeruatum à Conc. Trid. propter vtilitatem pauperũ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 7. c. 14. & c. 5. ſeſs. 14. cit.*

8 Collegia, vniuerſitates, ſcholæ, & regularia loca, hoſpitalia actu exercentia hoſpitalitatem poſſunt gaudere priuilegio conſeruatorio?
Reſp. Poſſunt, quia exceptuatum in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. cit.*

9 De Iure nouo, quid innouatum eſt in materia cõſeruatoriarium per Greg. XV. per Bullam editam die 20. Septembris Pontific. ſui anno primo?
Reſp. Primò, talis bulla reuocauit nominationes iudicum conſeruatorum, ordinum regularium, militarium, hoſpitalium, ſecundum Bullam Bonifacij, quæ incipit, ſtatutũ. Secundò, dicta Bulla præcipit, vt deinceps, qui debent eligere conſeruatores, eligant aliquem ex iudicibus ſynodalibus, vel Canonicis approbatis, electis in Concilio Prouinciali, aut diœceſano. Tertiò, litteras conſeruatores nouas, & conſeruatores nominati debent manifeſtare illas, & ſcribere in actis curiæ illius Epiſcopi, aliàs illis non proſunt. Quartò reuocauit omnes litteras conſeruatorias,

uatoria, & præcepit, vt de nouo expediantur.

10 Si aliquod monaſterium non eligat conſeruatores iuxta dictam Bullam Gregorij XV. in illo anno, in quo caret Iudice conſeruatore, coram quo Iudice debent cauſę determinari?

Reſp. Coram Iudice ordinario Eccleſiaſtico, videlicet Epiſcopo, vel Vicario. *Trident. ſynod. ſeſſion. 7. cap. 14. de reformat.*

11 Regulares vtentes litteris conſeruatorijs antiquis quam pœnam incurrunt?

℞. Monachi, & priores carent voce actiua, & paſſiua; monaſteria carent conſeruatore per annum, cæteri puniuntur arbitrio Iudicis Eccleſiaſtici. Bulla Greg. XV. ſic præcipit.

12 Conſeruatores ſemel electi à regularibus poſſunt ne mutari?

Reſp. Intra quinquennium regulares non poſſunt mutare conſeruatores, niſi ex legitima cauſa ab ordinario, vel à Summo Pontifice approbanda. dicta Bulla Greg. XV.

13 Cardinales, Epiſcopi, & Vicarij poſſunt eſſe conſeruatores?

℞. Poſſunt ex dicta Bulla.

14 Conſeruatores ſic nominati poſſunt procedere extra ciuitatem, & diœceſim?

℞. Non quia hoc eſt illis limitatum in dicta Bulla Greg. XV.

15 Si fuerint controuerſia inter conſeruatores ſic nominatos, & Iudices Eccleſiaſticos, quid agendum?

℞. In tali caſu non procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos controuerſia decidatur, iuxta *capit. 5. ſeſſion. 14. Concil. Trident. & dicta Bulla Gregorij XV.*

16 Si aliquis regularis fuerit reus ante ſuum conſeruatorem, & actor ſæcularis habet conſeruatorem ſuſpectum, & illum recuſet, quid agendum?

℞. Cauſa non finita ſuſpenditur ſtatim iuriſdictio conſeruatoris per recuſationem interpoſitam à laico, donec conuerſia finiatur à Iudicibus arbitris à Iure poſitis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5.*

17 Conſeruatores, de quibus caſibus poſſunt cognoſcere?

℞. De ijs, in quibus regulares ſunt rei, ſed non de ijs, in quibus regulares ſunt actores, ne ſæculares moleſtentur?

18 Si conſeruatores excedant terminos ſuæ commiſſionis prefixos in dicta Bulla, quam pœnã incurrunt?

℞. Priuantur officio per vnum annum, & pars procurans exceſſum, incurrit excommunicationem iuxta Bullam Bonifacij VIII. quæ incipit, hac conſtitutione, & Bulla citata Gregorij. XV.

19 Qualis debet eſſe iſte exceſſus, vt incurrantur iſtæ pœnæ?

Reſp. Primò, ſi conſeruator procedat extra ciuitatem, vel diœceſim moleſtando aliquem. Secundo, ſi procedat in cauſis, in quibus regulares ſunt actores, & his ſimilia.

20 Regulares poſsũt petere Iudices ſęculares à Principibus?

Reſp. Poſſunt tribus ſeruatis. Primo, quod regulares ſint actores. Secundò, quod perſona contra quam, ſit ſęcularis, de non foro Eccleſiaſtico. Tertiò, ſi cauſa ſit merè profana.

21 Hæc Bulla Gregorij XV. à quo tempore debet inuiolabiliter obſeruari?

Reſp. In Italia infra duos menſes, extra Italiam infra ſex, numeratos à die 20. Septembris anno 1621.

22 In dicta Bulla eſt derogatum priuilegijs, conſuetudinibus, & ſtatutis editis in fauorem regularium?

Reſp. In dicta Bulla debet à dicto tempore inuiolabiliter obſeruari, quia in ea derogantur conſuetudines, priuilegia, & ſtatuta, & omnia reducuntur ad formam in dicta Bulla poſitam.

23 Si regulares habent plures Bullas, vel ſententias rotales cum iudicibus executoribus ad mittendos eos in poſſeſſionem illarum rerum, de quibus fuit litigatum, & perturbentur in aliqua poſſeſſione, debent petere hoc à quocumque Iudice ab illis electo, vel eligendo, vel ante ſuum Iudicem conſeruatorem?

Reſp. Dicti regulares nihil poſſunt petere, neque citare, neque excommunicare aliquem, niſi ante ſuũ Iudicem conſeruatorem, ſolum quia hoc expreſsè cauetur in dicta Bulla Gregorij XV. ratio eſt, quia illi Iudices, qui dantur in bullis, & ſententijs rotalibus, ſolum ſunt ad mittendos regulares in poſſeſſionem illius rei, de qua fuit litigatum; ſed ſi poſtea poſt aliquos annos velint de nouo petere aliquid, ſcilicet quod inquietantur in tali poſſeſſione, hoc debent petere ante ſuum Iudicem conſeruatorem, quia ad hoc eligitur. Secundò, quia poſtquam Iudex virtute proceſſus fulminati dat poſſeſſionem alicuius præeminentiæ, vel benefici;, & ipſe eſt in quieta poſſeſſione, talis Iudex functus eſt officio ſuo. Tertiò, quia ſi poſſint habere regulares in ſui fauorẽ tot Iudices, quot bullas habent, non haberent vnum conſeruatorem, ſed plures contra tenorem dictæ Bullæ Grægorij XV.

24 Quando regulares volunt petere aliquid contra Clericos, vel ſæculares ante ſuum conſeruatorem, vel ante Iudices bullarum, quid debent agere?

Reſp. Primò, debent præſentare bullas, vel electionem conſeruatoris cum dictis ſolemnitatibus factam Secundò, probare per teſtes, vel ſcripturas, quod ſint in poſſeſſione talis rei. Tertiò, probare ſaltem cum vno teſte, quod perturbantur à tali perſona in illa poſſeſſione quieta, & pacifica, quam habent, & tunc poſſunt petere litteras citatorias contra talem perſonam.

25 Conſeruator quomodo debet procedere in tali negotio?

℞. Debet citare, dare terminum competentem, audire partes, & ſeruare terminos iuris, & formam ſuæ commiſſionis; & illam non excedere, iuxta bullam dictam Gregorij XV. alias ſuſpenditur per annum à tali officio, & ordinarius, qui loco eius ſuccedit, reuocabit omnia per ipſum facta, & condemnabit regulares in expenſis, in pœnis dictæ Bullæ.

CAPVT XX.

De Magnis Magiſtris.

1 MAgni magiſtri, & Priores ordinum militariũ, quam iuriſdictionem habent?

℞. Eccleſia-

Reſp. Eccleſiaſticam,& ſæcularé circa bona, & perſonas ſui ordinis, merum mixtum imperium, & omnia neceſſaria ad iuriſdictionem exercendam abſque vlla dependentia, vt patet ex bulla Pij IV. & ex priuilegio,& bulla ordinibus militaribus conceſſis. *leg. imperium.ff.de iuriſdict.omnium iudicum,& ibi Bar.nu. 8.Bald.n.30.Paul.de Caſt.n.5. Iaſon nu.*8.

2 Magni Magiſtri ordinum militarium habent collationem commendarum vacantium per mortem?

Reſp. Habent, & etiam per aſcenſionem ad aliam commendam ſine dependentia alicuius, vt planè videtur in priuilegio cuiuſcumque ordinis.

3 Magni Magiſtri,& Priores ſunt ne collatores ordinarij?

Reſp. Sunt viri ordinarij intra limites ſuarum iuriſdictionum,& habent iuriſdictionem independentem ab aliquo Epiſcopo. *Bulla Pij IV. in bullario* 14.*circa finem.*

4 Magni Magiſtri, & Priores poſſunt facere ſynodum?

Reſp. Poſſunt, & eligere examinatores ſynodales, prouidere beneficia, ex dicta Bulla.

5 Si quis habens commendam, vel Prioratum aſſumatur ad Epiſcopatum, vacat ne talis commenda, vel beneficium, & cui?

Reſp. Vacat,& debet prouideri à magno magiſtro, quia iſta beneficia ſunt exceptuata, & quaſi de iure patronatus ordinis. *c.cum in cunctis,de elect.*

6 Beneficia ordinum militarium cadunt ne ſub reſeruationibus, deuolutionibus, & affectionibus?

Reſp. Non,etiam ſi vacent in curia,nec poſſunt permutari ad inuicem,nec cum beneficio ſæculari, neq; grauari penſione ſine licentia Magni magiſtri. Bulla Pij IV. ſuper hoc edita. verſ. qui in Romana Curia. *Pariſius, vol.4.conſ.44.& conſ.*86.*num.*17.

7 Hoſpitalia ordinum militarium comprehenduntur ſub aliqua reſeruatione?

Reſp. Non, imò omnia iſta hoſpitalia ſunt priuilegiata. *Anchar.c.ſi propter,de reſcriptis,n.6. Felyn.in c. de quarta.de præſcriptio. Clem. per litteras de præbend. Cardinalis.c.2.de præbend.*

8 Quando vacat Eccleſia parochialis alicuius ordinis, ſi ſit intra dioeceſim alicuius Epiſcopatus, quid agendum?

Reſp. Tūc Magiſter,vel Prior, vel alius inferior collator tenetur perſonam, vel perſonas idoneas Epiſcopo pręſentare, vt ab eo cum ſynodalibus examinentur. *Bulla Pij V. incipiens,expoſcit,circa medium.*

9 Poteſt Epiſcopus viſitare Eccleſias parochiales ordinibus militaribus ſubiectas?

Reſp. Poteſt, ſi ſint intra ſuam dioeceſim, & ſolùm his dumtaxat, quæ ad curam animarum,& ad adminiſtrationem ſacramentorum pertinent, cum oues ſint propriæ illius Epiſcopi. *Trid.ſyn.ſeſſ.21.cap.8.de reform.bulla Pij V. quæ incipit,expoſcit, & Greg.XIII. quæ incipit, conuenit.*

10 Si curam animarum in dictis Eccleſijs parochialibus exerceant religioſi eiuſdem ordinis, poſſunt ne eorum perſonæ viſitari ab Epiſcopis?

Reſp. Non,ſed ſi exerceatur per Clericos ſęculares, poſſunt viſitari,& corrigi ab Epiſcopis. *Trid.ſyn.ſeſſ. 21.c.8.de refor. Bulla Greg.XIII.quæ incipit,circumſpecta in omnibus.*

11 Si aliquis religioſus non viuat ſub obedientia,vel non ſit legitimè profeſſus, vel ſit diſcolus extra religionem, poteſt ne viſitari ab Epiſcopo?

Reſp. Poteſt corrigi, & incarcerari, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, & debet remitti ſuo priori pro caſu. *cap. cum ceſſante, de appellatione. cap. generaliter.* 16.*q.*1.

12 Habentes curā animarum in parochialibus ſubditis religioni S. Ioannis Hieroſolymitani, tenentur ne accedere ad congregationes,quas Epiſcopi faciūt ad determinandos caſus conſcientiæ?

Reſp. Tenentur, etiam ſi ſint profeſſi in dicta religione.

13 Milites, & religioſi ordinum militarium poſſunt facere profeſſionem ante annum nouitiatus?

Reſp. Non, neque ante decimum ſextum annum completum ſuæ ætatis, quia comprehenduntur ſub decreto *Conc.Trid.ſeſſ.25.c.15.de regul.*

14 Dicti milites,& religioſi tenentur obſeruare onera poſita à Concil.Trid. alijs religioſis aliarum religionum?

℞. Religioſi ordinum militarium,tàm equites,quā Clerici non obligantur ſeruare onera aliarum religionum, ſed tantum conſtitutiones, & ſtatuta ſuorū ordinum,quia licèt ſint veri religioſi,in pluribus differunt à religioſis mendicantibus, & ſic non comprehenduntur ſub pœnis, & regulis aliorum, ſic declarauit Rota die 11. Decembris anno 1570.

15 Priores ordinis S.Iacobi, & aliorum ordinum militarium,qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem,poſſunt dare primam tonſuram, & quatuor minores ordines?

Reſp. Poſſunt in ſuis locis, & ſuis ſubditis tantum. *Molfeſ.in ſum.tom.1.tract.2.c.2.n.17.*

16 Priores ordinis S.Iacobi, & aliorum ordinum militarium poſſunt abſque licentiā Epiſcopi accerſire aliquem Epiſcopum, vt in locis ſibi ſubditis exerceat pontificalia?

℞. Poſſunt accerſire Epiſcopum,qui ſuis ſubditis cōferat ordines maiores,benedicat oleum, & chriſma, confirmet pueros toties, quoties voluerit, non obſtante prohibitione poſita.*c.5.ſeſſ.25.Concil.Trident.* quia ibi non loquitur de Prælatis immediatè ſubditis ſedi Apoſtolicæ, qui habent iuriſdictionē quaſi Epiſcopalem. *Molfeſ.in ſum.to.2.tract.2.c.2.nu.*17.

17 Milites S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, qui emittunt omnia tria vota in ſua profeſſione, poſſunt ne obtinere beneficia ſęcularia,Canonicatus,& præbendas abſque diſpenſatione Apoſtolica?

℞. Dum dicti milites non emittunt tria vota ſubſtātialia,etiam ſi habeant habitum ſui ordinis, nō ſunt incapaces ad obtinenda beneficia ſæcularia, curata, & alia beneficia,vt Canonicatus,penſiones,dignitates in Cathedralibus abſque diſpenſatione.

18 Si aliquis miles habeat talia beneficia, & poſtea faciat profeſſionem, poterit ne retinere illa?

Reſp. Non,abſque diſpenſatione Apoſtolica. Bulla Greg.XIII. quam refert *Quaranta ſum. Bullar. verb. canonicus regularis.pag.127. Nauar.conſ.9.n.1.de præbend. Trid.ſyn.ſeſſ.14.c.10. de refor.*

19 Canonici Regulares,& religioſi Ordinum militarium, qui de mandato ſuorum Superiorum adminiſtrant parochiales ſibi vnitas, vel ſubditas, ſi delinquant, à quo debent puniri?

Reſp. A ſuis Superioribus, ſed poſt Conſtitutionem editam Greg.XV.anno 1623.nonis Febr.allegatam in c.4.de Regul. puniri debent ab Epiſcopo.

20 Si delictum ſit in adminiſtratione ſacramentorũ, à quo ſunt puniendi?
Reſp. Si parochialis ſit in locis ſubditis Prioribus, vel Magiſtris, in quibus habent omnimodam iuriſdictionem; à ſuis ſuperioribus, ſi verò ſit in locis, vbi Epiſcopus habet iuriſdictionem ſpiritualem, tunc ab ipſo Epiſcopo, poſt dictam conſtitutionem Gregor. XV. ſemper ſunt puniendi ab ipſo Epiſcopo.

21 Si dicti milites, vel religioſi publicauerint indulgentias ſine licentia Epiſcopi, à quo debent puniri?
Reſp. Si ſint in locis Epiſcopo ſubiectis; ordinarius debet contra eos procedere. *Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 5 ſeſſ. 14. c. 4. ſeſs. 24. c. 11.*

22 Dicti religioſi ordinum militarium, qui actu habent beneficia, poſſunt ferre ſuffragium in electione ſuorum ſuperiorum, & Priorum?
Reſp. Si habuerint poſſeſſionem, non; quia iam ſunt emancipati à conuentu.

23 Si aliquis religioſus habeat beneficium curatum, & non reſideat in eo, quam pœnam incurrit?
Reſp. Debet priuari beneficio, ſeruata cum illo forma priuationis, quam poſui. *lib. 4. & de reſidentia parochorum. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de refor. Bulla Pij V. 64. quæ incipit, cupientes, c. quia nonnulli. c. relatum, de Clericis non reſidentibus.*

24 Si aliquis religioſus fuerit excommunicatus, quã pœnam incurrit?
Reſp. Priuatur fructibus beneficij, qui cum ſit extra Eccleſiam, nomine Eccleſiæ nihil poteſt poſſidere. *c. paſtoralis, de appellat. §. verum quia.*

CAPVT XXI.

De Monialibus.

1 MOniales, quam regulam debent profiteri?
Reſp. Sui prioris, inſtitutionis videlicet, tria vota eſſentialia, videlicet caſtitatis, obedientiæ, & religionis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 1. de regul.*

2 Qui regunt monaſteria Monialium, quid debent ordinare?
℞. Vt moniales ſemel in menſe confiteantur, & cõmunicent, & obſeruent ſuam regulam, & clauſuram.

3 Officiales, qui adminiſtrant bona temporalia, à quo poſſunt eligi, & quo tempore debent durare?
Reſp. Ab Abbatiſſa, & conuentu, etiam ſi monaſterium ſit Epiſcopo ſubiectum, & ſunt amouibiles ad nutum ſuperiorum, & ex bulla noua Gregor. XV. debent reddere rationem, & computum ſuperioribus, Epiſcopo interueniente, ſi vult: reliqui verò, vt capellanus, confeſſor, & ſacriſta eliguntur ab Epiſcopo abſque interuentu monialium.

4 Quis poteſt diſpenſare, & diſtribuere redditus monialium?
Reſp. Earum ſuperiores, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue regularis.

5 Moniales, quæ ſunt exemptæ, & ſedi Apoſtolicæ ſubiectæ, in quibus ſubijciuntur Epiſcopis?
Reſp. In regimine, & in ſpiritualibus. *Trident. ſyno. ſeſſ. 15. c. 9. de reg.*

6 In reformatione facta à ſancto Conc. Trid. includuntur ne omnia monaſteria cuiuſcumq; qualitatis.
Reſp. Affirmatiuè non obſtante mari magno, nec alijs priuilegijs, imò concilium præcipit Epiſcopis, vt omnia executioni mandent, etiam cum auxilio brachij ſæcularis. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 22. de regular.*

7 Monaſteria monialium, quæ ipſamet habent iuriſdictionem, & non ſubiecta Epiſcopis, nec alicui Congregationi, intra quod tempus debent ingredi aliquam congregationem, vel ſubijci Epiſcopis?
Reſp. Intra annum à publicatione concilij, aliàs à metropolitano coguntur, & eo abſente, ab Epiſcopo antiquiori tamquam ſedis Apoſtolicæ delegato. *Tri. ſyn. ſeſſ. 25. c. 8. de regul.*

8 Si talis ſit cum Epiſcopo ſuper proceſſione viſitãdi moniales, quid eſt agendum?
Reſp. Epiſcopus debet conſeruari in proceſſione, ſaluo iure monialium, vel alterius partis litigantis in petitorio, quia Epiſcopus habet fundatam ſuam intentionem in *c. 9. ſeſſ. 25. Conc. Trid. de regular.*

9 Magiſtratus ſæculares poſſunt ne regere monaſteria monialium?
Reſp. In ſpiritualibus, non, ſed ſolus Epiſcopus, vel alius ſuperior. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 9. cit.*

10 Cum qua licentia debent monaſteria monialium de nouo erigi?
Reſp. Cum licentia Epiſcopi illius diœceſis. *Trident. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3. de regul.*

11 Si velint fabricare monaſterium intra vrbẽ, poſſunt ne moniales per diuerſa diuidi monaſteria?
Reſp. Non, ſed omnes ſimul ad monaſterium ſui ordinis. *Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 8. Nauar. conſ. 5. nu. 3. de ſtat. monach.*

12 Quæ ſunt cauſæ translationis monaſterij ex vno loco ad alterum?
Reſp. Incurſus pyratarum vel latronum, aeris peſtilentia, aquæ det luxus, aeris, vel terræ intemperies cauſans morbos, magna frigiditas, vel magnus calor, aliqua contagioſa infirmitas, vel ſi ſit ſitum in agro, in loco non tuto, transferendum eſt ad ciuitatem. *Nauarr. commentar. 4. de regul. num. 48. & 49. capitul. ſtatuimus. 19. quæſt. 3. Azor. part. prima, libro 12. cap. 14.*

13 Si Monaſterium monialium ſit in agro, vbi debet mutari, & a quo?
Reſp. Debet intra Vrbem transferri ab Epiſcopo tamquam ſedis Apoſtolicæ delegato, licèt ſit exemptum, & poni in loco tuto cum ſuis redditibus, honoribus, & oneribus, præcipuè ſi expoſitum ſit incurſibus pyratarum, & latronum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5. de regularibus.*

14 Si Monaſteria monialium in agro habeant murũ altum, & cuſtodiam, debent ne transferri in ciuitatem?
Reſp. Si nullum ſit inconueniens, ceſſat ratio translationis.

14 Quis poteſt recludere feneſtras, & portas, & tollere omnia impedimenta, tàm in monaſterijs, quàm in domibus, quæ ſunt propè monaſteria?
℞. Epiſcopus, quia licet quiſq; poſſit leuare domum ſuam vſq; ad cælum, dummodo via ſit in medio; tamen hæc lex non habet locum in damnum clauſuræ monaſteriorum monialium, cùm ſint Virgines Deo ſacratæ. *Tuſc. de viſitat. Eccleſ. lib. 2. c. 18. num. 5.*

15 Moniale poſſunt habere Sanctum Sacramentum intra clauſtra monaſterij?

℞. Non.

Reſp. Non, quia prohibitum eſt (ablato quocumque priuilegio) à *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 10. de regularibus,*

CAPVT XXII.

De clauſura Monialium.

1 EPiſcopus, quando, & quomodo debet ingredi monaſterium monialium, & in quibus caſibus?
Reſp. Raró, & in caſibus magnæ vtilitatis, & neceſſitatis comitatus paucis perſonis religioſis, & ſacerdotibus. *Bulla Gregor. XIII. incipiens, dubijs, quæ eſt in ordine 75.*

2 Epiſcopus, poteſt ne ingredi monaſterium monialium regularibus ſubiectarum contra eorum voluntatem?
Reſp. Poteſt ſolùm ad videndum, ſi clauſura ſeruetur, vel non. *Triden. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 5. de reg. Zerola in prax. Epiſc. p. 1. verbo monial.*

3 Moniales à quo debent cogi, vt clauſuram ſeruẽt?
Reſp. Ab Epiſcopo cum inuocatione brachij ſecularis, ſi opus fuerit, & ſi Iudices non dederint, ſunt excommunicati. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5 cit.*

4 Si in aliquo monaſterio ſit conſuetudo, vt in die obitus alicuius monialis ad eam ſepeliendam celebretur Miſſa cantata in clauſtro, choro, vel in aliqua capella dictarum monialium præſentibus monialibus, quid eſt agendum?
Reſp. Si hoc priuilegium competat alicui monaſterio, vel per conſuetudinem immemorabilem non ſublatam poſt publicationem concilij, vel per breue particulare; tunc talis conſuetudo eſt ſeruanda: ratio eſt, quia *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 10.* non tollit hanc conſuetudinem, vt talis monacha non ſepeliatur cum ſacrificio Miſſæ, quod raro contigit, ſolùm vult, ne ſanctum Sacramentum ſeruetur intra clauſtra, vel clauſuram monialium, vt tollatur occaſio ſæpè ſæpius intrandi.

5 In monaſterijs, vbi non eſt dicta conſuetudo, moniales quomodo ſunt ſepeliendæ, & quis numerus Clericorum, & miniſtrorum debet intrare ad eas ſepeliendas?
Reſp. Corpus defunctarum debet poni in choro, vel in capitulo, vel in capella publica, & ſi fuerit mane, Sacerdos in Eccleſia celebret Miſſam de requie, & officium defunctorum, & ſi fuerit Veſpere, Sacerdos indutus cappa dicat in Eccleſia dicta officia defunctorum, & poſtea proceſſionaliter cũ cruce duobus luminarijs, & comitatur à ſex, vel octo Clericis, & cum hominibus, qui habent officium ſepeliendi mortuos intret proceſſionaliter intra clauſtra monaſterij, & omnes moniales proceſſionaliter cum ſua cruce eum expectant ad portam monaſterij, & ſic præcedentibus monialibus, & ſubſequentibus Sacerdotibus cum ſuis Clericis omnes ſimul accedant ad locum, vbi eſt corpus monialis defũctæ, & eam portẽt ad locum ſepulturæ, vbi erit altare præparatum, & facta benedictione ſepulturæ incenſato corpore, ſparſa aqua benedicta omnibus reſponſorium cantãtibus illa ſepeliatur, & cooperto ſepulchro omnes ſimul proceſſionaliter reuertantur ad portam monaſterij.

6 Iſti clerici quas qualitates debent habere?
Reſp. Debent eſſe bonæ vitæ, & famæ, & ætate matura, & electio horum Clericorum tam in numero, quam in perſona relinquitur arbitrio Epiſcopi, vel ſuperioris monaſterij, quia certa regula dari non poteſt.

7 In quibus, & propter quas cauſas poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt homines ingrediãtur monaſteria?
Reſp. Cauſa infirmitatis, vel neceſſitatis, vt medico, ſpirituali, & temporali ad miniſtranda ſacramenta, & ſepeliendos mortuos, chirurgo tonſori, mulieri quæ ſciat mederi, procuratoribus, & officialibus ad opus ſi ſit neceſſarium deferre aliquid in monaſterio, ad quod vires mulierum non ſupperunt, vt colere hortos, aſportare trabes, his omnibus ad ſua officia exercenda poteſt dari licentia, ſi talia officia per Monachas, vel conuerſas exerceri non poſſint; motu proprio Gregor. XIII. in Bulla 36. cit. *Rodriguez. tom. 1. q. 46. art. 1. & q. 47. art. 4. Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 13. cap. 8. & 9. Ioannes de la Cruz. de ſtatu relig. lib. 1. c. 5. dub. 2.*

8 Licentia ad ingrediendum quomodo debet dari?
Reſp. In ſcriptis. Bulla ſupra dicta Greg. XIII. n. 40. & 41. anno 1575.

9 Facultas data Epiſcopis à Conc. Trident. vt dent licentiam ingrediendi monaſteria, quomodo eſt intelligenda?
Reſp. Cõcilium hoc reliquit arbitrio Epiſcopi, quia quotidie exurgunt tot nouæ neceſſitates inopinatæ, vt non poſſit certa regula aſſignari, & ſic plurimum confidit de Epiſcopi prudentia.

10 Epiſcopus, qui conceſſit licentiam ſine iuxta cauſa, & in caſibus non neceſſarijs ingrediendi monaſteria, eſt ne excommunicatus?
Reſp. Non, quia nullus canon hoc dixit; ergo nec nos dicere debemus, licèt Epiſcopus peccet.

11 Moniales facta profeſſione, cum qua cauſa poſſunt exire è monaſterio?
Reſp. Magni incendij, vel infirmitatis, peſtilentiæ, vel lepræ, vel hoſtium inuaſionis, in caſu aquæ ductus, vel ruinæ domus, vt ſi corruat dormitorium, in infirmitatibus contagioſis, & nociuis communitati monialium. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5.* Pius V. per ſuam extrauag. quæ incipit, circa paſtoralis. *Fr. Ioann. de la Cruz, verſ. an verò liceat.*

12 Si aliqua monialis habeat infirmitatem ſibi ſoli nociuam, cui exeundo è monaſterio remedium adhibetur, poterit ne dari licentia à Prælato, vt exeat?
Reſp. Si de conſilio medicorum periculum vitæ, aut grauis, & diuturna infirmitas probabiliter timeatur poterit Epiſcopus tunc dare licẽtiam; quia vita omnibus remedijs eſt ſaluanda. *Nauar. Comment. 4. de regularibus, num. 47. 48. & 49. Azor. inſtit. moral. p. 1. c. 8. lib. 13.*

13 Cum qua licentia poteſt aliqua monialis è monaſterio exire, etiam cum legitima cauſa?
Reſp. Cum licentia ſuperioris monaſterij in ſcriptis exprimendo cauſam, & tempus. *Emanuel quæſt. regul. tom. 1. q. 49. art. 6.*

14 Si moniales ſubditæ ſint regularibus, ſufficit habere licentiã ſuorũ, vel requiritur etiã licẽtia Epiſcopi?
℞. Emanuel, loco allegato tenet requiri etiam licentiam Epiſcopi, ſed *Fr. Ioann. de la Cruz. de ſtat. relig.*

X 2 *lib. 1.*

lib.1.c.5.dub.3.tenet in Hiſpania non eſſe neceſſariã licentiam Epiſcopi, ſed ſolùm Prouincialium.

15 Qui ingrediuntur ſepta monaſterij ſine licentia, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Ipſo Iure ſunt excommunicati, & abſolutio reſeruata eſt Papæ, niſi in mortis articulo. Bulla Pij V. de regular. publicata 23. Octobris 1566. Bulla Greg. XIII. publicata die 24. Iunij 1575. *Trid.ſynod. ſeſſ.25.c.5.de regul.*

16 Quam pœnam incurrunt Abbatiſſa, & moniales, quę dant conſilium, vel conſentiunt, vt quis ingrediatur clauſtra monaſterij?

Reſp. Sunt excommunicatę ipſo iure, & abſolutio reſeruata eſt Papę, & priuantur perpetuò officijs, & dignitatibus, & alijs pœnis bene viſis ſuo ſuperiori puniuntur. Pius V. in d. bulla, & Greg. XIII. vbi ſup.

17 Puer, qui non habet vſum rationis, ſi ingrediatur monaſterium, eſt ne excommunicatus, vel ille, qui fecit eum ingredi?

Reſp. Puer non poteſt incurrere excommunicationem, quia non habet vſum rationis, ſed ille, qui fecit eum ingredi, peccat, ſed non excommunicatur, quia hęc pęna, cum ſit grauiſſima, non eſt imponenda, niſi exprimatur. *Nauar. commen. 4. de regul. num. 59. citans plura iura.*

18 Epiſcopus poteſt abſoluere in delictis occultis in materia clauſurę tàm monialem conſentientem, quã laicos intrantes?

Reſp. Non, quia hęc abſolutio reſeruata eſt ſedi Apoſtolicę in conſtitutione Pij V. de regul. & ibi declarata eſt facultas abſoluendi in delictis occultis, non habet locum hoc in caſu, neque eſt extendenda vltra dictam conſtitutionem.

19 Epiſcopus poteſt dare licentiam, vt mater, vel ſoror alicuius monialis ingrediatur ſepta monaſterij ad viſitandam filiam morientem, vel emittentem profeſſionem?

Reſp. Non, ſed ſolùm ſummus Pont. *Rodrig. tom. 1. q. 64. num. 11.*

20 Nobiles fœminę fundatrices monaſteriorum, cum habent licentiam ingrediendi monaſteria, poſſunt ne in eis pernoctare?

Reſp. Non, niſi in breui explicetur, vt habetur in bulla Greg. XIII. quarta & quadrageſima prima, vbi reuocantur omnes licentię antea datę.

21 Quo Iure prohibitum eſt regularibus alloqui monialibus, & ſub qua pæna?

Reſp. Per congregationem Eminentiſs. Cardinaliũ, & ſub pœna priuationis ſuffragij actiui, & paſſiui, & habet locum in regularibus, qui mittuntur ad prędicandum, ad dicendas Miſſas, & confeſſiones audiendas. *Quaranta in ſumm. Bullarij, verb. monaſteria pag. 348.*

22 In Regnis Sicilię, & Italię, vbi regulares non poſſunt colloqui cum monialibus ſine licentia ſummi Pont. quid innouatum eſt?

Reſp. Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. Sũmus Pontifex per bullam expeditam anno 1624. ſui Pontificatus anno 1. dedit facultatem Epiſcopis, & ordinarijs, vt per quatuor vices in anno poſſint dare licentiam, vt aliqua Monialis loquatur cum aliquo regulari cum his conditionibus, & requiſitis. Primò, quod loquũtio fiat, ſi Epiſcopo videbitur expedire. Secundò, quòd Monialis, & regularis ſint affines in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis. Tertio, quòd loquutio non ſit in die Veneris, neque Sabbati, neque in die feſtiuo, neque in tota quadrageſima, neque in Aduentu Domini. Quartò, quod licentia expreſsè detur in ſcriptis, & in ea aſſignetur dies, & hora loquutionis, & regiſtretur in officio Magiſtri notarij illius Curię. Quintò, quòd confeſſor ordinarius illius monaſterij ſit pręſens tempore loquutionis, & teneatur conſeruare dictam licentiam in ſcriptis. Sextò, quòd auſcultatrices d. monaſterij ſint pręſentes tempore loquutionis, vt expreſsè habetur in dicto breui, cuius formã, & tenorem nullus Epiſcopus, vel Iudex ordinarius poterit tranſgredi, cùm iſtę facultates ſint ſtricti iuris, & eas ampliare non liceat, & ad iſtam bullam ſunt reductę cęterę conſtitutiones Pij V. & Gregorio XIII. & ità hęc vltima Bulla Sanctiſs. D. N. Vrbani VIII. debet obſeruari.

23 Moniales, quę loquuntur cum regularibus, quam pœnam incurrunt, ſi non ſeruent formam dictę Bullę?

Reſp. Eandem pœnam, quam regulares, & priuantur voto actiuo, & paſſiuo per vnum annum.

24 Qui regulares excipiuntur, qui etiamſi loquantur, non incurrunt has pęnas?

Reſp. Superior, cui incumbit cura monaſterij, viſitator, confeſſarius, & non extra ordinarius, & regulares, qui habent licentiam à ſacra congregatione regularium, quę raro conceditur. *Ioan. Baptiſta in priuilegio ord. mendicantium, n. 8.* ſed hoc in Italia ſeruatur, ſed non in Hiſpania.

25 Aliquis regularis poterit eſſe confeſſor ordinarius in monaſterio monialium ſubiecto Epiſcopo?

Reſp. Hoc nullibi eſt prohibitum, & ſi ſit vir ſanctus, doctus, & prudens, poterit eſſe confeſſor ordinarius, & in hoc adiuuare Epiſcopum, ſicut poteſt eſſe cõfeſſor extra ordinarius in tempore, in quo à Conc. Trid. permittitur, vt habeant confeſſorem extraordinarium.

26 Moniales tertij ordinis S. Franciſci, quę habitant in ſuis domibus, debent ne compelli, vt ſeruent clauſuram?

Reſp. Non, quia earum inſtitutum non eſt, vt viuãt ſimul in clauſtris.

27 In monaſterijs, vbi non eſt clauſura, poteſt ne aliqua puella ſuſcipere habitum religionis?

Reſp. Poſt publicationem Conc. Trid. non poteſt, quia omnia monaſteria tenentur obſeruare clauſuram, Bulla Pij V. ſupra allegata.

28 Colloquia cum monialibus, quibus perſonis, & quomodo debent permitti?

Reſp. In hoc ſeruanda eſt conſuetudo conuentus monialium, licèt licentia ſuperioris ſemper ſit neceſſaria. *Fr. Emanuel loco alleg.*

29 In obſeruatione clauſuræ, quam poteſtatem habent Epiſcopi?

Reſp. Magnam, quia tàm in monaſterijs ſibi ſubiectis, quam non ſubiectis debent facere, vt obſeruetur, & punire non obſeruantes, & ad hoc monaſteria viſitare, & ingredi poterunt. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 5. de regul.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

De dote Monialium.

1 Qvis debet taxare numerum Monialium, & dotem, ſeu alimenta?
Reſp. Epiſcopus, conſideratis redditibus, eleemoſynis, qualitate Prouinciæ, & ſterilitate, vel abundantia terræ. *Nau. comm. 4. de Regul. nu. 57.*

2 Dos, quę datur, debet nè recipi ante profeſſionē, vel poſt?
Reſp. Poteſt recipi ante, vel poſt, dummodo ſi moriatur Monacha ante profeſſionem, dos reſtituatur ſuis parentibus, dempto victu, & veſtitu. *Trid. ſyno. de Regular. ſeſſ. 25. cap. 16. Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 3.*

3 Si facta profeſſione, & dote non ſoluta moriatur Monacha, quid agendum?
Reſp. Debent ſolui monaſterio à parentibus, quia legitimo Iure ſibi acquiſiuit, etiamſi in contractu ſit conditio, quòd alimenta ſoluantur, donec dos detur. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 16. cit. Azor loco ſup. cit.*

4 Pro dote poteſt ne accipi mutuum, vel aliqua bona opera?
Reſp. Non, ſed illa pecunia, vel ſubſtentatio, quæ datur alijs Monialibus. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 16.*

5 Aliquæ puellæ, quæ parentibus, & facultatibus deſtitutæ ſunt, poſſunt ne recipi in monaſterijs Monialium ex cauſa paupertatis?
Reſp. Non debent tales recipi, ne detur occaſio Abbatiſſæ, & Monialibus, vt onerent monaſterium; niſi ſit conſtitutio, vt ſine dote recipiantur, tunc talis fundatio, vt ſanctiſſima, ſeruanda eſt. *Zerola in praxi Epiſcopal.*

6 Si dote ſoluta Monialis moriatur ante profeſſionem, quid agendum?
Reſp. Reſtituenda parentibus, vel hæredibus ab inteſtata, niſi forſan in aliqua ſcriptura obſtet in contrarium, tunc ſcriptura ſeruanda eſt tamquam Ius particulare. *Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 12. c. 3.*

CAPVT XXIV.

De reſignatione bonorum Monialium.

1 Si ſit aliquod monaſterium Monialium, quibus de ſuo inſtituto non licebit habere bona ſtabilia in communi, poſſunt ne illa habere poſt Concil. Trident.
Reſp. Non, quia tales excipiuntur à Concilio, & relinquuntur in ſua primæua inſtitutione. *Trid. ſyn. ſeſ. 25. de Regul.*

2 Quæ monaſteria Monialium poſſunt poſſidere bona immobilia?
Reſp. Omnia in communi ad ſuam ſubſtētationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3. cit.*

3 Bona mobilia, quę acquirunt Moniales, poſſunt illa poſſidere tamquam ſua?
Reſp. Non, ſed ſtatim debent tradi Superioribus, vt illa incorporentur monaſterio, *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 2 de reg.*

4 Superiores poſſunt dare bona ſtabilia alicui Moniali, vt ea poſſideat, & recipiat vſumfructum ad ſuam neceſſitatem?
Reſp. Non, ſed solùm mobilia, & ad vſum tantùm. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 2. cit.*

5 Quam pęnam incurrit Superior, qui contrarium facit?
Reſp. Biennio actiua, & paſſiua voce priuatur.

6 Quis poteſt dare facultatem, vt aliqua Monialis habeat bona mobilia, vel introitus?
Reſp. Summus Pontifex. *Nauar. in comment. 2. de reg. num. 18. & 24. Azor. inſtitut. moral. par. 1. lib. 12. cap. 9. quæſt. 2.*

7 Si alicui Moniali relinquatur aliquod legatum, vel pecunia, vel eam acquirat ſuo labore, poteſt nè pro ſua neceſſitate liberè illam poſſidere?
Reſp. Non, ſed debet ponere in manu Abbatiſſę, vt ipſa prouideat neceſſitati illius Monialis, & ſi ſuperfuerit aliquid, concedat communitati. *Nauarr. & Azor. ſupra citat. Syiueſter in ſumm. verb. Religio, 6. num. 7. Nauarr. in commentar. 2. de Regularibus numero 14.*

8 Licebit nè Monialibus retinere redditus, ſiue cenſus certos relictos à ſuis parentibus, vt ex his ſubſtētentur in ſuis neceſſitatibus, vel infirmitatibus, præcipuè ſi monaſterium non det omnes prouiſiones ad vitam neceſſarias, vel ſi ſit pauper, & non poſſit omnibus neceſſitatibus prouidere?
Reſp. Non, quia hoc eſt contra votum paupertatis; ſed in iſto caſu debent iſti redditus Abbatiſſæ conſignari, vt ipſa liberè prouideat neceſſitati talis Monialis, & reliqua det communitati. *tenet Sylu. in ſum. verb. Religio 6. num. 7. Nauarr. comment. 2. de Regular. numi 14.*

9 Si Abbatiſſa noluerit prouidere neceſſitati talis Monialis, cui relicti fuerunt redditus, quid debet agi?
Reſp. Abbatiſſa malefaciet; ratio eſt, quia non adimplet intentionem donantis illam eleemoſynam, ſed nihilominus talis Monialis non habet aliquam actionem contra Abbatiſſam petendi tale legatum, quia eſt incapax per votum emiſſum paupertatis non poſſidendi illa bona; benè tamen poterit repręſentare ſuam neceſſitatem ante Superiorem monaſterij, & ſi habuerit patientiam in hoc caſu plurimū meruerit.

10 Si aliqua Monialis de licentia Superioris habeat aliquos redditus, incidit ne in aliquam pœnam?
Reſp. Non, quia Concilium loquitur de redditibus proprijs, & irreuocabilibus per Prælatos, & quę poſſidentur ſine eorum licentia. *Io. de la Cruz, de ſtatu Religioſor. lib. 1. c. 5. dub. 2.*

11 Si Moniales habeat aliquid ſuperfluum etiam per licentiam Superiorum, excuſantur ne à culpa, vel à pœna?
Reſp. A pœna, ſed non à culpa, quia tenentur dicere ſuo Superiori illud ſibi eſſe ſuperfluum. *Fr. Ioannès de la Cruz, vt ſupra.*

12 Quis debet iudicare ſuperflua?
℟. Superiores, habita ratione neceſſitatis, perſonę,

& temporis. *Fr.Ioan.de la Cruz, vt ſup.*

13 Qua pœna punitur monialis habens ſuperflua?
Reſp. Si illa habeat ſine licentia, priuatur biennio voto actiuo,& paſſiuo,nõ in electionibus, ſed in alijs rebus.

14 Renuntiatio, & obligatio à nouitijs facta, intra quod tempus debet eſſe, & cum qua ſolemnitate?
Reſp. Intra duos menſes ante profeſſionem,& cum licentia epiſcopi,& non ſequitur ſuum effectum, etiã ſi ſint iurati,niſi ſecuta profeſſione. *Trid.ſyn. ſeſs.25. c. 16.de regul.*

15 Si aliquis faciat renuntiationem voluntate ingrediendi religionem, & poſtea ex aliquo accidenti non ingrediatur, talis renuntiatio, & donatio erit ne valida, ſi non expreſſit in renuntiatione, quod faciat talem renuntiationem animo ingrediendi religionem?
Reſp. Talis donatio, & renuntiatio non erunt validæ,quia eadem militat ratio, ſiue illud exprimat in renuntiatione,ſiue illud probet per teſtes, Secundò, quia ſtandum eſt veritati, & non fictioni, neque calumniæ. Tertiò,quia ex pluribus cauſis poteſt cõtingere non exprimere cauſam, & ingreſſum religionis,ſcilicet, Primò, ex verecundia, quia perſona erat nobilis,& negotium ſecretum. Secundò,ex imperitia tabellionis,vel Notarij. Tertiò, ex malitia illius,in cuius fauorem ſit renuntiatio,Quartò,ex timore,vel reſpectu, vel verecundia, vel ignorantia, vel inaduertentia renuntiantis, vt ſi ſit idiota, puer, ignorans litteras; & ſi faciat renuntiationem in patrem,vel matrem,vel fratrem maiorem, & ideò hæc regula tenenda eſt ex mente concilij, & Doctorum quotieſcumque cauſa finalis, vel impulſiua faciendi renuntiationem, fuit ingreſſus religionis; ſiue quis ingrediatur, ſiue ingreſſus n on faciat profeſſionem, & reuertatur, ſiue hæc cauſa exprimatur in ſcriptura, ſiue non,ſemper talis renuntiatio eſt nulla, & annullari debet à Iudicibus.*Tri.ſyn.ſeſs.25.c.16.ſup cit.*

16 Si in renuntiatione iſta exprimantur aliæ cauſæ, ſcilicet gratitudinis, beneficij recepti, vel amoris, & non exprimatur cauſa religionis, erit ne valida iſta renuntiatio ſine profeſſione?
Reſp. Hæc expreſſio cauſarum facit negotium magis obſcurum,ſed quoties probatur per teſtes, quòd cauſa finalis talis renuntiationis fuit ingreſſus religionis, ſiue exprimantur aliæ cauſæ, debet talis renuntiatio declarari nulla, cum finis renuntiationis non ſequatur; ratio eſt, quia non debet defraudari ſuis bonis propter illam bonam voluntatem, & deſiderium, quod habuit ſeruiendi Deo in religione, & ſicut concilium noluit, vt de bonis nouitij aliquid accipiat religio, niſi ſequuta profeſſione, imo illud prohibuit ſub pœna excommunicationis tam dantibus,quam recipientibus, ſic noluit,vt donationes factæ intuitu religionis,ſiue exprimatur cauſa, ſiue nõ, eſſent validæ,& voluit,vt nullus ditaretur ſub ſpecie, & velamine ingreſſus religionis, niſi profeſſione ſecuta. *Trid.ſyn.ſeſs.25.cap.16. cit.*

17 Puellæ, quæ educantur in monaſterijs, poſſunt facere renuntiationes, & obligationes?
Reſp. Poſſunt liberè, ſic quia concilium non loquitur,niſi de nouitijs,quæ ſuſceperunt habitum,vel volunt ſuſcipere, ne propter malam ſubiectionem, vel per malum conſilium, vel timorem faciant aliquam renuntiationem contra ſuam voluntatem, & ita, ſi aliqua puella exiſtens in monaſterio educationis cauſa, ibi renuntiat animo nubendi, vel viuendi, in celebratione talis renuntiatio erit valida; ratio eſt, quia non locus, ſed intentio facit irritam talem renuntiationem non ſequuta profeſſione. *Triden.ſyno. ſeſs.25.c.16. cit.*

CAPVT XXV.

De ſuſceptione habitus, & de profeſsione Monialium.

1 IN ingreſſu religionis alicuius Monialis quid debet fieri?
Reſp. Si ſit dubium de ſua voluntate, ne cogatur à parentibus, puella deducenda eſt ad matronas illi coniunctas, & non ſuſpectas, vel alias nobiles de mãdato Epiſcopi, vbi liberè poſſit exprimere ſuam voluntatem. *Trid. ſyn.ſeſſ.25.c.17. de regul.*

2 In qua ætate poteſt puella ſuſcipere habitum?
Reſp. In ætate duodecim annorum.*Trid.ſyn.ſeſſ.25. cap.17. cit.*

3 Finito anno nouitiatus,quid debent agere Abbatiſſa, & Superiores?
Reſp. Quas habiles inuenerint ad profeſſionem admittere,aliàs verò è monaſterio eijcere.*Trid.ſyn.ſeſs. 26. c.16. de regul.*

4 In qua ætate poteſt Monialis facere profeſſionẽ?
Reſp. In ætate 16.annorum.*Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.15.de regul.*

5 Ad emittendam profeſſionem annus debet eſſe continuus, vel interruptus?
Reſp. Continuus,& ſi interrumpatur ex aliqua cauſa,debet iterum de nouo incipi. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.15. Nau.conſ.32. de reg.*

6 Quid eſt agendum ante profeſſionem puellæ?
Reſp. Ante menſem profeſſionis præfecta, vel Abbatiſſa Epiſcopum certiorem faciat ſub pœna ſuſpẽſionis arbitrio Epiſcopi; & Epiſcopus,vel eius Vicarius eam in libertate ponãt,& exquirant, an coacta, vel libera ſit,& ſi habet conditiones,videlicet,ſi ſciat legere,& ceremonias, & ſtatuta,iuxta regulam talis monaſterij.*Triden. ſynod.ſeſſ.25.cap.17.de regul.*

7 Intra quod tempus debet Epiſcopus examẽ puellæ perficere, de cuius voluntate dubitatur?
Reſp. Intra viginti dies, & amplius in illo negotio non ſe debet intromittere.

8 Poteſt Epiſcopus facere examen alicuius nouitiæ ad petitionem alicuius volentis eam ducere in vxorem?
Reſp. Non, ſed ſuo tempore, ad petitionem verò puellæ toties,quoties ipſa voluerit. *Pet.Sanch.in ſum. præcepti decalogi. lib.4. c.18.*

9 Ad quem ſpectat examinare libertatem puellæ in monaſterijs ſubiectis regularibus tam in ingreſſu, quam in profeſſione?
Reſp. Ad Epiſcopum,& ordinarium.*Trident.ſyn.ſeſſ. 25.c.17.cit.*

10 Si Epiſcopus, vel eius Vicarius deputauerint aliquem

aliquem ad faciendum tale examen, quis debet ſoluere expenſas, quas fecerit in itinere?

Reſp. Epiſcopus, vel eius Vicarius, quia ipſi tenentur facere. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 17. cit.*

11 In quo loco debet examinari libertas monialium ab ordinario?

Reſp. In Cratheris. *Fr. Io: de la Cruz. de ſtat. religioſor. lib. 2. cap. 8.*

12 Si dubitetur de libertate puellę, vbi debet examinari?

Reſp. Si Epiſcopo videbitur in Eccleſia monaſterij, vel in alio loco honeſto coram teſtibus, & Notarijs debet interrogari, an velit eſſe monacha, vel nubere, & quæ dixerit in ſcriptis debent redigi, & ſecundum eius voluntatem reſolutio à ſuperiore debet fieri. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 17. Zerola in praxi Epiſc. parte 1, verſ. moniales pag. 232. Azor. inſtitut. moral. parte. 1. lib. 12. c. 1.*

13 Si inhabilitas puellæ, vel nouitiæ perueniat ex infirmitate, vel alia cauſa, quæ tempore vinci poteſt, quid agendum?

Reſp. Superiores poſſunt illi prorogare nouitiatum pro tempore illis benè viſo, vt talis defectus ſuppleatur in viris, quàm in mulieribus, *Trid. ſyn. ſeſs. 27. cap. 17.*

14 Si dubitetur, an aliqua monacha profeſſa ſit baptizata, & ad cautelam iterum baptizetur, profeſſio facta erit nè valida?

Reſp. Non, ſed talis poſt baptiſmum debet profiteri; ratio eſſe poteſt, quia non poteſt profiteri ſtatus perfectionis ab illo, qui nunquam ingreſſus fuit per ianuam perfectionis, quæ eſt baptiſmus. *c. cum itaque, de conſecr. diſt. 4.*

15 Si aliqua puella ſuſcipiat habitum de facto, vel faciat profeſſionem ſine Examine Epiſcopi, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus in vtroque caſu puniat Abbatiſſam pęnis, & cenſuris, & iubeat, ne iterum fiat, & poſt ſuſceptum habitum eam examinet; poſt ſuſceptam verò profeſſionem non fiat examen, quia profeſſio tenuit. *Sanch. in præcepto decalogi lib. 4. c. 18.*

16 Si aliqua puella deſponſata ſuſcipiat habitum, & ſit duodecim annorum, vir tenebitur expectare quatuor annos vſque ad tempus profeſſionis?

Reſp. Affirmatiuè, *Petrus Sanchez, vbi ſupr.*

17 Si per vim poſita fuerit aliqua puella in monaſterio, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus debet punire eos, qui intullerunt vim, & facere voluntatem puellæ, etiam ſi ſit contra voluntatem eorum, qui illam ita vrgerunt. *Trid. ſyn. vbi ſupr.*

18 Si aliquis pater inſtituat, quòd ſi filia eius ingrediatur religionem, dentur illi centum aurea ſcuta, iſte incurrit pęnam à concilio poſitam?

Reſp. Non, quia non inducit vim coactiuam, ſed inductiuam, & perſuaſiuā, de qua non loquitur Conc.

19 Quam pęnam incurrunt homines cuiuſcumque dignitatis, qui coegerint mulierem ad ingrediendum monaſterium, vel profeſſionem faciendam, vel dederint auxilium, vel conſilium his, qui faciunt talem vim?

Reſp. Excommunicationis à Iure ipſo incurrendæ, preterquam in caſibus a Iure expreſſis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 18. de regul.*

20 Qui ſunt caſus à Iure expreſſi?

Reſp. Quando aliqua mulier propter recluſionem, vel ad faciendam pœnitentiam, vel ob timorem, ne occidat eam eius maritus; vel alia perſona, contra ſuam voluntatem ingreditur monaſterium.

21 Quam pœnam incurrit, qui impedit virginem volentem ingredi legionem, vel facere profeſſionem, & votum caſtitatis emittere?

℞. Anathematis à Iure, tamē excipiuntur mulieres quæ vulgò conuertitæ appellantur, in quibus earum conſtitutio debet ſeruari. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 18. cit.*

22 Poteſt ne aliqua monialis ad religionem laxiorem transferri?

Reſp. Non, ſicut neque religioſus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 19. de regul.*

23 Si aliqua monialis velit petere ſe per metum feciſſe profeſſionem, vel non habuiſſe ætatem, intra quod tempus, & coram quo debet ſuam cauſam ſequi?

Reſp, Si ſit ſubiecta regularibus, coram Epiſcopo, & ſuo ſuperiori, & intra quinquennium à die profeſſionis, & ſi ante cum habitu, vel ſine habitu diſceſſerit à religione, non auditur, imò vt Apoſtata punitur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 19. cit.*

24 Monaſterium poteſt ne aliquid accipere de bonis nouitiæ ante profeſſinem?

Reſp. Nihil ſub pœna excōmunicationis, tàm dantibus, quàm recipientibus, excepti victu, & veſtitu, imò abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quod vt rectè fiat, Epiſcopus per cēſuras, ſi opus fuerit, monaſterium poteſt compellere. *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 16. de regul.*

CAPVT XXVI.

De Confeſſore extraordinario Monialium.

1 QVoties in anno poteſt dari confeſſor extraordinarius monialibus, & qualis debet eſſe?

Reſp. Ad minus bis in anno, vir probatę vitæ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 10. de reg.*

2 Si aliqua monialis petierit aliquem confeſſorem alicuius ordinis, debet nè ei dari?

Reſp. Si in tali confeſſore non ſit aliquod diſconueniens, & ſit vir probatæ vitæ, debet ei dari, vt illa monacha poſſit cum libertate cofiteri peccata. *Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 13. c. 9. quæſt. 2. Conc. Trid. ſeſſ. ſupra cit.*

3 Poteſt Epiſcopus dare confeſſorem extraordinarium monialibus ſibi non ſubiectis?

Reſp. Si regulares illum non dent, poterit, quem maluerit, ſiue clericū, ſiue regularem. *Zerola in prax. Epiſcop. part. 1, verb. moniales. Trid. ſynod. ſupra citato cap. 10.*

40 Cum datur confeſſor extraordinarius, tenentur nè omnes cum eo confiteri?

℞. Non, quia cum ſit priuilegium, illo vtuntur pro ſuo arbitrio. *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. cap. 10. cit.* omnia de confeſſore monialium debent ſeruari ſecundum ea, quæ dixi ſuper *lib. 6. cap. 4. de regularibus ex conſtitut.* Grego-

Gregorij XV. edita anno 1623. nonis Februarij ibi poſita, quia in iſta bulla datur maior facultas Epiſcopis, quam ante habeant.

CAPVT XXVII.

De Beneficijs Monialibus vnitis.

1 SI Monaſteria monialium habeant beneficium curatum vnitum, quis debet conſtituere Vicarium perpetuum, vel amouibilem?
Reſp. Moniales debent præſentare, Epiſcopus approbare. *Stephanus Quaranta in ſum. bullarum. verb. Vicarius perpetuus.*

2 Quæ portio debet aſſignari tali Vicario?
℟. Non debet excedere centum aureos, nec minus quadraginta. Bulla Pij V. publicata die 15. Nouembris. 1567. quæ incipit, ad exequendum, *Gonzalez ad reg. 8. cancellariæ Gloſſ. 5. §. 3. nu. 79.*

3 Si beneficium non ſit vnitum monaſterio ſed moniales habeant Ius conferendi, quid agendum?
℟. in iſto caſu Epiſcopus debet preuio concurſu eligere digniorem, & moniales debent illum, & non alterum nominare. *Trid. ſin. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*

4 Si beneficium ſit de iure patronatus monialium, quid agendum?
℟. Moniales eligant ex examinatis digniorem, & præſentent Epiſcopo, & ipſe eum inſtituat. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. cit. de hoc dixi li. 4. c. 19. de iure patronatus.*

CAPVT XXVIII.

De Electione Abbatiſſe.

1 ABbatiſſa poteſt nè eſſe perpetua?
℟. Non, ſed triennalis. Bulla Greg. XIII. publicata die 4. Ianuarij 1583, quæ incipit, expoſcit debitum.

2 Tranſacto triennio, in quo non poteſt habere officium Abbatiſſa, poteſt nè iterum eligi?
℟. Benè poterit, & triennium debet computari à die, quo reliquit adminiſtrationem officij. d. Bulla Gregor. XIII.

3 Abbatiſſa poteſt ne confirmari?
℟. De iure poterat, ſed per bullam allegatã Greg. XIII. non poteſt ſine licentia Summi Pont.

4 Si quis elector accipit omnes cedulas, & mittat in capſulam electorum, & poſtea inueniat vnam ſciſſam, vel ſignatam, vel inueniat plures, vel minores, quid agendum?
℟. Omnes debet rumpere, & inde vtere, & facere de nouo aliam electionem maiori circũſpectione. Nau. *Fr. Emanuel locis ſup. cit.*

5 Abbatiſſa, & Prioriſſa quam ætatem debent habere, & quas qualitates?
℟. Ætatis quadraginta annos, religionis octo annos poteſt profeſſionem emiſſam; ſi non reperiantur his qualitatibus, poteſt eligi ex alio monaſterio eiuſdem ordinis, & etiam ſi videbitur conuenire ei, qui præeſt electioni, poteſt eligi ex eodem conuentu monacha habens triginta annos ætatis, & quinq; annos religionis poſt emiſſam profeſſionem; hoc enim reliquit Conc. Trid. in arbitrio eius, qui præeſt electini. *Trident. ſynod. ſeſſ. 25. de regul. c. 7.*

6 Si in vno conuentu Abbatiſſa eligatur ex alio conuentu eiuſdem ordinis electa, cum qua licentia poteſt exire è ſuo conuentu?
Reſp. Non eſt neceſſaria licentia Papæ, ſed ſufficit Epiſcopi, & debet venire via recta cum honeſto comitatu. *Quaranta in ſum. Bullarum, verb. Abbatiſſa.*

7 Qui præeſt electioni Abbatiſſe, poteſt nè ingredi clauſtra monaſterij, etiam ſi ſit Epiſcopus, vel alius ſuperior.
Reſp. Non, ſed ante cancellorum feneſtras ſuſcipiat vota. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 7. cit.*

8 In quibus caſibus, qui præeſt electioni, poſt ingredi ſepta monaſterij, ſuſcipere vota intra cancellos?
Reſp. Quando iudicauerit dictam electionem non poſſe fieri canonicè ipſo non intrante popter inquietudinem monialium, ob periculũ rixarum inter ipſas, aut ſi timeatur mors, vel vulnus alicuius monachæ, vel ob alias iuſtas cauſas; ratio eſt, quia concilium, ſi in alijs neceſſitatibus dat facultatem, vt ſuperior ingrediatur, multò in magis piè poteſt interpretari, quòd eam concedat ad rem tanto neceſſariam, præcipuæ, quia bona electio ſæpè ex preſentia Prælati pendet. *Fr. Io. de la Cruz de ſtatu religioſor. lib. 1. cap. 5. dub. 1. concl. 3 notab. 3, vbi expreſſe hoc tenet.*

6 Si monaſterium ſit ſubditum regularibus vel exẽptum, quis debet præeſſe electioni Abbatiſſe?
Reſp. Epiſcopus, vel alius pro eo ſimul cum ſuperioribus illius ordinis, & ſingulis annis debet accipere rationem bonorum monialium ſimul cum ſuperioribus ex conſtit. noua Greg. XV. edita anno 1623. nonis Februarij poſita, *ſup. c. 4. de regul.*

10 Vna monialis poteſt præeſſe duobus monaſterij?
Reſp. Non, imò intra ſex menſes renetur renuntiare num, aliàs ipſo iure omnia vacant. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 7. de regul.*

11 Abbatiſſa quomodo debet eligi?
Reſp. Per vota ſecreta, & non ſunt ſupplendæ voces abſentium, & quicontrarium permiſerit, inhabilis exiſtit ad officia obtinenda in perpetuum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6. de regul.*

12 In electione Abbatiſſæ poteſt Epiſcopus, vel ſuperior ſuſcipere vota oretenus?
℟. Poterit coram duobus teſtibus, vel ſuo vicario, & ſecretario, & talis electio dicetur ſecreta, & erit bona. *Fr. Emanuel quæſt. regularium. tom. 2. q. 51. art. 6. & 8. Zerola in prax. Epiſc. par. 1. verb. Abbatiſſæ. §. 6.*

13 Coram quibus teſtibus debet fieri electio Abbatiſſæ?
℟. Qui præeſt electioni eligat duas, vel tres perſonas, ſi fieri poteſt in dignitate conſtitutas, & ſi non, duos clericos bonæ, & approbatę vitę. *Fr. Emanuel q. reg. to. 2. q. 51. art. 6. & 8.*

14 Si in aliquo conuentu deputentur quatuor, qui omnium vota recipiant, erit ne bona electio?
℟. Erit, & ſecreta. *c. quia propter, de elect.*

15 Poteſt

15 Poteſt Epiſcopus ſubdelegare electionem Abbatiſſæ?
Reſp. Poteſt, ſi ſit impeditus. *Quaranta in ſum. bullarum, verb. Abbatiſſa.*

16 Quid debet fieri, finita electione?
Reſp. Debet eam notificare monialibus, & tradere ſigillum, claues, & conſtitutione Abbatiſſæ de nouo electæ, & eam confirmare, & inſtituere in officium, & omnes Monacæ debent præſtare illi obedientiam, & canere (Te Deum laudamus) *Fr. Emanuel loco allegat.*

17 Noua Abbatiſſa electa, poteſt ne benedici?
Reſp. Poteſt, ſi intra primum annum ſui officij petat ab Epiſcopo bedictionem. *Quaranta, verbo Abbatiſſa.*

CAPVT XXIX.

De educandis.

1 PVellæ, quæ educantur, vſq; ad quem annum ſuę ætatis debent retineri?
℟. Vſq; ad vigeſimumquintum annum, quo completo, debent ſtatum nouum accipere, vel è monaſterio exire.

2 De qua etate debent recipi educandæ?
Reſp. Nec minores ſeptimo, nec maiores vigeſimoquinto. *Zerol. p. 1. verb. moniales. §. 11.*

3 Quæ conditiones requiruntur, vt aliqua educanda ſit in conuentu monialium?
Reſp. Decem. Prima, ſine ancillis. Secunda, ſi ſemel egrediatur, ſine licentia, non amplius poteſt reuerti. Tertia, tenetur ad clauſuram, & obedientiam ſuperiorum. Quarta, recipitur cum licentia Epiſcopi in ſcriptis. Quinta, de conſenſu Abbatiſſæ. Sexta, ſi exierit ad ſe curandam, & iterum reuertatur, debet interuenire noua licentia Epiſcopi, & nouus cõſenſus Abbatiſſæ, & monialium. Septima, quòd vtatur veſtitu honeſto virginali modeſtiæ, & pudori conuenienti. Octaua, quòd non ſit ſuper numerum præfixum educandarum. Nona, quòd quolibet ſemeſtri ei anticipata ſoluitur partio pro alimentis. Decima, quòd ſit locus ſeparatus à loco, vbi degunt aliæ moniales, profeſſæ, & nouitiæ pro dormitione, & laborerio, *Fr. Emanuel tom. 1. q. 46. art. 10. Zerola in praxi Epiſcop. p. 1. verb. moniales.*

4 Puellæ, quæ in monaſterio educantur, debent nè vti veſtitu monialium, vel ſæcularium?
Reſp. Veſtitũ ſæculari decenti, & honeſto, & conueniente virginali pudori. *Zerola in prax. Epiſcopi parte. 1. verb. moniales.*

5 Poteſt nè Epiſcopus dare licentiam, vt puella illuſtris, quæ educatur in monaſterio, habeat ſecum famulam ſæcularem?
Reſp. Non, ſed ſolus Papa, & obtenta licentia, talis famula amplius è monaſterio non debet exire, & ſi exeat, non poteſt reuerti?

6 Puellis, quę educantur, poteſt nè dari licentia, vt exeant ad ſe curandum in domo patris ſui, vel alterius conſanguinei?
Reſp. Poteſt conſulto, & in ſcriptis. *Stephan Quaranta in ſum. bullar. verb. monaſteria.*

7 Si tales puellæ velint reuerti in monaſterium, recuperata ſanitate, debent nè recipi?
Reſp. Debent cum licentia Epiſcopi, & nouo conſenſu Abbatiſſæ, & monialium. *Emanuel Rodriguez to. 1. qq. regul. q. 46. art. 10.*

8 Si puella, quæ educatur, ſine licentia exeat extra monaſterium, quam pœnam incurrit?
Reſp. Nullam, ſed non debet iterum in monaſterio recipi. *Zerola in prax. Epiſcop. verb. moniales. Stephan. Quaranta §. de puellis, verb. monaſteria.*

9 Si puella, quæ educatur, exeat è monaſterio ſine aliqua cauſa, debet nè iterum recipi?
Reſp. Ad educationem non, ſed ad ſuſcipiendum habitũ religionis poteſt recipi de licentia Epiſcopi, & cõſenſu Abbatiſſæ, & monialium ſoluta dote. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5. de reg.*

10 Tales puellæ quid debent obſeruare?
Reſp. Debent ſeruare clauſuram, ſicut moniales, & eſſe ſubiectæ Abbatiſſæ ſicut aliæ moniales?

11 Puellæ, quæ in monaſterio educantur, quando debent reſtitui patri, vel perſonæ, quæ eam ibi miſit?
Reſp. Quandocumq; pater eam petierit. *Zerola loco allegat.*

12 Mulieres nobiles poſſunt recipi abſentia ſuorum coniugum in monaſterijs educationis cauſa?
Reſp. Poſſunt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ, & monialium, niſi in conſtitutione monaſterij contrarium ſi cautum. *Zerola in prax. Epiſcop. part. 1. verb. moniales. §. 10. Steph. Quaranta verb. monaſteria. §. de puellis cauſa educationis.*

13 Mulier coniugata, ex qua cauſa, poteſt recipi in monaſterio?
Reſp. Solùm ex cauſa periculi mortis, & ceſſante periculo, debet exire. *Zerola verb. moniales.*

14 Mulier coniugata, ſi venit in ſuſpicione adulterij, poteſt recipi in monaſterio?
℟. Poteſt de licentia Epiſcopi, & conſeſu Abbatiſſæ, ſi conſtitutiones monaſterij non repugnent; ſed aduertendum eſt, quod laborauit probabili ſuſpicione adulterij non debet recipi. *Zerola verb. moniales in prax. Epiſc. part. 1.*

15 Mulieres in diſcordia cum maritis, ſi timeant ſæuitiam mariti propter honeſtas cauſas, debent nè recipi in monaſterio?
℟. Poterunt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ, & monialium recipi, & ceſſante cauſa debent exire. *Zerola loco allegato.*

16 Viduæ bonæ famæ, & magnæ nobilitatis poſſunt recipi in monaſterio educationis cauſa?
℟. Non, neq; Epiſcopus poteſt dare licentiam, ſed ſolùm Summus Pont. & ſi eam dederit, tales viduæ debent ſeruare clauſuram ſicut cæteræ moniales. *Zerola verb. moniales. §. 12. & Fr. Io. de la Cruz. part. alleg.*

17 Viduæ poſſunt recipi in monaſterio ad ſuſcipiendum habitum religionis?
℟. Poſſunt, ſicut virgines, nam de illis Paulus dixit, quòd mortuo viro mulier liberata eſt à iugo, & poteſt liberè, vel nubere, vel ingredi religionem.

18 Neophitæ, & cathecumenæ poſſunt nè recipi in monaſterio educationis cauſa?
℟. Poſſunt cum licentia Epiſcopi, & conſenſu Abtiſſæ, & monialium. *Azor. p. 1. lib. 13. c. 8.*

19 Puel-

uatoria, & præcepit, vt de nouo expediantur.

10 Si aliquod monaſterium non eligat conſeruatores iuxta dictam Bullam Gregorij XV. in illo anno, in quo caret Iudice conſeruatore, coram quo Iudice debent cauſę determinari?

Reſp. Coram Iudice ordinario Eccleſiaſtico, videlicet Epiſcopo, vel Vicario. *Trident. ſynod. ſeſſion. 7. cap. 14. de reformat.*

11 Regulares vtentes litteris conſeruatorijs antiquis quam pœnam incurunt?

℞. Monachi, & priores carent voce actiua, & paſſiua, monaſteria carent conſeruatore per annum, cæteri puniuntur arbitrio Iudicis Eccleſiaſtici. Bulla Greg. XV. ſic præcipit.

12 Conſeruatores ſemel electi à regularibus poſſunt ne mutari?

Reſp. Intra quinquennium regulares non poſſunt mutare conſeruatores, niſi ex legitima cauſa ab ordinario, vel à Summo Pontifice approbanda. dicta Bulla Greg. XV.

13 Cardinales, Epiſcopi, & Vicarij poſſunt eſſe conſeruatores?

℞. Poſſunt ex dicta Bulla.

14 Conſeruatores ſic nominati poſſunt procedere extra ciuitatem, & diœceſim?

℞. Non quia hoc eſt illis limitatum in dicta Bulla Greg. XV.

15 Si fuerint controuerſia inter conſeruatores ſic nominatos, & Iudices Eccleſiaſticos, quid agendum?

℞. In tali caſu non procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos controuerſia decidatur, iuxta *capit. 5. ſeſſion. 14. Concil. Trident. & dicta Bulla Gregorij XV.*

16 Si aliquis regularis fuerit reus ante ſuum conſeruatorem, & actor ſæcularis habet conſeruatorem ſuſpectum, & illum recuſet, quid agendum?

℞. Cauſa non finita ſuſpenditur ſtatim iuriſdictio conſeruatoris per recuſationem interpoſitam à laico, donec conuerſia finiatur à Iudicibus arbitris à Iure poſitis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 5.*

17 Conſeruatores, de quibus caſibus poſſunt cognoſcere?

℞. De ijs, in quibus regulares ſunt rei, ſed non de ijs, in quibus regulares ſunt actores, ne ſæculares moleſtentur?

18 Si conſeruatores excedant terminos ſuæ commiſſionis prefixos in dicta Bulla, quam pœnā incurrunt?

℞. Priuantur officio per vnum annum, & pars procurans exceſſum, incurrit excommunicationem iuxta Bullam Bonifacij VIII. quæ incipit, hac conſtitutione, & Bulla citata Gregorij. XV.

19 Qualis debet eſſe iſte exceſſus, vt incurrantur iſtæ pœnæ?

Reſp. Primò, ſi conſeruator procedat extra ciuitatem, vel diœceſim moleſtando aliquem. Secundo, ſi procedat in cauſis, in quibus regulares ſunt actores, & his ſimilia.

20 Regulares poſſũt petere Iudices ſęculares à Principibus?

Reſp. Poſſunt tribus ſeruatis. Primo, quod regulares ſint actores. Secundò, quod perſona contra quam, ſit ſęcularis, de non foro Eccleſiaſtico. Tertiò, ſi cauſa ſit merè profana.

21 Hæc Bulla Gregorij XV. à quo tempore debet inuiolabiliter obſeruari?

Reſp. In Italia infra duos menſes, extra Italiam infra ſex, numeratos à die 20. Septembris anno 1621.

22 In dicta Bulla eſt derogatum priuilegijs, conſuetudinibus, & ſtatutis editis in fauorem regularium?

Reſp. In dicta Bulla debet à dicto tempore inuiolabiliter obſeruari, quia in ea derogantur conſuetudines, priuilegia, & ſtatuta, & omnia reducuntur ad formam in dicta Bulla poſitam.

23 Si regulares habent plures Bullas, vel ſententias rotales cum iudicibus executoribus ad mittendos eos in poſſeſſionem illarum rerum, de quibus fuit litigatum, & perturbentur in aliqua poſſeſſione, debent petere hoc à quocumque Iudice ab illis electo, vel eligendo, vel ante ſuum Iudicem conſeruatorem?

Reſp. Dicti regulares nihil poſſunt petere, neque citare, neque excommunicare aliquem, niſi ante ſuũ Iudicem conſeruatorem, ſolum quia hoc expreſsè cauetur in dicta Bulla Gregorij XV. ratio eſt, quia illi Iudices, qui dantur in bullis, & ſententijs rotalibus, ſolum ſunt ad mittendos regulares in poſſeſſionem illius rei, de qua fuit litigatum; ſed ſi poſtea poſt aliquos annos velint de nouo petere aliquid, ſcilicet quod inquietantur in tali poſſeſſione, hoc debent petere ante ſuum Iudicem conſeruatorem, quia ad hoc eligitur. Secundò, quia poſtquam Iudex virtute proceſſus fulminati dat poſſeſſionem alicuius præeminentiæ, vel benefici;, & ipſe eſt in quieta poſſeſſione, talis Iudex functus eſt officio ſuo. Tertiò, quia ſi poſſint habere regulares in ſui fauorē tot Iudices, quot bullas habent, non haberent vnum conſeruatorem, ſed plures contra tenorem dictæ Bullæ Gregorij XV.

24 Quando regulares volunt petere aliquid contra Clericos, vel ſæculares ante ſuum conſeruatorem, vel ante Iudices bullarum, quid debent agere?

Reſp. Primò, debent præſentare bullas, vel electionem conſeruatoris cum dictis ſolemnitatibus factam Secundò, probare per teſtes, vel ſcripturas, quod ſint in poſſeſſione talis rei. Tertiò, probare ſaltem cum vno teſte, quod perturbantur à tali perſona in illa poſeſſione quieta, & pacifica, quam habent, & tunc poſſunt petere litteras citatorias contra talem perſonam.

25 Conſeruator quomodo debet procedere in tali negotio?

℞. Debet citare, dare terminum competentem, audire partes, & ſeruare terminos iuris, & formam ſuæ commiſſionis; & illam non excedere, iuxta bullam dictam Gregorij XV. alias ſuſpenditur per annum à tali officio, & ordinarius, qui loco eius ſuccedit, reuocabit omnia per ipſum facta, & condemnabit regulares in expenſis, in pœnis dictæ Bullæ.

CAPVT XX.

De Magnis Magiſtris.

1 Magni magiſtri, & Priores ordinum militariũ, quam iuriſdictionem habent?

℞. Eccleſia-

Reſp. Eccleſiaſticam,& ſæcularẽ circa bona, & perſonas ſui ordinis, merum mixtum imperium, & omnia neceſſaria ad iuriſdictionem exercendam abſque vlla dependentia, vt patet ex bulla Pij IV. & ex priuilegio,& bulla ordinibus militaribus conceſſis. *leg. imperium.ff.de iuriſdict.omnium iudicum,& ibi Bar.nu. 8.Bald.n.30.Paul.de Caſt.n.5. Iaſon nu.8.*

2 Magni Magiſtri ordinum militarium habent collationem commendarum vacantium per mortem?
Reſp. Habent, & etiam per aſcenſionem ad aliam commendam ſine dependentia alicuius, vt planè videtur in priuilegio cuiuſcumque ordinis.

3 Magni Magiſtri,& Priores ſunt ne collatores ordinarij?
Reſp. Sunt viri ordinarij intra limites ſuarum iuriſdictionum,& habent iuriſdictionem independentem ab aliquo Epiſcopo. *Bulla Pij IV. in bullario 14.circa finem.*

4 Magni Magiſtri, & Priores poſſunt facere ſynodum?
Reſp. Poſſunt, & eligere examinatores ſynodales, prouidere beneficia, ex dicta Bulla.

5 Si quis habens commendam, vel Prioratum aſſumatur ad Epiſcopatum, vacat ne talis commenda, vel beneficium, & cui?
Reſp. Vacat,& debet prouideri à magno magiſtro, quia iſta beneficia ſunt exceptuata, & quaſi de iure patronatus ordinis. *c.cum in cunctis,de elect.*

6 Beneficia ordinum militarium cadunt ne ſub reſeruationibus, deuolutionibus, & affectionibus?
Reſp. Non,etiam ſi vacent in curia,nec poſſunt permutari ad inuicem,nec cum beneficio ſæculari, neq; grauari penſione ſine licentia Magni magiſtri. Bulla Pij IV. ſuper hoc edita. verſ. qui in Romana Curia. *Pariſius, vol.4.conſ.44.& conſ.36.num.17.*

7 Hoſpitalia ordinum militarium comprehenduntur ſub aliqua reſeruatione?
Reſp. Non, imò omnia iſta hoſpitalia ſunt priuilegiata. *Anchar.c.ſi propter,de reſcriptis,n.6. Felyn.in c. de quarta de præſcriptio. Clem. per litteras de prebend. Cardinalis.c.2.de prebend.*

8 Quando vacat Eccleſia parochialis alicuius ordinis, ſi ſit intra diœceſim alicuius Epiſcopatus, quid agendum?
Reſp. Tũc Magiſter,vel Prior, vel alius inferior collator tenetur perſonam, vel perſonas idoneas Epiſcopo præſentare, vt ab eo cum ſynodalibus examinentur. *Bulla Pij V. incipiens,expoſcit,circa medium.*

9 Poteſt Epiſcopus viſitare Eccleſias parochiales ordinibus militaribus ſubiectas?
Reſp. Poteſt, ſi ſint intra ſuam diœceſim, & ſolùm his dumtaxat, quæ ad curam animarum,& ad adminiſtrationem ſacramentorum pertinent, cum oues ſint propriæ illius Epiſcopi. *Trid.ſyn.ſeſſ.21.cap.8.de reform.bulla Pij V. quæ incipit,expoſcit, & Greg.XIII. quæ incipit, conuenit.*

10 Si curam animarum in dictis Eccleſijs parochialibus exerceant religioſi eiuſdem ordinis, poſſunt ne eorum perſonæ viſitari ab Epiſcopis?
Reſp. Non,ſed ſi exerceatur per Clericos ſæculares, poſſunt viſitari,& corrigi ab Epiſcopis. *Trid.ſyn.ſeſſ. 21.c.8.de refor. Bulla Greg.XIII.quæ incipit,circumſpecta in omnibus.*

11 Si aliquis religioſus non viuat ſub obedientia,vel non ſit legitimè profeſſus, vel ſit diſcolus extra religionem, poteſt ne viſitari ab Epiſcopo?
Reſp. Poteſt corrigi, & incarcerari, quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, & debet remitti ſuo priori pro caſu. *cap. cum ceſſante, de appellatione. cap.generaliter. 16.q.1.*

12 Habentes curã animarum in parochialibus ſubditis religioni S. Ioannis Hieroſolymitani, tenentur ne accedere ad congregationes,quas Epiſcopi faciũt ad determinandos caſus conſcientiæ?
Reſp. Tenentur, etiam ſi ſint profeſſi in dicta religione.

13 Milites, & religioſi ordinum militarium poſſunt facere profeſſionem ante annum nouitiatus?
Reſp. Non, neque ante decimum ſextum annum completum ſuæ ætatis, quia comprehenduntur ſub decreto *Conc.Trid.ſeſſ.25.c.15.de regul.*

14 Dicti milites,& religioſi tenentur obſeruare onera poſita à Concil.Trid. alijs religioſis aliarum religionum?
℞. Religioſi ordinum militarium,tàm equites,quã Clerici non obligantur ſeruare onera aliarum religionum, ſed tantum conſtitutiones, & ſtatuta ſuorũ ordinum,quia licèt ſint veri religioſi,in pluribus differunt à religioſis mendicantibus, & ſic non comprehenduntur ſub pœnis, & regulis aliorum, ſic declarauit Rota die 11. Decembris anno 1570.

15 Priores ordinis S.Iacobi, & aliorum ordinum militarium,qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem,poſſunt dare primam tonſuram, & quatuor minores ordines?
Reſp. Poſſunt in ſuis locis, & ſuis ſubditis tantum. *Molfeſ.in ſum.tom.1.tract.2.c.2.n.17.*

16 Priores ordinis S.Iacobi, & aliorum ordinum militarium poſſunt abſque licentia Epiſcopi accerſire aliquem Epiſcopum, vt in locis ſibi ſubditis exerceat pontificalia?
℞. Poſſunt accerſire Epiſcopum,qui ſuis ſubditis cõferat ordines maiores,benedicat oleum, & chriſma, confirmet pueros toties, quoties voluerit, non obſtante prohibitione poſita.*c.5.ſeſſ.25.Concil.Trident.* quia ibi non loquitur de Prælatis immediatè ſubditis ſedi Apoſtolicæ, qui habent iuriſdictionẽ quaſi Epiſcopalem. *Molfeſ.in ſum.to.2.tract.2.c.2.nu.17.*

17 Milites S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, qui emittunt omnia tria vota in ſua profeſſione, poſſunt ne obtinere beneficia ſæcularia,Canonicatus,& præbendas abſque diſpenſatione Apoſtolica?
℞. Dum dicti milites non emittunt tria vota ſubſtãtialia,etiam ſi habeant habitum ſui ordinis, nõ ſunt incapaces ad obtinenda beneficia ſæcularia, curata, & alia beneficia,vt Canonicatus, penſiones, dignitates in Cathedralibus abſque diſpenſatione.

18 Si aliquis miles habeat talia beneficia, & poſtea faciat profeſſionem, poterit ne retinere illa?
Reſp. Non,abſque diſpenſatione Apoſtolica. Bulla Greg.XIII. quam refert *Quaranta ſum. Bullar. verb. canonicus regularis.pag.127. Nauar.conſ.9.n.1.de prebend. Trid.ſyn.ſeſſ.14.c.10. de refor.*

19 Canonici Regulares,& religioſi Ordinum militarium, qui de mandato ſuorum Superiorum adminiſtrant parochiales ſibi vnitas, vel ſubditas, ſi delinquant, à quo debent puniri?
Reſp. A ſuis Superioribus, ſed poſt Conſtitutionem editam Greg.XV.anno 1623.nonis Febr.allegatam in c.4.de Regul. puniri debent ab Epiſcopo.

20 Si delictum ſit in adminiſtratione ſacramentorũ, à quo ſunt puniendi?

Reſp. Si parochialis ſit in locis ſubditis Prioribus, vel Magiſtris, in quibus habent omnimodam iuriſdictionem; à ſuis ſuperioribus, ſi verò ſit in locis, vbi Epiſcopus habet iuriſdictionem ſpiritualem, tunc ab ipſo Epiſcopo, poſt dictam conſtitutionem Gregor. XV. ſemper ſunt puniendi ab ipſo Epiſcopo.

21 Si dicti milites, vel religioſi publicauerint indulgentias ſine licentia Epiſcopi, à quo debent puniri?

Reſp. Si ſint in locis Epiſcopo ſubiectis; ordinarius debet contra eos procedere. *Trid. ſyn. ſeſſ. 6. c. 5 ſeſſ. 14. c. 4. ſeſſ. 24. c. 11.*

22 Dicti religioſi ordinum militarium, qui actu habent beneficia, poſſunt ferre ſuffragium in electione ſuorum ſuperiorum, & Priorum?

Reſp. Si habuerint poſſeſſionem, non; quia iam ſunt emancipati à conuentu.

23 Si aliquis religioſus habeat beneficium curatum, & non reſideat in eo, quam pęnam incurrit?

Reſp. Debet priuari beneficio, ſeruata cum illo forma priuationis, quam poſui. *lib. 4. & de reſidentia parochorum. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 1. de refor. Bulla Pij V. 64. quæ incipit, cupientes, c. quia nonnulli. c. relatum, de Clericis non reſidentibus.*

24 Si aliquis religioſus fuerit excommunicatus, quã pęnam incurrit?

Reſp. Priuatur fructibus beneficij, qui cum ſit extra Eccleſiam, nomine Eccleſiæ nihil poteſt poſſidere. *c. paſtoralis, de appellat. §. verum quia.*

CAPVT XXI.

De Monialibus.

1 Moniales, quam regulam debent profiteri?

Reſp. Sui prioris inſtitutionis videlicet, tria vota eſſentialia, videlicet caſtitatis, obedientiæ, & religionis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 1. de regul.*

2 Qui regunt monaſteria Monialium, quid debent ordinare?

℟. Vt moniales ſemel in menſe confiteantur, & cõmunicent, & obſeruent ſuam regulam, & clauſuram.

3 Officiales, qui adminiſtrant bona temporalia, à quo poſſunt eligi, & quo tempore debent durare?

Reſp. Ab Abbatiſſa, & conuentu, etiam ſi monaſterium ſit Epiſcopo ſubiectum, & ſunt amouibiles ad nutum ſuperiorum, & ex bulla noua Gregor. XV. debent reddere rationem, & computum ſuperioribus, Epiſcopo interueniente, ſi vult: reliqui verò, vt capellanus, confeſſor, & ſacriſta eliguntur ab Epiſcopo abſque interuentu monialium.

4 Quis poteſt diſpenſare, & diſtribuere redditus monialium?

Reſp. Earum ſuperiores, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue regularis.

5 Moniales, quæ ſunt exemptæ, & ſedi Apoſtolicæ ſubiectæ, in quibus ſubijciuntur Epiſcopis?

Reſp. In regimine, & in ſpiritualibus. *Trident. ſyno. ſeſſ. 25. c. 9. de reg.*

6 In reformatione facta à ſancto Conc. Trid. includuntur ne omnia monaſteria cuiuſcumq; qualitatis.

Reſp. Affirmatiuè non obſtante mari magno, nec alijs priuilegijs, imò concilium præcipit Epiſcopis, vt omnia executioni mandent, etiam cum auxilio brachij ſæcularis. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 22. de regular.*

7 Monaſteria monialium, quæ ipſamet habent iuriſdictionem, & non ſubiecta Epiſcopis, nec alicui Congregationi, intra quod tempus debent ingredi aliquam congregationem, vel ſubijci Epiſcopis?

Reſp. Intra annum à publicatione concilij, aliàs à metropolitano coguntur, & eo abſente, ab Epiſcopo antiquiori tamquam ſedis Apoſtolicæ delegato. *Tri. ſyn. ſeſſ. 25. c. 8. de regul.*

8 Si talis ſit cum Epiſcopo ſuper proceſſione viſitãdi moniales, quid eſt agendum?

Reſp. Epiſcopus debet conſeruari in proceſſione, ſaluo iure monialium, vel alterius partis litigantis in petitorio, quia Epiſcopus habet fundatam ſuam intentionem in *c. 9. ſeſſ. 25. Conc. Trid. de regular.*

9 Magiſtratus ſęculares poſſunt ne regere monaſteria monialium?

Reſp. In ſpiritualibus, non, ſed ſolus Epiſcopus, vel alius ſuperior. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 9. cit.*

10 Cum qua licentia debent monaſteria monialium de nouo erigi?

Reſp. Cum licentia Epiſcopi illius diœceſis. *Trident. ſyn. ſeſſ. 29. c. 3. de regul.*

11 Si velint fabricare monaſterium intra vrbẽ, poſſunt ne moniales per diuerſa diuidi monaſteria?

Reſp. Non, ſed omnes ſimul ad monaſterium ſui ordinis. *Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 8. Nauar. conſ. 5. nu. 3. de ſtat. monach.*

12 Quæ ſunt cauſæ translationis monaſterij ex vno loco ad alterum?

Reſp. Incurſus pyratarum vel latronum, aeris peſtilentia, aquæ det luxus, aeris, vel terræ intemperies cauſans morbos, magna frigiditas, vel magnus calor, aliqua contagioſa infirmitas, vel ſi ſit ſitum in agro, in loco non tuto, transferendum eſt ad ciuitatem. *Nauarr. commentar. 4. de regul. num. 48. & 49. capitul. ſtatuimus. 19. quæſt. 3. Azor. part. prima, libro 12. cap. 14.*

13 Si Monaſterium monialium ſit in agro, vbi debet mutari, & a quo?

Reſp. Debet intra Vrbem transferri ab Epiſcopo tamquam ſedis Apoſtolicæ delegato, licèt ſit exemptum, & poni in loco tuto cum ſuis redditibus, honoribus, & oneribus, præcipuè ſi expoſitum ſit incurſibus pyratarum, & latronum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5. de regularibus.*

14 Si Monaſteria monialium in agro habeant murũ altum, & cuſtodiam, debent ne transferri in ciuitatem?

Reſp. Si nullum ſit inconueniens, ceſſat ratio tranſlationis.

14 Quis poteſt recludere feneſtras, & portas, & tollere omnia impedimenta, tàm in monaſterijs, quàm in domibus, quæ ſunt propè monaſteria?

℟. Epiſcopus, quia licet quiſq; poſſit leuare domum ſuam vſq; ad cælum, dummodo via ſit in medio; tamen hæc lex non habet locum in damnum clauſuræ monaſteriorum monialium, cùm ſint Virgines Deo ſacratæ. *Tuſc. de viſitat. Eccleſ. lib. 2. c. 18. num. 5.*

15 Moniale poſſunt habere Sanctum Sacramentum intra clauſtra monaſterij?

℟. Non,

Reſp. Non, quia prohibitum eſt (ablato quocumque priuilegio) à *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 10. de regularibus.*

CAPVT XXII.

De clauſura Monialium.

1 EPiſcopus, quando, & quomodo debet ingredi monaſterium monialium, & in quibus caſibus? Reſp. Rarò, & in caſibus magnæ vtilitatis, & neceſſitatis comitatus paucis perſonis religioſis, & ſacerdotibus. *Bulla Gregor. XIII. incipiens, dubijs, quæ eſt in ordine 75.*

2 Epiſcopus, poteſt ne ingredi monaſterium monialium regularibus ſubiectarum contra eorum voluntatem? Reſp. Poteſt ſolùm ad videndum, ſi clauſura ſeruetur, vel non. *Triden. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 5. de reg. Zerola in prax. Epiſc. p. 1. verbo monial.*

3 Moniales à quo debent cogi, vt clauſuram ſeruēt? Reſp. Ab Epiſcopo cum inuocatione brachij ſecularis, ſi opus fuerit, & ſi Iudices non dederint, ſunt excommunicati. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5. cit.*

4 Si in aliquo monaſterio ſit conſuetudo, vt in die obitus alicuius monialis ad eam ſepeliendam celebretur Miſſa cantata in clauſtro, choro, vel in aliqua capella dictarum monialium præſentibus monialibus, quid eſt agendum? Reſp. Si hoc priuilegium competat alicui monaſterio, vel per conſuetudinem immemorabilem non ſublatam poſt publicationem concilij, vel per breue particulare, tunc talis conſuetudo eſt ſeruanda: ratio eſt, quia *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 10.* non tollit hanc conſuetudinem, vt talis monacha non ſepeliatur cum ſacrificio Miſſæ, quod rarò contigit, ſolùm vult, ne ſanctum Sacramentum ſeruetur intra clauſtra, vel clauſuram monialium, vt tollatur occaſio ſæpè ſæpius intrandi.

5 In monaſterijs, vbi non eſt dicta conſuetudo, moniales quomodo ſunt ſepeliendæ, & quis numerus Clericorum, & miniſtrorum debet intrare ad eas ſepeliendas? Reſp. Corpus defunctarum debet poni in choro, vel in capitulo, vel in capella publica, & ſi fuerit manè, Sacerdos in Eccleſia celebret Miſſam de requie, & officium defunctorum, & ſi fuerit Veſpere, Sacerdos indutus cappa dicat in Eccleſia dicta officia defunctorum, & poſtea proceſſionaliter cū cruce duobus luminarijs, & comitatus à ſex, vel octo Clericis, & cum hominibus, qui habent officium ſepeliendi mortuos intret proceſſionaliter intra clauſtra monaſterij, & omnes moniales proceſſionaliter cum ſua cruce eum expectant ad portam monaſterij, & ſic præcedentibus monialibus, & ſubſequentibus Sacerdotibus cum ſuis Clericis omnes ſimul accedant ad locum, vbi eſt corpus monialis defūctæ, & eam portēt ad locum ſepulturæ, vbi erit altare preparatum, & facta benedictione ſepulturæ incenſato corpore, ſparſa aqua benedicta omnibus reſponſorium cantātibus illa ſepeliatur, & cooperto ſepulchro omnes ſimul proceſſionaliter reuertantur ad portam monaſterij.

6 Iſti clerici quas qualitates debent habere? Reſp. Debent eſſe bonæ vitæ, & famæ, & ætate matura, & electio horum Clericorum tam in numero, quam in perſona relinquitur arbitrio Epiſcopi, vel ſuperioris monaſterij, quia certa regula dari non poteſt.

7 In quibus, & propter quas cauſas poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt homines ingrediātur monaſteria? Reſp. Cauſa infirmitatis, vel neceſſitatis, vt medico, ſpirituali, & temporali ad miniſtranda ſacramenta, & ſepeliendos mortuos, chirurgo tonſori, mulieri quæ ſciat mederi, procuratoribus, & officialibus ad opus ſi ſit neceſſarium deferre aliquid in monaſterio, ad quod vires mulierum non ſuppetunt, vt colere hortos, aſportare trabes, his omnibus ad ſua officia exercenda poteſt dari licentia, ſi talia officia per Monachas, vel conuerſas exerceri non poſſint; motu proprio Gregor. XIII. in Bulla 36. cit. *Rodriguez tom. 1. q. 46. art. 1. & q. 47. art. 4. Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 13. cap. 8. & 9. Ioannes de la Cruz de ſtatu relig. lib. 1. c. 5. dub. 2.*

8 Licentia ad ingrediendum quomodo debet dari? Reſp. In ſcriptis. Bulla ſupra dicta Greg. XIII. n. 40. & 41. anno 1575.

9 Facultas data Epiſcopis à Conc. Trident. vt dent licentiam ingrediendi monaſteria, quomodo eſt intelligenda? Reſp. Cōcilium hoc reliquit arbitrio Epiſcopi, quia quotidie exurgunt tot nouæ neceſſitates inopinatæ, vt non poſſit certa regula aſſignari, & ſic plurimum confidit de Epiſcopi prudentia.

10 Epiſcopus, qui conceſſit licentiam ſine iuxta cauſa, & in caſibus non neceſſarijs ingrediendi monaſteria, eſt ne excommunicatus? Reſp. Non, quia nullus canon hoc dixit; ergo nec nos dicere debemus, licèt Epiſcopus peccet.

11 Moniales facta profeſſione, cum qua cauſa poſſunt exire è monaſterio? Reſp. Magni incendij, vel infirmitatis, peſtilentiæ, vel lepræ, vel hoſtium inuaſionis, in caſu aquæ ductus, vel ruinæ domus, vt ſi corruat dormitorium, in infirmitatibus contagioſis, & nociuis communitati monialium. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 5.* Pius V. per ſuam extrauag. quæ incipit, circa paſtoralis. *Fr. Ioann. de la Cruz, verſ. an verò liceat.*

12 Si aliqua monialis habeat infirmitatem ſibi ſoli nociuam, cui exeundo è monaſterio remedium adhibetur, poterit ne dari licentia à Prælato, vt exeat? Reſp. Si de conſilio medicorum periculum vitæ, aut grauis, & diuturna infirmitas probabiliter timeatur poterit Epiſcopus tunc dare licētiam; quia vita omnibus remedijs eſt ſaluanda. *Nauar. Comment. 4. de regularibus, num. 47. 48. & 49. Azor. inſtit. moral. p. 1. c. 8. lib. 13.*

13 Cum qua licentia poteſt aliqua monialis è monaſterio exire, etiam cum legitima cauſa? Reſp. Cum licentia ſuperioris monaſterij in ſcriptis exprimendo cauſam, & tempus. *Emanuel quæſt. regul. tom. 1. q. 49. art. 6.*

14 Si moniales ſubditæ ſint regularibus, ſufficit habere licentiā ſuorū, vel requiritur etiā licētia Epiſcopi? ℞. Emanuel, loco allegato tenet requiri etiam licentiam Epiſcopi, ſed *Fr. Ioann. de la Cruz. de ſtat. relig.*

lib.1.c.5.dub.3. tenet in Hiſpania non eſſe neceſſariã licentiam Epiſcopi, ſed ſolùm Prouincialium.

15 Qui ingrediuntur ſepta monaſterij ſine licentia, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Ipſo Iure ſunt excommunicati, & abſolutio reſeruata eſt Papæ, niſi in mortis articulo. Bulla Pij V. de regular. publicata 23. Octobris 1566. Bulla Greg. XIII. publicata die 24. Iunij 1575. *Trid. ſynod. ſeſſ.25.c.5. de regul.*

16 Quam pœnam incurrunt Abbatiſſa, & moniales, quę dant conſilium, vel conſenſum, vt quis ingrediatur clauſtra monaſterij?

Reſp. Sunt excommunicatę ipſo iure, & abſolutio reſeruata eſt Papę, & priuantur perpetuò officijs, & dignitatibus, & alijs pœnis bene viſis ſuo ſuperiori puniuntur. Pius V. in d. bulla, & Greg. XIII. vbi ſup.

17 Puer, qui non habet vſum rationis, ſi ingrediatur monaſterium, eſt ne excommunicatus, vel ille, qui fecit eum ingredi?

Reſp. Puer non poteſt incurrere excommunicationem, quia non habet vſum rationis, ſed ille, qui fecit eum ingredi, peccat, ſed non excommunicatur, quia hęc pęna, cum ſit grauiſſima, non eſt imponenda, niſi exprimatur. *Nauar. commen. 4. de regul. num. 59. citans plura iura.*

18 Epiſcopus poteſt abſoluere in delictis occultis in materia clauſurę tàm monialem conſentientem, quã laicos intrantes?

Reſp. Non, quia hęc abſolutio reſeruata eſt ſedi Apoſtolicę in conſtitutione Pij V. de regul. & ibi declarata eſt facultas abſoluendi in delictis occultis, non habet locum hoc in caſu, neque eſt extendenda vltra dictam conſtitutionem.

19 Epiſcopus poteſt dare licentiam, vt mater, vel ſoror alicuius monialis ingrediatur ſepta monaſterij ad viſitandam filiam morientem, vel emittentem profeſſionem?

Reſp. Non, ſed ſolùm ſummus Pont. *Rodrig. tom. 1. q. 64. num. 11.*

20 Nobiles fœminę fundatrices monaſteriorum, cum habent licentiam ingrediendi monaſteria, poſſunt ne in eis pernoctare?

Reſp. Non, niſi in breui explicetur, vt habetur in bulla Greg. XIII. quarta & quadrageſima prima, vbi reuocantur omnes licentię antea datę.

21 Quo Iure prohibitum eſt regularibus alloqui monialibus, & ſub qua pœna?

Reſp. Per congregationem Eminentiſs. Cardinaliũ, & ſub pœna priuationis ſuffragij actiui, & paſſiui, & habet locum in regularibus, qui mittuntur ad prędicandum, ad dicendas Miſſas, & confeſſiones audiendas. *Quaranta in ſumm. Bullarij, verb. monaſteria pag. 348.*

22 In Regnis Sicilię, & Italię, vbi regulares non poſſunt colloqui cum monialibus ſine licentia ſummi Pont. quid innouatum eſt?

Reſp. Sanctiſſimus Dominus noſter Vrbanus VIII. Sũmus Pontifex per bullam expeditam anno 1624. ſui Pontificatus anno 1. dedit facultatem Epiſcopis, & ordinarijs, vt per quatuor vices in anno poſſint dare licentiam, vt aliqua Monialis loquatur cum aliquo regulari cum his conditionibus, & requiſitis. Primò, quod loquutio fiat, ſi Epiſcopo videbitur expedire. Secundò, quòd Monialis, & regularis ſint affines in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis. Tertio, quòd loquutio non ſit in die Veneris, neque Sabbati, neque in die feſtiuo, neque in tota quadrageſima, neque in Aduentu Domini. Quarto, quod licentia expreſsè detur in ſcriptis, & in ea aſſignetur dies, & hora loquutionis, & regiſtretur in officio Magiſtri notarij illius Curię. Quintò, quòd confeſſor ordinarius illius monaſterij ſit pręſens tempore loquutionis, & teneatur conſeruare dictam licentiam in ſcriptis. Sextò, quòd auſcultatrices d. monaſterij ſint pręſentes tempore loquutionis, vt expreſsè habetur in dicto breui, cuius formã, & tenorem nullus Epiſcopus, vel Iudex ordinarius poterit tranſgredi, cùm iſtę facultates ſint ſtricti iuris, & eas ampliare non liceat, & ad iſtam bullam ſunt reductę cęterę conſtitutiones Pij V. & Gregorio XIII. & ita hęc vltima Bulla Sanctiſs. D. N. Vrbani VIII. debet obſeruari.

23 Moniales, quę loquuntur cum regularibus, quam pœnam incurrunt, ſi non ſeruent formam dictę Bullę?

Reſp. Eandem pœnam, quam regulares, & priuantur voto actiuo, & paſſiuo per vnum annum.

24 Qui regulares excipiuntur, qui etiamſi loquantur, non incurrunt has pęnas?

Reſp. Superior, cui incumbit cura monaſterij, viſitator, confeſſarius, & non extra ordinarius, & regulares, qui habent licentiam à ſacra congregatione regularium, quę rarò conceditur. *Ioan. Baptiſta in priuilegio ord. mendic. tit. 2. n. 8.* ſed hoc in Italia ſeruatur, ſed non in Hiſpania.

25 Aliquis regularis poterit eſſe confeſſor ordinarius in monaſterio monialium ſubiecto Epiſcopo?

Reſp. Hoc nullibi eſt prohibitum, & ſi ſit vir ſanctus, doctus, & prudens, poterit eſſe confeſſor ordinarius, & in hoc adiuuare Epiſcopum, ſicut poteſt eſſe cõfeſſor extraordinarius in tempore, in quo à Conc. Trid. permittitur, vt habeant confeſſorem extraordinarium.

26 Moniales tertij ordinis S. Franciſci, quę habitant in ſuis domibus, debent ne compelli, vt ſeruent clauſuram?

Reſp. Non, quia earum inſtitutum non eſt, vt viuãt ſimul in clauſtris.

27 In monaſterijs, vbi non eſt clauſura, poteſt ne aliqua puella ſuſcipere habitum religionis?

Reſp. Poſt publicationem Conc. Trid. non poteſt, quia omnia monaſteria tenentur obſeruare clauſuram, Bulla Pij V. ſupra allegata.

28 Colloquia cum monialibus, quibus perſonis, & quomodo debent permitti?

Reſp. In hoc ſeruanda eſt conſuetudo conuentus monialium, licèt licentia ſuperioris ſemper ſit neceſſaria. *Fr. Emanuel loco alleg.*

29 In obſeruatione clauſuræ, quam poteſtatem habent Epiſcopi?

Reſp. Magnam, quia tàm in monaſterijs ſibi ſubiectis, quam non ſubiectis debent facere, vt obſeruetur, & punire non obſeruantes, & ad hoc monaſteria viſitare, & ingredi poterunt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. cap. 5. de regul.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

De dote Monialium.

1 QVis debet taxare numerum Monialium, & dotem, ſeu alimenta?
Reſp. Epiſcopus, conſideratis redditibus, eleemoſynis, qualitate Prouinciæ, & ſterilitate, vel abundantia terræ. *Nau. comm. 4. de Regul. nu. 57.*

2 Dos, quę datur, debet nè recipi ante profeſſionē, vel poſt?
Reſp. Poteſt recipi ante, vel poſt, dummodo ſi moriatur Monacha ante profeſſionem, dos reſtituatur ſuis parentibus, dempto victu, & veſtitu. *Trid. ſyno. de Regular. ſeſſ. 25. cap. 16. Azor. inſtit. moral. par. 1. lib. 12. cap. 3.*

3 Si facta profeſſione, & dote non ſoluta moriatur Monacha, quid agendum?
Reſp. Debent ſolui monaſterio à parentibus, quia legitimo Iure ſibi acquiſiuit, etiamſi in contractu ſit conditio, quòd alimenta ſoluantur, donec dos detur. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 16. cit. Azor. loco ſup. cit.*

4 Pro dote poteſt nè accipi mutuum, vel aliqua bona opera?
Reſp. Non, ſed illa pecunia, vel ſubſtentatio, quæ datur alijs Monialibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 16.*

5 Aliquæ puellæ, quæ parentibus, & facultatibus deſtitutæ ſunt, poſſunt ne recipi in monaſterijs Monialium ex cauſa paupertatis?
Reſp. Non debent tales recipi, ne detur occaſio Abbatiſſæ, & Monialibus, vt onerent monaſterium; niſi ſit conſtitutio, vt ſine dote recipiantur; tunc talis fundatio, vt ſanctiſſima, ſeruanda eſt. *Zerola in praxi Epiſcopal.*

6 Si dote ſoluta Monialis moriatur ante profeſſionem, quid agendum?
Reſp. Reſtituenda parentibus, vel hæredibus ab inteſtata, niſi forſan in aliqua ſcriptura obſtet in contrarium, tunc ſcriptura ſeruanda eſt tamquam Ius particulare. *Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 12. c. 3.*

CAPVT XXIV.

De reſignatione bonorum Monialium.

1 SI ſit aliquod monaſterium Monialium, quibus de ſuo inſtituto non licebit habere bona ſtabilia in communi, poſſunt ne illa habere poſt Concil. Trident.
Reſp. Non, quia tales excipiuntur à Concilio, & relinquuntur in ſua primæua inſtitutione. *Trid. ſyn. ſeſ. 25. de Regul.*

2 Quæ monaſteria Monialium poſſunt poſſidere bona immobilia?
Reſp. Omnia in communi ad ſuam ſubſtētationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 3. cit.*

3 Bona mobilia, quę acquirunt Moniales, poſſunt illa poſſidere tamquam ſua?
Reſp. Non, ſed ſtatim debent tradi Superioribus, vt illa incorporentur monaſterio, *Trid. ſyn. ſeſs. 25. cap. 2 de reg.*

4 Superiores poſſunt dare bona ſtabilia alicui Moniali, vt ea poſſideat, & recipiat vſumfructum ad ſuam neceſſitatem?
Reſp. Non, ſed ſolùm mobilia, & ad vſum tantùm. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 2. cit.*

5 Quam pęnam incurrit Superior, qui contrarium facit?
Reſp. Biennio actiua, & paſſiua voce priuatur.

6 Quis poteſt dare facultatem, vt aliqua Monialis habeat bona mobilia, vel introitus?
Reſp. Summus Pontifex. *Nauar. in comment. 2. de reg. num. 18. & 24. Azor. inſtitut. moral. par. 1. lib. 12. cap. 9. quaſt. 2.*

7 Si alicui Moniali relinquatur aliquod legatum, vel pecunia, vel eam acquirat ſuo labore, poteſt nè pro ſua neceſſitate liberè illam poſſidere?
Reſp. Non, ſed debet ponere in manu Abbatiſſę, vt ipſa prouideat neceſſitati illius Monialis, & ſi ſuperfuerit aliquid, concedat communitati. *Nauarr. & Azor. ſupra citat. Syiueſter in ſumm. verb. Religio, 6. num. 7. Nauarr. in commentar. 2. de Regularibus numero 14.*

8 Licebit nè Monialibus retinere redditus, ſiue cenſus certos relictos à ſuis parentibus, vt ex his ſubſtētentur in ſuis neceſſitatibus, vel infirmitatibus, præcipuè ſi monaſterium non det omnes prouiſiones ad vitam neceſſarias, vel ſi ſit pauper, & non poſſit omnibus neceſſitatibus prouidere?
Reſp. Non, quia hoc eſt contra votum paupertatis; ſed in iſto caſu debent iſti redditus Abbatiſſæ conſignari, vt ipſa liberè prouideat neceſſitati talis Monialis, & reliqua det communitati. *tenet Sylu. in ſum. verb. Religio 6. num. 7. Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 14.*

9 Si Abbatiſſa noluerit prouidere neceſſitati talis Monialis, cui relicti fuerunt redditus, quid debet agi?
Reſp. Abbatiſſa malefaciet; ratio eſt, quia non adimplet intentionem donantis illam eleemoſynam, ſed nihilominus talis Monialis non habet aliquam actionem contra Abbatiſſam petendi tale legatum, quia eſt incapax per votum emiſſum paupertatis non poſſidendi illa bona; benè tamen poterit repræſentare ſuam neceſſitatem ante Superiorem monaſterij, & ſi habuerit patientiam in hoc caſu plurimū meruerit.

10 Si aliqua Monialis de licentia Superioris habeat aliquos redditus, incidit ne in aliquam pœnam?
Reſp. Non, quia Concilium loquitur de redditibus proprijs, & irreuocabilibus per Prælatos, & quę poſſidentur ſine eorum licentia. *Io. de la Cruz, de ſtatu Religioſor. lib. 1. c. 5. dub. 2.*

11 Si Moniales habeat aliquid ſuperfluum etiam per licentiam Superiorum, excuſantur ne à culpa, vel à pœna?
Reſp. A pœna, ſed non à culpa, quia tenentur dicere ſuo Superiori illud ſibi eſſe ſuperfluum. *Fr. Ioannes de la Cruz, vt ſupra.*

12 Quis debet iudicare ſuperflua?
℞. Superiores, habita ratione neceſſitatis, perſonę,

& temporis. *Fr.Ioan.de la Cruz, vt ſup.*

13 Qua pœna punitur monialis habens ſuperflua? Reſp. Si illa habeat ſine licentia, priuatur biennio voto actiuo,& paſſiuo,nō in electionibus, ſed in alijs rebus.

14 Renuntiatio, & obligatio à nouitijs facta, intra quod tempus debet eſſe, & cum qua ſolemnitate? Reſp. Intra duos menſes ante profeſſionem,& cum licentia epiſcopi,& non ſequitur ſuum effectum, etiā ſi ſint iurati,niſi ſecuta profeſſione. *Trid.ſyn. ſeſs.25. c. 16.de regul.*

15 Si aliquis faciat renuntiationem voluntate ingrediendi religionem, & poſtea ex aliquo accidenti non ingrediatur, talis renuntiatio, & donatio erit ne valida, ſi non expreſſit in renuntiatione, quod faciat talem renuntiationem animo ingrediendi religionem?
Reſp. Talis donatio, & renuntiatio non erunt validæ,quia eadem militat ratio, ſiue illud exprimat in renuntiatione,ſiue illud probet per teſtes. Secundò, quia ſtandum eſt veritati, & non fictioni, neque calumniæ. Tertiò,quia ex pluribus cauſis poteſt cōtingere non exprimere cauſam, & ingreſſum religionis,ſcilicet, Primò, ex verecundia, quia perſona erat nobilis,& negotium ſecretum. Secundò,ex imperitia tabellionis,vel Notarij. Tertiò, ex malitia illius,in cuius fauorem fit renuntiatio,Quartò,ex timore,vel reſpectu, vel verecundia, vel ignorantia, vel inaduertentia renuntiantis, vt ſi ſit idiota, puer, ignorans litteras; & ſi faciat renuntiationem in patrem,vel matrem,vel fratrem maiorem, & ideò hæc regula tenenda eſt ex mente concilij, & Doctorum quotieſcumque cauſa finalis, vel impulſiua faciendi renuntiationem, fuit ingreſſus religionis; ſiue quis ingrediatur, ſiue ingreſſus non faciat profeſſionem, & reuertatur, ſiue hæc cauſa exprimatur in ſcriptura,ſiue non,ſemper talis renuntiatio eſt nulla, & annullari debet à Iudicibus.*Tri.ſyn.ſeſs.25.c.16.ſup cit.*

16 Si in renuntiatione iſta exprimantur aliæ cauſæ, ſcilicet gratitudinis,beneficij recepti, vel amoris, & non exprimatur cauſa religionis, erit ne valida iſta renuntiatio ſine profeſſione?
Reſp. Hæc expreſſio cauſarum facit negotium magis obſcurum,ſed quoties probatur per teſtes, quòd cauſa finalis talis renuntiationis fuit ingreſſus religionis, ſiue exprimantur aliæ cauſæ, debet talis renuntiatio declarari nulla, cum finis renuntiationis non ſequatur; ratio eſt, quia non debet defraudari ſuis bonis propter illam bonam voluntatem, & deſiderium, quod habuit ſeruiendi Deo in religione, & ſicut concilium noluit, vt de bonis nouitij aliquid accipiat religio, niſi ſequuta profeſſione, imo illud prohibuit ſub pœna excommunicationis tam dantibus,quam recipientibus, ſic noluit,vt donationes factæ intuitu religionis,ſiue exprimatur cauſa, ſiue nō, eſſent validæ,& voluit,vt nullus ditaretur ſub ſpecie, & velamine ingreſſus religionis, niſi profeſſione ſecuta. *Trid.ſyn.ſeſs.25.cap.16. cit.*

17 Puellæ, quæ educantur in monaſterijs, poſſunt facere renuntiationes, & obligationes?
Reſp. Poſſunt liberè, ſic quia concilium non loquitur,niſi de nouitijs,quæ ſuſceperunt habitum,vel volunt ſuſcipere, ne propter malam ſubiectionem, vel per malum conſilium,vel timorem faciant aliquam renuntiationem contra ſuam voluntatem, & ita, ſi aliqua puella exiſtens in monaſterio educationis cauſa, ibi renuntiat animo nubendi, vel viuendi, in celebratione talis renuntiatio erit valida: ratio eſt, quia non locus, ſed intentio facit irritam talem renuntiationem non ſequuta profeſſione. *Triden.ſyno. ſeſs.25.c.16. cit.*

CAPVT XXV.

De ſuſceptione habitus, & de profeſsione Monialium.

1 IN ingreſſu religionis alicuius Monialis quid debet fieri?
Reſp. Si ſit dubium de ſua voluntate, ne cogatur à parentibus, puella deducenda eſt ad matronas illi coniunctas, & non ſuſpectas, vel alias nobiles de mādato Epiſcopi, vbi liberè poſſit exprimere ſuam voluntatem. *Trid. ſyn.ſeſſ.25.c.17. de regul.*

2 In qua ætate poteſt puella ſuſcipere habitum? Reſp. In ætate duodecim annorum.*Trid.ſyn.ſeſſ.25. cap.17. cit.*

3 Finito anno nouitiatus,quid debent agere Abbatiſſa, & Superiores?
Reſp. Quas habiles inuenerint ad profeſſionem admittere,aliàs verò è monaſterio eijcere.*Trid.ſyn.ſeſs. 26. c.16. de regul.*

4 In qua ætate poteſt Monialis facere profeſſionē? Reſp. In ætate 16.annorum.*Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.15.de regul.*

5 Ad emittendam profeſſionem annus debet eſſe continuus, vel interruptus?
Reſp. Continuus,& ſi interrumpatur ex aliqua cauſa,debet iterum de nouo incipi. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.15. Nau.conſ.32. de reg.*

6 Quid eſt agendum ante profeſſionem puellæ? Reſp. Ante menſem profeſſionis præfecta, vel Abbatiſſa Epiſcopum certiorem faciat ſub pœna ſuſpēſionis arbitrio Epiſcopi; & Epiſcopus,vel eius Vicarius eam in libertate ponāt,& exquirant, an coacta, vel libera ſit,& ſi habet conditiones, videlicet,ſi ſciat legere,& ceremonias, & ſtatuta,iuxta regulam talis monaſterij.*Triden. ſynod.ſeſſ.25.cap.17.de regul.*

7 Intra quod tempus debet Epiſcopus examē puellæ perficere, de cuius voluntate dubitatur?
Reſp. Intra viginti dies, & amplius in illo negotio non ſe debet intromittere.

8 Poteſt Epiſcopus facere examen alicuius nouitiæ ad petitionem alicuius volentis eam ducere in vxorem?
Reſp. Non, ſed ſuo tempore, ad petitionem verò puellæ toties,quoties ipſa voluerit. *Pet.Sanch.in ſum. præcepti decalogi. lib.4. c. 18.*

9 Ad quem ſpectat examinare libertatem puellæ in monaſterijs ſubiectis regularibus tam in ingreſſu, quam in profeſſione?
Reſp. Ad Epiſcopum,& ordinarium.*Trident.ſyn.ſeſſ. 25.c.17.cit.*

10 Si Epiſcopus, vel eius Vicarius deputauerint aliquem

aliquem ad faciendum tale examen, quis debet ſoluere expenſas, quas fecerit in itinere?

Reſp. Epiſcopus, vel eius Vicarius, quia ipſi tenentur facere. *Trid.ſyn.ſeſs.* 25. *c.* 17.*cit.*

11 In quo loco debet examinari libertas monialium ab ordinario?

Reſp. In Cratheris. *Fr.Io: de la Cruz.de ſtat.religioſor. lib.*2.*cap.*8.

12 Si dubitetur de libertate puellę, vbi debet examinari?

Reſp. Si Epiſcopo videbitur in Eccleſia monaſterij, vel in alio loco honeſto coram teſtibus, & Notarijs debet interrogari, an velit eſſe monacha, vel nubere, & quæ dixerit in ſcriptis debent redigi, & ſecundum eius voluntatem reſolutio à ſuperiore debet fieri. *Trid.ſyn.ſeſs.*25. *cap.*17.*Zerola in praxi Epiſc. parte* 1, *verſ.moniales pag.*232.*Azor.inſtitut, moral.parte*, 1.*libr.*12.*c.*1.

13 Si inhabilitas puellæ, vel nouitiæ perueniat ex infirmitate, vel alia cauſa, quæ tempore vinci poteſt, quid agendum?

Reſp. Superiores poſſunt illi prorogare nouitiatum pro tempore illis benè viſo, vt talis defectus suppleatur in viris, quàm in mulieribus, *Trid.ſyn.ſeſs.*27. *cap.*17.

14 Si dubitetur, an aliqua monacha profeſſa ſit baptizata, & ad cautelam iterum baptizetur, profeſſio facta erit nè valida?

Reſp. Non, ſed talis poſt baptiſmum debet profiteri: ratio eſſe poteſt, quia non poteſt profiteri ſtatus perfectionis ab illo, qui nunquam ingreſſus fuit per ianuam perfectionis, quæ eſt baptiſmus. *c.cum itaque, de conſecr.diſt.*4.

15 Si aliqua puella ſuſcipiat habitum de facto, vel faciat profeſſionem ſine Examine Epiſcopi, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus in vtroque caſu puniat Abbatiſſam pęnis, & cenſuris, & iubeat, ne iterum fiat, & poſt ſuſceptum habitum eam examinet; poſt ſuſceptam verò profeſſionem non fiat examen, quia profeſſio tenuit. *Sanch.in præcepto decalogi lib.*4.*c.*18.

16 Si aliqua puella deſponſata ſuſcipiat habitum, & ſit duodecim annorum, vir tenebitur expectare quatuor annos vſque ad tempus profeſſionis?

Reſp. Affirmatiuè, *Petrus Sanchez, vbi ſupr.*

17 Si per vim poſita fuerit aliqua puella in mònaſterio, quid agendum?

Reſp. Epiſcopus debet punire eos, qui intullerunt vim, & facere voluntatem puellæ, etiam ſi ſit contra voluntatem eorum, qui illam ita vrgerunt. *Trid. ſyn. vbi ſupr.*

18 Si aliquis pater inſtituat, quòd ſi filia eius ingrediatur religionem, dentur illi centum aurea ſcuta, iſte incurrit pęnam à concilio poſitam?

Reſp. Non, quia non inducit vim coactiuam, ſed inductiuam, & perſuaſiuā, de qua non loquitur Conc.

19 Quam pœnam incurrunt homines cuiuſcumque dignitatis, qui coegerint mulierem ad ingrediendum monaſterium, vel profeſſionem faciendam, vel dederint auxilium, vel conſilium his, qui faciunt talem vim?

Reſp. Excommunicationis à Iure ipſo incurrendæ, preterquam in caſibus a Iure expreſſis. *Trid.ſyn.ſeſſ.* 25.*c.*18.*de regul.*

20 Qui ſunt caſus à Iure expreſſi?

Reſp. Quando aliqua mulier propter recluſionem, vel ad faciendam pœnitentiam, vel ob timorem, ne occidat eam eius maritus, vel alia perſona, contra ſuam voluntatem ingreditur monaſterium.

21 Quam pœnam incurrit, qui impedit virginem volentem ingredi legionem, vel facere profeſſionem, & votum caſtitatis emittere?

℞. Anathematis à Iure, tamē excipiuntur mulieres quæ vulgò conuertitæ appellantur, in quibus earum conſtitutio debet ſeruari. *Trid.ſyn.ſeſſ.*25.*c.*18.*cit.*

22 Poteſt ne aliqua monialis ad religionem laxiorem transferri?

Reſp. Non, ſicut neque religioſus. *Trid.ſyn.ſeſſ.* 25. *c.*19.*de regul.*

23 Si aliqua monialis velit petere ſe per metum feciſſe profeſſionem, vel non habuiſſe ætatem, intra quod tempus, & coram quo debet ſuam cauſam ſequi?

Reſp. Si ſit ſubiecta regularibus, coram Epiſcopo, & ſuo ſuperiori, & intra quinquennium à die profeſſionis, & ſi ante cum habitu, vel ſine habitu diſceſſerit à religione, non auditur, imò vt Apoſtata punitur. *Trid.ſyn.ſeſſ.*25.*c.*19.*cit.*

24 Monaſterium poteſt ne aliquid accipere de bonis nouitiæ ante profeſſinem?

Reſp. Nihil ſub pœna excōmunicationis, tàm dantibus, quàm recipientibus, excepti victu, & veſtitu, imò abeuntibus ante profeſſionem omnia reſtituantur, quod vt rectè fiat, Epiſcopus per cēſuras, ſi opus fuerit, monaſterium poteſt compellere. *Trid.ſynod. ſeſſ.*25.*c.*16.*de regul.*

CAPVT XXVI.

De Confeſſore extraordinario Monialium.

1 Quoties in anno poteſt dari confeſſor extraordinarius monialibus, & qualis debet eſſe?

Reſp. Ad minùs bis in anno, vir probatę vitæ. *Trid.ſyn. ſeſſ.*25.*c.*10.*de reg.*

2 Si aliqua monialis petierit aliquem confeſſorem alicuius ordinis, debet nè ei dari?

Reſp. Si in tali confeſſore non ſit aliquod diſconueniens, & ſit vir probatæ vitæ, debet ei dari, vt illa monacha poſſit cum libertate cõfiteri peccata. *Azor. inſtit.moral.par.*1.*lib.*13.*c.*9. *quæſt.*2.*Conc.Trid.ſeſſ. ſupra cit.*

3 Poteſt Epiſcopus dare confeſſorem extraordinarium monialibus ſibi non ſubiectis?

Reſp. Si regulares illum non dent, poterit, quem maluerit, ſiue clericū, ſiue regularem. *Zerola in prax. Epiſcop.part.* 1. *verb.moniales. Trid. ſynod. ſupra citato cap.*10.

40 Cum datur confeſſor extraordinarius, tenentur nè omnes cum eo confiteri?

℞. Non, quia cum ſit priuilegium, illo vtuntur pro ſuo arbitrio. *Trid.ſynod.ſeſſ.* 25.*cap.*10.*cit.* omnia de confeſſore monialium debent ſeruari ſecundum ea, quæ dixi ſuper *lib.*6.*cap.*4. *de regularibus ex conſtitut.*

Grego-

Gregorii XV. edita anno 1623. nonis Februarij ibi poſita, quia in iſta bulla datur maior facultas Epiſcopis, quam ante habeant.

CAPVT XXVII.

De Beneficijs Monialibus vnitis.

1 SI Monaſteria monialium habeant beneficium curatum vnitum, quis debet conſtituere Vicarium perpetuum, vel amouibilem?
Reſp. Moniales debent præſentare, Epiſcopus approbare. *Stephanus Quaranta in ſum. bullarum. verb. Vicarius perpetuus.*

2 Quæ portio debet aſſignari tali Vicario?
℟. Non debet excedere centum aureos, nec minus quadraginta. Bulla Pij V. publicata die 15. Nouembris. 1567. quæ incipit, ad exequendum, *Gonzalez ad reg. 8. cancellariæ Gloſſ. 5. §. 3. nu. 79.*

3 Si beneficium non ſit vnitum monaſterio ſed moniales habeant Ius conferendi, quid agendum?
℟. in iſto caſu Epiſcopus debet preuio concurſu eligere digniorem, & moniales debent illum, & non alterum nominare. *Trid. ſin. ſeſſ. 24. c. 18. de reform.*

4 Si beneficium ſit de iure patronatus monialium, quid agendum?
℟. Moniales eligant ex examinatis digniorem, & præſentent Epiſcopo, & ipſe eum inſtituat. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. cit. de hoc dixi li. 4. c. 19. de iure patronatus.*

CAPVT XXVIII.

De Electione Abbatiſſe.

1 ABbatiſſa poteſt nè eſſe perpetua?
℟. Non, ſed triennalis. Bulla Greg. XIII. publicata die 4. Ianuarij 1583, quæ incipit, expoſcit debitum.

2 Tranſacto triennio, in quo non poteſt habere officium Abbatiſſa, poteſt nè iterum eligi?
℟. Benè poterit, & triennium debet computari à die, quo reliquit adminiſtrationem officij. d. Bulla Gregor. XIII.

3 Abbatiſſa poteſt ne confirmari?
℟. De iure poterat, ſed per bullam allegatã Greg. XIII. non poteſt ſine licentia Summi Pont.

4 Si quis elector accipit omnes cedulas, & mittat in capſulam electorum, & poſtea inueniat vnam ſciſſam, vel ſignatam, vel inueniat plures, vel minores, quid agendum?
℟. Omnes debet rumpere, & inde vrere, & facere de nouo aliam electionem maiori circũſpectione. Nau. *Fr. Emanuel locis ſup. cit.*

5 Abbatiſſa, & Prioriſſa quam ætatem debent habere, & quas qualitates?
℟. Ætatis quadraginta annos, religionis octo annos poteſt profeſſionem emiſſam; ſi non reperiantur his qualitatibus, poteſt eligi ex alio monaſterio eiuſdem ordinis, & etiam ſi videbitur conuenire ei, qui præeſt electioni, poteſt eligi ex eodem conuentu monacha habens triginta annos ætatis, & quinq; annos religionis poſt emiſſam profeſſionem; hoc enim reliquit Conc. Trid. in arbitrio eius, qui præeſt electini, *Trident. ſynod. ſeſſ. 25. de regul. c. 7.*

6 Si in vno conuentu Abbatiſſa eligatur ex alio conuentu eiuſdem ordinis electa, cum qua licentia poteſt exire è ſuo conuentu?
Reſp. Non eſt neceſſaria licentia Papæ, ſed ſufficit Epiſcopi, & debet venire via recta cum honeſto comitatu. *Quaranta in ſum. Bullarum, verb. Abbatiſsa.*

7 Qui præeſt electioni Abbatiſſe, poteſt nè ingredi clauſtra monaſterij, etiam ſi ſit Epiſcopus, vel alius ſuperior.
Reſp. Non, ſed ante cancellorum feneſtras ſuſcipiat vota. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 7. cit.*

8 In quibus caſibus, qui præeſt electioni, poſt ingredi ſepta monaſterij, ſuſcipere vota intra cancellos?
Reſp. Quando iudicauerit dictam electionem non poſſe fieri canonicè ipſo non intrante popter inquietudinem monialium, ob periculũ rixarum inter ipſas, aut ſi timeatur mors, vel vulnus alicuius monachæ, vel ob alias iuſtas cauſas; ratio eſt, quia concilium, ſi in alijs neceſſitatibus dat facultatem, vt ſuperior ingrediatur, multò in magis piè poteſt interpretari, quòd eam concedat ad rem tanto neceſſariam, præcipuæ, quia bona electio ſæpè ex preſentia Prælati pendet. *Fr. Io. de la Cruz de ſtatu religioſor. lib. 1. cap. 5. dub. 1. concl. 3 notab. 3, vbi expreſſe hoc tenet.*

6 Si monaſterium ſit ſubditum regularibus vel exemptum, quis debet præeſſe electioni Abbatiſſe?
Reſp. Epiſcopus, vel alius pro eo ſimul cum ſuperioribus illius ordinis, & ſingulis annis debet accipere rationem bonorum monialium ſimul cum ſuperioribus ex conſtit. noua Greg. XV. edita anno 1623. nonis Februarij poſita, *ſup. c. 4. de regul.*

10 Vna monialis poteſt præeſſe duobus monaſterij?
Reſp. Non, imò intra ſex menſes tenetur renuntiare num, aliàs ipſo iure omnia vacant. *Trid. ſyn. ſeſſ. 5. c. 7. de regul.*

11 Abbatiſſa quomodo debet eligi?
Reſp. Per vota ſecreta, & non ſunt ſupplendæ voces abſentium, & quicontrarium permiſerit, inhabilis exiſtit ad officia obtinenda in perpetuum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 6. de regul.*

12 In electione Abbatiſſæ poteſt Epiſcopus, vel ſuperior ſuſcipere vota oretenus?
℟. Poterit coram duobus teſtibus, vel ſuo vicario, & ſecretario, & talis electio dicetur ſecrera, & erit bona. *Fr. Emanuel quæſt. regularium. tom. 2. q. 51. art. 6. & 8. Zerola in prax. Epiſc. par. 1. verb. Abbatiſſa. §. 6.*

13 Coram quibus teſtibus debet fieri electio Abbatiſſæ?
℟. Qui præeſt electioni eligat duas, vel tres perſonas, ſi fieri poteſt in dignitate conſtitutas, & ſi non, duos clericos bonæ, & approbatæ vitæ. *Fr. Emanuel q. reg. to. 2. q. 51. art. 6. & 8.*

14 Si in aliquo conuentu deputentur quatuor, qui omnium vota recipiant, erit ne bona electio?
℟. Erit, & ſecreta. *c. quia propter, de elect.*

15 Poteſt

15 Poteſt Epiſcopus ſubdelegare electionem Abbatiſſæ?
Reſp. Poteſt, ſi ſit impeditus. *Quaranta in ſum.bullarum, verb. Abbatiſſa.*

16 Quid debet fieri, finita electione?
Reſp. Debet eam notificare monialibus, & tradere ſigillum, claues, & conſtitutione Abbatiſſæ de nouo electæ, & eam confirmare, & inſtituere in officium, & omnes Monacæ debent præſtare illi obedientiam, & canere (Te Deum laudamus) *Fr. Emanuel loco allegat.*

17 Noua Abbatiſſa electa, poteſt nè benedici?
Reſp. Poteſt, ſi intra primum annum ſui officij petat ab Epiſcopo bedictionem. *Quaranta, verbo Abbatiſſa.*

CAPVT XXIX.

De educandis.

1 PVellæ, quæ educantur, vſq; ad quem annum ſuę ætatis debent retineri?
℞. Vſq; ad vigeſimumquintum annum, quo completo, debent ſtatum nouum accipere, vel è monaſterio exire.

2 De qua etate debent recipi educandæ?
Reſp. Nec minores ſeptimo, neç maiores vigeſimoquinto. *Zerol.p.1.verb.moniales.§.11.*

3 Quæ conditiones requiruntur, vt aliqua educanda ſit in conuentu monialium?
Reſp. Decem. Prima, ſine ancillis. Secunda, ſi ſemel egrediatur ſine licentia, non amplius poteſt reuerti. Tertia, tenetur ad clauſuram, & obedientiam ſuperiorum. Quarta, recipitur cum licentia Epiſcopi in ſcriptis. Quinta, de conſenſu Abbatiſſæ. Sexta, ſi exierit ad ſe curandam, & iterum reuertatur, debet interuenire noua licentia Epiſcopi, & nouus cōſenſus Abbatiſſæ, & monialium. Septima, quòd vtatur veſtitu honeſto virginali modeſtiæ, & pudori conueniente. Octaua, quòd non ſit ſuper numerum præfixum educandarum. Nona, quòd quolibet ſemeſtri ei anticipata ſoluitur partio pro alimentis. Decima, quòd ſit locus ſeparatus à loco, vbi degunt aliæ moniales, profeſſæ, & nouitiæ pro dormitione, & laborerio, *Fr. Emanuel tom.1.q.46.art.10. Zerola in praxi Epiſcop.p.1.verb.moniales.*

4 Puellæ, quæ in monaſterio educantur, debent nè vti veſtitu monialium, vel ſæcularium?
Reſp. Veſtitu ſæculari decenti, & honeſto, & conueniente virginali pudori. *Zerola in prax. Epiſcopi parte.1.verb.moniales.*

5 Poteſt nè Epiſcopus dare licentiam, vt puella illuſtris, quæ educatur in monaſterio, habeat ſecum famulam ſæcularem?
Reſp. Non, ſed ſolus Papa, & obtenta licentia, talis famula amplius è monaſterio non debet exire, & ſi exeat, non poteſt reuerti?

6 Puellis, quę educantur, poteſt nè dari licentia, vt exeant ad ſe curandum in domo patris ſui, vel alterius conſanguinei?
Reſp. Poteſt conſulto, & in ſcriptis. *Stephan Quaranta in ſum.bullar.verb.monaſteria.*

7 Si tales puellæ velint reuerti in monaſterium, recuperata ſanitate, debent nè recipi?
Reſp. Debent cum licentia Epiſcopi, & nouo conſenſu Abbatiſſæ, & monialium. *Emanuel Rodriguez to.1.qq.regul.q.46.art.10.*

8 Si puella, quæ educatur, ſine lincentia exeat extra monaſterium, quam pœnam incurrit?
Reſp. Nullam, ſed non debet iterum in monaſterio recipi. *Zerola in prax. Epiſcop.verb.moniales. Stephan. Quaranta §.de puellis, verb.monaſteria.*

9 Si puella, quæ educatur, exeat è monaſterio ſine aliqua cauſa, debet nè iterum recipi?
Reſp. Ad educationem non, ſed ad ſuſcipiendum habitũ religionis poteſt recipi de licentia Epiſcopi, & cōſenſu Abbatiſſæ, & monialium ſoluta dote. *Trid. ſyn.ſeſſ.25.c.5.de reg.*

10 Tales puellæ quid debent obſeruare?
Reſp. Debent ſeruare clauſuram, ſicut moniales, & eſſe ſubiectæ Abbatiſſæ ſicut aliæ moniales?

11 Puellæ, quæ in monaſterio educantur, quando debent reſtitui patri, vel perſonæ, quæ eam ibi miſit?
Reſp. Quandocumq; pater eam petierit. *Zerola loco allegat.*

12 Mulieres nobiles poſſunt recipi abſentia ſuorum coniugum in monaſterijs educationis cauſa?
Reſp. Poſſunt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ, & monialium, niſi in conſtitutione monaſterij contrarium ſit cautum. *Zerola in prax. Epiſcop.part.1. verb.moniales. §.10. Steph. Quaranta verb.monaſteria. §.de puellis cauſa educationis.*

13 Mulier coniugata, ex qua cauſa, poteſt recipi in monaſterio?
Reſp. Solùm ex cauſa periculi mortis, & ceſſante perecul o, debet exire. *Zerola verb.moniales.*

14 Mulier coniugata, ſi venit in ſuſpicione adulterij, poteſt recipi in monaſterio?
℞. Poteſt de licentia Epiſcopi, & conſeſu Abbatiſſæ, ſi conſtitutiones monaſterij non repugnent; ſed aduertendum eſt, quod laborauit probabili ſuſpicione adulterij non debet recipi. *Zerola verb. moniales in prax. Epiſc.part.1.*

15 Mulieres in diſcordia cum maritis, ſi timeant ſeuitiam mariti propter honeſtas cauſas, debent nè recipi in monaſterio?
℞. Poterunt de licentia Epiſcopi, & conſenſu Abbatiſſæ, & monialium recipi, & ceſſante cauſa debent exire. *Zerola loco allegato.*

16 Viduæ bonæ famæ, & magnæ nobilitatis poſſunt recipi in monaſterio educationis cauſa?
℞. Non, neq; Epiſcopus poteſt dare licentiam, ſed ſolùm Summus Pont. & ſi eam dederit, tales viduæ debent ſeruare clauſuram ſicut cæteræ moniales. *Zerola verb. moniales. §.12. & Fr. Io. de la Cruz. part. alleg.*

17 Viduæ poſſunt recipi in monaſterio ad ſuſcipiendum habitum religionis?
℞. Poſſunt, ſicut virgines, nam de illis Paulus dixit, quòd mortuo viro mulier liberata eſt à iugo, & poteſt liberè, vel nubere, vel ingredi religionem.

18 Neophitæ, & cathecumenæ poſſunt nè recipi in monaſterio educationis cauſa?
℞. Poſſunt cum licentia Epiſcopi, & conſenſu Abtiſſæ, & monialium. *Azor.p.1.lib.13.c.8.*

19 Puel-

19 Puellæ, quæ ex hoſpitalibus, vel alijs pijs locis ſũt deductæ, & vocantur expoſitæ, debent nè admitti in monaſterijs monialium?
Reſp. Poſſunt ad ſeruiendum monaſterio in communi. *Azor. inſtit. moral. p. 1. lib. 13. c. 8.*

20 Si ſit conſuetudo, vt iſtæ puellæ, quorum Patres non cognoſcuntur, qui eijciuntur ad portas Eccleſię, exeant proceſſionaliter per vias ciuitatis, debent nè iterum recipi in monaſterio?
℞. Debent ſi reuertantur comitatæ à pijs matrimonis cum proceſſione, ſicut exierunt. *Azor. loco alleg.*

21 Si in monaſterijs monialium ſit immemorabilis cõſuetudo, vt ancillæ ſæculares in habitu ſæculari ad negotia monaſterij exeant, & reuertantur, debent nè obſeruari?
Reſp. Non, imò talis conſuetudo immemorabilis non refragatur ex declaratione Illuſtriſs. Cardinalium *ſeſſ. 25. c. 5.*

22 Mulieres religioſæ in communi viuentes, ſi non faciunt profeſſionem, cui ſubſunt?
Reſp. Epiſcopo, etiam ſi non faciant profeſſionem. *Ant. Butr. c. 2. de foro compet.*

CAPVT XXX.

De Seminario.

1 QVis poteſt inſtituere in Eccleſijs ſeminarium? Reſp. Epiſcopus poteſt eligere in ſua diœceſi vnum, vel plura vt ſibi videbitur conuenire. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. de refor.*

2 Si ex paupertate in aliqua diœceſi ſeminarium erigi non poteſt, quid agendum?
Reſp. Ad minus eligantur Magiſtri grammaticę, & muſicę; qui gratuitò doceant, & alantur ex fructibus beneficiorum. *Conc. vbi ſup.*

3 Locus, vbi ædificandum eſt ſeminarium, in qua parte debet eſſe, & à quo debet eligi, & à quibus approbari?
℞. Debet eſſe in cõmodiori loco ciuitatis, & debet eligi ab Epiſcopo, & approbari à Prætore, Iuratis, & Rectoribus clericis, & vniuerſa ciuitate, quorum intereſt, in hoc omnes ſunt audiendi, quod melius fuerit eligendum ab Epiſcopo. *Conc. loco alleg.*

4 Quis poteſt facere, & mutare conſtitutiones ſeminarij?
Reſp. Epiſcopus cum duobus de capitulo ſenioribus à ſe eligendis poterunt mutare, & reformare conſtitutiones, & alias nouas ponere ſecundum temporis conditionem, prout neceſſitas dictauerit. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

5 Iſti duo de capitulo, & de clero ad gubernationem ſeminarij, à quo debent eligi?
Reſp. Vnus capitulo ab ipſo capitulo, & alius de clero ab ipſo clero. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 18. cit.*

6 Canonici, & clerici ſemel electi ad gubernationem ſeminarij poſſunt nè mutari?
Reſp. Non, quia ſunt perpetui. *Zerola in praxi Epiſcop. p. 1. verb. ſeminarium.*

7 Iſti ſic electi quid debent agere?
Reſp. Regere ſeminarium, adiuuare Epiſcopũ, ſumere rationes, & computa, & reddere rationem Epiſcopo, de omnibus rebus. *Zerola, vt ſup.*

8 In quibus caſibus tenetur Epiſcopus deputatorũ conſilio vti?
Reſp. In vnione beneficiorum, vel aſſignatione fructuum pro ſubſtentatione ſeminarij, alias vnio erit nulla *Trident. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

9 Quid poteſt facere ſolus Epiſcopus ſine deputatorum conſilio?
Reſp. Exactione redituum; quæ ſolo Epiſcopo competit. *Zerola, vt ſup.*

10 In electione, & expulſione, & viſitatione fabricę, & conſtitutionibus faciendis quomodo debet Epiſcopus procedere?
Reſp. Adhibito conſilio deputatorum poteſt conſtituere, quod ſibi magis videbitur expedire. *Zerol. loc. alleg.*

11 Quis debet viſitare perſonas ſeminariorum, & eorum domos?
Reſp. Epiſcopi frequenter, & diſcolos punire, & expellere, ſi opus fuerit. *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. cap. 18. cit.*

12 Quis debet accipere rationem redituum, & facere calculos in ſeminario?
Reſp. Epiſcopus ſingulis annis, præſentibus quatuor deputatis. *Tri. ſyn. ſeſs. 23. c. 18. cit.*

13 Quis debet finire lites, & determinare, ſi oriantur ſuper vnionibus factis ſeminario, & proprietate meliores locare, & miniſtrare, ponere Rectorem, & ſeruos?
Reſp. Epiſcopus cum dictis deputatis, & poteſt diminuere, moderare, & augere dictas aſſignationes, & vniones, & omnia neceſſaria ad conſuetudinem dicti ſeminarij ſtatuere. *Zerola in praxi Epiſcop. p. 1. verb. ſeminarium.*

14 Quis debet aſſignare fructus, & prouentus, vt alatur pueri, & eorũ Magiſtri, & ad faciendũ ædificiũ?
Reſp. Epiſcopus cum concilio deputatorũ, ex menſa Epiſcopali, & capitulari, & ex fructibus beneficiorum, vel vnire beneficia ſimplicia, & præſtimoniales portiones multis etiã poſſeſſoribus, & in quocumque menſe vacantia, etiam ſeruata. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 18.* ſed hæ vniones debent fieri abſq; præiudicio poſſidentium.

15 Ex quibus beneficijs debet vnio fieri?
Reſp. Primùm ex beneficijs ſimplicibus, vel præſtimonialibus portionibus, quæ non habent onus, nec curam animarum, & ſi non ſint talia beneficia in illa diœceſi, vel non ſint ſufficientia ad ſubſtentationem ſeminarij, debent fieri contributiones ex menſa Epiſcopali, & capitulari, & ex fructibus beneficiorum, rata pro quantitate. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. vt ſup.*

16 Quando debent fieri vniones, & cum quibus conditionibus?
Reſp. Abſq; præiudicio poſſidentium, ita vt ſi poſſidentes velint renuntiare dicta beneficia, vel permutare, liberè poſſint illud facere ſine impedimento vnionis, quia vnio facta in ſeminario non ſortitur ſuũ effectum, niſi quando vacat per mortem, vel ingreſſum religionis, vel per delictum. *Zerola vbi ſup.*

17 Quæ perſonæ ad contributionem, & ſubſtentationem ſeminarij tenentur?
Reſp. Cardinales, Epiſcopi, clerici, monaſteria exẽpta, hoſpitalia, collegia, pẽſionarij, & deniq; quilibet, qui poſſident beneneficia, etiam ſi ſint perpetuò vnita. *Zerol. loc. alleg.*

19 Quan-

18 Quam partem debent contribuere, vel in qua ſpecie; in fructibus, vel in pecunia?
℞. Non debēt excedere dimidiam decimam, fructibus, & expenſis deductis, ne grauentur, & contributio debet eſſe in pecunia, vel fructibus. *Zer. loc. al.*

19 Quæ beneficia non poſſunt Seminario vniri?
Reſp. Curata, Canonicatus, ſimplicia Iuriſpatronatus, vel vnita alicui operi pio, nec quæ data ſunt in commendam, nec beneficia, quæ neceſſariò requirūt perſonalem reſidentiam. *Zerola in praxi Epiſcopali, loco alleg.*

20 Canonici tenentur contribuere de groſſa, an de diſtributionibus quotidianis, & manualibus?
Reſp. De groſſa. *Zerol. loc. alleg.*

21 Si tota præbenda cōſiſtat in diſtributionibus quotidianis, Canonici tenentur nè diſtribuere?
Reſp. Non, nec de incertis prouentibus, neque de eleemoſynis, neque de incertis prouentibus, neque de bonis ſæcularibus, ſed ſolùm de groſſa. *Zerol. vbi ſupra.*

22 Si beneficium habeat penſionem, quis tenebitur contribuere?
Reſp. Deducta penſione, & expenſa, de reliquo verò tenetur contribuere. *Zerol. loco allegat.*

23 Fabricæ Eccleſiarum tenentur ne contribuere?
Reſp. Tenentur de fructibus certis. *Trid. ſyn. ſeſſ. 25. c. 18. alleg.*

24 Si ſit aliquod beneficium vnitum alicui Collegio, vel Seminario tenentur ne contribuere?
Reſp. Si actu doceant ſtudentes ad commune Eccleſiæ bonum promouendum, tunc non tenentur contribuere de ijs, quæ ſunt neceſſaria ad ſubſtentationem Seminarij: de ſuperfluis verò tenentur contribuere rata pro quantitate. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

25 Super hoſpitali laicali poteſt ne poni taxa pro Seminario?
Reſp. Si non habeat bona Eccleſiaſtica, niſi tantùm bona ſæcularia, non. *Zerola loco alleg.*

26 Si in Seminario actu non exiſtant ſcholares, nec Magiſtri, poteſt Epiſcopus facere vnionem beneficiorum?
Reſp. Non, quia vnio requirit Seminarium erectum.

27 Si Epiſcopus vniat Seminario aliquod beneficium ante vacationem, & poſtea vacet in menſe reſeruato, ſortitur ne talis vnio ſuum effectum?
Reſp. Si Epiſcopus ſeruauit formam Concilij, vnio ſortitur ſuum effectum *Zerol. loc. alleg.*

28 Si aliqua perſona affecta Sedi Apoſtolicæ habeat beneficium affectum, poterit ne Epiſcopus ante vacationem vnire tale beneficium Seminario?
Reſp. Non, vt fraudes tollantur. *Zerol. loc. alleg.*

29 Si bona alicuius Eccleſię ſint in vna diœceſi, & Eccleſia in alia, cui ſeminario eſt facienda contributio?
Reſp. Seminario, in cuius diœceſi Eccleſia ſita eſt. *Zerol. loc. alleg.*

30 Si Collegium, hoſpitale, ſeu capella ſint in vna diœceſi, & habeant aliquod beneficium vnitum in alia diœceſi, cui Seminario eſt facienda?
Reſp. Seminario, vbi ſitum eſt beneficium.

31 Beneficia reſeruata Sedi Apoſtolicæ vacantia per obitum poterit nè Epiſcopus vnire Seminario?
Reſp. Poterit, niſi ipſe prius beneficium aliquod in menſe ſuo vacans contulerit alicui perſonæ, & non Seminario; tunc enim debet relinquere liberam prouiſionem ſum. Pontific. ſicut ipſe habuit ſuam; quia non eſt licitum, vt de pane alieno det eleemoſynam, & reſeruet.

32 In Seminario quis numerus puerorū debet eſſe?
Reſp. Solùm, qui commodè ali poſſint, ſecundùm introitum Seminarij, ſecundùm iudicium Epiſcopi, & deputatorum, qui poſſunt minuere, & augere numerum pro tēporum varietate. *Zerol. in praxi Epiſc. verb. Seminarium.*

33 Quas qualitates, & ætatem debent habere, qui debent recipi in Seminario?
Reſp. Debent attingere ad minus duodecim annos, & eſſe ex legitimo matrimonio nati, & ſcire legere, & ſcribere competenter, & debent eſſe naturales illius diœceſis, & habere bonam indolem, ita vt de eis ſperetur poſtea Eccleſię debere eſſe vtiles, & pauperes præferuntur diuitibus. *Trident. ſynod. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

34 Duodecim anni ætatis ad recipiendum aliquem in Seminario debent ne neceſſariò eſſe completi?
Reſp. Sufficit attigiſſe, ſi iudicium ſuppleat ętatem; quia eſt res fauorabilis, & ponitur pro forma. *Zerola loc. alleg.*

35 Si quis recipiatur in Seminarium, & poſtquam educatus eſt, & didicit litteras, grammaticam, rethoricam, & artes liberales non habeat voluntatem recipiendi ordines ſacros, ſed nubendi, debet nè cogi ab Epiſcopo, vel Rectore, & Deputatis Seminarij, vt neceſſariò recipiat ordines ſacros?
Reſp. Non, ſed Epiſcopus, Rector Seminarij, & Deputati ſolùm tenentur eum monere, vt recipiat dictos ordines ſacros, quia educatus fuit de bonis Eccleſiæ ea intentione, vt perpetuò ei inſeruiat; ratio eſt, quia ordo ſacer cùm ſit Sacramentum Eccleſiæ, requirit liberam voluntatem in ſuſcipiente, & cogi non debet, & Epiſcopus, & Deputati ſatisfaciunt muneri ſuo, ſi tempore receptionis talis pueri habuerunt ſpem, eum Eccleſiaſticis miniſterijs perpetuò inſeruiturum, quia erat bonæ indolis. *Trid. ſynod. ſeſſ. 23. c. 18. §. in hoc verò Collegio.*

36 Si quis, qui educatus fuit in Seminario, ſumat vxorem, ex hoc facto Epiſcopus, vel Rector Seminarij poteſt petere ab eo, vt ſoluat alimenta, quæ in Seminario conſumpſit?
Reſp. Si talis fuit in Seminario toto tempore, intentione inſeruiendi Eccleſiæ, & poſtea tempore ordinationis ex aliquo accidente mutat voluntatem, & mauult nubere, quia iudicat ſtatum matrimonij ſibi eſſe magis conſentaneum ad ſalutem animæ ſuæ; ab iſto nihil poteſt peti, quia cauſa accidentalis, quæ poſt factum prouenit, non vitiat præterita facta; ſi verò quis aſſiſtat in Seminario ea intentione, vt non ſit Clericus, ſed ſæcularis, tunc iſte talis tenetur reſtituere alimenta, quæ ipſe conſumpſit in Seminario, quia ſunt contra voluntatem dantis, & præter intentionem ſancti Concilij Tridentini.

37 Cum eo, qui ingreditur Seminarium, vel cum ſuis parentibus, poteſt Epiſcopus, vel Rector Seminarij facere pactiones, vel contractus, quod neceſſariò teneatur ſe ordinare, vel ſeruire in diœceſi duos annos, vel ſoluere alimenta, quæ cum eo conſumuntur in dicto Seminario?
Reſp. Si talis non habeat ętatē, obligatio nulla erit: ſi verò fiat cum patre, vel parēte, qui poteſt paciſci, poterit peti pœna temporalis, ſed non poterit cogi, vt ta-

vt talis ordinetur; ratio eſt, quia conditio, vt talis ordinetur, eſt conditio iuſta, & ſic pęna poteſt exigi, & quia in ordine requiritur voluntas, non debet talis cogi ad ſuſcipiendos ordines.

38 Si quis ſit pauper, & pater eius fecit dictam obligationem, ſcilicet quòd eius filius ordinaretur ſuo tempore, vel ipſe ſolueret expenſas ſeminario, & Epiſcopus, vel Rector ſeminarij certò ſcit, quod talis ordinatur inuitus, ne pœnam pecuniariam ſoluat, in in iſto caſu, quid debet Epiſcopus facere?
Reſp. In iſto caſu, facto examine quod talis ordinatur contra ſuam voluntatem, non debet petere pœnam pecuniariam, quia maximum damnũ eſt, quod aliquis recipiat ordinem contra ſuam voluntatem, & minimum inconueniens, vt ſeminarium non recipiat illam pecuniam, præcipuè cum talis educatus in ſeminario in litteris poſſit prodeſſe populo, & Eccleſiæ Dei, & Eccleſia omnes amplectitur.

39 Filij diuitum excluduntur nè à ſeminario?
Reſp. Non, ſi ſuis ſumptibus alantur, & trimeſtri anticipata ſolutione. *Zerola in prax. Epiſc. verb. ſeminarium. Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

40 Filij diuitum, quem habitum debent portare, & quomodo ſunt educandi?
Reſp. Habitum, quem maluerint ſęcularem, vel Eccleſiaſticum diſtinctum ab alumnis, & ex eiſdẽ magiſtris debent edoceri, & eadem cura gubernari, in eodem triclinio manducare, in ſeminario pernoctare, regulam aliorum obſeruare, ſub eadem diſciplina educari, ſicut hodie fit in ſeminario Romano fundato à Greg. XIII.

41 Pueri, qui aluntur ex redditibus ſeminarij, quem habitum debent portare?
Reſp. Statim cum recepti fuerint accipiãt primam tonſuram, & portent habitum clericalem alicuius coloris in modum collegij ita, vt dignoſcantur. *Zerola loco alleg.*

42 Quas ſcientias debent ediſcere, qui ſunt in ſeminario?
Reſp. Grammaticam, rethoricam, philoſophiam, theologiam, ſacros canones, cantum planum, & figuratum, computa, homilias ſanctorum, caſus conſcientiæ, cæremonias Eccleſiæ, quia iſti tales, qui ex fructibus Eccleſiæ aluntur, ad ſeruitium Eccleſiæ dedicantur; de his omnibus poſſunt in ſeminario erudiri, ad arbitrium tamen Epiſcopi, prout commoditas magiſtrorum ſeſe obtulerit. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 18. citat. & Zerola alleg.*

43 Qui educantur in ſeminario, in quibus miniſterijs debent ſeruire Eccleſiæ?
Reſp. In omnibus, in quibus poſſunt Eccleſiam adiuuare, ſecundum vniuſcuiuſque ſufficientiam, ita vt, qui ſcit canere, cantet cum cantoribus, qui eſt de Epiſtola, cantet Epiſtolam, qui eſt in minoribus ordinibus portet candelabra, ceroſærarium, ita vt omnia miniſteria ordinum maiorum, & minorum ab eis obſeruentur, & debent ſaltem dominicis diebus, & feſtiuis aſſiſtere in choro ad Miſſam, & Veſperas præſente, & abſente Epiſcopo; ratio eſt, quia ad hoc aluntur, & inſtituti ſunt, vt ſeruiant Eccleſiæ, & ex iſto habitu, & conſuetudine ſint perfecti Sacerdotes, & regant Eccleſias illius diœceſis, & dent exemplum virtutis, & litterarum alteris, & adiuuent Epiſcopum. *Tridentin. ſynod. ſeſſ. 23. cap. 18. Zerola loco allegat.*

44 Qui ſunt in ſeminario, quam regulam debent ſeruare?
Reſp. Debent audire Miſſam ſingulis diebus, ſeruire Eccleſijs Cathedralibus diebus dominicis, & feſtiuis, ſingulis menſibus confiteri, & communicare, reliquũ tempus debent conſumare in ſtudijs, vt proficiant. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 18. cit.*

45 Ex fructibus ſeminarij, qui debent ali vltra pueros?
Reſp. Rector, Miniſter, Magiſtri, ſerui neceſſarij, ſecundum Epiſcopi diſpoſitionem.

46 In his recipiendis, vel expellendis indiget Epiſcopus conſilio Deputatorum?
℞. Non, quia in ijs ſupremam habet auctoritatem.

47 Qui magiſtri debent quæri pro ſeminario?
Reſp. Grammatici, muſici, philoſophi, & aliarum ſcientiarum, & ſi inueniantur ex ſocietate Ieſu, omnibus alijs ſunt anteponendi propter maximam charitatem, quam dicta religio habet in educandis pueris, & ſcientiam. *Zerola loco alleg.*

48 Poteſt nè Epiſcopus facere, vt dignitas, quæ vocatur ſcholaſticus, legat in ſeminario?
Reſp. Poteſt non ſolum eum cogere, ſed etiam alias dignitates, & canonicos, qui habent officium legendi, vt doceant in ſeminario, & iſti tales nihil debent recipere ex fructibus ſeminarij. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 18. cit.*

49 Si aliquis in prima tonſura ſit in ſeminario, vel alatur ſoluendo mercedem, vel ſeruiat, gaudebit nè priuilegio fori?
Reſp. Gaudebit, quia æquiparatur quaſi, deſeruiret Eccleſiæ de Epiſcopi licentia. *Zerola loco alleg.*

50 Conuictores, qui aluntur ſuis ſumptibus, gaudent nè priuilegio fori?
Reſp. Si habeant primam tonſuram, gaudent ſine dubio priuilegio fori, quia ibi ſeruiunt Eccleſiæ, & ſe inſtituunt in litteris, & virtutibus cum conſenſu Epiſcopi. *Zerola loco alleg.*

51 Quando ſit concurſus beneficiorum, & eſt aliquis, qui educatus fuit in ſeminario, quid tenetur Epiſcopus facere?
Reſp. In æqualitate Epiſcopus debet eligere alumnum ſeminarij. Primò, quia ad hoc officium fuit educatus. Secundò, quia ſunt maioris notitiæ vitę, & virtutis illius, qui ante oculos Epiſcopi per totos annos perſeuerauit in illa domo religionis, quàm alterius, qui alibi fuit educatus. Tertiò, vt reliqui in ſeminario ſunt moti præmio ſui ſocij, cum maiori feruore perſeuerent in litteris, & virtutibus. Quartò, quia tũc Epiſcopus colligit fructum, vel pomum ex ſuo proprio horto.

CAPVT XXXI.

De Reliquijs veneratione, & canonizatione Sanctorum.

1 QVid eſt canonizatio?
℞. Eſt publicum Eccleſię teſtimonium de vera ſanctitate, & gloria alicuius defuncti, vt in cathalogo

logo Sanctorum adſcribatur, & à Fidelibus veneretur, & annuatim officium eius fiat ſecundùm gradum ſuum, & qualitatem de Virgine, Martyre, vel Confeſſore. *Bellarmin. lib. 1. tit. 2. de Beatitudine, & Canonizatione Sanctorum c.7.*

2 Per canonizationem qui honores dantur, & decernuntur Sancto de nouo canonizato?
Reſp. Septem. Primò, inſcribitur in numero, & cathalogo Sanctorum, vt dicatur ab omnibus ſanctus. Secundò, inuocatur in publicis Eccleſiæ precibus. Tertiò, dicantur Deo templa, & aræ in honorem illius Sancti. Quartò, recitatur officium de tali Sancto, & offertur Miſſa in eius honorem. Quintò, dies feſtiuitatis in eius memoriam celebratur, vacando ab operibus ſeruilibus. Sextò, pinguntur imagines aliquo lumine addito in ſignum gloriæ, qua fruitur in cælis. Septimò, eorum reliquias pretioſo auro, & argēto recludere, & publicè honorare licitum eſt. *Bellar. lib. 1. t. 2. de Beatitud. c. 7. 8.*

3 Quis dicitur canonizatus pro Sancto?
Reſp. Solum ille, qui eſt à Papa ſolemniter declaratus pro tali. *Ioan. Andreas, & Abbas c. 1. de reliquijs, & venerat. Sanctorum.*

4 Licet ne porrigere preces viro non canonizato?
Reſp. Si credimus eum eſſe cum Chriſto, & fuiſſe virum bonum in particulari, licet porrigere preces, quia Deus reſpicit fidem orantis, ſed nō liceret Miſſas dicere, preces ſolemnes facere, eum cum corona pingere, cum hoc iubere, & declarare ſit ſolùm Romani Pontificis. *Innoc. in canone, audiuimus de reliq. & vener. Sanctor. Syluest. in ſum. eod. tit. n. 1.*

5 Poteſt ne aliquis Beatus dici in hac vita?
Reſp. Non; ratio eſt, quia poteſt in hac vita peccare, mereri, & demereri, & beatitudo eſt reuelatio magni Dei. *c. ieiunium, de conſecrat. diſt. 5. S. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. & 2.*

6 Qualis dies debet celebrari in Sanctis, dies natiuitatis, mortis, vel canonizationis?
Reſp. Dies mortis, quia in illo finiunt nauigationē, ſunt in portu, & naſcuntur in gloria. *gloſ. fin. l. cū quidam, ff. de annuis legatis, canone non licet. 33. q. 4. gl. fin. in ver. natalis. inſtit. de ingenuis, & manumiſſis. Abb. canone licet, not. 2. de ferijs.*

7 Reliquiæ Sanctorum debent ne vendi?
Reſp. Non, quia ſunt res ſacræ, & eſt magna ſimonia, imò homines vagantes in ſpecie eremitica, & vēdunt reliquias, coronas benedictas, vel agnus Dei, vel eas dat in pretium hoſpitij, ab Ordinarijs grauiter puniendi ſunt. *Hoſtienſ. in ſum. de reliquijs, & vene. Sanct. num. 1.*

8 Corpora Sanctorum ſunt ne transferenda de loco ad locum?
Reſp. Non, ſine licentia Papæ, & tunc vt ibi decentiùs colantur, vel magis venerentur. *Hoſtienſ. in ſum. de reliquijs, & Vener. Sanct. nu. 2.*

9 Eccleſia Catholica quam poteſtatem habet in canonizationem Sanctorum?
Reſp. Supremam; quia quem ipſa approbat, approbandus eſt, & quem reprobat, reprobandus eſt. *cap. hac eſt fides. c. quoniam vetus. 24. q. 1.*

10 Quis poteſt canonizare Sanctos?
Reſp. Solus Sum. Pont. licèt dicat Tho. Vbaldenſis, quòd antiquitùs Epiſcopi canonizabant Sanctos, & Ciprianus lib. 6. Epiſtol. 6. affirmat idem, ſed hodie ſolus Sum. Pont. poteſt canonizare, *vt cap. 1. & 2. de reliquijs, & vener. Sanctor. Abb. & Innoc. cap. 1. de reliquijs, &c.*

11 Poteſt ne Summ. Pontif. errare in canonizatione Sanctorum?
Reſp. Licèt pendeat à principijs fallibilibus, nempe ab informationibus factis, errare non poteſt, neque id Deus permitteret, & contrarium aſſerere eſſet erroneum, temerarium, & dignum magna punitione. *Bellar. t. 2. lib. 1. de Beatit. c. 9. D. Tho. colliberto nono, quē citat Syl. verb. canonizatio, q. 3.*

12 Quare pertinet ad Sum. Pontif. canonizare Sanctos, & non ad alium?
Reſp. Quia canonizatio eſt vna de maioribus cauſis, quæ inter Chriſtianos proponi poteſt. *Gl. verb. ſedis Apoſtolicæ de reliq. & vener. Sanct. lib. 6.*

13 Papa poteſt canonizare Sanctos ſine conſenſu Cardinalium.
Reſp. Licèt Papa res arduas faciat de conſenſu Cardinalium, & tamquā in re ardua, & grauiſſima ſemper requirat conſilium Cardinalium, tamen cum Papa ſit ſupra Concilium, & habeat ſupremam poteſtatem, ſi voluerit, poterit ſine cōſenſu Cardinalium canonizare Sanctum de rigore iuris. *Bald. in ſuo peculio. Ioan. Andr. & Dominicus cap. ſuper eo, de hæreticis.*

14 Papa poteſt canonizare plures Sanctos ſimul vna die, & vna Miſſa?
Reſp. Poteſt, ſed debet proferre ſingulorum ſententias, declarando quemlibet illorum eſſe Sanctum ordine, quo ipſe eos canonizare decreuit, ita quòd prolata ſententia primi Sancti proferatur ſententia in ſecundo Sancto, & in tertio, ſicut fecit Greg. XV. Pōt. Max. Romæ in Eccleſia S. Petri anno 1622. quando magnifico apparatu, ſumma pompa, magna totius Eccleſiæ lætitia, & deuotione canonizauit primo loco S. Iſidorum Hiſpanum agricolam natum in oppido de Madrid, vbi eſt eius corpus in Eccleſia ſancti Andreæ: in ſecundo loco canonizauit S. Ignatium de Loyola Hiſpanum ex familia nobiliſſima natum in oppido de Loyola, fundatorem religionis Societatis Ieſu, cuius corpus eſt Romæ in Domo profeſſa eiuſdem Ordinis. Tertio loco canonizauit S. Franciſcum Xauier Hiſpanum ex nobiliſſima familia, ſocium S. Ignatij, & Apoſtolum Indiarum, vbi eius corpus colitur magna deuotione. Quarto loco canonizauit S. Philippum Nerium Florentinum fundatorē Patrum Clericorum, quos vocant Dell'Oratorio. Quinto loco canonizauit S. Tereſiam natione Hiſpanam natam in ciuitate Abulenſi, fundatricem fratrū, & ſororum Carmelitarum diſcalciatarum, cuius corpus veneratur in oppido de Alua de Tormes, in diœceſi Selamaticenſi in monaſterio, quod ipſa viuens ædificauit; ratio eſt, quia qui habet poteſtatem canonizandi vnum ſolum, habet poteſtatem canonizandi plures ſimul, cum ſingularitas, vel pluralitas non ſint de eſſentia canonizationis, ſicut plures martyres vna die, & vna hora paſſi ſunt.

15 Quis fuit canonizatus primus ſolemniter?
Reſp. Aliqui dicunt Apollionem Eremitam, natione Gręcum, martyrizatum pro Chriſti fide à Iudęis, quia prædicabat in ſpeluncis paſtoribus, Chriſtum eſſe verū Meſſiam, & Nicolaus I. eū canonizauit, vt *in tract. DD. tom. 14. de canoniz. Sanct. fol. 103. num. 46.* Alij dicunt quòd Leo III. ad inſtantiā Caroli Magni canonizauit S. Suibertum, vt refert S. Ludugerus in

Y Epi-

Epiſtola de miraculis.S.Suiberti, *Surius tom.2.cap.9.* ſed credo, quòd tunc non fuerunt ſeruatæ omnes ſolemnitates, quæ hodie ſeruantur, cum Eccleſia quotidie augeatur nouis ritibus, & cæremonijs ad Dei laudem, Chriſtianorum ædificationem, & hæreticorum confuſionem?

16 Poteſt canonizari puer, qui occidatur in odium fidei?

℞. Affirmatiuè, eſt enim vere martyr, vt Innocẽtes.

17 Quid requiritur ad canonizandum aliquem ſanctum?

Reſp. Bona vita cum miraculis. *Abb.in c.1.nu.4. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. c.vide 1.q.1.c.noli. 23.q.1.*& non ſufficiunt ſolùm miracula, vel ſola bona vita, ſed ſimul. *Abb.vbi ſupra,*

18 Sufficiunt nè ad canonizationem Sanctorum ſolùm miracula, vel ſolùm bona vita?

Reſp. Non ſufficit ſola bona vita, ſed vtrumque ſimul, & coniunctim, videlicet, bona vita cum miraculis. *tenet Abb.in c.1.de reliquijs, & veneratione Sanctorum.*

19 Quare non ſufficiunt ad canonizationem ſanctorum ſolùm bona vita, vel ſolùm miracula diſiunctiuè, ſed coniunctim?

Reſp. Quia bona vita aliquando habetur ab hipocrita, & ab eo non fiunt miracula, & aliquando miracula fiunt à magis, incantatoribus, à diabolo, & à maleficis, & iſti non habent bonam vitam, ſed quando vtrumque concurrit, ſcilicet bona vita cum miraculis, eſt euidens, & certiſſima probatio ſanctitatis illius defuncti. *Abb.in c.1.de reliquijs, & veneratione Sanctorum.num.4.nec mirum.26.q.5.*

20 Quæ teſtimonia requiruntur ad canonizationem Sanctorum, & de quibus rebus debet inquiri?

Reſp. Si canonizandus fuerit confeſſor, vel virgo, debet diligenter requiri de oratione, vita, moribus, caſtitate, ſimplicitate, humilitate, de perſecutionibus patienter paſſis, de miraculis in vita, in morte, & poſt mortem, de eius morte, ſi in ea contigit aliquod ſignum mirabile, de fama, de deuotione fidelium. *c.miramur. diſt.61.c.ex ſtudijs, de præſumptionibus.c.1.de reliquijs, & veneratione Sanctorum. Abb. & Ioannes Andreas ibi.*

21 Si ſanctus canonizandus ſit martyr, quid inquiritur?

Reſp. Solùm an occiſus fuerit in odium fidei, & an ipſe voluntariè pro fide talem mortem paſſus ſit de alacritate, integritate, de animo conſtanti, de fortitudine, quæ pro fide paſſus eſt, & de alijs circumſtãtijs illius martyrij. *c.catechumenum, de conſecr.diſt.4.c. baptiſmi vicem.diſt.4.*

22 Quare in martyre non requiritur de vita, & moribus, ſicut in confeſſore?

Reſp. Quia excellentia martyrij tàm magna eſt, vt ſi quis fuerit in tota vita ſua latro, & omnia crimina commiſerit, ſi paſſus eſt pro fide Dei martyrium, omnia illi condonantur, & ſi non eſt baptizatus, baptizatur in ſuo ſanguine, & datur ei palma martyris.

23 Quid eſt martyrium?

Reſp. Mors, quam aliquis pro fide Chriſti, & lege Euangelica voluntariè patitur in odium talis fidei ab aliquo tyranno, vel datur mors, vt ipſe neget fidem, & profiteatur alteram religionem, vel quia tenet fidem Catholicam.

24 Martyrium cuius virtutis eſt actus?

Reſp. Fortitudinis, & maximæ perfectionis, quia homo dat pro Deo vitam, quæ eſt primum, & ſupremum bonum hominis. *S.Tho.2.2.q.124.art.2.& 3.*

25 Ad veram rationem martyrij, eſt nè neceſſarium, quòd mors ſit patrata ſtatim ferro, vel igne, vel ſufficit, quod in multo tempore moriatur occaſione data tali morti?

Reſp. Siue mors ſequatur ſtatim, ſiue in tempore longo, vel paruo, ex carcere, vel exilio, vel aliâ occaſione data à tyranno, ſemper erit iſte martyr, quia in martyrio non attenditur tempus, neque violentia ferri, vel ignis, ſed ſolũ, ꝙ quis moriatur pro fide, & quòd in odium fidei interficiatur, ſiue ſit ferro, ſiue exilio, ſiue carcere, ſiue fame, ſiue inedia, dummodo talis pęna directa ſit ad mortem illius in odium fidei, & cauſetur ex tali pœna. *S.Tho. 2.2.q.124.art.4.*

26 Sufficit ad veram rationem martyrij, vt quis ſolùm moriatur pro fide, vel neceſſario requiritur, vt tyrannus illum occidat in odium fidei, & non ex alia cauſa, vel delicto, & quòd martyr voluntariè pro fide martyrium patiatur?

Reſp. Nõ ſufficit vnum ſine altero; neceſſariò enim requiritur, quòd tyrannus in odium fidei, & non ex alia cauſa, vel delicto eum occidat, & quòd martyr voluntariè pro fide patiatur mortem, quia vnum ſine alio non conſtituit veram rationem martyrij.

28 Si quis habeat voluntatẽ moriendi pro fide Chriſti, & animo ferendi martyrium ſe confert ad infideles, & apud ipſos moriatur ex aliqua infirmitate, iſte erit nè verè martyr?

Reſp. Erit martyr quoad affectum, ſed non re, & opere, ſeù realiter.

29 Si aliquis Maurus occidat Chriſtianum; quia cõmiſit aliquod delictum, vel exiſtimauit ab eo fieri proditionem, & ſimul, quia erat Chriſtianus, iſte talis erit nè martyr?

Reſp. Si delictum, vel ſuſpicio fuit cauſa principalis occidendi taliter, quòd ſi non eſſet Chriſtianus, vel Turca etiam occideretur, talis non erit martyr, quia in hoc caſũ deficit ratio martyrij.

30 Infantes non habentes vſum rationis, neque propriam voluntatem, & effundũt ſanguinem pro Chriſto, ſunt nè verè Martyres?

Reſp. Affirmatiuè, quia fides parentũ ſupplet propriam voluntatem, ſicut in baptiſmo paruulorum. *Caiet.in S.Thom.2.2.q.124.art.1.*

31 Si quis pro veritate, vel pro alia virtute occidatur, erit nè martyr?

Reſp. Affirmatiuè, ſicut Ioannes Baptiſta pro veritate, quam dixit, fuit occiſus, ideò fuit verè martyr, licèt non fuerit occiſus in odium fidei Catholicę, ſufficit, ſi moriatur propter virtutum opera ſecundum quòd referuntur in Deum; nam vt ſic, ſunt quædam proteſtationes fidei, vt habet *S.Thom.2.2.q.124.art. 5.in corpore.*

32 Chriſtiani tenentur ſe offerre martyrio, & dare occaſionem tyranno ad eos martirizandos?

Reſp. Licèt aliqui ſancti ex diuina diſpoſitione ſe obtulerint martyrio, vltro tamen Chriſtiani non debent ſe martyrio ingerere, ſufficit enim, vt ſint parati. *S.Tho.2.2.q.124.art.1.*

33 Quid eſt miraculum?

Reſp. Aliquod rarum, & mirum factum à Deo pręter rerum ordinem per interceſſionem alicuius ſancti, vel per ſuam diuinam voluntatem.

34 Cuius

34 Cuius eſt facere miracula Creatoris, vel creaturæ?
Reſp. Solùm Creatoris, cum ſit res contra, vel præter naturam. *inſt. de iur. natur. §. ſed naturalia. §. minus ergo, inſt. de hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur. l. eius eſt velle, cuius eſt nolle. ff. de reg. iur.*

35 Miracula quare fiunt?
Reſp. Fiunt ob multas cauſas, præſertim, vt Dei potentia oſtendatur, vt ſanctitas alicuius declaretur, vt fides firmetur. *S. Auguſt. in lib. 10. cap. 8. tom. 5. de ciuitate Dei.*

36 Miraculum quas qualitates debet habere, vt verè ſit miraculum, & non res naturalis, vel artificialis?
Reſp. Quod mirabiliter ſit factum à Deo ſine medio naturali, vel contra medium naturale, vt Deus ſanauit luto cæcum, quo naturaliter deberet excæcari, vel quod ſit factum, vbi remedia naturalia non proſunt, vt cum ſanitas acquiritur in deſperato à medicis tactu alicuius reliquiæ, vel viſa eius Imagine, vel oratione, cum remedia naturalia nihil profuerunt. *Bellarmin. tom. 2. lib. 1. de Beatitudine. c. 8. & 9. & c. multi. c. prophetauit. 1. q. 1.*

37 Quare permittit Deus, vt talis ſanctus canonizetur in tali tempore, & non illicò poſt eius mortem?
℞. Hoc miſterium reconditum eſt in abſcondito diuinæ ſapientię, quia ſæpè contigit, vt aliquis ſanctus poſt ducentos, vel trecentos annos poſt eius mortem faciat aliquod magnum miraculum, & tunc inquiratur de eius ſanctitate, & canonizetur, & ſic ſunt plurimi ſancti in Eccleſia Catholica, quorum corpora iacent ignota, & occulta, & quando ſapientia diuina voluerit ſuſcitare aliquod prodigium, vt honoretur, & canonizetur; ſed aduertendum eſt, quòd quando Deus vult manifeſtare ſanctitatem alicuius ſancti occulti, ſemper euenit aliquod miraculum, vel aliquod prodigium in eius ſepulchro, vel in veſte, vel in cadauere, ita vt ex illo prodigio creſcit deuotio populi, & ſuccedant alia plurima miracula vſque dum perueniatur ad eius canonizationem.

38 Eſt nè de ratione miraculi, vt in inſtanti fiat, vel ſufficit, quòd fiat in tempore?
Reſp. Non eſt de ratione miraculi, quòd fiat in inſtanti, nec mediato tempore, quia vtrumque fecit Dominus, aliquos ſanauit in inſtanti, alios leproſos miſit, vt lauarentur in Piſcina Syloæ, ſed de ratione miraculi eſt, vt mirabiliter fiat præter rerum ordinem. *Bellar. tom. 2. lib. 1. de Beatitud. & canonizatione Sanctorum. c. 7. & 8.*

39 Eſt nè de ratione miraculi, quod nullum medium humanum applicatum ad ſanitatem alicuius, vel aliud mirum faciendum ſufficiat?
Reſp. Non, ſed ſufficit, vt medium, quod applicatur, velut aqua, vel medicina, non ſit ſufficiens ad ſanandam infirmitatem, vel tam paruo tempore non poſſit naturaliter eam ſanare. *Surius tom. 2.*

40 Aſſumit nè Deus per interceſſionem Sanctorum aliquando aliquod medium naturale ad faciendum miraculum, vel dandam ſanitatem?
Reſp. Affirmatiuè, imò ferè ſemper infirmi, qui miraculosè ſanantur, quieſcunt, dormiunt, ſudant, expellunt apoſthemas, & acquirunt intra aliquas horas, vel dies ſanitatem, & licèt in alijs infirmis remedia ſint media naturalia ad ſanitatem, in his, qui miraculosè ſanantur, magis ſunt effectus talis miraculi, quam remedium ſanitatis, & ſic euidenter ex præcedentibus apparet, quando quieſcere ſit effectus miraculi per interceſſionem alicuius ſancti, vel quando eſt medium medicinale.

41 Quid requiritur, vt ſanitas dicatur miraculum, & ſit ſufficiens ad canonizandum aliquem ſanctum?
Reſp. Quatuor conditiones. Prima, quod ex Deo, non ex arte diaboli contingat. Secunda, quod ſit contra naturam, vt in Virga Moyſi mutata in ſerpentẽ, & aſino eloquente ad Balaam. cap. cum ex iniuncto de hæreticis. c. re verà, de conſecratione. diſt. 2. quòd non ſolum in verbo, ſed ex merito illius ſancti contingat miraculum ad corroboratione fidei, & miraculum habens has qualitates, eſt ſufficiens ad canonizationem alicuius ſancti. ca p. vnico, de reliquijs, & venerat. Sanctorum lib. 6. *Hoſtienſ. in ſum. eod. tit. cap. teneamus. 1. q. 1.*

42 Requiritur nè, vt probetur frequentia miraculorum per eoſdem teſtes, vel per diuerſos?
Reſp. Pluralitas debet probari per eoſdem teſtes; quia probant idem, & non diuerſa. *cap. venerabili cum ſeq. de teſtib.*

43 Ad canonizationem Sanctorum ſufficiunt nè fieri miracula poſt mortem?
Reſp. Securius eſt, vt probentur poſt mortem, quia in vita poſſunt fieri miracula ab homine, qui non exiſtit in gratia Dei, propter fidem, quam habet, vel propter aliud donum, & quòd iſte talis condemnetur pœnis inferni, ſed miracula facta poſt mortem non habent hoc periculum, *Io. Andr. de reliquijs, & vener. Sanctorum. c. 1. lib. 6. Hoſtienſ. in ſum. de reliq. & vener. Sanctorum.*

44 Poteſt quis habere tantam fidem, vt faciat miracula, & transferat montes, etiam ſi non habeat charitatem?
Reſp. Licèt hoc raro contingat, benè poteſt quis habere maximam fidem, & illa mediante, facere miracula, & non habere charitatem, iuxta illud Pauli Apoſtol. ſi tantam fidem habeam, vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. *c. multi. c. prophetauit. c. teneamus 1. q. 1. Abb. in c. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. nu. 4. c. nec mirum 26. q. 5.*

45 Dæmones, & malefici, poſſunt ne facere miracula, vt portare hominem in aere, transferre montes, & dare ſanitatem infirmis?
Reſp. Solus Deus poteſt facere miracula, iuxta Prophetam, tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus, ſed dæmones non poſſunt facere miracula, & quando faciunt aliquid, quod nobis videtur mirum, eſt, Deo permittente per aliquam virtutem herbarum, vel per potentiam nobis incognitam *S. Thom. p. 1. quæſt. 110. artic. 4.*

46 Quod dicitur preſtigium, & vnde dicitur?
Reſp. Dicitur quaſi præſtingat, vel mutet, vel illudat viſum, vel fallat ſenſum ad videndum aliquid, quod non eſt, vel ad videndum contrarium illius, quod eſt; vt ſi ſit homo, & mihi videatur elephans, & ſic præſtigium non eſt miraculum, imò eſt illuſio mentis, vel oculorum. *S. Tho. 2. 2. q. 95. art. 3.*

47 Poteſt nè faciens miracula venerari pro ſancto?
Reſp. Non ſine licentia Summi Pont. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. tit. de inuocation. & veneration. & reliquijs Sanctorum.*

48 Sunt nè in mundo miracula quotidiana, de quibus homines non habent conſiderationem?

Reſp. Affirmatiuè ſunt plurima aſſidua, & quotidiana opera miraculoſa, vt eſt gubernatio totius mundi, mare, quod cum altius ſit ipſa terra, non trãſit terminos ſuos, creatio animæ rationabilis, & quilibet ſi conſideret ſuam vitam plurima inueniet miracula, quę omnia, ſi non reputantur ab hominibus, vt miracula, eſt, quia aſſiduitate vileſcunt, *tenet D. Auguſtin.*

49 Quotuplex eſt reſurrectio?

Reſp. Duplex, alia perfecta, vt Chriſtus reſurrexit, iterum non moriturus, & in nouiſſima die omnes reſurgent; alia imperfecta, vt qui reſuſcitatus fuit ab Eliſeo, & Lazarus à Chriſto Domino, & plurimi reſuſcitati à Sanctis. *Archidiacon. in c. nemo per ignorantiam, de conſeruatione, diſt. 1. D. Th. 3. p. ſum. q. 53. art. 3.*

50 Suſcitatus à mortuis poterit recuperare ſua bona, videlicet ſuam dignitatem, & officium, canonicatum, diuitias, rem familiarem?

Reſp. Affirmatiuè; quia eſt idem homo, & teſtamẽtum eius reuocatur, & ſic acquirit omnia ſua bona: hoc intellige, ſi reſurgat iterum moriturus, ſed ſi reſurgat in corpore glorificato, nõ habet neceſſitatem bonorum ſuorum; iam enim eſt de altero Regno, & ſic teſtamentum eius non reuocatur. *Bald. in l. 1. in repetitionibus. C. de Sacroſanctis Eccleſiis. l. ſi marito, ff. ſol. matr.*

51 Qui ordo obſeruatur in canonizatione Sanctorum?

℞. Primò fama ſanctitatis illius defuncti, & plurimę preces Regum, vniuerſitatum, clericorum, populi, vel religionis petentis talem canonizari ob bonam vitam, & miracula. Secundò, quòd inſtantia ſupplicationum continuetur, & miracula durare dicantur. Tertiò, Summus Pont. debet committere aliquibus Epiſcopis viris probis patriæ, vel conuicinis illius sãcti, vt inquirant de fama in generali, & ſanctitate, & ei referant. Quartò Summus Pont. requiſito conſilio Cardinalium determinat, an ſint faciendę informationes, & probationes de tali ſancto, & de eius vita, & miraculis ſummus Pontif. committit in forma eiſdem Epiſcopis, vel alijs viris probis, vt in particulari faciant proceſſus, & informationes de ſanctitate, vita, & miraculis illius viri Dei, exactè, diligenter, & fideliter ſecundum articulos, & interrogatoria, quę ſimul cum Bulla tranſmittant, & quod inuenerint, remittant obſignatum ſuis ſigillis. Sextò Summus Pont. committit aliquibus ſacri palatij Auditoribus dictas informationes videndas, & examinandas. Septimo, Summus Pont. examinat cum Cardinalibus dictas informationes, & ſententias illorum, quibus commiſit eas examinandas. Octauo ſummus Pont. in Conſiſtorio narrat Cardinalibus ea, quę in informationibus continentur, & requirit eorum conſiliũ. Nono aſſignatur certus dies in certa Eccleſia ornata luminaribus accenſis, in qua conueniunt Papa, Cardinales, Clerus, & populus, & hortantur, vt omnes orent, ne Deus permittat Papam errare in illa declaratione. Decimò, flexis genibus fit oratio, & deuotè cantatur, Veni ſancte Spiritus, vel alius Hymnus, ſeu Antiphona conueniens. Vndecimo, poſtea ſurgit Summus Pontif. ab oratione, & definit illum ſanctum eſſe Cathalogo ſanctorum conſcribendum, & feſtum ſuum tali die colendum. Duodecimò, poſtea cantatur, Te Deum laudamus, & Papa celebrat Miſſam in honorem illius Sancti. D. Antonius communiter ſcribentes in cap. 1. de reliquijs, & venerat. Sanctorum.

52 Papa tenetur neceſſariò ſeruare hanc formam canonizationis?

Reſp. Non, ſed poteſt ſine hac forma canonizare ſanctum, quia ipſe eſt conditor legis, & poteſt commutare, ſeruare, & non ſeruare leg. digna vox, *Codic. de legibus leg. Princeps, ff. de legibus, & ibi ſcribentes,*

53 Papa debet nè facilè dare commiſſionem ad faciendas informationes?

Reſp. Non, ſed magna cum conſideratione, tempore intermedio, vt in illo videatur, an fama, & miracula contineantur. *Abb. in c. 1. num. 5. de reliquijs, & venerat. Sanctorum.*

54 Quibus debet Summus Pont. committere inquiſitionem ſuper vitam, & ſuper miracula alicuius ſancti?

Reſp. Viris doctis, & probis, quibus ipſe voluerit, ſed pręcipuè committitur viris in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis; vt Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & his deficientibus, dignitatibus, & canonicis Eccleſiarum Cathedralium. *tenet Io. Andr. ſuper c. 1. de reliquijs, & vener. Sanctorum,*

55 Qui teſtes ſuper miracula debent recipi?

Reſp. Familiares propinqui, parentes, pater, & mater, qui fuerunt parentes, qui maiorem cognitionem illius miraculi habent, medici, chirurgi, qui medicauerunt talem infirmum, & ſciunt remedia medicinę non profuiſſe talibus infirmis. *capit. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, capitul. venerabili, de teſtibus,*

56 Quas qualitates debent teſtes habere?

Reſp. Debent eſſe bonę vitæ, & famæ, qui ſubſtententur ex ſuis redditibus, ſi fieri poſſit, timentes Deum, qui frequenter recipiunt S. Euchariſtię ſacramentum, & omni exceptione maiores. *Io. Andr. in c. venerab. de teſtibus.*

57 Teſtis deponens de miraculis quomodo debet examinari?

Reſp. Solus, ſecretè, & ſigillatim, *cap. venerabili de teſtibus.*

58 Qui ordo ſeruatur in formando proceſſu ſuper vita, & miraculis alicuius ſancti, ex commiſſione ſummi Pontificis canonizandi?

Reſp. Primò, duo commiſſarij, vel tres, ad quos venit commiſſio directa, ſe conueniunt in aliqua Eccleſia, vel ſacriſtia, & pręſentata commiſſione à Procuratore illius religionis, vel perſonę, quæ inſtat pro canonizatione, antiquior, vel dignior eorum iudicũ eam aperit, obedit, & oſculatur, & ponit ſupra ſuum caput, & dat coniudicibus, & hęc omnia ſcribuntur à Notario.

59 Probatio miraculorum, & bonę famę, vitęque, quomodo erit facienda?

Reſp. Per legitimos teſtes. *cap. 1. c. 2. de reliquijs, & veneratione Sanctorum. c. venerabili de teſtib.*

60 Cum teſte ante excommunicationem, quid eſt faciendum, vt eius teſtimonium ſit validum?

Reſp. Eſt citandus à curſore, & pręſentandus ante Iudices à Procuratore, deinde debet iurare tangendo Euangelia ſe dicturum veritatem, & hęc omnia debent ſcribi cum hora, die, menſe, & anno.

61 Teſtis debet ne dicere teſtimonium, & iurare eodem die?

Reſp. Non,

Reſp. Non,ſed vno die debet iurare,& admoneri,& altero die dicere teſtimonium;quia res eſt tanti momenti, vt teſti detur tempus, vt ſuum dictum conſideret?

65 Teſtis cum dicit, debet ne iurare?
Reſp. Debet,propter negotij grauitatem in principio depoſitionis.

62 Poſt depoſitionem quid eſt perſuadendum teſtibus?
Reſp. Vt taceant, & nemini dicant ſuam depoſitionem. *c. Venerabili, de teſtib.*

63 Teſtis in qua lingua debet dicere,& in qua lingua debet Notarius ſcribere?
Reſp. In proprio idiomate, quo loquuntur in illa vrbe,vel Prouincia,licèt teſtis ſciat linguam latinam & inſcribi debent primum ea omnia,quę dixit verbis ipſis, quibus depoſuit.

64 De quibus rebus debent teſtes interrogari?
Reſp. De contentis in interrogatorio ſigillatim per articula illa, ad quæ fuerunt à procuratore præſentati. *Abb.in c.venerabili, de teſtibus.*

65 Teſtis poſt depoſitionem debet nè ſe ſubſcribere?
Reſp. Si ſciat ſcribere, debet, & ſi non ſciat, debet explicare ſe neſcire ſcribere, & pro eo debet Notarius ſe ſubſcribere. *c.venerab.de teſtib.*

66 Iudices debent ſe ſubſcribere in omnibus depoſitionibus teſtium?
Reſp. In omni dicto cuiuſcumque teſtis, Iudices, & Notarius debent ſe ſubſcribere propter maiorem legalitatem, & in omnibus actibus idem debent facere.

70 Quis debet taxare expenſas Notario, Curſori, ſcribentibus, & laborantibus?
Reſp. Iudices cum moderatione ſecundùm laborem cuiuſcumque.

71 Legalizatio proceſſus,coram quibus debet fieri?
Reſp. Corā duobus Notarijs, & omnibus Iudicibus.

72 Subſcriptiones Notariorum quomodo debet poni in proceſſu.
Reſp. Cum ſuis ſignis,& debent illi duo Notarij legalizari, & eorum ſigna à tribus Notarijs illius ciuitatis, vel Prouinciæ, ſi non fuerit copia in illa Ciuitate.

73 Vltimò, quid debet fieri à Iudicibus?
Reſp. Debent ſcribere litteram ſummo Pontifici, vbi exponant quanta fides teſtibus ſit adhibita,& de veritate illius negotij, & tranſumpta ſigillata tradere curſori,vel perſonę certæ, & ab ea recipere cautelam,quæ tradet proceſſum in curia Romana,& portabit fidem.

73 Originalia, vbi debent remanere?
Reſp. In archiuio curiæ illius diœceſis, vbi ſumma diligentia cuſtodiantur.

75 Si caſu perditum fuit tranſumptum, poteſt aliud tranſumptari, ſine noua commiſſione?
Reſp. Poteſt ab eiſdem iudicibus ſine noua commiſſione,quia eorum iuriſdictio durat vſque recipiatur in Romana Curia tranſumptum.

76 Finita probatione quid debet fieri?
Reſp. Procurator debet dare petitionem, dicendo ſe non habere plures teſtes, & petere, vt dicta,& informationes collationentur, & tranſmittantur ad Romanam Curiam,& Iudices debent per actum hoc pronunciare.

77 Finitis informationibus quid eſt faciendum?
Reſp. Iudices debet ſimul videre collationem omnium informationum,& attentè emendare,& in fine ſe ſubſcribere.

CAPVT XXXII.

De dæmoniacis,& oppreſsis à dæmone.

1 Diabolus vnde dicitur?
Reſp. A die nomine græco, quod eſt duo, & bolus, quod eſt Morſellus, quia duo occidit, ſcilicet corpus, & animam: etiam dicitur diabolus clauſus ergaſtulo, quia non permittitur ei nocere quantum vult; ſed eſt clauſus quaſi in ergaſtulo; etiam dicitur diabolus, ideſt defluens, quia defluxit, & corruit è cælo. *Malleus maleficorum, quæſtion. 4. part. 1.*

2 Dæmon vnde dicitur?
Reſp. Eſt nomen græcum, & dicitur dæmon, ideſt ſapiens ſuper ſanguinem,hoc eſt ſuper peccata, quæ ſitit,& procurat, vt homines committant. *Malleus malefic.q.4.p.1.*

3 Diaboli ſunt ne eiuſdem ſpeciei?
Reſp. Non, ſed inter ſe differunt ſpecie, ita vt vnus non ſit ſpeciei alterius, Sanctus Dionyſius de cęleſti Hierarchia, *quem citat Malleus maleficor. quæſt.4. part. 1.*

4 Dæmonium cuius naturæ eſt?
Reſp. Eſt ſpiritualis,& angelicæ naturæ, & propter ſuperbiam è cælo cecidit.

5 Dæmonia habent nè cognitiones ſcientiarum, herbarum, lapidum, animarum, & aliarum rerum.
Reſp. Habent ſcientias, quas Deus infudit illis in inſtanti ſuæ creationis, & licèt ſint Dæmonia ex omnibus Hierarchijs, inferior habet omnes ſcientias.

6 Dæmones quomodo prophetizant aliquando futura?
Reſp. Sæpè mentiuntur, ſed quando dicunt veritatem,illam colligunt ex prophetijs, ex coniecturis,ſicut nos aliquando ex re,quæ ſucceſſit, diuinamus finem talis rei.

7 Vbi cruciantur Dęmones?
Reſp. Partim in inferno, partim in aere, ſecundum diuinam voluntatem.

8 Angeli, ſiue boni, ſiue mali, vbi ſunt?
Reſp. Vbi operantur.*S.Thom.2.ſententiarum diſt.37. quæſt.3.art.1.*

9 Dęmonia, quę deputantur ad exercitium hominum, ſunt nè in inferno?
Reſp. Sunt in hoc aere caliginoſo, non in inferno, ſed in die vltimo iudicij ibunt in infernum crucianda ſine fine. *Malleus malefic.q.4.p.1.*

10 Dęmones timent abyſſum?
Reſp. Affirmatiuè,& ſic petierunt à Chriſto Domino, vt non mitterentur in abyſſum. *Luc.8.c.*

11 Quo igne cruciantur, materiali, vel ſpirituali?
Reſp. Materiali.

12 Quomodo ignis materialis cruciat dęmones, qui ſunt ſpiritus?

Reſp. Per diuinam voluntatem hoc permittentem agit ignis materialis fortiſſimus in naturam incorpoream, & ſpiritualem?

13 Licet nè clericis exorcizantibus eorum nomen quærere?

Reſp. Affirmatiuè, & eſt neceſſarium, vt ſciatur, an ſit vnus, vel plures, vt Chriſtus quæſiuit. *Luc. c. 8. quod tibi nomen eſt.*

14 Quomodo vocantur dæmones in ſcriptura ſacra?

Reſp. Pluribus nominibus, ſed præcipuè vocãtur patres mendacij, quia ipſi prius dixerunt mendacium, & quilibet dæmon ſuum habet particulare nomen.

15 Dæmon intrat nè in corpus hominis verè, & realiter, vt illum cruciet?

Reſp. Affirmatiuè, quia hoc conſtat ex Euangelio, erat Ieſus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum, & ex alijs pluribus locis.

16 Dæmon per quas partes intrat in hominem, & exit?

Reſp. Poteſt intrare per quaſcumque partes, ſed præcipuè intrat, & exit per os, & per ſeceſſum. *Tyreus de dæmoniacis, c. 4. & 5.*

17 Dæmon propria virtute poteſt nè intrare in corpore, vel in aliqua parte corporis?

Reſp. Non, ſed diuina permiſſione, ſine qua non poteſt lædere corpus Chriſtiani, neque Mauri, neq; eorũ bona, neq; animalia, neque excitare tempeſtates, neque facere ruinas, neque tonitrua, neq; alia damna.

18 Dæmon eſt nè ſemper in toto corpore, vel in aliqua parte corporis?

Reſp. Aliquando eſt in toto corpore, & aliquando in aliqua parte, ſed adhoc, vt affligat totum corpus, non eſt neceſſarium, vt ſit in toto corpore per præſentiam, ſatis eſt enim, vt ſit in aliqua parte corporis ſecundum ſubſtantiam, & ſit præſens per operationem; maior eſt enim ſphera actiuitatis dæmonum, quàm præſentia ſubſtantialis. *Tyreus de Dæmoniacis, cap. 4. & 10.*

19 In qua parte corporis exiſtit Dæmon?

Reſp. Præcipuè in corde, quod eſt principium operationis in homine. *Tyreus, de Dæmoniacis. c. 10.*

20 Dæmon poteſt nè aliquid facere ſupra humanam voluntatem?

Reſp. Non, neque in eam habet poteſtatem. *Abul. ſuper c. 8. Matth. q. 101.*

21 Quare dæmones appetunt intrare in hominem?

Reſp. Quia illũ odio mortali habent; ratio eſt, quia cum ſit inferioris naturæ intrat in beatitudinem ad occupandas ipſorum ſedes. *Abulenſ. ſuper c. 13. Gene.*

22 Dæmones in quorum corpora volunt magis intrare, in corpora iuſtorum, vel in corpora malorum?

Reſp. In corpora iuſtorum, quos magis perſequuntur; quia malos iam habent in ſua poteſtate, cum peccator ſit ſub poteſtate diaboli.

23 Quot ſunt modi, quibus dæmon intrat in corpus hominum, vt eos affligat, & qui vocantur dæmoniaci?

Reſp. Multi. Primò aliquando dæmon ambulat in circuitu hominum eos terrendo. Secundò intrat in veſtes illorum hominum, quibus induti ſunt. Tertiò intrat intra carnem, & cutem. Quartò intrat, & reſidet in aliquo membro particulari hominis. Quintò, incorporatur in toto eius corpore. *Malleus maleficor. lib. 1.*

24 Quando homo habens dæmonium loquitur in lingua, quam non audiuit, vel diſputat in ſcientia, quam non didicit, vel loquitur blaſphemias, vel eleuatur in altum, vel extinguit aliquam lucernam, quomodo hæc fiunt ab illo corpore?

Reſp. Dæmon tunc habet poteſtatem ſuper quinq; potentias exteriores corpori alligatas, & ſuper quatuor potentias interiores, ſcilicet ſenſum communẽ, phantaſiam, ſiue imaginatiuam, æſtimatiuam, & memoratiuam, & mediantibus illis potentijs aliquando exterioribus, aliquando interioribus operatur illa opera mira extraordinaria. *Malleus malefic. lib. 1.*

25 Dæmon poteſt nè eſſe intra animam hominis?

Reſp. Non poteſt eſſe intra animam, quia eſſe intra aliquẽ, eſt eſſe intra terminos eius; anima enim nullas habet dimenſiones, nec terminos, cum ſit indiuiſibilis, ſolũ corpus habet dimenſiones ratione quantitatis, qua informatur, & extenditur; quapropter nõ poteſt dæmon claudi intra terminos animæ; poteſt tamen intra terminos corporis. *Abulenſ. q. 113. ſuper cap. 8. Matthæi.*

26 Quomodo affligitur anima illius hominis, qui habet dæmonium, ſi in anima nullam habet poteſtatẽ?

Reſp. Quia ex corporis cruciatu, & afflictione anima valdè retardatur in ſua operatione, ne ita liberè, & feruidè ſpiritualibus vacet, & ſic affligitur, ſicut infirmus grauitate morbi non operatur anima tanto feruore, ſicut ſi eſſet ſanus. *Sanchez lib. 2. c. 42. de dæmoniacis, in decalogo. Tyreus c. 2. de dæmoniacis.*

27 Dæmones intra corpus animalium intrant ne?

Reſp. Aliquando intrant, vt intrauerunt in porcos ad nocendum hominibus in bonis. *Matth. c. 8. q. 101.*

28 Dæmon terret ne in ſomnis aliquem, & quomodo fiunt, & excitantur iſtæ viſiones, & phantaſia?

Reſp. Species, quæ repoſitæ ſunt in conſeruatorijs potentijs, excitantur à dæmone commutatione ſanguinis, & humorum, vnde principia ſenſitiua, idest interiores potentiæ animæ ferè ſemper commouentur ex his, quæ vigilantes viderunt, audierunt, meditati ſunt, vel locuti ſunt, & inde prouenjunt tales phantaſiæ, vel viſiones nocturnæ tam vehementes, vt homines faciant ſudare, contremiſcere, quæ ſemper ſunt maiores, vel minores ſecundum complexiones, vel qualitates hominis. *Malleus malefic. p. 1. q. 7.*

29 Dæmonia intrant nè in beſtias agri, in ſegetes, & fructus terræ?

Reſp. Faciliùs, quàm in hominibus, vt ipſis noceant deſtruendo animalia, & fruges præparatas ad ſuſtentationem generis humani, & ad ſeruitium hominis. *Malleus malefic. p. 2. q. 2. c. 1.*

30 Quibus remedijs fugantur dæmones à beſtijs, & frugibus, nec non etiam locuſtæ?

Reſp. Signo crucis, exorciſmis ab Eccleſia inſtitutis, reliquijs, & interceſſione Sanctorũ, orationibus piorum, & locuſtæ excommunicantur, & prodeſt ſæpè ad earum extirpationem, ſed hæc omnia agẽda ſunt cum fide in Deum, & bona conſtantia ſacerdotis. *Malleus malefic. p. 2. q. 2. c. 1.* etiam palmæ, & oliuæ benedictæ in Dominica azymorum poſitæ ſupra arbores in modum crucis fugant dæmones, & tempeſtates, & ſeruant fructus illæſos per virtutem datam benedictionibus. *Malleus malefic. p. 2. q. 2. c. 7.*

31 Quot ſunt cauſæ, quare homines à dæmonibus occupantur, & quare Deus hoc permittit?

℞. Primò, ad oſtentationem diuinæ poteſtatis. Secũdò, ad oſtentationem fidei, quia aliqui negantes eſſe dæmo-

dæmones, negant eſſe infernum. Tertiò, vt homines timeant illos nominare. Quartò ad oſtendendam Dei virtutem, qui eos expellit. Quintò ad oſtendenda merita ſanctorum, & virtutes imaginum B. Mariæ, & aliorum ſanctorum, ad quorum præſentiam expelluntur. Sextò propter peccatum proprium aliquando graue. Septimò pro peccato ſolùm parentũ, vel maiorum. *Abulenſ.q.122.ſuper c.8. Matthei Malleus maleficor.c.10.p.2.q.1.*

32 Quæ peccata ſunt iſta, propter quæ Deus permittitur dæmon, intret in corpus humanum?
Reſp. Plurima, & diuerſa, ſed præcipuè quatuor. Primò, cum quis eſt dubius in fide. Secundò, cũ quis aſſuetus eſt dicere plurima mendacia, & illa affirmare cum iuramento, præcipuè in damnum aliorũ, cum Dęmon ſit pater mendacij, iuſtę intrat in ſuos filios. Tertiò, cum quis multum iurat, & blaſphemat de Deo. Quartò cum quis ſiue pater, ſiue mater ſe, vel filios maledicit, & commendat dæmonibus, & ſæpè ſæpius nominat dæmonia, iuſtè ab eis poſſidetur. *Malleus malefic. vbi ſup.*

33 In hominem iuſtum, qui eſt ſine peccato mortali & eſt in gratia, & eſt habitaculum Spiritus ſancti, poteſt ne dæmon intrare?
Reſp. Poteſt permittente Deo in eius corpus ad maius eius meritum, licèt hoc raro contingat, ſed anima illius iuſti ſemper ſalua erit, ſicut in libro Iob legitur eſſe in manu tua, idest in poteſtate tua eſt Iob, veruntamen animam eius illæſam ſerua: quam Deus ſibi ſeruauit.

34 Quibus modis cognoſcitur, quòd dæmon intrauit in corpus alicuius hominis, vel mulieris?
Reſp. Hòc potiùs eſt ſciens diuinè, quàm humanæ; ſed conſideratis vita, ſtatu, vitijs, conditionibus, exercitijs talis hominis, poterit à poſteriori colligi, vel iudici talis cauſa; vt ſi eſt religioſus nouitius deditus vitæ ſpirituali, eſt miles, vel blaſphemus, ex his coniecturis poterit cauſa adumbrari.

35 Dæmon aſſiſtit ne ſemper in illo corpore, in quod intrauit, vel illud aliquando deſerit?
Reſp. Aliquando intrat per vnam, vel duas horas, & poſtea exit, & in alio loco moratur, aliquando aſſiſtit in aliquo membro illius hominis, & illud deſerit per tempus, vt operetur ſenſibus ſuis, ſicut ſi non haberet dæmonium.

36 Si quis erat in peccato mortali, cum dæmon eius corpus occupauit, & fuit ſtrepitus, & ad tempus eius ſenſus deſeruit poterit iſte homo confiteri, & acquirere gratiam dæmone ſtante intra eius corpus?
Reſp. Poterit in illo tempore pęnitere, habere contritionem, ſumere Euchariſtiam, & acquirere gratiam; quia ille homo in illo tempore habet liberum arbitrium.

37 Quibus oppreſſis à demone ſacramentum Euchariſtiæ non eſt dandum?
Reſp. In hoc caſu habendũ eſt ratiò, ſicut de amentibus, ſi oppreſſi priuati ſunt ſuo ſenſu, non eſt dandum; ſi verò non ſint priuati, quia ad tempus Diabolus deſeruit eos, & habent contritionem; & petunt ſacramentum, tunc dandum eſt eis; quia eſt remedium efficaciſſimum; in furia verò non eſt dandum propter periculum, etiam ſi habeant aliquem ſenſum, ſemper eſt aduertendum, quòd quando datur ſacramentum Euchariſtiæ, ſint in toto ſuo ſenſu, ſicut alij homines, qui non habent dæmonium. *Malleus maleficor. part.2.quæſt.2.c.5.*

38 Obieſſi à dæmonibus manent ſemper in ciuitatibus?
Reſp. Non, quia aliquando manent in montibus, & agro, & in monumentis incitati a dæmone. *Abulenſ. q.98.ſuper c.8. Matth.*

39 Quare dæmoniaci ſolent eſſe adeo fortes, & ſæui, vt nullus poſſit eos ligare, cum alias ſint perſonę delicatæ, vel virgines tenerę?
Reſp. Propter magnitudinem virium, quia exiſtentibus dæmonibus in eis, ſunt magnæ vires, & faciunt plurima, quæ ſuis viribus facere non poſſunt. *Abul. q.100.ſuper Matth.c.8.*

40 Dæmoniacus quare aliquando adorat crucem, imaginem Virginis, & reliquias, cum ſit ſuperbus, & inimicus crucis?
Reſp. Quia cogitur hoc facere virtute Dei, & B. Virginis, mediantibus exorciſmis, & etiam ſolent id facere ex timore; quia torquetur nimis, & timet, ne magis torqueatur à clerico exorcizante. *Abulenſ. q. 104.ſuper c.8. Matth.*

41 Quando dæmon relinquit hominem, & non recordatur poſtea homo, quid fecerit, anima illius quo modo erat, dum hæc fiebant?
Reſp. Ille homo erat ſicut dormies, & ſic poſtea nihil recordatur, neq; refert, quid facit, cum eius potentiæ eſſent à Diabolo occupatæ, & læſæ per illud ſpatium temporis, & ſic exiſtit quaſi mortuus. *Malleus maleficor. vbi ſup.*

42 Si ſint plures dæmones in corpore, debent omnes ſimul exire?
Reſp. Benè poteſt exire vnus, & alij remanere, & poſſunt omnes ſimul exire. *Tyreus, de dæmoniacis, capit.4.& 5.*

43 Quomodo exiſtit dæmon in homine dæmoniaco, qui ab eo vexatur?
Reſp. Duplici modo. Primò, per preſtigioſam illuſionem, quæ interdum fit ſuper ſenſus exteriores, interdum ſuper interiores vſq; ad ſenſum exteriorem, quæ fit abſq; eo, quòd dæmones intrent in potentias interiores illas occupando, ſed ſolùm exterius illudendo. Secundo, cum demon occupat caput, & potentias talis hominis, & intrat in eum. *Malleus maleficor.c.9.p.2.q.1.*

44 Dæmones quando arripiunt homines, ſunt intra corpus, vel extra?
Reſp. Aliquando ſunt extra corpus, aliquãdo in veſtibus hominis, & aliquando intra corpus hominis, vel mulieris. *Abulenſ.q.113.ſuper c.8. Matth.*

45 Quando ſunt extra corpus hominis, quando operantur, & faciunt, vt tales homines faciant diuerſas res &c.
Reſp. Primò, tunc dęmones operantur per ſolam applicationem virtutis motiuæ ad impellendum hominem, & ſic faciunt, vt incidat in ignem, & ſe laceret, & alia, licèt hæc multoties fiant, cum eſt dæmon intra corpus, quia melius poteſt cogere talem hominem ad mouendum ſe, quam ſit extra manſerit. *Abulenſ.q.113.c.8. Matth.*

46 Quomodo cognoſcitur, an dæmon ſit intra corpus, vel extra?
Reſp. Quãdo loquitur diuerſa lingua, vel res difficiles quas nõ audiuit, eſt neceſſe, vt ſit intra corpus, quia locutio fit per motus organorum interiorum, quæ à dæmone immediatè mouentur, & non poteſt illa mouere,

mouere, niſi intra corpus, & in ventre, & in pulmone, quia pulmon ſuâ motione eſt principale inſtrumentum locutionis. *Abulen. queſt.* 113. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

47 Quomodo dæmon, & anima rationalis ſunt ſimul in eodem corpore, cum vterque ſint ſpiritus?
Reſp. Diuerſo modo, quia anima non eſt in corpore ſicut in loco, ſed ſicut forma in materia; dæmon verò eſt in corpore, vt in loco, veluti eſt motor in mobilis, quia dæmon, & Angelus ſunt in loco, vbi operantur per operationem. *Abulenſ. quæſt.* 113. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

48 Dæmon poteſt ne mutare ſenſus hominis, & potentias exteriores, in quo intrat, ita vt illi videatur ſe videre montes, ſerpentem, prodigia, & alia, quæ ibi non ſunt?
Reſp. Poteſt, quia dæmon operatur in illo corpore, & facit, vt illi appareat, quod mouentur parietes; imò in ebrijs vitium facit, vt appareat illis, moueri cubiculum, noctem eſſe, quia lędit eius potentias, itaquè fortiùs dęmon poteſt operari. *Abulen. quæſt.* 115. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

49 Dæmon poteſt ne mutare potentias interiores ſenſitiuas, ſcilicet ſenſum communem, phantaſiam, ſiue imaginatiuam, & memoratiuam?
Reſp. Affirmatiuè, quia ſenſus interiores non differunt ab exterioribus, & ideò eandem vim habent ad immutandas interiores. *Abulenſ. quæſt.* 116. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

50 Dæmon poteſt immutare intellectum, & operari circa illum?
Reſp. Non poteſt, quia non habet potentiam ſuper animam, cuius dominium perfectum ſolius Dei eſt præter ipſum intelligentem, vt ait *S.Tho.* 1. *p.* & ratio eſt, quia ſi non poteſt cognoſcere dęmon operationes liberas voluntatis, nec poterit cognoſcere operationes intellectus, quia in hoc radicatur libertas.

51 Dęmon poteſt ne mutare voluntatem hominis?
℞. In quantum eſt voluntas, non poteſt directè, neq: indirectè illam mutare, quia non poteſt agere in animam, neque in potentias animæ ſpiritualis, & voluntas non dependet à corpore quantum ad actum, licèt enim parte requirat anima ſpecies, & obiectum internum, ipſa tantùm eſt ſola domina ſuarum operationum, nempè intellectus, & voluntatis; vnde ſicut quoad eſſe ipſa ſola anima inter cauſas creatas eſt ſola domina, ita quoad cognoſci, & quoad immutationem eſt ſola domina; colligitur ex *D.Th.* 1. *p.q.* 56. *art.* 4. *Abulenſ. q.* 118. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

52 Dęmon imprimit ne in voluntate, quod vult?
℞. Non, ſed ſolus Deus Prouerbiorum 12. cor Regis in manu Dei eſt, ideſt voluntas. *lege S.Th. vbi ſup.*

53 Quomodo multi dęmones poſsūt eſſe in homine?
Reſp. Quia non habent quantitatem, & ſic poſſunt eſſe plurimi in quolibet homine. *Abolenſ. q.* 136. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

54 Dæmones, vel Magi poſſunt facere, vt homines tranſmutentur in beſtias, vt in equum, vel capram, vel aſinum, vel bouem?
Reſp. Veræ tranſmutationes, & reales non poſſunt fieri à dęmonibus, ſed ſi aliquando appareant, apparent ex pręſtigioſa apparentia, & ſic imaginatio videntis illuditur. *Albert. in lib. de animal.*

55 Dęmon poteſt ſumere formam ſacerdotis?
Reſp. Poteſt, & etiam monachi; & contigit, vt dęmō prędicans populo in forma ſacerdotali agnoſceretur à ſancto viro. *Malleus maleficor. q.* 1. *p.* 2. *c.* 9.

56 Quomodo Dæmon loquitur diuerſis linguis per linguam hominis, vel mulieris, in quibus poteſtatem habet, & diſputat de difficultatibus ſcientiæ, quam non ſciuit, neque didicit?
Reſp. Tribus modis. Primo loquitur etiam ſi nō habeat organa ad loquendum, vt quando dęmon, vel Angelus format ſibi corpus ex aere, & vapore terreſtri, & loquitur intra illud, & format aliquas voces artificialiter, quæ videntur eſſe voces articulatę, & tamen non ſunt. Secundo, modo loquitur, cum intrat in aliqua animalia, vt in porcum, quod animal habet organa locutionis non ita formata, ſicut homo, & per ſe non poteſt tale animal loqui, tamen dæmon accipit illa organa, & cum eis loquitur, & aues ſicut Pſaticus, Turdus, aliquando formāt aliquam vocem, ſed male, & ſic dæmon locutus eſt Euę per ſerpentē, Geneſis 3. & Numerorum 22. & Angelus locutus eſt per Aſinam Balaam 3. vt voluit; nonnulli loquitur per homines, & mulieres habentes organa, loquendo, & mouendo eorum linguas, & format voces ſicut ipſe homo, cum non erat oppreſſus. *Abulenſ. q.* 114. *ſuper c.* 8. *Matth.*

57 In quibus cognoſcitur, quod dęmon eſt intra corpus hominis, & loquitur ipſe, & non homo?
Reſp. Primò, quando loquitur talis homo de rebus altiſſimis lingua, quam non didicit. Secundò, quando ſcientia vtitur in proprio idiomate, quam ipſe non audiuit, neque didicit: Tertiò, quando fit ſanę mentis, & neſcit reſpōdere de ijs, de quibus primò diſputabat. Quartò, quando cognoſcit res occultas, vel prophetizat, ſicut Saul, quando arreptus prophetabat occulta, & puella, quę habebat ſpiritum Phytonem act. Apoſtolorum. c. 16. Quintò, contremiſcere ad ſacra, vel ante imaginem habere torſiones, furores, horrere diuina, dolere ad pręſentiam imaginis, vel reliquię. Sextò inflatio repentina membri, vel corporis. Septimò habere vires ſupra ętatem, vel naturam: hęc ſunt ſigna, quod aliquis dęmon eſt in illo corpore.

58 Quando dęmon loquitur per hominem, in quem intrauit, eſt ne in poteſtate illius hominis tacere, vel loqui?
Reſp. Non, neque poteſt ipſe homo tacere, nec loqui, quę vult, ſed ea, quę diabolus, vel Angelus vult; quia homo tunc eſt oppreſſus, & ligatus à dęmone, & quaſi dormiens, & Deo permittente, dęmon vtitur ſuis organis, format voces, quas vult, vt patet in Balaam 7. num. 24. qui volebat maledicere Iudæos, & conabatur hoc facere, tamen Angelus mouebat, & vertebat linguam eius, & impellebat, vt benediceret. *Abulenſ.* 114. *ſuper c.* 8. *Matthæi*.

59 Dęmones poſſunt ſuadere dęmoniacos ad peccandum?
Reſp. Poſſunt, ſed ſicut ſuadent alios homines ad peccandum. *Abulenſ. q.* 119. *ſuper c.* 8. *Matth.*

60 Ea, quę arreptitij, ſeù demoniaci faciunt, vt quando dicunt blaſphemias, dum à dęmone occupantur, ſunt peccata, vel non?
℞. Si faciunt per violētiam, non eſt peccatum, etiā ſi occidant hominem, propter defectum libertatis in tali caſu; nam coacti faciunt talem occiſionem, & dicunt talem blaſphemiam, ſicut cum aliquis violenter ſumit manu alterius, & facit, vt faciat occi-
ſionem

ſionem alicuius; ſi verò ſunt ſui iuris, & dæmon ſolùm ſuadeat malum, vel imprimat malam ſuggeſtionem, tunc peccant, quia habent propriam voluntatem. *Abulenſ.q.119.ſuper c.8.Matth.*

61 Dæmon quomodo torquet homines?
Reſp. Per motum localem eijciẽdo eos in ignem, in aquam, in terram, alterando eorum humores, ex quorum alteratione dolor capitis, aut alterius partis corporis inſurgat; poteſt eos occidere, ſi Deus permittat, & plurimos de facto occiderunt, videlicet ſeptem viros Sarræ, Iob 3. & in Egypto occiderunt omnia primogenita hominum,& pecoris. *Exodi 12. Abulenſ.q.120.ſuper c.8.Matth.*

62 Quod corpus ſumit dæmon, cum videtur à maleficiatis, quæ vulgo vocantur bruxas?
Reſp. Aereum corpus, quod aliquo modo eſt terreſtre, in quantum habet terræ proprietatem per condenſationem, & vapores craſſos formatum. *Malleus maleſ.p.2.q.1.c.4.*

63 Angeli boni quomodo apparent hominibus, an in viſibili forma, vel inuiſibili?
Reſp. Viſibili forma, imò ſancti apparent aliquando bonis hominibus, vt eos confortent, aliquãdo malis, vt eos puniant, vel à ſuis vitijs emendent. *Malleus maleſic.c.4.p.2.q.1.*

64 Poteſt ne dæmon infrigidare aliquas perſonas, vt non poſſint generare, ſeù concurrere actiuè, vel paſſiuè ad actum generationis?
Reſp. Affirmatiuè, & id faciunt mediantibus maleficijs, ſeù artibus magicis. *Malleus maleſ.c.6.*

65 Dæmones, & Angeli aliquando ab hominibus poſſunt ne videri oculis corporis?
Reſp. Videntur, licèt ſint ſpiritus cum ipſi, permittente Deo, aſſumant corpus aereum, vel aliud, vt apparet in hiſtoria Loth, quando tres Angelos vidit pulcherrimos, & vnum adorauit, & in libro Tobiæ Angelus, qui commiratus eſt filium eius, viſus fuit à filio Tobiæ, & ab ipſo Tobia, & ab vxore eius.

66 Aliquando Angeli videntur ne in præſtigijs, ſeù ſecundum viſionem imaginariam?
Reſp. Quando ſenſus, ſeù potentiæ imaginariæ ita ſunt vehementes per humorem malenchonico videtur illis videre, quod ad extra verè non eſt, & Ariſtoteles dixit; imaginatio vehementiſſimã caſum facit.

67 Quando Deus dedit poteſtatẽ Sathanæ ſuper corpus Iob, intelligitur ne, quòd dæmon intrauit intra eius corpus, ita vt Iob eſſet dæmoniacus?
Reſp. Certius eſt, quod Sathanas non intrauit in corpus eius, neq; turbauit ſenſum eius, vt aliquid contra Deum loqueretur; ſed quod hæc poteſtas fuit exterior affligẽdo carnem eius vulnere peſſimo, doloribus corporalibus; nam dicit ſcriptura in omnibus his non peccauit Iob, neque aliquid ſtultè contra Deum eſt loquutus.

68 Cum dixit Paulus, datus eſt mihi ſtimulos carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphicet, & propter quod ter dominum rogaui, intelligitur ne, quod dæmon intrauit in corpus eius, & quod eſſet dæmoniachus?
Reſp. Non, ſed exteriùs illum affligebat carnis libidine, et tentatione: ſicut legitur, quod D. Hieronymus fuit flagellatus à dæmonibus, & D. Antonius varijs viſionibus tentatus; quia D. Paulus erat confirmatus in gratia, Apoſtolus à Deo electus, Sacerdos ſummi Dei, & non decebat, vt dæmon neque per vnum inſtans corpus eius poſſideret?

69 Hoc verbum, abiurare; quibus modis ſumitur?
Reſp. Dupliciter. Primo modo abiuro te, ideſt rogo, & obſecro te, & ſic Matth. 8. Dæmon dixit, etiam per Deum abiuramus te, ne torqueas nos, ideſt rogamus te. Secundo, ſumitur imperando; Abiuro te, vt exeas ex hoc corpore, ideſt iubeo, & præcipio tibi poteſtate mihi tradita, vt exeas ex hoc corpore, & iſta ſecundo modo ſumitur in exorciſmis Eccleſiæ; *Abulenſ.ſupra Matth.cap.8.quæſt.113.*

70 Quas cautelas debent habere exorciſtæ, & quomodo ſe debent gerere?
Reſp. Primò, non debent confidere in ſuis viribus, ſed in Deo fiduciam habere. Secundò, iocum non debent intermiſcere, neque curioſa interrogare. Tertiò, exorciſmum dicere omni deuotione. Quartò, admonere præſentes, vt habeant fidem, & orent pro illo vexato. *Mall.maleſ.p.2.q.2.c.5.*

71 Exorciſta abſque licentia Epiſcopi poteſt exorcizare, aut alijs exorciſmis, niſi ab Eccleſia conſtitutis vti.
Reſp. Si ſit Parochus, & Epiſcopus abſens, & contingat aliquem obſideri à Dæmone, poterit facultate interpretatiua exorcizare, ſed deinde ſuum Epiſcopũ certiorem facere debet, aut prius ab eo licentiam petere; nam circa hoc extat mandatum Sixti V. Pontificis Maximi, neque vti debet alijs exorciſmis, niſi prius à ſuo Epiſcopo approbatis. *Nauar.conſ.6.de offic.Ordinarij.*

72 Quam diſpoſitionẽ debet habere Sacerdos exorciſta?
Reſp. Ipſe priùs ſua peccata tenetur confiteri, vel contritionẽ habere, & ſi fieri poterit celebret Miſſam ante actum exorcizandi, oret, accedat cum magna humilitate, & fide exorcizandum.

73 Quis poteſt exorcizare, & in quo ordine datur poteſtas ſuper dæmones?
Reſp. Hæc poteſtas datur in ordine exorciſtarum; ratio eſt, quia cùm dæmones ſint contemptibiles, & viles, facta Eccleſia dat hanc poteſtatem incipientibus intrare in Eccleſiam, licet exerceatur à Sacerdotibus frequenter propter maiorem ſcientiam, & poteſtatem.

74 Quis inſtituit exorciſmos?
Reſp. Diuus Gregorius Summus Pontifex, quia ſuo tempore plures erant dæmoniaci in remedium eorum, & futurorum.

75 Quæ, & quot remedia poſuit Deus contra impugnationes diaboli exteriores, & ad fugiendos dæmones?
Reſp. Octo. Primò, aquam benedictam, quia debent frequenter Chriſtiani vti in cubiculis, & Eccleſijs. Secundò exorciſmos poſitos ab Eccleſia Catholica, quibus dæmones per modum imperij poſſunt expelli. Tertiò, orationes Chriſtianorum. Quartò, imagines Sanctorum, & B. Mariæ Virginis. Quintò, reliquias Sanctorum, & corpora, ſepulchraque eorum. Sextò, Crucem Chriſti Domini noſtri crucifixi. Septimò, veſtes ſacras Sacerdotis, calicem, patenam, ſtolam, caſulam, quæ ſunt benedictæ, B. Gregorius ſuper Exechiel. Octauò, orationem, & ieiunium, & ſic dicit Ieſus? hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi oratione, & ieiunio.

76 Iſtæ orationes, & ieiunia, a quo debent fieri?
℞ A Clerico exorciſta, a parentibus perſonæ obſeſſæ, à

ſe, à viris, religioſis, qui pro illo homine rogant, ab amicis, & Fidelibus, & tandem ab ipſo homine, vel muliere, quæ patitur dæmonium, cum eum deſerit, quia tunc eſt tempus merendi, & petendi humiliter, & cum fide à Deo, vt liberet eum à tali vexatione.

77 Si Eccleſia poſuit exorciſmũ ad fugandos dæmones, quæ eſt cauſa, quare aliquando dæmones ſtatim exorciſmis non egrediantur, & relinquant corpus Chriſtiani liberum, cùm Clericus habeat poteſtatem eos expellendi; & exorciſmus, & orationes habeant virtutem ad dæmones expellendos, & fugandos?

Reſp. Ex cauſis ſequentibus. Primò, propter paruitatem fidei circunſtantium, aut parentum ipſum oppreſſum offerentium ante Clericum exorciſtam. Secũdo propter peccata ipſius Dæmoniaci. Tertiò propter hoc, quòd nõ habent cõmoda remedia conſtituta ab Eccleſia, vel illa negligunt. Quartò propter defectum fidei in exorciſta. Quintò quando eſt alius ſacerdos virtuoſior, qui exorciſmum faciat, vel cui Deus in hoc caſu maiorem communicauit gratiam, propter reuerentiam illius non fugatur dæmon. Sextò quia ille dæmoniacus non eſt ſatis punitus à culpa, propter quam diabolus eſt ingreſſus. Septimò, quando eſt tempus conſtitutum à Deo, vt diabolus in illo corpore permaneat, & tempus non eſt finitum.

78 Cum fiunt exorciſmis debet ne accendi candela benedicta?

Reſp. Debet, cum habeat per benedictionem virtutem contra dæmonia, incantationes, & tonitrua, & ſic debet accendi, cum pluuia, tempeſtateſq; exorcizantur, & cum eijciuntur dæmonia. *Mall. maleſic. p. 2. quæſt. 1.*

79 Dæmon torquetur ne exorciſmis, & orationibus ſanctorum?

Reſp. Affirmatiuè, & cum exorciſta eius figuram cremat, & cruciat, & imponitur ſtola ſuper caput, vel aliqua reliquia, & effunditur etiam aqua benedicta. *Mall. maleſic. p. 1. q. 18.*

80 Quæ orationes maiorem vim habent contra diabolum?

Reſp. Euangelia quatuor Euangeliſtarum, Euangelium: miſſus eſt Angelus; paſſio Domini, Euangeliũ, In principio erat verbum; reliquæ ſanctorum, & cilicia ſanctorum magnam habent vim. *Malleus maleficor. q. 2. p. 2. c. 2.*

81 Exorciſta poterit adhibere petras, vel herbas ad expellendos dæmones, præcipuè herbam, quæ vocatur fuga dæmonis?

Reſp. Poterit abſq; periculo ſuperſtitionis, ſi herba, vel petra benedictæ ſint, vt palma, & oliua: ſi verò nõ ſunt benedictæ, poterit etiam illas adhibere, dummodo ſacerdos non credat tales herbas directè, & de ſua natura poſſe compellere dæmones, ſed ex virtute Dei. *Angel. verbo ſuperſtitio §. 6. Naua. ſum. cap. 11. numero 38.*

82 Quomodo dæmones alliciuntur carminibus, muſica, & herbis?

Reſp. Quia honoris ſunt cupidi, & cum hæc in eorũ honorem, & reuerentiam fiunt, ita alliciuntur, & recreantur. *D. Auguſt. lib. 36. de ciuitate Dei.*

83 In herbis, lapidibus, & muſica, eſt ne virtus aliqua ad excludendam vexationem diaboli?

Reſp. Herbæ, & armonia ſua naturali virtute non poſſunt excludere vexationem diaboli, ſed permittẽte Deo, & Angelo bono poſſunt eum mitigare; ſed hoc non fit agendo in dæmonem, cum corporale nõ poſſit agere in ſpiritualia, ſed agendo in corpore hominis dæmonium habentis. *Malleus maleficor. p. 1. quæſt. 5.*

84 Animæ cum exeunt è corporibus per mortem naturalem, vel violentam, quò vadunt?

Reſp. Præſentantur coram Tribunali Dei, vt recipiant præmium, ſeù ſupplicium, & collocantur in cœlo vel in inferno, vel in purgatorio ſecundum eorum merita.

85 Animæ defunctorum poſtquam ſunt in cælo, purgatorio, vel inferno, exeunt realiter aliquando ab illo loco, vt hominibus appareant, & cum hominibus loquantur?

Reſp. Diuus Auguſt. lib. 10. de cura pro mortuis, tenet, quòd animæ, quæ ſunt in celo, aliquando apparent hominibus ad eos deridẽdos, & animæ, quæ ſunt in inferno, aliquando apparent ad eos terrendos, & oſtendendam Dei iuſtitiam, & animæ, quæ ſunt in purgatorio aliquando apparent ad pettenda ſuffragia viuentium, vel ad faciendam aliquam ſatisfactionem, *& idem tenet Diuus Greg. lib. 4. dialogorum.*

86 Anima alicuius mortui intrat ne in corpus hominis viui, vt eum vexet ſicut dæmon?

Reſp. Negatiuè. *ita Abulenſ. in cap. 8. Matthæi.*

87 Qui dicuntur familiares dæmones, & quare ſic nominantur?

Reſp. Sunt aliqui dæmones, quos homines habent alligatos in vno anulo, vel alibi, & eis vtuntur ad varia negotia, præcipuè ad ſciendum res occultas, vel quæ longè fiunt, & nominantur familiares, quia ſeruiunt tali homini familiariter, veluti ſerui eius. *Tyreus p. 2. c. 23. nu. 12.*

88 Quomodo homines habent tales familiares?

Reſp. Faciendo aliquod illicitum pacto cum dæmone, vel promittendo illi ſuas animas, vel faciendo rem illicitam, vt non dicendo veritatem nec audiendo Miſſam. *Tyreus p. 2. c. 25. n. 12. de dæmoniacis.*

89 Poteſt ne quis habere familiarem ſine pacto cum dæmone, & habere illud ad bonum finem, & vti illo ad gubernationem bonam alicuius Regni, vel ad ſciendum quid faciant, & machinentur inimici Fidei?

Reſp. Non poteſt habere ſine pacto explicitò, vel implicitò, & ad bonum finem nullus Chriſtianus poteſt illo vti; quia non eſt medium ordinatum à Deo, neque licitum eſt homini habere talem familiaritatem: melius eſt, vt qui gubernat aliquam Prouinciã, ſit bonus Chriſtianus, & habeat fiduciam in Deo, vt illi omnia proſpere ſuccedant.

90 Dicuntur ne dæmoniaci habentes familiarem?

Reſp. Non, quia nullus dicitur dæmoniacus, niſi qui intra ſuum corpus dæmonium habet; neque dicuntur dæmoniaci, qui extra vexantur à dæmonio, ſed ſolum, qui habent illum intra corpus ſuum. *Tyreus c. 2. c. 23. num. 12.*

91 Habentes familiarem vexantur ne ab ipſo?

Reſp. Non imò tali homini quaſi eius famulus inſeruit non enim eſt ibi conſtitutus ad eius vexationẽ, ſed ad eius deceptionem, vt decipiat tali pacto, & conuerſatiõne animam illius hominis.

92 Habere familiarem, quod peccatum eſt, & quis de eo cognoſcit?

℞. Ma-

Reſp. Magnum peccatum, & talis abſolui non debet niſi eum dimittat, ſicut qui habet concubinam, & cognoſcit de hoc delicto Tribunal S. Inquiſitionis per Bullas Apoſtolicas, tanquam de ſuſpectis in fide, quia habent pactum cum dæmone.

93 Quando aliquis homo diuinat res abſentes, & occultas, quomodo cognoſcetur, an talis homo ſit dęmoniacus, vel habeat familiam?
Reſp. Duplici ſigno. Primò, interrogando talem hominem, an habuerit aliquod pactum cum dæmone; ſi enim non habuit, habet intra ſe dęmonium, & non familiarem. Secundo, animaduertendo, an talis homo habueris cruciatur exteriores, loquatur linguis varijs, quas non didicit; tunc habet intra ſe dęmonium, & non familiarem. *Tyreus par. 2. cap. 23. num. 12.*

94 Poteſt quis habere familiarem, & non amittere fidem Catholicam?
℞. Poteſt habere familiarem propter curioſitatem, & committere hoc delictum, ſicut alia delicta, & retinere fidem integram, & vti iſto familiari ad curioſitatem, vel ad ſciendum, quid faciunt inimici fidei Catholicæ; ex hoc non euadit iſte talis pœnam S. Inquiſitionis, quia hoc prohibitum eſt ab Eccleſia, & magnum, & periculoſum prædictum eſt.

95 Quare Tribunal S. Inquiſitionis cognoſcit de habẽtibus familiarem, & non cognoſcit de dæmoniacis?
Reſp. Multiplici ratione. Primò, quia habens familiarem conſenſit in illo peccato, & familiaritate, & ideò eſt ſuſpectus in fide, & ex ſua voluntate facit rem illicitam, & prohibitam à fide Catholica. Secundò, quia demoniacus aliquando vexatur à dæmone ad eius meritum. Tertiò, quia ſemper habet dęmonium contra ſuam voluntatem, & ſic magis eſt adiuuandus orationibus, quam puniendus.

96 Poteſt ne quis habere familiarem, & illo vti, & eſſe in gratia Dei?
Reſp. Non quia eſt in manifeſto peccato, ſicut qui confitetur, & concubinam retinet; benè tamen poteſt eſſe dæmoniacus in gratia, & habere intra ſe dęmonem, ſicut ſupra dictum fuit.

97 Quomodo diuinat dæmon futura?
Reſp. Sæpè loquitur mendacium, ſed ſi aliquando dicat verum. Primò, quia viget ſubtilitatem, naturali, quoad operationem intellectus. Secũdò, quia propter experientiam temporum, & ſcientiarum, quas habuerunt, plura ſciunt, quàm nos. Tertiò, propter celeritatem motsu; nam ex oriente ad occidentem mira celeritate percurrunt. Quartò, quia ſicut ex voluntate Dei poſſunt inducere morbos, aerem inficere, excitare tempeſtates, ita poſſunt illa prædicere. Quinto, quia per ſigna ſubtiliùs, & certiùs poſſunt prædicere mortem, & ſanitatem, quàm medicus videndo vrinam, & pulſum. Sextò, quia ex ſignis, quæ procedunt ab animo hominis potiori modo coniecturantem plura, quam ex ijs vir prudens ſoleat coniecturam facere. Septimò, quia ſciunt, & intelligunt acta prophetarum, & ex illis multa dependent D. Auguſt. in libro de natura Dęmonum.

CAPVT XXXIII.

De maleficis, & ſortilegis, & incantationibus.

1 QVis fuit primus inuentor artis magicæ?
Reſp. Zoroaſtres, qui fuit filius, Can, iſte Can fuit filius Noe, & riſit videndo pudenda patris, & didicit opera Diaboli, ideſt maleficia, & incantationes ad nocendum hominibus; iſte Zoroaſtres, qui magnificã artem primum reperijt, fuit Rex Bactrianorum in Perſide, & fuit 800. annos ante Troiana tempora, & à dæmonibus didicit hanc peſtiferam artem, *ita tenet S. Auguſtinus de ciuitate Dei, Vincentius in ſpeculo hiſtoriarum, vbi plures allegat. Polidorus Virgilius lib. 1. c. 22. Plinius lib. 30. Euſebius de temporibus, & præparatione Euangelica lib. 10.*

2 Sunt ne maleficia nocentia hominibus, & mulieribus, & quomodo fiunt?
Reſp. Sunt, & fiunt ex varijs virtutibus herbarum, verborum, & incantationum, & verè nocent hominibus, & mulieribus, & reddunt eos infirmos, & aliquãdo ex his maleficijs ita debilitatur natura, vt homines moriantur abſq; eo, quòd medicinæ applicatę à medicis illis proſint, quæ medicinæ iuuarent illud corpus infirmum, niſi eſſet occupatum illis incantationibus, & maleficijs; *ita auctores citati.*

3 Aſtrologia, qua mathematici prædicunt futura, vt tempeſtates, pluuias; caſus futuros, nullo tamen modo pertinentes ad libertatem, eſt ne ſcientia reprobata?
Reſp. Aſtrologia, quæ nullum habet pactum cum diabolo, ſed ſolum colligitur ex ſtellis, & ex conſtellatione cœli, ex ſtellis, & ſignis, non eſt ſcientia reprobata, ſed permiſſa ab Eccleſia, & vocatur iudiciaria, et hęc ſcientia habet principia, et fundamenta vera ſicut aliæ ſcientiæ; aſtrologia verò, quæ habet pactum cum diabolo explicitum, vel implicitũ, et ex iſto pacto adiuta prædicit futura, vel occulta, eſt reprobata ab Eccleſia, quia non eſt vera ſcientia. *tenet Malleus malefic. p. 1. q. 3.*

4 Qui ſunt aſtrologi, et mathematici, et quare ſic dicuntur?
Reſp. Sunt illi, qui pollent ſcientia circa ſtellas, motus cœlorum, cometas, et Polos cœli. Iſidorus. *lib. 8. & ethimologiæ c. 9.*

5 Maleficus quid ſignificat?
Reſp. Multitudinem facinorum, ſcilicet, quia efficit maiora mala, quàm alij malefactores. *Mall. maleficor. quæſt. 2. p. 1.*

6 Ars maleficandi, et incantandi quando habuit principium?
Reſp. Hæc ars habuit principium poſt Noe, quia ante Noe non fuerunt malefici: ratio eſt, quia ex recenti recordatione creationis hoc peccatum neq; fuit inuentum, neq; cõmiſſum, ſed poſt Noe creuit malitia hominum, et diabolus introduxit hoc genus peccati in mundum. *tenet Malleus maleficor. part. 2. quæſtion. 1. c. 4.*

Qui

7 Quid dicuntur incantatores?
Reſp. Qui artem, vel rem aliquam verbis peragunt, vt cum quis incidit nudis pedibus ſuper prunas ſine læſione. *Iſidorus lib.8.ethimologiæ.*

8 Incantatores quando ſe, vel alios equis portant in longinquas vias quomodo faciunt?
Reſp. Duobus modis. Primò, lædendo potentias ipſorum hominum fingendo in phantaſia, quòd illi homines equitant, & vident tales Prouincias, tàm vehementi apprehenſione, & cum tanta rerum, & locorum circunſtantia, vt euigilati poſtea intelligentibus dicant ſe vidiſſe mare Conſtantinopolitanum, & alia loca. Secundo, diabolus verè, & realiter fingit corpus equi nigri, & monet itinerantem, vt ſe non ſignet ſigno Crucis, nec nominet Ieſum, aut Mariam, nec dicat Angelicam ſalutationem, & tunc fert illud corpus per diuerſas mundi partes, de quo plura ſunt exēpla à Diuo Greg. & grauiſſimis ſcriptoribus narrata. *Mall.maleficor.p.2.q.1.cap.3.S.Th. 2.2.q.6. art.5. tit.de ſuperſtitionibus, & 1.p.q.8.tit.de miraculis, & q.16.art.5.& 6.tit.de dæmonibus.S.Bonauentura, 3.ſent.diſt.19.q.3.*

9 Tales ſunt nè verè equi?
Reſp. Non, nec habent veram ſubſtantiam illius, ſed diabolus ſe fingit in figuram Equi, licèt verè non ſit equus. *tenet Malleus malefic.p.2.q.1.c.3.*

10 Vnde dicitur ſuccubus, & quis eſt?
Reſp. Dæmon ille, qui ſe habet in generatione, vt patiens: corpus illud formatur ex aere. *Malleus maleficor.p.2.c.4.quæſt.1.*

11 Phitones Dæmones, qui dicuntur?
Reſp. Illi, qui futura prophetizant, & ſic mulieres diuinantes Phitoniſſæ appellantur.

12 Quis dicitur incubus, & vnde formatur?
Reſp. Dæmon ille, qui ſe habet in coitu, vt agens, & formatur ex aere craſſo. *Malleus malefic.p.2.q.1.c.4*

13 Incubi poſſunt ne generare?
Reſp. Non, quia non habet ſemen, nec membra virilia, & ſic ſunt incapaces generationis. *Mall.mal.c.4.*

14 Incubi ſi aliquando videntur generare, quomodo faciunt?
Reſp. Sumunt ſemen alicuius hominis, quod dictus dæmon herbis, & arte poteſt ſeruare calefactum, & temperatum, & immittit in vas mulieris tempore, quo ipſa feminat, & coniunguntur ſemina ad modū agentis, & recipientis, ſcilicet actiuè, & paſſiuè, & ſic mulier concipit. *Mall.malefic.c.4.*

15 Filius incubi, cuius filius dicetur?
Reſp. Cum incubus non habeat ſemē, erit filius hominis, cuius diabolus ſemen arripuit, licèt incubus viſibiliter, & quaſi corporaliter rem cum muliere habeat. *Malleus maleficor.p.1.q.3.*

16 Si ignoretur homo ille, à quo ablatum fuit ſemē, natus infans cuius filius dicetur?
Reſp. Filius matris ſuæ, & eius bona hæreditabit.

17 Qua de cauſa diaboli ſe traſformāt in incubos, vel ſuccubos, eſt ne cauſa libidinis?
Reſp. Non ex cauſa libidinis, neq; delectationis ex parte ſua, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habent, & ex conſequenti, neq; delectationē carnalem; ſed cauſa eſt, vt homines, & mulieres decipiant in vitio appetibili ſecundum eorum naturam. *Malleus maleficor.part.1.quæſt.4.*

18 Dæmones coeunt ne vitioſè cum hominibus, & mulieribus contra eorum voluntatem?
Reſp. Iſti homines, & mulieres ſunt in triplici differentia. Primò, qui ex ſua voluntate ſe dęmonibus ſubijciūt, & eos acceptant ſicut mulier maritum. Secundò, ſunt homines, & mulieres, qui vexantur ab incubis, & cum eis coeunt. Tertiò, ſunt aliquæ Virgines, quæ ab incubis contra earum voluntatem mediantibus maleficijs moleſtantur. *Mall.malefic.p.2. q.2.c.1.* et dicit, quòd quædam puella in habitu monachali in mente ſua perdidit per cōſenſum virginitatem, poſtea ipſa nolente pluries ab incubo cognita fuit poſtea orationibus, confeſſione, Sancti Sacramenti ſumptione poſt longum tempus liberata fuit ab hac diaboli oppreſſione.

19 Malefici ad faciendum ſua maleficia, habent ne pactum cum dæmone?
Reſp. Habent implicitum, vel explicitum. *Mall.maleficor.p.1.per tot.*

20 Quare dęmones cum vocantur ab incantatoribus, certiùs veniunt in vna conſtellatione, vel certo die, quàm in die veneris?
Reſp. Primo, vt facilius decipiāt eos homines, et faciant magis ſuperſtitioſos exiſtimantes eſſe illā virtutem in his diebus. Secundò, quia conſiderant aliquas conſtellationes eſſe magis diſpoſitas ad materiam corporis, pro quo fiunt tales incitationes. *tenet Mall.malef.q.5.p.1.*

21 Vnguentum, quo vtuntur malefici, vt per aera elabantur, ex quo fit?
Reſp. Vt eorum confeſſionibus ſæpè apparuit, fit ex carnibus, et membris puerorum interemptorum ab eis ante baptiſmum, cum quo aliquod lignum vngūt ſecundum inſtructionem dæmonis, et hoc vncti feruntur, ſiue noctu, ſiue die per aera; ſed non intelligas, quòd hoc vnguentum in ſe habet hanc naturalē virtutem, ſed quod feruntur poteſtate dæmonis, et actiuitate eius, permittente ſibi Deo. *S.Th.p.1.q.90. per totum 3.art. & 3.ſententiarum diſtio.19.de poteſtate dæmonis ſuper effectus corporales.*

22 Quot ſunt genera maleficiorum?
Reſp. Tria. Primò, qui ſanant, vel lædunt. Secundò, qui tantummodo ſanare videtur, ideſt læſiones amouere. *Mall.maleficor.p.1.q.9.*

23 Dæmones quare macerant pueros, infirmant, & faciunt vt non creſcant, & aliquando occidunt?
Reſp. Eſt genus dæmoniorū, quòd ſe coniungit nutricibus, vt hęc omnia damna operentur in pueros, & hoc permittit Deus. Primò; quia parentes pueros inordinatè ſępè diligunt. Secundò, quia matres, vel nutrices aliquando ſunt ſuperſtitioſę, & ſe ducuntur falſis cęremonijs, & ſic Dominus punit eos in eo, in quo peccant. *Mall.malefic.p.2.q.2.c.7.*

24 Quot ſunt maleficia, quibus vtitur dæmon contra viros, & mulieres in actibus venereis?
Reſp. Septem. Primò, mouent mentes hominum ad illicitum amorem. Secundò impediunt herbis, & maleficijs vim generatiuam. Tertiò, auferunt membra virilia hominis, vel concludunt vas mulieris. Quartò, mutant homines arte magica in beſtias, licèt nō immutent eorum naturam, & ſubſtantiam. Quintò deſtruunt vim generatiuam quo ad gemellas. Sextò, procurant abortum. Septimò, offerunt dæmonibus infantes, & eos lædunt, & occidunt. *Malleus malefic. p.1.q.6.*

25 Quibus modis nocent malefici?
℞. Magiſter ſententiarum ponit ſeptem modos, quibus no-

bus nocent, Deo permittente. Primò, ponunt amorem inordinatum in virum ad mulierem, vel è contra. Secundò, ſeminant odium, vel inuidiam inter aliquos. Tertiò, tollunt vim generatiuam in viro, vel in muliere. Quartò, membrum hominis ægrotare faciunt. Quintò, dicta priuant homines. Sextò, vſu rationis. Septimò, lædunt animalia hominis, vel fruges cum effectu. *Mall. malefic. c. 5. de maleficis. fol.* 478.

26 Dæmones incubi, & ſuccubi, quas figuras accipiunt?
Reſp. Sępè aſſumunt, & aſſumpſerunt figuras Siluani, & fauni, & in eis cum mulieribus rem habuerunt, vt maior eſſet culpa, & horribilior. *Malleus malefic. part.* 1. *q.* 3.

27 Succubi aſſumunt ne aliquando formam mulieris?
Reſp. Scriptum eſt ſuccubum in forma pulcherrimæ mulieris interfuiſſe cũ pluribus meretricibus in Concilio Conſtantienſi, & viro itineranti, interrogantique mulierem, qualis eſſet, & vnde veniret, reſpondiſſe dicitur, ſum ſuccubus, & venio, ex Concilio Conſtantienſi, & porto in crumena mea has pecunias meo corpore acquiſitas. *Malleus malefic. 9. fol.* 516.

28 Tempeſtates à maleficis quomodo concitantur?
Reſp. Primò, implorando in campo Principem dæmoniorum, vt mittat, qui concitet tempeſtates. Secundò, immolant pullum nigrum eum in altum eijciendo, & ille dæmon, qui miſſus fuit, concitat tempeſtates, mouendo aerem, & nubes. Hæc omnia confeſſus fuit quidam maleficus reus ante iudicem. *Malleus malefic. c.* 4. *fol.* 487.

29 Quo remedio ſedantur iſtæ tempeſtates?
Reſp. Abiuratione, & exorciſmis ab Eccleſia ſancta inſtitutis, ſigno crucis, aqua benedicta, Agnus Dei, reliquijs Sanctorum, fide, orationibus fidelium, & fide in exorcizante, oſtenſione ſanctiſſimi Sacramẽti. *Mall. vbi ſup.*

30 Quę remedia ſunt ad ſanandum maleficium poſita ab Eccleſia?
Reſp. Exorciſmi ab Eccleſia inſtituti, ſunt etiam orationes, & carmina, quæ nihil habent ſuperſtitionis, & ſolent prodeſſe, & aliquando maleficium efficitur perpetuum, quia remedium ignoratur, & tunc ſolus Deus, qui eorum noſcit abſcondita, poteſt ſanare tale maleficium. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *& ſuper cap. vlt.* Marci in illis verbis, dęmonia eijciunt tantùm.

31 Ad fugandum incubum eſt ne bonum remedium transferre puellam in aliam partem?
Reſp. Malleus maleficorum *p.* 2. *q.* 2. *cap.* 1. Narrat, quòd quædam puella ab incubo oppreſſa translata fuit à ſuo patre, qui erat Clericus in longinquam ciuitatem, & incubus amplius eam non eſt proſequutus, ſed dictum patrem ita proſequutus fuit, vt intra tres dies è vita diſcederet.

32 Quæ ſunt remedia contra maleficiatos amore, vel odio concitatos?
Reſp. Auicenna ponit ſeptem remedia. lib. 3. Primum eſt, quod talis maleficiatus ſumat vxorem, & per licitum coitum euitet illicitum. Secundò, ſi incorrigibilis exiſtat, caſtigetur fuſtibus. Tertiò, hortetur, vt cognoſcat talis amoris inſaniam, ac miſeriam. Quartò, occupetur in rebus arduis, & in officijs exerceatur. Quintò, medicetur medicinis, ſi organa læſa fuerint. Sextò, numquam relinquatur ſolus, ſed ſemper comitatus, ne imaginatione ad iſtos illicitos motus excitetur. Septimò, repræſentetur illi, quod amittet ſanitatem corporis, ſalutem animæ, honorem, & famam.

33 Quæ ſunt remedia Eccleſiæ ad expellendos incubos, & ſuccubos à perſonis, quæ contra ſuam voluntatem ab eis vexantur?
Reſp. Quinque. Primò per confeſſionem. Secundò, crucis conſignatione, Angelica ſalutatione. Tertiò, per exorciſmorum applicationem. Quartò, per vocis mutationem. Quintò, per excommunicationem, ſeù maledictionem, maledicendo dæmonem, ne tractet cum tali muliere, ſicut fecit Beatus Bernardus, qui excommunicauit incubum, & ſic eum expulſit. Niderus in ſuo fornicario citatus *à Malleo malefic. p.* 2. *q.* 2. *c.* 1.

34 Si facta hæc, & alia remedia non proſint, quid eſt iudicandum?
Reſp. Si talis perſona fuerit confeſſa, & contrita, & iſta remedia fuerint applicata, debet iudicari, quod illa mala incubi patitur loco tentationis. *tenet Mall. malefic. vbi ſup.*

35 Quæ genera hominum ſunt tuta, & præſeruata ab iſtis maleficijs?
Reſp. Tria genera hominum. Primò, Principes, & Epiſcopi, Inquiſitores, & Sacerdotes, qui ſupra diabolum, & in maleficos habent poteſtatem: ratio eſt, quia poteſtas à Deo eſt ordinata, & non permittit Iudices ſubijci illis, qui ſibi ſunt ſubiecti. Secundò, quia tales ratione dignitatis duplices habent Angelos. Secundum genus, quod liberatur à maleficijs, eſt illorum hominum, qui recta fide ſe defendunt orationibus, ramis palmarum, candelis benedictis ab Eccleſia in ſuis feſtiuitatibus, aqua benedicta, Agnus Dei, ligno ſanctæ Crucis. Tertium genus liberum ab hac miſeria, eſt illorum hominum, qui ſunt boni Chriſtiani, & timent Deum, & non ſunt libidinoſi cum meretricibus, & ſeruantur à bonis Angelis ſecundum diuinam prouidentiam. *tenent DD. in* 2. *ſen. tent. & Mall. malef. vbi ſup.*

36 Crimen maleficorum cuius fori eſt?
Reſp. Partim Eccleſiaſtici in quantum declarat tale eſſe maleficium, partim laici, in quantum exequitur pœnam à iure ſtatutam maleficis. *cap. ad abolendam, de hæret. in* 6.

37 Qua pęna punitur Clericus maleficus?
Reſp. Deponendus, & in monaſterio detrudendus. *Malleus malefic. q.* 1. *p.* 1.

38 Magi poſſunt conuertere hominem in animal, vt in equum, & capram?
Reſp. Verè, & realiter non, & ſi aliquando id appareat hominibus, eorum phantaſia eſt læſa, & videntur videre, quod realiter ad extra nõ eſt, ſicut ebrius, mente captus, & furioſus, vel dæmones aſſumunt corpus illorum animalium, & in illud intrant, ſicut intrauerunt in porcos, cum Chriſtus Dominus illos eiecit è corpore hominis. *Malleus maleficorum. q.* 10.

Z CAPVT

CAPVT XXXIV.

De pęna imponenda Magis, Sortilegis, Chiromanticis, Nicromanticis, Superſtitioſis, per iudices Eccleſiaſticos.

1 Ars magica quid eſt?
Reſp. Eſt ars, qua dœmonium vtitur, vtendo certis incantationibus, & varijs apparitionibus, vt hominum oculos præſtringat, & eos fallat patefaciendo illis occulta. *S.Tho.2.2.q.95.art.3.*

2 Magus propriè quis dicitur?
Reſp. Ille, qui arte dęmonis turbat ſenſus internos, vel externos hominum, & elemēta concutit, excitat tempeſtates, & aliquando cantu, vel virtute carminis homines interficit, & alia plurima horrenda facit; & ſi actu id non fiat, facit, vt oculis hominum appareant, quaſi actu fierent. *Iſidor.lib.8.orig.c.9.*

3 Maga; quæ vulgo dicitur (Magara) & in lingua Hiſpana (Echizera,) quæ dicitur?
Reſp. Propriè dicitur mulier illa, quæ ſumptis aliquibus rebus animatis, vel inanimatis, vel factis figuris ex cera, dicendo, vel non dicendo aliqua verba, applicat tales res ad amorē, vel odiū alicuius hominis, vel ad ſanitatem, vel infirmitatem alicuius hominis, vel mulieris, & his artibus facit homines infirmare, vel violenter amare aliquā mulierē. *Iſid.lo.cit.*

4 Quot ſunt genera magiarum?
℟. Plurima, & infinita, & ferè ſemper Iudicibus occulta; nam aliquando iſtæ mulieres, quæ magæ appellantur, ſolent accipere morſum panis alicuius hominis, vel partem veſtis; quæ tetigit eius carnes, & illum miſcere cum aliquibus herbis, dicendo vel non dicendo aliqua verba, & ſic componunt dictam magiam, aliquando faciunt figuram ex cera, vel ex alia materia, quæ repręſentat talem hominem, & dicendo aliqua verba, & iungendo oleum, vel herbas, vel lac, vel alicuius mortui carnem, vel oſſa, ſæpè verberant illam figuram pungendo enſe, cultro, acu, vel alio inſtrumento, & ſic cauſant in homine dolorem, aliquando ex rebus liquidis, vt ex aqua paludis obſcura, vel ex vrina virginis, viduæ, vel talis hominis, ex oleo in lampade Eccleſię accenſo, aliquādo ſcribunt orationes in carta, & cum aliquibus ſignis inuſitatis, iubent, vt homines geſtent illas in collo, ſicut reliquias, aliquando dant dentem alicuius ſuſpenſi, vel morſum carnis alicuius animalis, vel aliquā herbam lectam nocte S.Ioannis, vel alia nocte particulari, vt quis non occidatur, vt latè tenet *Suar. tom. 1. de relig.lib.2.de ſuperſtitione c.14. Martin.del Rio in tr. de inquiſitione magar.per tot.*

5 Iſtæ mulieres magæ ad quem finem faciunt, & applicant dictas magias, vel confeſſiones?
℟. Primò, vt aliquis homo amet aliquam mulierē. Secūdò, vt aliqua mulier odio habeat aliquē virum. Tertiò, in odium alicuius hominis, vt applicata dicta magia talis homo infirmetur, vel moriatur. Quartò, vt aliquis vir portans dicta nomina diues efficiatur, vel non moriatur gladio, vel vincat inimicum, vel ſimilia, vt latè tenet *Martin.del Rio, vbi ſup.*

6 Quando quis portat in collo aliquas Orationes, Euangelia, vel aliqua carmina ad effectum aliquem temporalē, videlicet, vt nō moriatur enſe, quomodo poterit cognoſci talem eſſe magū, vel vti magia ſibi data à mago, præcipuè cum orationes ſint ſanctæ?
℟. Quotieſcumq; in tali ſcripto inueniantur aliqua ex quinq; cōditionibus hic poſitis talis homo eſt magus, vel vtitur magia ſibi data, videlicet, primò, quādo ibi reperiātur ſcripta aliqua nomina ignota, Dei, Angelorum, vel alicuius ſancti. Secundò, quando in tali ſcripto ſunt interpoſiti aliqui characteres, vel figuræ ignotę, ſiue in ſerie litterarum, ſiue extra litteram. Tertiò, ſi aliqua verba, vel propoſitiones incertæ, vel apochriphæ ibi inſerantur. Quartò, ſi efficacia talis orationis, vel euangelij, vel talis uerbi poſita ſit in eo, quod tali die, uel tali hora, uel cum tali poſitione corporis, uel tali atramento, uel ſanguine debeat ſcribi. Quintò, ſi in tali oratione dicantur, quod portantes tales orationes non morientur gladio, uel non infirmabuntur, uel conſequentur grātiam alicuius Principis, uel quid ſimile. *Suar. & Martin.del Rio, vbi ſup.*

7 Quando aliquis portat in collo tāquam reliquias dentem, oſſa, uel carnem alicuius animalis, uel aliquam herbam lectam nocte S.Ioannis, uel diē Veneris ſancti, etiam herbam, quæ uocatur uerbena ad aliquem finem temporalem, ſcilicet, ut ſit fortunatus etiam, quod crimen committit?
Reſp. Talis debet puniri à Iudice Eccleſiaſtico, tāquam magus pœnis infra ponendis.

8 Tales magi habent pactum implicitum, uel explicitum cum dæmone?
Reſp. Iſti magi ſunt in duplici differentia. Prima ſunt, qui habent pactum explicitum cum dæmone, & ab eo didicerunt tales magias. Secunda ſunt alij magi, qui non habuerunt pactum explicitum cum diabolo, ſed ab alijs mulieribus magis acceperunt artem, & eis crediunt, & iſti non excuſantur, quòd habeant pactum implicitum cum dæmone, ut latè patet per *Pegnam 2.p.directorij q.42.num.2.*

9 Quomodo poterit cognoſci quando dicti habeāt pactum explicitum, uel implicitum cum dæmone?
℟. Quotieſcunq; in ſuis magijs miſcent res ſacras cū prophanis, uel faciunt aliquid directè contra noſtrā fidem, ueluti ſi ante magiam baptizant imaginem, uel baptizant puerū, uel exhumant caput defuncti, uel habent membrum, uel dentem alicuius defuncti, uel dicunt aliqua uerba cōtra fidē noſtrā, uel obſcura, quæ nō habent ſenſum bonum, ſed obſcurum, uel faciunt aliqua ſigna inuſitata, uel ungunt manus oleo, uel miſcent aquam benedictā; iſtę omnes præſumptiones ſunt uehementiſſimæ, & faciunt probationē, quod talis magus habeat pactum explicitum, uel implicitum cū dæmone. *tenet latè Pegna vbi ſup.*

10 Quæ eſt cauſa, quare aliqui homines maleficantur à mulieribus?
℟. Sæpè prouenit eo, quòd quis habet illicitā conuerſationem cum aliqua muliere, uel concubinatum, & illā deſerit, uel magis amat aliā, & ex iſto zelo talis mulier amore inordinato quærit aliquam magiā, ex

ſupra-

ſupradictis, & applicat illam tali homini.

11 Quando quis eſt maleficiatus ab aliqua muliere, vnde prouenit, quod habeat febrem: vel doleat illi caput, vel cor, & aliquando moriatur ex tali infirmitate præcipuè?

Reſp. Ratio huius infirmitatis eſt, quia herbis, vel maleficijs humores illius hominis ſunt in tali diſpoſitione, vt incendantur interdum, & operentur in illo corpore illam febrem; vel dolorem capitis, vel corporis, *Mall. malefic. p. 2. q. 1. c. 1.*

12 Maleficа ſuis maleficijs conſequitur ne ſemper ſuam intentionem?

Reſp. Non, imò raro contigit, vt illa maleficia operentur finem, ad quem data ſunt imò ſæpè contigit, vt dentur ad incendendum iuuenem ad amorem alicuius mulieris, & quòd talis iuuenis infirmetur, & perdat iudicium; ratio eſt, quia herba, & res, quę applicantur, nō habent virtutem naturalem ad talem amorem incendendum, & corpus non eſt in diſpoſitione requiſita, vt introducatur ille effectus. *tenet Mall. malefic. loco alleg.*

13 Quomodo cognoſcitur, quod quis habeat dolorem, vel febrem ex maleficio, & non ex infirmitate naturali?

Reſp. Hoc euidenter cognoſcitur. Primò, quando medicinæ, & remedia applicata à medicis nihil proſunt, neque iuuant infirmo. Secundò, quando talis homo habuit conuerſationem carnalem cum aliqua muliere, vel concubinatum, ſiue illam deſeruerit, vel non deſeruerit, quod ipſe infirmus debet declarare. Tertiò, quando infirmitas eſt longa nimis, & habet infirmus cruciatus, & dolores intenſos, & extraordinarios. *tenet Mall. malef. loco alleg.*

14 Contingit ne aliquando vt in vno, & eodem corpore ſint maleficia operantia dolorem, & infirmitatem, & ſimul ſint aliquæ infirmitates naturales?

Reſp. Sæpiſſimè, imò ſemper contigit, quod in corpore maleficato ſint infirmitates, & dolores prouenientes ex maleficijs, & ſint etiam ſimul aliquæ infirmitates naturales; ratio eſt, quia maleficia alterant qualitates, & humores, ex quibus homines ſunt cōpoſiti, & inde proueniunt infirmitates naturales, & ſimul ſunt cum infirmitatibus, & doloribus prouenientibus ex maleficijs; & difficiliùs expellūtur, imò quotidie creſcunt vſque ad interitum hominis, tenet *Malleus malefic. parte allegata.*

15 Contigit ne aliquando, vt aliquis homo, qui eſt caſtus, & nullam habet conuerſationem carnalem, neque illicitam, ſit maleficatus ab aliqua muliere?

Reſp. Sæpè contigit, quod aliqua mulier incenſa ſolo viſu, amore alicuius viri illum maleficet, vt illam amet, & ideo cum magna cautela iuuenes debent ambulare.

16 Sunt ne aliqui homines, vel mulieres, quæ ſolò viſu infirmant pueros, vel beſtias pulchras?

Reſp. Affirmatiuè, quia hoc experientia patet, ſed aduertendum eſt, quod iſti homines, & mulieres, quę habēt viſum venenoſum ſemper aſpiciunt tales pueros cum aliqua magna cupiditate, vel intētione particulari: tunc enim operatur venenum viſus, & faciunt puerum macreſcere, & quòd alimenta illi non proſint, & ſic paulatim infirmatur. *tenet Mall. malefic. loco alleg.*

17 Ad ſanandum aliquem maleficatum, quæ remedia naturalia ſunt quærenda, ne talis homo moriatur, vel ſine iudicio, vel cum diſperatione; vt ſolet & ne patiatur tam immenſos cruciatus?

℞. Remedium maius efficax eſt quęrere dictā mulierem, quę talem hominem maleficauit, & prece, vel vi, vel metu petere, vt illa tollat maleficia, quę fecit; & ſi noluerit, tradere illam iudicibus Eccleſiaſticis, vel ſæcularibus, vt illam torqueant, & ſi talis homo moriatur, ſententient illam ream mortis.

18 Sunt ne aliqui homines, vel mulieres, quæ curant dictam hanc infirmitatem, etiam ſi ipſi non fecerint maleficia?

Reſp. Sunt aliqui homines, vel mulieres, quæ herbis contrarijs, vel orationibus ſanctis, vel medicinis ſimplicibus, vel cōpoſitis, vel virtute ſibi data alitu oris, curant homines, & animalia; ratio eſt, quia contraria contrarijs curantur, & ſicut herbis, vel lapidibus ſalutiferis poteſt tolli talis infirmitas. *tenet Malleus malefic. loco alleg.*

19 Iſti homines, vel mulieres, quæ curant de iſta infirmitate, debent ne à iudicibus Eccleſiaſticis incarcerari, & puniri?

℞. Licèt tales homines, qui curant, ſint multum ſuſpecti à iudicibus, quia, qui ſcit curare, videtur etiā ſcire operari, tamen hęc regula infallibilis eſt obſeruanda, videlicet ſi iſti homines, vel mulieres, quæ curant maleficatos, nullum habeant pactum implicitū, neque explicitum cum diabolo, & non vtantur orationibus Eccleſiæ in reprobum ſenſum, ſed ſolum curent herbis compoſitis, & ſimplicibus, & ſolùm dicāt orationes ab Eccleſia approbatas, non ſunt moleſtādi, imò ſunt conſeruandi, & permittēdi, quia de iſtis infirmitatibus prouenientibus ex maleficijs, medici non curant, cum Galenus de his nihil ſcripſerit præcipuè, cum habeamus dictum Apoſtoli Iacobi dicētis (ſi quis infirmatur introducat præsbyteros in domum ſuam, & orent, & vngant eum oleo, & alleuiabitur infirmus) vnde clarè patet orationes, & oleum habere maximam virtutem contra infirmitates, & *tenet Mall. malefic. loco alleg.*

20 Quando canes ex ſiti, vel ex alio accidenti habent rabiem, & mordent alios canes, vel homines, & ex illo ueneno alius etiam rabiem contrahit, qua medicina curantur?

Reſp. In Hiſpania ſunt aliquæ imagines, quę habēt uirtutem ſanandi homines, & beſtias ex hac infirmitate, ut in Epiſcopatu conquenſi eſt monaſterium ordinis S. Bernardi, quod uocatur (demonſalud) & ibi omnes iſti, qui intra nouem dies à principio infirmitatis adorant imagines Virginis Mariæ, & unguntur oleo ex eius lampade, ſanantur ab hac rabie, & infirmitate, & etiam ſunt homines in Hiſpania, qui uocantur ſalutatores, & anhelitu, oratione, & benedictione ſanant homines, & omnia alia animalia ab iſtis infirmitatibus, uirtute occulta illis à Deo conceſſa, & iſti permittuntur, & ducuntur de loco in locum, ubi neceſſitas poſtulat.

21 Punitio huius criminis, & aliorum criminum ſimilium ad quem Iudicem pertinet?

Reſp. Cū diſtinctione, ſi tales magi habeant pactū explicitum, uel implicitum cum dæmone, pertinet eorum punitio ad Inquiſitores hæreticę prauitatis, quia puniendi ſunt more hereticorum tanquam ſuſpecti de fide; ſi uerò non habeant pactum cum dæmone, quia illas magias didicerūt alijs ab mulierib. punitio huius delicti pertinet ad Iudices ordinarios

Eccleſiaſticos, *vt Pegna tenet 2.p.director.q.92. nu.2.*

22 Probatio criminis magiæ qualis debet eſſe?

Reſp. Cum tale crimen ſit de criminibus occultis, debet probari per propriam confeſſionem,& per legitimos teſtes,per facti euidentiam,vel ſi inueniatur in eius collo, vel veſte maleficiorum ſigna ſuſpenſa, tamquam reliquiæ,vel inueniantur vaſa,& inſtrumẽta in domo dictæ mulieris, vel ſi talis homo infirmetur ex infirmitate non naturali, nec cognita medicis, vel per famam publicam,vel per inditia vehementiſſima,*vt habetur in c.accuſatus, de hæreticis in 6. & tenet Pegna loco cit.*

23 Quæ pœna imponitur dictis magis?

Reſp. Hæc debet eſſe ſecundum quantitatẽ, & qualitatem delicti,conſideratis circumſtantijs, & dãno, quod fecit cum dicta magia, & ſi aliquem interfecit puerum, vel hominem, debet ſuſpendi per motum proprium editum à Greg. XV. ſi verò neminem interfecit,& talis magus ſit Clericus,verbaliter degradatur, vel ſuſpendatur, & in monaſterio detrudatur, *vt tenet Abb.c.admoneant 26.q.7.& Conc.Lateran.ſub Leone X.ſeſſ. 9.* ſi ſit laicus, vel mulier fuſtigatur publicè, & deducitur per vias publicas cum mitra, vel ponitur in ſcala prope Eccleſiam,cum mitra,& cum pennis mille iunctis. *Ber.Diaz in pract.cri.Canon.c.108. in fine à mutationis,& Abb.in c.1.de ſortilegijs,& text. in c.Epiſc.26. q.5.*

24 In ponenda pœna quid debet Iudex conſiderare?

Reſp. Primò,qualitatem perſonę. Secundò,quantitatem delicti. Tertiò tempus,& numerum delictorũ. Quartò,animum delinquentis.Quintò,damnũ,quod fecit,ſi aliquem occidit. Sextò,perſonas,quas decepit ſuis ſortilegijs. Septimò, ſi vendebat pecunia dictas magias, & quibus perſonis. Octauò, ſi docuit alias perſonas,vt vterentur dictis magijs,his penſatis debet ferre ſententiam, quia certa regula dari non poteſt, cum ius plurimum confidat de prudentia iudicis. *Abb.c.2. de ſortileg. in Gloſſ.1.*

25 Aſtrologia quid eſt, & in quas ſpecies diuiditur?

Reſp. Eſt ſcientia, quæ verſatur circa motus cæli, ſtellarum,ortus,& occaſus ſolis, & diuiditur in naturalem,& iudiciariam. *Iſidor.lib.2. de differentia Aſtronomiæ, & Aſtrologiæ.*

26 Aſtrologia naturalis, quid eſt, & an ſit licita?

Reſp. Eſt ſcientia,quæ ex planetarum ortu,occaſu, oppoſitione, coniunctione futuram ſerenitatem, vel pluuias coniectat, vel alia, quæ naturaliter contingunt,& hæc licita eſt,*vt tenet Marti. del Rio lib. de ijs, qui mag.c.3.q.1.Sanch.in ſum.lib.2.c.38.*

27 Aſtroſtologia iudicialis, quid eſt, & an ſit licita?

Reſp. Aſtrologia iudiciaria, quæ à pluribus interrogatoria nuncupatur eſt illa, quæ ex aſtrorum, & ſtellarum oppoſitione, & natiuitate hominis prophetizat futuros hominis euentus, & declarat pręterita,præſentia, & futura, & hæc ſi ei credatur, numquam eſt licita, nec caret ſuperſtitione, quia dicti euentus pendent à libero hominis arbitrio, & non à neceſſitate ſtellarum,& ſic de hoc delicto Iudices Eccleſiaſtici cognoſcunt.Bull.Sixti V.cõtra Aſtrologos. *S.Th.2.2.q.95.art.5. Caſtro lib.1.de iuſta hæreticorum punit.c.3.c.igitur.26.q.3.c. vnic.26. q.1.l.2.5. & 7.C. de maledicis,& mathem.Odoard.in c.2.de ſortilegijs.*

28 Chiromantia quid eſt, & an ſit licita?

℞. Eſt ars diuinatoria per lineas manuũ,ex quibus futura prædicimus, quæ pendent ex libero arbitrio, & non licita,neque caret ſuperſtitione,& à iudicibus ſæcularibus punitur, ſicut cæteri ſupra poſiti. *S.Tho. 2.2.q.95.art.3.Caſtro de iuſta hæret.punit.lib.5.num.3.*

29 Quænam ſunt ſortes?

Reſp. Contingentia, præſentia, vel futura,quæ naturaliter non poſſunt cognoſci, ſortes ſunt propriè ex D.Tho.cum aliquid fit, vt eius euentu conſiderato aliquid occultum innoteſcat, & tunc periculoſæ ſunt, & vt plurimum peccatum inuoluunt, quando tamen liceat, quando non, lege *D.Th.2.2.q.85.art.8.* in corpore, qui circa hanc materiam multa erudite diſtinguit.

30 Superſtitio diuinatiua quotuplex eſt, & an ſit licita?

Reſp. Eſt triplex. Primò quando Deo non reuelante homines dicunt futura, ex eo quòd dęmones eorum oculis ponant præſtigium,& faciunt,vt homines aliquid exiſtiment ſe aliquid videre futurum. Secundò, cum ſomniant præterita, vel futura, & illa, vt certa proferunt. Tertiò, per mortuorum allocutionem, quæ dicitur nicromantia à nocros,quod eſt mortuus & mantia,quod eſt diuinatio. Quartò,per homines vexatos a dæmone. Quintò, quando dęmones prædicunt futura per figuras,aut ſigna,quæ apparent in rebus inanimatis, & iſtæ non ſunt licitæ, puniuntur. *l.nullus.l.culpa.C.de maledicis. Hoſt.in ſum. verb.ſuperſtitio.c.non oportet.c.ſi quis Epiſcopus. 26.q.5.*

31 Quando aliquis diuinat pluuiam,ſerenitatem,fructus bonos terræ, ſanitatem, vel infirmitatem alicuius, conſiderando cauſas naturales, talis diuinatio eſt ne prohibita?

Reſp. Non quia innititur ratione naturali. *S.Tho.2. 2.q.95. art.3.*

32 Augurium, quid eſt, & an ſit licitum?

Reſp. Primò, quando ex animalium vocibus, vel cantu,vel ex aliqua accidentali re, videlicet quando caſu ſal decidit in menſa,vel vinum effunditur, nobis annunciamus aliquod bonum, vel malum, & hoc eſt illicitum, & peccatum mortale, cum hoc non ſit ſignum naturale boni, vel mali,ſed quædam imaginatio, quam homines habent in corde ſuo ſine aliquo veritatis fundamento,& eſt illuſio dæmonum.*S.Tho. 2.2.q.95. art.5.*

33 Ariolus, quis dicitur?

Reſp. Propriè eſt ille,qui funeſta ſacrificia offert,& preces nefaria ſe mittit, vt reſponſa dæmonum accipiat, ſicut Sacerdotes antiqui faciebant. *Idor.lib.8. orig.c.9. & iſti condemnantur à Iudice Eccleſiaſtico.*

34 Augures, qui propriè dicuntur?

Reſp. Illi, qui ex volatu auium, motu animalium, vel ex inteſtinis dictorum animalium futura prophetizant,& iſti damnantur à Iudicibus Eccleſiaſticis. *S.Tho.2.2.q.95.art.5. Iſidor.lib.8.orig.c.9.*

25 Nigromanticus quis eſt?

Reſp. Ille,qui arte dœmonum adhibitis ſanguine,& certis carminibus facit mortuos reſurgere, loqui, & videre,& alia inuſitata, de quibus diximus in cap.de maleficijs, & iſti omnes condemnantur à Iudicibus Eccleſiaſticis. *Iſidor.lib.8.orig.c.9.Sanch.in ſum.lib.2.*

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER

LIBER SEPTIMVS CONTINENS OMNES TITVLOS LIBRI PRIMI DECRETALIVM,

De quibus hactenus nulla fuit facta mentio.

CAPVT PRIMVM.

De ſumma Trinitate,& fide Catholica.

1 QVis compilauit librum decretalium?
Reſp. Magiſter Raymundus, iuſſu, & authoritate Gregorij IX. vt habetur in Prologo Decretalium.

2 Quis tenetur obſeruare decreta, & Conſtitutiones decretalium.
Reſp. Omnes ſtudentes, & Doctores tam in conſulendo,quàm in iudicando;quia licèt in prologo liber Decretalium dirigatur ad ſtudentes in vniuerſitate Bononiæ; tamen cum ibi ſit ſtudium generale, & ad id concurrant ex omnibus mundi partibus, dicendo dilectis filijs Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus, loquitur generaliter cum omnibus alijs, *vt habetur in proœmio Decretalium prope medium*.

3 Ad quem finem Decretales ſunt compilatæ?
Reſp. Ad ſedandas lites, & adminiſtrandam iuſtitiam, vt habetur in eodem proœmio.

4 Quæ eſt principalis cauſa litium, & diſſentionum?
Reſp. Inordinata cupiditas, quæ eſt radix omnium malorum, *vt habetur in Epiſtola D. Pauli ad Timoth. 1. cap. 6.*

5 Quibus nominibus vocatur Epiſtola Decretalis in iure?
Reſp. Aliquando vocatur Epiſtola decretalis, aliquando Sanctio, Dogma, Mãdatum, & Interdictum, & ſemper ſit ad conſultationem, & reſponſionem alicuius. *gl. in c. 1. diſt. 3.*

6 Quibus nominibus appellatur Conſtitutio in Iure?
Reſp. Aliquando dicitur Conſtitutio, aliquando Canon, aliquando Decretum;& ſemper fit ex mente Principis præcipiendo, vel vetando aliquod neceſſarium ad bonum commune. *Gloſ. in capitul. 1. 3. diſtin.*

7 Quot, & quæ ſunt præcepta naturalia?
Reſp. Tria; honeſtè viuere, alterum nòn lædere, ius ſuum vnicuique tribuere, vt habetur in proœmio Decretal. *Inſt. de iuſt. & iure, §. iuris præcepta.*

8 Quid tenetur quilibet Chriſtianus credere?
Reſp. Trinitatem in perſonis; nempè Patrem, Filium,& Spiritum ſanctum,& vnitatem in eſſentia, articulos Fidei, ſeptem Sacramenta,& ea omnia, quæ tenet Eccleſia Catholica Romana,& omnia contenta in ſymbolo Fidei. *cap. 1. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol.*

9 Si quis ea non credat, qua pœna punitur?
Reſp. Vt hæreticus (ſi non reſipiſcat) comburitur. *c. 2. de ſum. Trin. c. ad abolendam. de hæret.*

CAPVT II.

De Conſtitutionibus, & Legibus.

1 LEges, & Canones quomòdo ſe habent inter ſe, & quomodo debent Iudices Eccleſiaſtici vti legibus, & Iudices ſæculares vti ſacris canonibus?
Reſp. Leges non dedignantur imitari ſacros Canones, & è conuerſo ſacri Canones non dedignantur imitari leges, præcipuè in caſibus, in quibus non habent ſpecialem diſpoſitionem; ratio eſt, quia tàm ſacri Canones, quàm leges ad eumdem finem inuentæ ſunt, ſcilicet ad bonam gubernationem Reipublicæ, vt habetur in *capit. 1. de nou. operis nunt. & ibi gloſ.*

2 In quibus caſibus ſæculares Iudices debent ſeruare Ius Canonicum, & è contra?
Reſp. Iudices ſæculares in duobus caſibus tenentur ſeruare Ius canonicum. Primò, quando Ius ciuile eſt contra libertatem Eccleſiæ, vel contra Ius canonicum. Secundò, quando Ius ciuile non determinat aliquam difficultatem, & eam determinat Ius canonicum; & Iudices Eccleſiaſtici tenentur ſeruare Ius ciuile, quotieſcumque aliquod negotium non fuerit definitum per Ius canonicũ;ratio eſt,quia vtrumque Ius ſecundùm rationem conditum fuit,& Iudices tenentur ſententiare iuſtitiam, & inquirere veritatem ex vtroque Iure, *vt tenet Abb. in cap. 1. de noui operis nuntiat. num. 3. & 9.*

3 Clerici poſſunt ne audire leges ciuiles in ſcholis publicis, ſicut alij Scholaſtici?
℞. Cum diſtinctione; ſi Clerici non ſint Presbyteri,

ſed de Epiſtola, vel de Euangelio, neq; habeant beneficium curatum, ſed ſolum beneficium ſimplex, dum non ſunt presbyteri, poſſunt publicè audire leges, & in illis ſe graduare, & ſimiliter poſſunt audire phyſicam, vel medicinam; ſi verò ſint presbyteri, vel habeant beneficium curatum, vel capellam, in qua inſtituitur Vicarius perpetuus, non poſſunt audire leges, neque medicinam, per caput ſuper ſpecula, cap. non magno opere, ne Clerici, vel monachi; ratio eſt, vt ſtudium Theologiæ amplietur, & vt monachi, & Archidiaconi, Decani, & dignitates habentes perſonatus, præſideant in ſuis Eccleſijs, & vt presbyteri in ſæcularibus negotijs, de quibus leges tractant, non ſe intromittant, *cap. 1. ne Clerici, vel monachi, in 6. & tenet Enricus Borie in d. cap. ſuper ſpecula num. 7. & Abb. in dicto c. num. 10. Tolet. lib. 1. c. 7. Sylu. verbo excommunicatio. 9. num. 22.*

4 Qua pœna puniuntur presbyteri, vel Clerici non presbyteri, qui habent beneficium curatum, vel habent dignitatem, & perſonatum in aliqua Eccleſia, de quibus loquitur propriè, & expreſsè dictum cap. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel monachi?

Reſp. Niſi deſiſtant ante duos menſes, à tempore conſtitutionis Bonifacij VIII. incurrunt excommunicationem, quæ poteſt abſolui, & diſpenſari ab Epiſcopo. *gloſ. in d. c.* ſuper ſpecula, & iſti duo menſes cõputantur à die, quo cæperunt ſtudere legibus.

5 In quibus caſibus presbyteri, & Clerici habentes beneficia curata, & perſonatus habentes dignitates perpetuas in Eccleſia poſſunt audire leges abſq; pœna?

Reſp. Primò ſi iſti audiant leges quatenus conducunt ad maiorem cognitionem Canonum, & non animo iudicandi cauſas criminales, ſed vt melius, & cum maiori intellectu iudicent cauſas ciuiles, & Eccleſiaſticas. Secundò, ſi audiant leges cauſa honorandi Doctorem, vel amicum ſuum, & nõ cauſa principaliter diſcendi leges, iſti tales non incurrunt ſententiam excommunicationis, & poſſunt abſq; metu eas audire, ſed non in eas doctorari. *tenet Abb. c. ſi. ne Clerici, vel monachi, num. 14. & 16. & Tolet. & Borie ſupra citati.*

6 Quid debet agere presbyter, vel Clericus habens beneficium perpetuum curatum, vt poſſit audire leges abſque metu aliquo excommunicationis exterioris poſitæ in cap. ſuper ſpecula, ne Clerici, vel monachi?

Reſp. Debet comparere ante ſuum Epiſcopum, & petere ab eo licentiam audiendi leges, declarando, quod ipſe vult eas audire, vt meliùs intelligat ſacros Canones, & fiat doctior in vtroq; Iure ad defendendam fidem Catholicam, & vt meliùs poſſit iudicare negotia Eccleſiaſtica, & non ea intentione, vt iudicet negotia criminalia, neque ſe intromittat negotijs ſæcularibus, & obtenta dicta licentia in ſcriptis licitè poterit audire leges in ſcholis, & de eis diſputare, ſuſtinere concluſiones, & facere omnia neceſſaria, ad hoc vt ſit doctiſſimus in Iure ciuili; ratio eſt Primò, quia excommunicatio poſita in d. c. ſuper ſpecula non imponitur actui exteriori audiendi leges, ſed imponitur presbytero, qui audiuit leges cum intentione iudicandi cauſas criminales, & ſæculares, vt patet ex c. 1. ne Clerici, vel monachi in 6. Secundò, quia leges Codicis Iuſtiniani ſunt ſanctiſſimæ, & fauent plurimum Eccleſijs, & earum cognitio eſt valdè neceſſaria Epiſcopis, & Iudicib. Eccleſiaſticis, & nemo ex bono opere debet excommunicari. Tertio, quia leges multò ſunt neceſſariæ ad gubernationem Reipub. Eccleſiaſticæ. Quarto, quia ius Canonicum perfectè intelligi non poteſt, niſi quis ſit doctus in Iure ciuili. Vltimò, quia innumeri Pontifices, Epiſcopi, Cardinales, & DD. ſunt, & fuerunt doctiſſimi in Iure ciuili, & ſuper Ius ciuile ſcripſerunt in magnam Eccleſię Dei vtilitatem, & ſic dicta excommunicatio debet intelligi ſupra animum deprauatũ, qui audit leges malo fine, ſed non ſupra actum audiendi leges bono fine, & in Eccleſiæ Dei vtilitatem, *vt tenent DD. ſup. citati.*

7 Presbyteri, qui audiunt leges bono fine, poſſunt in eis doctorari?

Reſp. Non, quia gradus ad ſcientiam, & intelligentiã nihil addit, ſed ſolũ dat approbationẽ, & teſtimonium, quòd talis perſona eſt ſufficiens in tali ſciẽtia.

8 Doctor in legibus poterit ne ad ſacros ordines promoueri?

Reſp. Benè poterit, & cum magno honore; quia hoc nullibi eſt prohibitum.

9 Presbyter, vel monachus poteſt audire medicinã?

Reſp. Licèt hæc quæſtio difficilior ſit, quam præterita, quia medicina non eſt neceſſaria, niſi ſolùm ad curandum, tamen reſpondendum, quòd ſi illam audiunt non intentione curandi, ſed cum intentione diſcendi res naturales, & virtutes herbarum, cum licẽcentia ſui ſuperioris poſſunt phyſicam, & medicinã audire; ratio eſt, quia inſtruere quiſque ſuum intellectum ſcientijs licitis nullibi eſt prohibitum. Sed certum eſt, quòd abſque licentia Summi Pontif. neque Clerici, neque presbyteri, neque monachi poſſunt exercere officium medici, neque medici, qui cęperũt curare, aſcendere ad ſacros ordines.

10 Quid eſt lex?

Reſp. Conſtitutio populi, qua maiores natu ſimul cum plebe aliquid faciunt; vel eſt commune præceptum virorum prudentum, & punitio delictorum, *Iſidor. lib. 5. diſt. 1. l. legis ff. de legib.*

11 Canones Pontificum, quam vim habent?

Reſp. Vim legum. *c. 1. de iuram. calumn.*

12 Qui habuerunt poteſtatem condendi leges?

Reſp. Populi cum ſenioribus, vſque ad tempus, quo conſtituerunt ſibi Reges, qui eos defenderent, & gubernarent. §. ſed, & quod Principi. *Inſtit. de iure natur. gent. & ciuil.*

13 Leges quid imitantur?

Reſp. Sacros Canones, & è contra, *c. 1. de iuram. calum. c. de nou. oper. nunt. Gloſſ. in c. 1. eod. tit.*

14 Si ſint aliquæ graues quæſtiones, & nõ ſint deciſæ, quid agendum?

Reſp. Recurrendum ad Papam, Imperatorem, vel Regem, ut eas determinet. *c. 1. de iuram. calumn.*

15 Qui poſſunt leges, & ſtatuta limitare?

Reſp. Summus Pontifex, Imperator, & Reges, qui eas condere poſſunt. *c. tranſlato, de conſt.*

16 Quotuplex eſt lex?

Reſp. Duplex: alia diuina, alia humana.

17 Quotuplex eſt lex humana?

℟. Triplex: naturę, gentiũ, & ciuilis, ſcilicet plebiſcitum. *Inſt. de iure nat. gent. & ciu. §. Ius autem ciuile.*

18 Quæ eſt lex municipalis?

Reſp. Illa, quam aliqua ciuitas ſibi conſtituit. *Inſtit. vbi ſup.*

19 Quæ

19 Quæ eſt lex canonica?
Reſp. Illa, quæ fit à Summis Pontificibus, vel concilijs. *c. nimis, de iureiurando. c. 1. de iuramento calum. l. leges. C. de leg.*

20 Quæ eſt ciuilis?
Reſp. Lex humana à Regibus ſtatuta. §. *ius autem ciuile. Inſtit. de iur. natur.*

21 Lex, & conſtitutio reſpiciunt præterita, an futura?
℞. Futura, niſi de præteritis caueatur. *c. fin. de conſt.*

22 Quid debet cõtinere lex, vt ſit iuſta, & obſeruetur?
Reſp. Debent eſſe honeſta, iuſta, poſſibilis, ſecundũ naturam, conueniens loco, & tempori neceſſaria, vtilis, & manifeſta. *c. erit 4. diſt.*

23 Si occurrat caſus, in quo non ſit lex facta, quid agendum?
Reſp. Ad Principem recurritur, vt conſilium ſapientum faciat legem. *l. manum, C. de legib.*

24 Mandatum Principis quando debet obſeruari?
Reſp. Quando eſt in ſcriptis, ſi aliter probari non poſſit eius mandatum. *l. ſi quis C. de mandatis Princip.*

25 Si quis facit teſtamentum contra legem, erit ne validum?
Reſp. Non. *l. non dubium. C. de legib.*

26 Priuilegia faciunt ne legem, aut ius generale?
Reſp. Non, ſed intra ſuos terminos ſunt ſeruanda. *l. 2. C. de legibus.*

27 Quomodo cognoſcitur, quando lex eſt generalis?
Reſp. Quando habet aliquod ex quinque ſignis. Primò, quando mittitur ab Imperatore ad communitatem Secundò, quando in edicto, generali vocabulo, nuncupatur. Tertiò, quando difficultas (ſupra quam ſit lex) poſtulat generalitatem. Quartò, quando iubetur diuulgari in omni Regno. Quintò, quando iubetur ab omnibus ſeruari. *l. leges, vt generales. C. de legibus.*

28 Ignorantia Iuris excuſat nè à pęna vel à peccato?
Reſp. Non excuſat à pœna, ſed benè à peccato, ſi non ſit craſſa, ſed ignorãtia facti excuſat ab vtroque. *l. leges ſacratiſſimæ. C. de legib.*

29 Principes ſubijciuntur nè legibus?
Reſp. Affirmatiuè, quoad vim directiuam; non autẽ quoad coerciuam. *l. digna C. de legib.*

30 Qui fuerunt primi Auctores legum?
Reſp. Iudęis Moyſes; Græcis Moroneus Rex; Ægyptijs Mercurius Trimegiſtrius; Athenienſibus, Solõ, Lacedemonijs Licurgus; Romanis Numa Pompilius *c. Moyſes. c. fuerunt. diſt. 7.*

31 Quæ ſunt leges duodecim tabularum?
Reſp. Origo totius iuris ciuilis. *Inſtitut. de iur. natur.* §. *ex non ſcripto. & ibi gloſ. verſ. origo, l. 2. ff. de orig. iuris* §. 1.

32 Quare dicuntur leges duodecim tabularum?
℞. Quia à decem viris peritiſſimis Lacedemoniorũ fuerunt factæ, & aliæ duæ tabulæ, quia ab ipſis fuerunt compoſitæ ad declarationem aliarum decem tabularum. *gloſ. verſ. decem viros* §. *deinde in cap Moyſes. diſt. 7.*

33 Lex Aquilia à quo dicta fuit?
Reſp. Ab Aquilio eius fundatore *inſt. de leg. Aquilia. l. 1. ff. ad legem Aquiliam.*

34 Lex Cornelia à quo facta fuit, & quid precipit?
Reſp. A Cornelio, & punit delicta malitioſè facta, *vt in tit. ff. ad legem Corneliam de Sicarijs, gloſ. in* §. *ſed, & lex. inſt. de iniurijs.*

35 Lex Cornelia de falſarijs quid præcipit?
Reſp. Pęnam irrogat falſarijs, qui teſtimonium aliquod falſum dixerunt, vel fecerunt inſtrumentum, falſum, *inſt. de publicis iudicijs.* §. *item lex Cornelia, de falſarijs.*

36 Quare dicitur lex Cornelia de ſicarijs, & quid præcipit?
Reſp. Quia ſica eſt cultelus, & ſecans, & puniens eos, qui dolo malo aliquem interficiunt. §. *item lex inſt. de publicis iudicijs.*

37 Lex Falcidia, à quo dicitur, & quid prohibet?
Reſp. A Falcidio Tribuno Romanorum auctore, & prohibet, ne quis in teſtamento totam ſuam hæreditatem extraneis det ſicut ſolebant facere Romani: ſed neceſſariò priùs debet quartam partem ſui hæredibus relinquere, ſed hodie ſecund. ll. Hiſpaniæ tertiam partem, & quintam poteſt quis in ſuo teſtamẽto dare, ſcilicet quintam pro funerali, & pro anima, tertiam alicui ex ſuis hæredibus neceſſarijs, vt filijs. *diſt. 2. c. quædam, ff. ad l. falcidiam tit. 6. lib. 5. l. 1. nouæ recopilationis in lingua Hiſpanica.*

38 Lex Iulia de adulterijs, & ſtupro à quo dicta fuit & quid prohibet?
Reſp. A Iulio eius auctore, & punit adulteros, & eos, qui violant virgines, & viduas cum earum voluntate; *inſtit. de publicis iudicijs,* §. *ſin autem.*

39 Lex Iulia de ambitu quos punit?
℞. Eos, qui munera dant ad honores, & officia cõſequenda, *inſtit. de publicis iudicijs,* §. *ſunt præterea, gl. & l. 1. ff. ad leg. Iuliam de ambitu.*

40 Lex Iulia læſę maieſtatis, quos punit?
Reſp. Punit pœna capitali, & vſq; ad quartam generationem priuat bonis, & honoribus eorum ſucceſſores, qui in Remp. vel Principem aliquid machinantur, *C. ad leg. Iuliam læſæ maieſtatis. l. quiſquis, inſtit. de public. iudic.* §. *publica autem.*

41 Lex Iulia repetundarum quos punit?
Reſp. Iudices accipientes bona, vel pecunias, vt aliquid iudicent, vel non iudicent, vel compellentes poteſtate aliquos vendere aliquid minori pretio, quàm valet, *ff. ad l. Iuliam. repetundarum. l. 1. 3. & 4.*

42 Lex Iulia de reſiduis quos punit?
Reſp. Eos, qui bona Reip. adminiſtrant, & retinent pecunias apud ſe, quas debent in ærario reponere, & eos, qui retinent pecunias ſibi creditas, & eas nõ tradunt ſuis proprijs Dominis. *ff. ad l. Iuliam peculatus, l. 2. & 4. &* §. 1.

43 Lex Iulia de vis publica quos punit?
℞. Eos, qui vim cum armis fecerunt, & iubet eos deportari, *inſtit. de publicis iudicijs,* §. *item lex Iulia.*

44 Lex Iulia de vi Priuata quos punit?
Reſp. Punit in tertia parte bonorum eos, qui ſine armis vim inferunt, & eos, qui virginem, viduam, vel monialem rapiunt, pœna capitali condemnat. *inſtit. de publicis iudicijs* §. *item lex Iulia de vi publica.*

45 Lex Iulia norbona quid præcipit?
Reſp. Loquitur de libertis, & in ſua libertate dat formam; *inſtit. de libertinis.* §. *libertinorum autem.*

46 Lex Iulia de Annona quos punit?
Reſp. Eos, qui faciunt in Republica annonam, hoc eſt, vt frumentum, vinum, vel carnes ſint cariores; quia in hoc delicto plurimum *reſp. lęditur, l. 2 ff. ad l. Iulliam de annonis.*

47 Lex Iulia peculatus quos punit?
Reſp. Eos, qui rem ſacram, vel pecuniam publicam furantur, *inſt. de publ. iud.* §. *lex Iulia.*

48 Lex

48 Lex Iulia viſcelia, aliàs viſtelia, quid præcipit?
Reſp. Vt hæres non teneatur ſoluere legatum mulieri viduæ, ſi nupſerit, quoties tale legatum relictũ fuit ſub conditione, vt non nubat. *authentica, cui relictum, C.de in dicta viduitate tollenda.*

49 Lex Hortenſia, à quo ſumpſit nomen, & quid præcipit?
℞. Ab Hortenſio eius conditore, & præcipit, vt plebiſcita valeant tantum, quantum lex populi, *inſtit. de iur. nat. gent. & ciuil. §. ſed, & plebiſcita.*

50 Lex Papia, à quo dicta fuit, & quid pręcipit?
Reſp. A Papio eius auctore, & pręmia dat eis, qui ſuſcipiunt liberos, & eos alunt. *vt habetur in c. quædam 2. diſtinctione.*

51 Lex Pompeia quid pręcipit?
℞. Punit eos, qui matrẽ cum patre, ſiue vtrumque, ſiue alterutrum, aut alios conſanguineos occidunt, & iubet eos includi corio ſimul cum vipera, ſimia, cane, & gallo gallinaceo, & ſic eijciantur in mare, vel flumina, *Inſtit. de publicis iudicijs. §. alia deinde.*

52 Lex Rhodia de iactu à quo dicta fuit, & quid pręcipit?
℞. Ab inſula Rhodo in qua plures erant mercatores, & fauet eis qui cauſa mortis, & euitandi commune periculum merces in mare mittunt. *leg. 1. ff. ad leg. Rhod. de iactu. de hac. l. loquitur c. quædam diſt. 2.*

53 Lex Satirà à quo dicta eſt?
℞. A ſaturitate, quia loquitur de pluribus rebus *c. ſatira diſt.*

54 Lex Atilia quid præcipit?
℞. Loquitur de commiſſione tutelæ. *inſt. de Attiliano tut. per totum.*

55 Lex Vtilia quid præcipit?
℞. Loquitur de libertis appetentibus, vel petentibus officia, quæ ſibi non competunt, ſed ingenuis, & libelis. *ff. de ſtatu hominum, per tot.*

CAPVT III.

De reſcriptis.

1 Qvid eſt reſcriptum?
℞. Illud, quod à Papa, vel à Principe reſcribitur ad conſultationem Prælatorum, ſeu intimationem alterius, vel ad alicuius indulgentiam. *Hoſtienſ. in ſum. tit. de reſcriptis. Abb. rubr. de reſcriptis.*

2 Quot ſunt ſpecies reſcriptorum?
℞. Plures generale, particulare, gratiæ, iuſtitiæ in forma communi in forma dignum, in forma pauperum, ſi neutri, ſi alteri, etiam valere, per inde valere, ad lites, ad beneficia, vacantia, & vacatura, nobilitatis, reualidationis, odioſum, gratioſum ſecundũ ius, præter ius, & contra ius. *Mandoſ. tit. de reſcript. per totum.*

3 Quod eſt reſcriptum generale?
Reſp. Quando eſt clauſula generalis, videlicet, ſint iudices talis, & talis, & alij omnes talis qualitatis. *Mandoſ. vbi ſup.*

4 Quod eſt reſcriptum particulare?
℞. Quando loquitur de particulari perſona. *Mandoſ. vbi ſup.*

5 Quod eſt reſcriptum gratiæ?
Reſp. Quando largitur aliquod beneficium, vel remittitur pœna, vel conceditur priuilegium. *Mandoſ. vbi ſup. & non ſpirat morte mandantis.*

6 Quod eſt reſcriptum Iuſtitiæ?
Reſp. Quando tendit ad iuſtitiæ adminiſtrationem, & ſpirat morte mandantis. *c. relatum. c. licet, de offic. iud. deleg. & ibi Abb. nu. 2.*

7 Quod eſt reſcriptum mixtum?
Reſp. Littera in forma pauperis, in forma dignum, in forma communi in forma ſpeciali, & tale reſcriptum continet aliquid de iuſtitia, aliquid de gratia. *Mandoſ. vbi ſup.*

8 Quod eſt reſcriptum ſi neutri?
Reſp. Quando duo litigant, & non habent ius in re litigioſa, & Papa dat reſcriptum tertiæ perſonę, vel vni ex illis dicens, ſi neutri competit ius, competat tibi, & idem eſt, quando ponitur clauſula, & alteri, vel ſi nulli. *Mandoſ. vbi ſup.*

9 Quod eſt reſcriptum, etiam valere?
Reſp. Quando Pontifex approbat beneficium obtentum ſubreptitiè, vel obreptitiè, ſub hac clauſula, per inde valere, ac ſi benè eſſet obtentum.

10 Quod eſt reſcriptum ad lites?
Reſp. Quando Papa delegat cauſam ad aliquam litem, & hoc reſcriptum non extenditur ad futuram litem. *Abb. in c. non iniuſte. nu. 2. de procuratorib.*

11 Quod eſt reſcriptum ad beneficia?
℞. Quando Papa approbat aliquẽ ad beneficia obtinenda.

12 Quod eſt reſcriptum nobilitatis?
Reſp. Quando ignobilis beneficio Principis declaratur nobilis?

13 Quod eſt reſcriptum rehabilitationis?
Reſp. Quando aliquis eſt inhabilis propter aliquod crimen, & gratia Principis fit habilis.

14 Quod eſt reſcriptum legitimationis?
Reſp. Quando illegitimus gratia Principis legitimatur.

15 Quod eſt reſcriptum odioſum?
Reſp. Quando Papa facit reſcriptum in pœnalibus, vt degradationis.

16 Quod eſt reſcriptum ſecundum ius?
Reſp. Quando Papa committit cauſam ſecundum iuris diſpoſitionem, vel dicit, quòd aliquis prouideatur, ſi ſit idoneus.

17 Quod eſt reſcriptum præter Ius?
Reſp. Quando Papa mandat prouideri cum diminutione, vel penſione præbendæ, vel mandat, vt laicus habeat beneficium, quod eſt præter ius.

18 Quod eſt reſcriptum contra Ius?
Reſp. Quando Papa mandat, vt aliquis habeat duas parochiales ſimul, quod eſt cõtra ius, & hoc reſcriptum nõ eſt exequutioni mandandum, niſi in eo dicatur, non obſtante tali iure. *Abb. c. paſtoralis. de fide inſtrumentorum. nu. 5.*

19 Quod eſt reſcriptum obreptitium?
Reſp. Quando per obſcuritatem verborum callidè loquendo fuit impetratum. *Innoc. & Abb. in c. cum delicta, de ſcriptis, nu. 7.*

20 Reſcriptum ſubreptitium in omnibus eſt ne ipſo iure nullum?
Reſp. Cum diſtinctione; ad beneficia eſt ipſo iure nullũ: ad lites ope exceptionis. *Abb. in c. cum noſtris, de conceſſione præbendæ.*

21 Quod

21 Quod eſt reſcriptum ſubreptitium?
Reſp. Quando falſo expreſſo, vel veritate ſuppreſſa reſcriptum fuit impetratum.

22 Subreptio vitiat nè ipſo iure litteras gratioſas, an verò ope exceptionis?
Reſp. Ipſo iure.

23 Reſcriptum ſpeciale derogat ne legi, vel mandato generali?
Reſp. Derogat. *c.1. de reſcriptis.*

24 Reſcriptum miſſum capitulo ſede vacante, adueniente nouo Epiſcopo, quis debet illud adimplere?
Reſp. Epiſcopus de nouo veniens. *Abb. in c.eam te, eod. tit. nu.1.*

25 Reſcriptum, quod mandatur vniuerſo capitulo in communi, comprehendit ne particulares perſonas capituli?
Reſp. Affirmatiuè, ſicut ſi cuilibet perſonæ in particulari mandatum fuiſſet, & ſic quilibet pro ſe tenetur ad obedientia talis reſcripti. *Abb. vbi ſup. nu. 12.*

26 Reſcriptum impetratum contra poſſidentem beneficium comprehendit ne ſucceſſorem?
Reſp. Affirmatiuè, ſi primum fuit legitimè citatus. *Abb. in c. ſignificauit nobis de reſcript. num. 1. & c. quia de iudicijs, num. 1.*

27 Maſculinum in reſcriptis comprehendit ne fœmininum?
Reſp. Comprehendit, *Abb. vbi ſup. nu. 2.*

28 Litteræ gratioſæ conceſſæ motu proprio vitiantur ne per ſubreptionem?
Reſp. Vitiantur.

29 Littere conceſſæ motu proprio tollunt ne defectus concernentes perſonas veluti irregularitatem?
Reſp. Non, niſi de eis expreſſa mentio fiat.

30 Reſcriptum motu proprio de prouidendo aliquẽ de aliquo beneficio, vitiatur ne per taciturnitatem beneficijs prius obtenti?
Reſp. Non. *c. ſi motu proprio de præbend. in 6.*

31 Si per reſcriptum fuerit prouiſum alicui aliquod beneficium in aliqua Eccleſia, vbi plura beneficia vacant de quo beneficio eſt intelligendum, de maiori, an de minori?
Reſp. Si reſcriptum motu proprio conceſſum ſit, intelligendum eſt de beneficio maioris valoris. *c. quia, de cleric. non reſidentibus.*

32 Reſcriptum ſuper deciſione cauſæ, intelligitur ne ſuper cognitione?
Reſp. Intelligitur, quia commiſſio continet omnem iuriſdictionem neceſſariam ad determinandam cauſã ſecundum ius. *Abb. c. venerabilis, de iudicijs, num. 2.*

33 Epiſcopus poteſt cognoſcere diſpenſationes à ſede Apoſtolica conceſſas?
Reſp. Poteſt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 15. de ref.*

34 Qui per falſas litteras grauat aduerſarium, quam pœnam incurrit?
Reſp. Condemnatur in expenſis. *c. 2. de reſcriptis.*

35 Si quis impetrat diuerſa reſcripta cõmiſſa diuerſis iudicibus contram vnam, eamdemque perſonam, qua pęna punitur?
Reſp. Si dictis reſcriptis vtatur, omnibus priuatur, quia in eo, in quo quis peccat, punitur. *c. ex tenore. eodem titulo.*

36 Clericus falſificans litteras Apoſtolicas, qua pœna punitur?
Reſp. Traditur curię ſæculati. *Abb. in c. olim ex litteris. nu. 2. de reſc ritptis.*

37 Si quis in reſcripto per malitiam tacet veritatem, vel exprimit falſitatem, qua pęna punitur?
Reſp. Caret commoditate reſcripti. *c. ſuper litteris, eod. tit.*

38 Reſcriptum poſterius ſi non faciat mentionem de priori, valet ne?
Reſp. Non etiam ſi primum impetratum ſit de conſenſu partium, neceſſariò ſecundum reſcriptum debet facere mentionem de tali conſenſu, quia litteræ generales non reuocant ſpeciales, niſi faciant mentionem de toto proceſſu. *c. cæterum de reſcriptis. c. ex litteris. de dolo, & contumacia. Abb. ibi. nu. 2. & c. inter monaſterium. de ſent. & re iudicata. nu. 4.*

39 Quod tempus attenditur in reſcriptis; tempus datæ, aut tempus præſentationis?
Reſp. In litibus tempus datæ. *Abb. in cap. cæterum. de reſcriptis, nu. 1.*

40 Si reſcriptum Principis videtur ab honeſtate deuiare, eſt ne adimplendum?
Reſp. Non, ſed Iudex inferior debet reddere cauſam Principi, & rationem de damno, & inconuenienti, & expectate ſecundum mandatum, quia numquam præſumitur, quòd Princeps velit facere aliquod præiudicium contra iuſtitiam. *Abb. c. ſi quando, de reſcriptis. num. 1.*

41 Reſcriptum impetratum contra priuilegium alicuius, vt exequutioni mandetur, quas qualitates debet habere?
Reſp. Debet facere expreſſam mentionem de priuilegio, aliàs non eſt exequutioni mandandum. *Abb. in c. cum ordinem de reſcriptis. nu. 3.*

42 Quando valet ſecundum reſcriptum non faciendo mentionem de primo?
Reſp. Quando primum impetrans dolo, vel negligẽtia non fuit vſus tali reſcripto. *c. ex parte. eod. tit. Abb. ibi. & c. plerumque eod. tit. num. 1.*

43 Reſcriptum ſubreptitium eſt nullum ipſo iure?
Reſp. Non, ſed per ſententiam, quia ſi eſſet nullum, non conualeſceret per negligentiã primi impetrãtis. *Abb. c. ſi autem. de reſcript. nu. 2.*

44 Reſcriptum, in quo incerti iudices dantur, vel ad futura negotia impetrãtur, valet nè?
Reſp. Non quia alias tolleretur iuriſdictio ordinaria. *c. ad hæc, de reſcriptis.*

45 Si reſcriptum committatur pluribus iudicibus, & inter ſe diſcordent de validitate reſcripti, quid agẽdũ
Reſp. Recurrendum ad iudices arbitros. *c. paſtoralis de reſcriptis.*

46 Proceſſus factus contra ius, quam validitatem habet?
Reſp. Eſt nullus. *Abb. in c. cauſamque de reſcript. nu. 2.*

47 Si ſit dubium in aliqua parte reſcripti, quomodo eſt iudicandum?
Reſp. Reducendum eſt ad ius commune, à quo nunquam eſt recedendum, niſi conſtet Papam illud expreſsè derogare voluiſſe. *c. cauſamque, de reſcriptis.*

48 Quando poteſt proceſſus, vt nullus, parte non citata pronunciari?
Reſp. Quando iudici notoriè conſtat partem nullam habere iuſtitiam, vel quando nullitas ſurgit ex interpretatione ipſius reſcripti. *Abb. in d. c. cauſamque, de reſcript. nu. 3.*

49 Reſcriptum impetratum ab excommunicato, valet ne?
Reſp. Non, niſi abſoluatur. *c. dilectus, il 1. de reſcr.*

50 Quando

50 Quando Iudex non ſeruat formam reſcripti, quã validitatem habet proceſſus?
Reſp. Eſt ipſo iure nullus, & non indiget alia declaratione, vel ſententia, *Abb. in c. cum dilecta, de reſcriptis nu. 4.*

51 Reſcriptum impetratum ad obtinendam aliquam præbendam in Eccleſia, vbi eſt certus numerus canonicorum, valet ne?
Reſp. Non, ſi non faciat expreſſam mentionem de numero canonicorum. *c. conſtitutus, de reſcriptis.*

52 Si quis per ignorantiam tacet veritatem, vel dicit falſitatem, talem reſcriptum valet nè?
℞. Diſtinguendo; ſi veritas illa, vel falſitas eſt talis conditionis, quòd ſi exprimeretur Papæ, non concederet reſcriptum, tunc tale reſcriptum non valet; ſi verò ſit talis conditionis, quòd etiam ſi exprimeretur Papæ, nihilominus concederet reſcriptum, tũc Iudex poterit vti reſcripto, ſed debet iudicare ſecundum ius commune. *c. ſuper litteris, de reſcriptis.*

53 Si plures impetrant canonicatum in eadem Eccleſia, cui debet conferri?
Reſp. Tunc ſtatur, & admittitur primus impetrans. *c. capitulum. Sanctæ Crucis, de reſcriptis.*

54 Impetrans beneficium debet nè facere mentionẽ de penſione annua, quam habet tale beneficium?
Reſp. Debet, aliàs reſcriptum non valet. *c. ad audientiam, il 2. de reſcriptis.*

55 Appellatione diœceſis comprehenditur ne ciuitas?
Reſp. Non; quia eſt quid maius, & ita reſcriptum impetratum contra homines diœceſis non comprehendit homines ciuitatis. *cap. Rhodulphus, de reſcript.*

56 Si quis receptus ſit in canonicum ſuper numerum alicuius Eccleſiæ, & non eſt aſſequutus præbendam, & impetrat alium canonicatum, tenetur ne facere mentionem de priori canonicatu?
Reſp. Tenetur; quia per ſolam receptionem reputatur, vt canonicus. *c. in noſtra, de reſcriptis.*

57 Quæ ſunt delicta, propter quæ aliquis priuatur commoditate reſcripti?
Reſp. Sex. Primò, ſi quis ſuo nomine impetrat litteras, & tradit alij eiuſdem nominis. Secundò, quando vigore reſcripti citat aliquem, contra quem non habet quæſtionem. Tertiò, quando vtitur reſcripto ad negotia, quæ non erant orta tempore impetrati reſcripti. Quartò, quando quis ſuper negotio ſuo trahit aduerſarium ad diuerſos iudices. Quintò, quando quis trahit reum ſuper pluribus perſonalibus actionibus coram diuerſis iudicibus, quæ ſub vno commodiùs tractarentur. Sextò, quãdo quis trahit actorem ad diuerſa loca eiuſdem nominis indeterminatè. *c. fi. de reſcriptis.*

58 Si in reſcripto prouideri mandetur aliquem de quocumque beneficio, intelligitur ne etiam de curato?
Reſp. Non, cum requirat qualitates exquiſitas; & ita neceſſe eſt, vt de curato expreſſa fiat mentio. *c. vltimo, de præbend. in 6.*

59 Impetrans aliquod beneficium de quibus rebus tenetur facere mentionem?
Reſp. De dignitate, & beneficiis, quæ obtinet, aliàs reſcriptum non valet. *Abb. in c. ad aures de reſcriptis. nu. 1. c. cum adeo, eod. tit. nu. 1.*

60 Si quis appellauit, & poſtea impetrat reſcriptum, debet ne facere mentionẽ ſuæ appellationis?
Reſp. Debet, ſicut appellationis partis contrariæ. *c. ex parte, il primo, de reſcriptis.*

61 Qui appellat, & non ſequitur appellationem, quã pœnam incurrit?
Reſp. Condemnatur ad expenſas. *c. ex parte, vt ſupr.*

62 Si quis habet Vicariatum, & impetrauit beneficiũ ſine expreſſione Vicariatus, valebit ne tale reſcriptum?
Reſp. Si Vicariatus eſt perpetuus, non valebit; quia reputatur, vt beneficium. *c. poſtulaſti, de reſcriptis.*

63 Quid debet continere citatio peremptoria?
Reſp. Quòd quis citatur vſq; ad ſententiam diffinitiuam incluſiuè, & quod talis citatio habeat vim primæ, ſecundæ, & tertiæ citationis. *l. tres denuntiationes, C. quomodo, & quando Iudex. & l. contumacia. ff. de re iudicata.*

64 Si Papa dedit facultatem alicui Epiſcopo, vel Cardinali de prouidendo aliqua beneficia, & ipſe Papa apponit manus antequã ordinarius, cui data fuit facultas, quæ prouiſio valebit?
Reſp. Prouiſio Papæ; quia nemo tantam facultatem dat alteri, quin maiorem apud ſe retineat. *c. quamuis, de præbend. in 6.*

65 Qui habet litem cum monaſterio, debet ne citare Abbatem, an monachos?
Reſp. Si bona monaſterij ſint communia Abbatis, & monachorum, ſufficit citare Abbatem; ſi verò ſint diſtincta, ita quòd Abbas habet diſtincta ſua bona, tunc debet citare illum, cuius intereſt. *cap. edoceri, de reſcriptis.*

66 Si clauſula, quæ ſolet poni in reſcriptis (ſi preces veritate nitantur) ſi forſan non apponatur, quid debet Iudex iudicare?
Reſp. Debet iudicare ſecundum illam propoſitam. *Abb. in c. 2. de reſcriptis.*

67 Si duo Delegati in eadem cauſa mandant ordinario aliquid exequendum, quid debet facere ordinarius?
℞. Petere copiam reſcriptorum, non vt ipſe iudicet controuerſiam inter Delegatos, ſed vt ipſe poſſit videre, quod reſcriptum fuit vltimum, & quod mandatum debet exequi; vt non errẽt. *cap. cum contingat. de reſcriptis.*

68 Si delegatus mandat aliquid ordinario, quid debet facere ordinarius?
Reſp. Tale mandatum exequi. *c. cum contigat. de reſcriptis.*

69 Quis debet iudicare, an veritas ſuppreſſa, vel falſitas expreſſa ſit talis generis, quod Papa concederet, vel non concederet reſcriptum?
Reſp. Iudex, ad quem mittitur reſcriptum, iudicãdo ſecundum ius commune. *Abb. in c. ſuper litteris, de reſcriptis.*

70 Si ſit vnum reſcriptum impetratum in cauſa principali, & aliud in cauſa appellationis, qui Iudex debet prius cognoſcere?
Reſp. Iudex appellationis: quia ſi appellatio fuit legitima, iudicium in cauſa principali ceſſat coram illo iudice: ſemper enim de appellatione cognoſcit Iudex ſuperior. *c. dilectus. il 2. de reſcriptis.*

71 Si quis appellauit preſente parte, & pars non cõtradicit, nec loquitur verbum, erit nè valida appellatio?
Reſp. Erit, ſicut ſi ipſa pars appellaſſet. *Abb. in c. ex parte, il 2. de reſcriptis. nu. 9.*

71 In

71 In cauſis litigioſis; & criminalibus ſi committatur alijs præter quàm Iudicibus deputatis, erit ne ſubreptitium reſcriptum?
Reſp. Erit, & conſulendus eſt Sum. Pontifex. *Trid. ſyn.ſeſſ.25.c.9. de ref.*

73 Delegatus poteſt recipere expenſas à partibus?
Reſp. Poteſt ad iuſtum, moderatum, & ſponte datum: ſi verò iter faciat negotij cauſa, poterit petere a partibus ſumptus, quos ipſe fecit in itinere, & ſi partes pauperes ſint nihil debet accipere, quia bona Eccleſiaſtica data ſunt ad iuſtitiam ſeruandam. *cap. ſtatutum de reſcriptis in 6. §. inſuper.*

74 Delegatus poteſt aſſumere aſſeſſorem?
Reſp. Si ſit doctus, non: ſi verò ſit indoctus, debet eũ aſſumere cum moderata expenſa à partibus ſoluenda. *§. aſſeſſorem, c. ſtatutum, de reſcript. in 6.*

75 Sententia, in qua quis pronunciat ſe eſſe Iudicem, eſt ne diffinitiua, vel interloquutoria?
Reſp. Interlocutoria, etiam ab ea poteſt appellari, quia damnum eſt irreparabile per diffinitiuam. *Abb. in c. ex parte il 2. n.6. de reſcriptis.*

76 Quis debet taxare expenſas notariorum?
Reſp. Delegatus, & cum eis non debet participare; *c. ſtatutum, de reſcriptis in 6. §. notarium.*

77 Quis debet ſoluere expenſas teſtibus, & quas?
Reſp. Producens eos, & ſecundum qualitatem perſonarum taxa debet fieri à Iudice. *cap. ſtatutum. de reſcriptis in 6. §. proferendo.*

78 Quis poteſt cognoſcere de dubijs reſcriptorum, & priuilegiorum emanantium à Sede Apoſtolica, vel à Rota?
Reſp. Papa, vel Rota; & non Iudices inferiores: quia eius eſt interpretari, cuius eſt concedere. *c. cùm veniſſent, de iudicijs, & Abb. ibi num. 1.*

79 Mandatum Superioris debet ne ſemper adimpleri?
Reſp. Aliquando non, *c. ſi quando de reſcriptis.*

80 Si aliquid mandetur à Papa tempore Sedis vacantis, per quem debet adimpleri?
Reſp. Per Epiſcopum de nouo venientem, niſi in reſcripto loquatur expreſsè cum capitulo Sedis vacantis.

81 Si Iudex ordinarius habeat duo mandata contraria à duobus Delegatis, quid debet agere?
Reſp. Superſedere ab exequutione, & conſultare litteras Summo Pontifici. *cap. cum contingat, de reſcriptis.*

82 Iudex Delegatus poteſt cognoſcere cauſas extra diœceſim?
℞. Niſi forte reſcriptum dicat, Archiepiſcopo Montis Regalis commorantis Romæ, vel Panormi; tunc enim committitur cauſa tali perſonæ Romæ, vel Panormi; ſi verò reſcriptum dicat, Archiepiſcopo Montis Regalis; tunc enim intelligitur, talem cauſam commiſſam eſſe tali Archiepiſcopo in ſua diœceſi, & non extra eam. *Abb. c. nonnulli, de reſcriptis, num. 4.*

83 Per reſcriptum poteſt quis extrahi vltra duas dictas ad litigandum?
Reſp. Non, niſi in reſcripto ſpecialiter caueatur, vel impetratum ſit de conſenſu partium; quia nulli eſt facienda iniuria in ſuo iure. *capit. nonnulli de reſcriptis.*

84 Dictæ computantur à domicilio litigantis, vel à limite diœceſis?
Reſp. A limite diœceſis. *Abb. c. nonnulli, de reſcriptis, num. 2.*

85 Cùm actor, & reus ſunt eiuſdem diœceſis, poteſt ne impetrari reſcriptum vltra illam diœceſim?
Reſp. Non, niſi ſit contra Epiſcopum, Capitulum, vel Vicarium, & tunc vltra vnam dietam eos extrahere non poteſt. *c. ſtatutum. §. cum verò de reſcriptis, in 6.*

86 Actor in qua diœceſi poterit impetrare delegatum in ſua, vel in diœceſi rei?
Reſp. In diœceſi rei, quia ius fauet reo. *c. vt ſup.*

87 In exequutione reſcripti quid eſt faciendum?
℞. Fines mandati cuſtodiendi ſunt ad vnguem. *c. cam te, de reſcriptis, & ibi Abb. n. 4.*

88 Si reſcriptũ prouideat aliquem de præbenda primò vacatura, poterit ne conferri ei præbenda facerdotalis, ſi ætatem non habeat?
Reſp. Non debet, ſed ætatem expectare, niſi in reſcripto hoc caueatur. *c. eum cui de præbend. in 6.*

89 Reſcriptum contra ius quando eſt ſeruandum?
Reſp. Quando in eo ſpecificè ponitur (non obſtante tali Iure) quia cuius eſt concedere, eſt & reuocare, diſpenſare, vel limitare. *gl. c. 1. de conſtitut. lib. 6. Io. Andr. c. 1. de except.*

90 Priuilegium quomodo eſt interpretandum?
Reſp. Largo modo, & non ſtricto, ſicut reſcriptũ, quia eſt res fauorabilis, & fauor eſt ampliandus. *cap. olim de verb. ſignific. Bart. in l. fin. ff. de Conſtitut. Principum.*

91 Si aliquis Auditor Rotæ committat reſcriptum alicui Iudici in partibus, & antequàm tale reſcriptum præſentetur, talis Auditor moriatur, vel fiat Cardinalis, ille Iudex in partibus poterit procedere in cauſa?
Reſp. Si tale reſcriptum præſentatum fuit ante Iudicem, antequàm Auditor Rotæ moreretur, tunc poterit procedere, quia reſcripta Iuſtitiæ per præſentationem, & citationem acquirunt vires & radicatur iuriſdictio: ſi verò tempore præſentationis mortuus erat Auditor Rotæ, tunc non poterit procedere, neque eſt Iudex.

92 Gratiæ, & licentiæ conceſſæ à Principibus ſecularibus, vel Eccleſiaſticis, vel Regularibus, ſpirant ne morte, depoſitione, vel finito anno, & officio mandantis?
Reſp. Si tales gratiæ conceſſæ ſint abſolutè, & nõ ad limitatum tempus, ſunt perpetuæ, donec in ſpeciali à concedente, vel à Superiore, vel ſucceſſore reuocentur; quia ſunt gratiæ factæ ab habente poteſtatẽ, & receptæ gratiæ non ſpirant morte mandantis, etiamſi non ſequutę ſint ſuum effectum, ſicut ſpirant reſcripta iuſtitiæ re integra. *Abb. c. litteris, de reſcriptis, num. 4. & Sanchez de matrim. tom. 3 lib. 18. de diſpenſat. diſput. 28.*

93 Cauſa ſimpliciter commiſſa in reſcripto, intelligitur de poſſeſſorio, an de proprietate?
Reſp. De vtroque, ſed eſt in electione actoris agere primum de poſſeſſione, & poſtea de proprietate. *Abb. c. 1. de ſequeſtratione poſſ. & fruct. nu. 6.*

94 Si duo reſcripta emanent à Rota ſuper aliqua lite directa diuerſis Iudicibus, quis debet iudicare de validitate horum reſcriptorum?
Reſp. Poſtquam dicta reſcripta fuerint præſentata coram aliquo ex duobus Iudicibus, auditis, & citatis partibus, debet conſulere Iudex ſacram Rotam, vel Iudi-

Iudicem ad quem ſpectat;& ipſe non debet determinare, quòd reſcriptum ſit validum, & exequendum, quia commiſſum eſt diuerſis iudicibus; ſecus verò quando duo reſcripta inter ſe contraria committuntur vni iudici, tunc enim ipſius eſt iudicare, quod reſcriptum ſit exequendum. *Abb.in c.ex lectore.num.1. de reſcriptis.*

95 Interpretari reſcriptum ad quem pertinet?
Reſp. Ad Papam, vel ad Rotam, à qua emanauit; quia idem eſt de priuilegijs. *Abb. in c.1.de ſequeſtrat. poſſeſſion.& fructuum,num.9.*

96 Reſcriptum tollitur nè,ſicut priuilegium per non vſum?
Reſp. Non. *Abb.in c.plerumque,de reſcriptis.nu.4.*

97 Reſcriptum elapſo termino valet nè contra ordinariam iuriſdictionem?
Reſp. Non, quia iuriſdictio eſt perpetua,& non finitur triennio;neque cauſa fiſcalis. *c. venerabilis frater noſter,de iudicijs.*

98 Si quis reuocauit procuratorem, quem habet ad litem, facta ab eo,valent nè poſt reuocationem?
Reſp. Valent, quæ fecit in iudicio in fauorem ſuę partis, donec reuocatio perueniat ad notitiam iudicis, & partis contrariæ, *c.ex parte,il 3.de reſcriptis.*

99 Princeps condẽdo priuilegium in ſuis,de iure tertij, vel non faciendo de illo mentionem, tollit nè primum priuilegium?
Reſp. Non, quia cum princeps ſit iuſtus, & non faciat de primo mentionem, videtur nolle præiudicare gratis tertiæ perſonæ. *Abb,in c.in noſtra,de iniurijs, & damno dato, num.5.*

100 Si quis ratificet facta per procuratorem falſum rectè reuocatum, tenet nè?
Reſp. Tenent, ſicut facta fuiſſent per verum procuratorem. *Abb.in c.ex parte, il 3.de reſcriptis.num.8.*

101 Excommunicatus poteſt impetrare reſcriptum?
Reſp. Non, niſi ſolùm in ſuo negotio.

CAPVT IV.

De conſuetudine.

1 Qvid eſt conſuetudo?
Reſp.Ius quoddam moribus introductũ,quod ſumitur pro lege, cum deficit lex. *c.conſuetudo. diſtinctione 1.*

2 Quas qualitates debet habere conſuetudo,quę facit ius?
Reſp. Debet eſſe rationabilis, iuſta,obſeruata à toto populo, vel à maiori parte, cum continuatione. *Abb.in rubr. de conſuetudine.*

3 Conſuetudo inferens grauamen Eccleſiæ debet nè obſeruari?
Reſp. Non, imò iudicis officio tollitur.

4 Capitulum poteſt facere noua ſtatuta, vel facta mutare ſine licentia Epiſcopi?
Reſp. Non, *c.cum conſuetudinis.de conſuetudine.*

5 Conſuetudo derogat iuri naturali, vel diuino?
Reſp. Non,cum tranſgreſſio peccatum inducat.*cap. vltim.eod.titulo.*

6 Conſuetudo derogat nè iuri poſitiuo?
Reſp. Derogat, ſi habeat conſuetudines iuſtas. Primò, vt ſit rationabilis. Secundò, vt ſit legitimè præſcripta per annos quadraginta in rebus Eccleſiaſticis. Tertiò, ſi ſit inducta certa ſcientia, non per errorem, ſciente illo, qui ius poteſt condere; iuxta *l.de quibus.ff.de legib.* Quartò,ſi res,ſupra quã eſt conſuetudo, ſit præſcriptibilis. Quintò ſi tali conſuetudine vſi ſint ſine vlla malitia,& fraude,& animo,quo poſſũt illa vti. Sextò, ſi maior pars populi ea vtatur.*gl. in c.fin. de conſuetudine.*

7 Ex actibus meræ voluntatis ſępius multiplicatis, inducitur nè conſuetudo?
Reſp. Non, quia cum pendeant à mera voluntate, poſſunt fieri, & non fieri. *Abb.in c.ad noſtram. de confir.vtili, vel inutili,nu.11.*

8 Conſuetudo excuſat nè à delicto?
Reſp. Non imò aggrauat delictum, quia conſuetudo furandi non facit ius; ſed aggrauat pœnam. *cap. quanto de conſuetudine.*

9 Conſuetudo poteſt nè facere, vt clericus non Epiſcopus exerceat ordines Epiſcopales reſeruatos, ſicut confirmationem, & alia?
Reſp. Non. *c.quanto de conſuetudine.*

10 In diſtribuendis officijs,& dignitatibus nouiter electis,quæ conſuetudo eſt ſeruanda?
℞. Rationabilior. *c. cum olim, de conſuetudine.*

11 Conſuetudo poteſt facere, vt electus adminiſtret ſine confirmatione ſuperioris?
Reſp. Non. *cap. cum venerabilis. eod. tit.*

12 Conſuetudo declarat nè aliquando ſtatum Eccleſiæ?
Reſp. Affirmatiuè;quia eſt optima legum interpretatio. *c.cum.dilectus.de conſuetudine.*

13 Conſuetudo,vt quis poſſit obtinere duo beneficia incompatibilia ſine diſpenſatione valet ne?
Reſp. Non, quia eſt prohibitum à Concilio. *c.1.de conſuetudine in 6.Triden.ſyno.ſeſ.7.c.5. & ſeſ.24.c.2. de ref.*

14 Conſuetudo præſcripta, vt Epiſcopus poſſit corrigere ſubditos ſui capituli,ſine adiunctis, valet nè?
Reſp. Valet. *c.non eſt, in 6.eod.tit.*

15 Valet nè conſuetudo appellandi ab officiali Epiſcopi,ad Epiſcopum?
Reſp. Non,quia cum ſit vna iuriſdictio, duæ fiunt. *c.non putamus.in 6.de conſuetudine.*

16 Conſuetudo optandi præbendas valet nè?
Reſp. Valet, niſi in cauſa permutationis, & cum prębẽda vacat in curia.*c.cũ in tua de conſuetudine in 6.*

17 Contra conſuetudinem admittitur ne probatio?
℞. Admittitur.*c.fin.eod.tit.in 6.*

CAPVT V.

De Officio Archidiaconi.

1 Vnde dicitur Archidiaconatus?
Reſp. A nomine græco, Archos,ideſt maior,& Princeps Diaconorum, & eis imperans.

2 Archidiaconatus eſt nè dignitas?
Reſp. Affirmatiuè. *c.decernimus, de iudicijs.*

3 Quod eſt officium Archidiaconi?

℞. Pri-

Reſp. Primò, eſt Vicarius, & oculus Epiſcopi, & quaſi coadiutor, & ſupplens eius vices in corrigendo, viſitando, & emendando. Secundò, in pontificalibus induitur, & Epiſcopo aſſiſtit imperans Diaconibus. *c. 1. 2. & 3. de off. Archidiac.* Tertiò, examinat venientes ad ordines, & approbatos Epiſcopo præſentat, *cap. ad hæc, eod. tit.* Quartò, dat poſſeſſionem Epiſcopo, Abbatibus, & Abbatiſſis. *c. vt noſtrum, eod. tit.*

4 Quæ non poteſt Archidiaconus facere?

Reſp. Plura. Primò, non poteſt dare litteras dimiſſoriales, nec approbare ſine licētia Epiſcopi. *c. ſignificaſti, de officio Archidiaconi.* Secundò, non poteſt habere iuriſdictionem in monaſterijs: niſi conſuetudine illam habeat. *c. dilecto, eod. tit.* Tertio, non poteſt committere curam animarum ſine licētia Epiſcopi. *c. cum ſatis, eod. tit.* Quartò, non poteſt excommunicare de iure communi, ſine licentia Epiſcopi. *cap. Archidiaconis, eodem tit.* Quintò, non poteſt ardua determinare ſine Epiſcopo. *c. ad hæc, eod. tit.*

5 Quas Eccleſias poteſt Archidiaconus viſitare, & quoties?

Reſp. Eccleſiam Archidiaconatus, & de iure ſemel in anno. *c. mandamus, de offic. Archidiac.* ſed hodie per Trid. ſyn. diſpoſitum eſt, vt Epiſcopi viſitent, vt ſupra de viſitatione. dixi latè.

CAPVT VI.

De Officio Archipresbyteri.

1 Archipresbyter, quid ſignificat?

Reſp. Quod eſt primus presbyterorum, & deſcendit à nomine græco. Archos, & presbyter, id eſt primus presbyterorum.

2 Archipresbyter quem locum obtinet in choro, & Eccleſia?

Reſp. poſt Archidiaconum, & ante omnes presbyteros, quibus præeſt. *c. 1. de off. Archipresbyteri.*

3 Quot ſunt genera Archipresbyterorum?

Reſp. Duo: ſcilicet Archipresbyter Vrbanus; & Archipresbyter ruralis. *cap. officium. & cap. vt ſingulę. de off. Archipresbyteri.*

4 Quod eſt officium Archipresbyteri Vrbani?

Reſp. Primò, in choro inchoato officium, vel iubet incohare. Secundò, cum celebrat Epiſcopus, præcipit, vt Sacerdotes induantur, vt ei miniſtrent, & aſſiſtāt. Tertiò, de infirmis ciuitatis curam habet, eos viſitat, & eis adminiſtrat Sacramenta, vel prouidet, qui miniſtret. Quartò, adminiſtrat Sacramentum confeſſionis fidelibus. Quintò, baptizat infantes, & hæc omnia exercet per ſe, vel per ſubſtitutos approbatos, tamen ab Epiſcopo. *c. off. eod. tit.*

5 Quod eſt officium Archipresbyteri ruralis?

Reſp. Primò, adminiſtrare Sacramenta fidelibus exiſtentibus in villis, vel in agro, vel extra ciuitatem. Secundò, certiorem facere Epiſcopum de omnibus rebus neceſſarijs ad ſalutem animarum, & cum conſilio Epiſcopi omnia facere. *c. vt ſingulæ, eod. tit. de off. Archipresbyteri.*

CAPVT VII.

De Officio Primicerij.

1 Primicerius quem locum habet in Eccleſia?

Reſp. Poſt Archidiaconum, & Archipresbyterum, & ante omnes Diaconos, quibus pręeſt. *c. vnico, de off. Primicerij.*

2 Quod eſt officium primicerij?

Reſp. Pręeſſe Diaconibus, & reliquis gradibus inferioribus, & eos inſtruere, & deſignare ſingulis lectiones, quæ cantandæ ſunt in nocturnis officijs, & eas eis declarare. *c. vnico, vbi ſup. de off. Primicerij.*

CAPVT VIII.

De Officio Sacriſtæ.

1 Sacriſta, quæ dignitas eſt in Eccleſia?

Reſp. Magni honoris; nam eſt Dei cubicularius, & in qualibet Eccleſia Cathedrali habet ſedem inter dignitates, ſecundum tempus ſuæ creationis. *c. vnico, de off. Sacriſtæ.*

2 Quod eſt officium Sacriſtæ?

Reſp. Cuſtodire, & reficere veſtes ſacras, vaſa ſacra, theſauros Eccleſiæ, oleum, ceram, luminaria, & omnia habere munda, & parata in ſeruitium altaris, & in Cathedralibus habet claues Eccleſiæ, tamquam cuſtos eius. *c. vnico de off. Sacriſtæ.*

CAPVT IX.

De Officio Cuſtodis.

1 Quis dicitur cuſtos Eccleſiæ, & cui ſubijcitur?

Reſp. Ille, qui cuſtodit omnia mobilia Eccleſiæ, & curat de mobilibus, & ſubijcitur Archidiacono; ſed hodie propriè dicitur œconomus Eccleſiæ. *cap. 1. de off. cuſtodis.*

2 Quod eſt proprium officium cuſtodis?

Reſp. Habere panem, & vinum ad Dei ſacrificium, cuſtodire decimas, & eas inter canonicos diſtribuere, percipere eleemoſinas, quæ Eccleſiæ offeruntur, pulſare campanas ad horas, lampades accendere, & extinguere. *c. 2. eod. tit.*

CAPVT X.

De Officio Vicarij.

1 QVis dicitur propriè Vicarius?
℞. Ille, qui vices alterius gerit, vt cum parochus eſt infirmus, inhabilis, ſenectute confectus, vel mortuus, tunc qui ſupplet vices cum authoritate Epiſcopi, ille dicitur Vicarius. *c.* 1. *de off.Vic.*

2 Quot ſunt genera Vicariorum?
℞. Duo, Vicarij perpetui, & Vicarij temporales amouibiles ad nutum. *c.ad hæc, eod. tit.*

3 Qui dicuntur Vicarij perpetui?
℞. Illi, qui ponuntur per examen beneficijs vnitis Monaſterijs, & Eccleſijs, & iſti ſunt ſicut parochi perpetui, & in omnibus illis aſſimilantur. *cap.ad hæc, eodem tit.*

4 Qui dicuntur Vicarij temporales?
℞. Illi, qui ponuntur pro infirmis, & impeditis in beneficijs vacantibus, & iſti remouentur ceſſante cauſa: aut ex voluntate Epiſcopi. *c.ad hæc, eod.tit.*

5 Vicarius Papæ, quam iuriſdictionem habet?
℞. Magnam in Vrbe, nullam extra Vrbem, *cap. tua nobis, eod. tit.*

6 Vicarius poteſt ſuo loco ſubſtituere alium?
℞. Si eſt temporalis, non, quia ſubſtitutus non ſubſtituit; ſi verò eſt perpetuus, poterit in caſibus à iure expreſſis. *c.clericos, eod.tit.*

7 Si quis habet beneficium vnitum, & ibi Vicarium perpetuum, & intrat de nouo, poterit ne amouere illum Vicarium?
℞. Non, ſed debet illum habere: quia eſt perpetuus, & poſitus ab Epiſcopo cum authoritate. *Conc.Trid. Abb.c.ad hæc, nu.* 1. *de off. Vicarij.*

8 poteſt, quis eſſe Vicarius vnius Eccleſiæ, & beneficiatus alterius, vel habere plures Vicariatus?
℞. Non, ſed adepto ſecundo beneficio, vacat Vicariatus, quia ſunt incompatibilia duo beneficia habentia curam animarum, per *Conc. Trid.cap.* 2. *de off. Vicarij.*

9 Vicarij poſſunt compelli, vt ſeruiant?
℞. Tam Vicarij perpetui, quam temporales tenentur ad reſidendam, & poſſunt compelli, ſicut & parochi ſub ipſis pęnis. *c.vlt.de off. Vicar.*

CAPVT XI.

De Officio Iudicis delegati.

1 QVis dicitur delegatus?
℞. Ille, qui habet iuriſdictionem ab altero delegatam, & non habet iuriſdictionem iuris, neque ratione officij. *Ioan.Andr. de off.iud. deleg.*

2 Quam ætatem debet habere delegatus?
℞. Debet excedere annos viginti, ſed ſi partes conſentiant, ſufficiunt anni decem & octo: ſed Princeps propter ſupremam poteſtatem, poteſt facere delegatum, qui ſolùm excedat quatuordecim annos. *Abbas capitul. cum vigeſimum annum, eodem titulo, num.* 1.

3 Rex, vel ſupremus Princeps in qua ætate poſſunt adminiſtrare?
℞. In ætate quatuordecim annorum completorũ; tum propter periculum Regni, quod adminiſtratur per tutores, tum quia prǽſumitur in Principe maior vſus rationis, quàm in alijs hominibus. *Abb.vbi ſup. num.* 3.

4 Minor viginti annis poteſt ne eſſe de conſilio Ciuitatis?
℞. Non, neque adminiſtrare ſua bona, ſi non habet veniam. *Abb.vbi ſup. num.* 4.

5 Quotupliciter ſunt Iudices delegati?
℞. Tripliciter. Primò ſunt delegati à papa, vel à Principe immediatè, & hi habent magnam auctoritatem. Secundò, ſubdelegati poſiti ab iſtis delegatis. Tertiò, alij delegati à Iudicibus ordinarijs, & inferioribus. *Ioan. Andr.cap.* 1. *de off.iudic.delegat.& per totum tit.*

6 Quis dicitur delegatus Principis, vel Papæ?
℞. Ille, qui non cognoſcit Superiorem, niſi papam, vel principem, & in cauſa ſibi commiſſa cenſetur habere iuriſdictionẽ ordinariam, & maiorem. *Abb.in c. paſtoralis.nu.*3. *eod.tit.*

7 Delegatus papæ, & principis quam auctoritatem habet?
℞. Magnam auctoritatem, & eſt maior omnibus citra papam, & in cauſa illa debet obediri, & honorari tamquàm papa. *Abb.c.ſignificaſti, de off.iud.delegati, num.* 1.

8 Delegatus papæ in quos habet iuriſdictionem?
℞. In delinquentes, & impedientes eius iuriſdictionem, quia de iure, cui datur iuriſdictio, debent dari neceſſaria ad talem iuriſdictionem exercendam, finiendam, & determinandam, *cap.* 1. *de off.Iudicis delegati, & c.Præterea, eod.tit.*

9 Delegatus papæ, vel principis poterit ne alteri ſubdelegare eius delegationem?
℞. Impeditus iuſta cauſa poterit, ſi res non ſit grauis, vel non ſit induſtria perſonę electæ. *c.ſi pro debilitate, eod.tit. & c.quamuis, eod.*

10 Delegatus papæ poteſt ne ſub pœnis ſubdelegare?
Reſp. Affirmatiuè, & punire contemnentem acceptare, quia habet ſupremã auctoritatem. *c.paſtoralis,* §. *item, eod.tit.*

11 Delegatus papæ poteſt cogere dignitatem aliquam, vt acceptet ſuam delegationem?
℞. Affirmatiuè, quia habet ſupremam poteſtatem. *Abb.c.paſtoralis de off.iud.deleg.nu.* 10.

12 Si ponatur cauſa reconuentionis coram delegato, poterit nè de illa cognoſcere?
Reſp. poterit, tamquam de cauſa acceſſoria ad tollendam dilationem, & malitiam litigantium. *c.prudentiam, eod. tit.*

13 Si delegatus papę ſubdelegauit alteri, poterit pro ſuo libitu eum reuocare?
Reſp. Si cæperit negotium, non poterit; quia iuriſdictio in eo iam eſt radicata. *capit. Venerabili, eodem tit.*

14 Iuriſdictio delegata, quando perpetuatur?
℞. per actum iuriſdictionalem, & non antea, veluti

per

per acceptationem litteræ, per citationem factam parti, per conteſtationem litis. *Abb.c.licèt.de off.iud. delegati. num.*4.

15 Si aliqua pars aperiat ſigillum, reſcripti, delegationis ſua auctoritate, ſine præſentia iudicum, qua pœna punitur?

Reſp. Reſcriptum illi nihil prodeſt, nec amplius auditur, quia quis punitur in eo, in quo peccauit. *c.cum olim il* 2. *de off.iud. delegati.*

16 Si mandetur iudici delegato, vt aliquem abſoluat debet ſtatim eum abſoluere?

Reſp. Cum diſtinctione; ſi talis allegat iniuſtè eſſe excommunicatum, ſtatim eſt abſoluendus; ſed ſi allegauerit excommunicationem nullam fuiſſe, ante abſolutionem nullitatem probare debet. *c.cum contingat, de off.iud. deleg.*

17 Delegatus poteſt ſuam ſententiam exequi?

Reſp. Si ſit Papæ, vel Principis, poterit, & alteri cõmittere, vt illam exequatur; quia hoc eſt illi ſpeciale: ſed ſi ſit delegatus iudicum minorum, non poterit. *c.ſignificaſti, eod.tit.*

18 Si duæ litteræ diuerſæ præſentetur à diuerſis partibus directæ ad eumdem iudicem, quid debet iudex facere?

Reſp. Superſedere, & conſulere Summ. Pont. & eius voluntatem ponderare, quæ littera ſit prius exequẽda. *c.ſanè, de off.iud.deleg.*

19 Delegatus Papæ, vel Principis, per quod tempus debet ſuam ſententiam exigere?

Reſp. Per integrum annum à die pronuntiationis computatum, & non vltra. *c.quærenti. eod.tit.*

20 Duæ datæ in litteris diuerſis, prima quam vim habet?

Reſp. Mandatur executioni à die datæ, niſi in ſecũdis litteris fiat derogatio de primis. *Abb.in c.ex parte.il* 1 *.nu.*3*. eod. tit.*

21 Iudex ordinarius poteſt etiam eſſe delegatus?

Reſp. Poteſt, imò ſæpè ſæpius ordinarij ſunt delegati, & vtuntur vtraque iuriſdictione, quia nõ ſolùm repugnat eſſe in vna, eademque perſona vtraque iuriſdictio, imò eſt plurimum conueniens ad adminiſtrationem iuſtitiæ.

22 Si ordinario conſtet delegatum iniuſtè ſententiare, & mittere aliquem in poſſeſſionem, & committit ordinario, vt ipſe exequatur talem ſententiam, tunc quid debet ordinarius facere?

Reſp. Non debet reſiſtere Delegato, ſed obedire: ſed debet precibus ſupplicare, vt negotium differatur uſque ad Papæ, vel Principis notitiam; quia ſi contra poſſet facere, eſſet ordinarius ſupra Delegatum, & ordo iuris peruerteretur. *c.ſi quando. eod.tit.*

23 Si ordinarius ſciat ſententiam Delegati eſſe iniuſtam, & committatur illi eius exequutio, quid debet agere?

Reſp. Precibus ſupplicare, vt admittatur appellatio: & ſi non poſſit conſequi, debet exequi ſententiã; quia Delegatus eſt ſupra ipſum, & ordinarius in iſto caſu eſt merus miniſter executionis ſicut tortor. *cap. paſtoralis.§.quia verò.de off.iud.Deleg.*

24 Delegatus debet nè oſtendere ordinario ſuum reſcriptum?

Reſp. Debet, aliàs non creditur ei; ratio eſt, vt euitentur malitiæ hominum, qui fingunt ſe iudices eſſe, vel ampliant ſuam iuriſdictionem ad negotia non contenta in ea in præiudicium iuriſdictionis ordinariæ. *c.cum in Iure. de off.iud.Delegati.*

25 Delegatus Principis poteſt ſubdelegare ea, quæ ſunt meri mixti Imperij?

Reſp. poteſt, & ſic Archiepiſcopus poterit ſubdelegare conſecrationem ſuorum ſuffraganeorum. *Abb. in c.quod ſedem.off.iud. ord.num.*3.

26 Quando tranſit delegatio ad ſucceſſorem?

Reſp. Quando in delegatione ſit mentio dignitatis, & non hominis proprij, quia dignitas non variatur per mutationem perſonæ. *c. quoniam eod.tit.de off.iud. deleg.*

27 Commiſſio data pluribus iudicibus, quando poterit ab vno ſolo exequi?

Reſp. Quando clauſula ponitur (ſi non omnes,) vnus procedat; aliàs non poteſt procedere vnus ſine alijs, etiam ſi vnus moriatur. *Abb.in cap. coram.eodem tit. num.*4.

28 Si ſint duo reſcripta, & Iudex pronuntiauit, ſe nõ habere iuriſdictionem, poterit nè de conſenſu partium iterum illam reaſſumere?

Reſp. Non; neque facere aliquem actum, ne videatur contrarius ſuæ ſententiæ; quia ipſe ſibi eneruauit iuriſdictionem. *cap.ſignificantibus.de off.iudic.deleg.*

29 Quando in vna delegatione plures iudices dantur cum clauſula (quod ſi non omnes) quid debet præcedere, vt poſſint procedere vnus, vel duo abſq; alijs?

Reſp. Debet procedere in proceſſu excuſatio aliorum iudicum, vel renuntiatio iuriſdictioni, *cap. prudentiam. §.6. eod.tit.*

30 Exceptio excommunicationis poſita coràm Delegato quid operatur, & quomodo debet procedere Delegatus?

Reſp. Si talis fuit excommunicatus ante impetrationem reſcripti, & in excommunicatione illud impetrauit, tunc reſcriptum eſt nullum, & debet declarare ſe non eſſe iudicem: ſi vero fuit poſt reſcriptum, tunc conſideranda eſt cauſa excommunicationis, ſi fuit propter rem contentam in reſcripto, ipſe delegatus poterit abſoluere, aut talis fuit excommunicatus ab alio Iudice ob aliam cauſam, & tunc debet committere eum ab eumdem iudicem, ſed ſi malitioſè talis Iudex noluerit abſoluere talem, probata malitia, Delegatus poteſt ſupplere eius officium, & eum abſoluere præſtita cautione, vel ad finem agendi, nec impediatur talis iuriſdictio. *Abb. in c.prudentiam.§.ſexta.nu.*3*.eod.tit.*

31 Si duo con iudices habeãt commiſſionem ad procedendum, vnus ſolus procedat altero impedito, & ſi vnus recuſetur, & alter procedat, cum recuſatur, valebit nè talis ſententia?

Reſp. Non, licèt ſolus potuiſſet procedere, quia proceſſit cum recuſato, quia vtile vitiatur per inutile. *c.cum ſuper eod tit.de off.iud.deleg.*

32 Per quod tempus durat delegatio?

Reſp. per tempus poſitum in reſcripto, & fines reſcripti transfigere non licet. *Abb.in c.quærenti.nu.pen. eodem tit.*

33 Delegati iuriſdictio quando ſpirat?

Reſp. In vltimo die ſuæ iuriſdictionis; ſed de conſenſu partium poterit prorogari; ratio eſt, quia talis perſona eſt Iudex, & hoc eſt ſpeciale in iudicibus, vt poſſit eorum iuriſdictio à partibus prorogari, *cap.de cauſis. eod.tit.*

34 Quando incipit currere terminus?

Reſp. Diſtinguendo: ſi commiſſio dicat, do commiſ-

 ſionem

ſionem cognoſcendi de tali delicto vſque ad Paſcha, currit terminus vſque ad illum diem: ſi verò commiſſio nihil dicat, neque ſignificat finem, currit à die præſentationis. *Abb. in c. de cauſis. num. 5.*

35 Quando debet prorogari iuriſdictio à partibus, durante terminos, vel finito?

Reſp. Durante terminos; quia finito, talis non eſt iudex, & ſic non eſſet prorogatio, ſed de nouo iuriſdictio, quę partibus dari non poteſt, niſi quando ſit arbitrium. *Abb. vbi ſup. num. 7.*

36 Si cauſa committatur certæ dignitati, vt Decano, & incæpta cauſa tranſeat ad Epiſcopatum, quis debet eam finire?

Reſp. Succeſſor in decantatu; quia in tali cauſa non fuit electa induſtria talis perſonæ, ſed talis dignitatis. *Abb. in c. quoniam. de offic. iud. deleg. n. 9.*

37 Spirat nè iuriſdictio ſubdelegati morte, vel inhibitione iudicis delegantis?

Reſp. Si lis erat iam incæpta, & conteſtata, vel pars citata, vel citatio decretata etiam ſi non peruenerit ad notitiam partis, & iuriſdictio detur in perpetuũ, non ſpirat; ſecus verò ſi lis non erat conteſtata. *capit. relatum. eod. tit. Abb. in c. nemini, de offic. legati. num. 10. & 11.*

38 Si delegans moriatur, & delegatus ignoret mortem, & faciat litis conteſtationẽ, & procedat in cauſa, tale iudicium erit nè validum?

℞. Iuriſdictio ſubdelegati morte, inhibitione, tranſlatione, & renuntiatione officij ſpirat, niſi lis ſit prius conteſtata ipſo die, quo mortuus fuit Iudex delegãs, inhibitus fuit ſubdelegatus etiam ſi ignorauerit, ſed ad nullitatem proceſſus pars debet probare tali die, & hora mortem iudicis delegantis, & tunc omnia acta reſcindũtur tamquam facta à non Iudice. *Abb. in c. relatum eod. tit. n. 2. & c. licet eod. tit. n. 6.*

39 Si quis facit actum coram Iudice, quem poteſt recuſare, vel coram Iudice recuſato, quid iuris erit?

Reſp. Tunc videtur recedere a recuſatione, & non poteſt amplius recuſare ex cauſis præteritis, niſi de nouo emergentibus, *cap. inſinuante de offic. iudic. delegati.*

40 Delegatus poteſt recuſari?

Reſp. Poteſt, ſi ſit ſuſpectus. *c. cauſamque, eod. tit.*

41 Delegatus poteſt nè recuſari poſt litem conteſtatam, vel ante litis conteſtationem?

Reſp. Poteſt, poſt, & ante, adueniente cauſa de nouo ad notitiam recuſantis, *c. inſinuante. eod. tit.*

42 Si recuſetur delegatus, quid faciendum?

Reſp. Eligendi ſunt de Iure arbitri, qui definiant recuſationem, & Iudex delegatus poteſt eos compellere, vt pronuntient ſententiam. *c. ſuſpicionis. eod. tit. & Abb. ibi. num. 1. & 2.*

43 Iudices arbitri, quid debent facere?

Reſp. Dare terminum partibus ad probandas cauſas recuſationis, & ſi non probent, declarare delegatum liberum à recuſatione eſſe. *Abb. in c. ſuſpicionis, eod. tit. num. 1.*

44 Si Iudex delegatus aſſignauit terminum, in quo Iudices arbitri debent finire cauſam recuſationis, ſi tempore elapſo cauſa non finiatur, quid agendum?

Reſp. Iudex delegatus reaſſumat ſuam iuriſdictionem abſque alia ſententia, ſi terminus fuit datus cõpetens. *Abb. vbi ſup. num. 8.*

45 Si arbitri diſcordent, quid agendum?

Reſp. Siue ſint iuris, ſiue de conſenſu partium, compelluntur eligere tertium, vt cauſa finiatur. *Abb. in c. ſuſpicionis. eod. tit. num. 4.*

46 A ſententia arbitrorum poteſt nè appellari?

Reſp. Cum diſtinctione: ſi arbitri ſint compromiſſarij electi à partibus, ab eorum ſententia non datur appellatio. *c. ab arbitris, de off. iud. deleg. in 6. l. 1. C. de arbitris, ſi ſint arbitri iuris, ab eorum ſententia datur* appellatio ad Summum Pontificem. *Abb. in c. ſuſpicionis de off. iud. deleg. num. 7.*

CAPVT XII.

De Officio Legati.

1 QVis dicitur Legatus Papæ?

Reſp. Aliquis Cardinalis, vel Epiſcopus, vel perſona magnæ auctoritatis, quæ habet poteſtatem immediatam poſt Papam abſq; depẽdentia alicuius.

2 Legatus Papæ, quam poteſtatem habet?

Reſp. Ordinariam, & maiorem, ſcilicet ſuæ legatiæ; & ſic ſupra ordinarios eſt in Prouincia ſibi cõmiſſa. *Abb. in c. 1. de off. legat. n. 2. & 3.*

3 Archiepiſcopus, ſi ſit Legatus, quo iure poterit audire cauſas ſuorum ſuffraganeorum?

Reſp. Licèt Archiepiſcopus non poſſit audire cauſas ſuffraganeorum ſuorum, niſi per appellationem, tamen vt Legatus poterit per ſimplicem quærelam audire cauſas ſuorum ſuffraganeorum in prima inſtantia; quia nõ repugnat, vt in vna perſona ſint duę iuriſdictiones. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 6.*

4 Quot ſunt Legati, & in quã differentia?

℞. Duo. Primò, dicitur ille, qui naſcitur in dignitate, naſcitur in legatia, vt Archiepiſcopus Cantuariẽſis eſt Legatus ſimul cum dignitate Archiepiſcopali, & iſte dicitur Legatus natus ex priuilegio Summi Pontif. conceſſo Eccleſiæ Cantuarienſi, vt ſimul cum dignitate Archiepiſcopali ambulet legatia. Secundò ſunt Legati, qui creantur quotidie à Summo Pontif. ad diuerſas perſonas, & diuerſa negotia. *Abb. c. 1. de off. legati, n. 1. & c. excommunicantes. n. 2. & 3.*

5 Si quis impetret reſcriptum in aliqua cauſa, & ante citationem Legatus Papæ cognoſcat de tali cauſa, quid erit agendum?

Reſp. Reſcriptum nullum eſt, quia ante citationem cauſa fuit præuenta à Legato. *Abb. in c. ſtuduiſti. eod. tit. num. 4.*

6 Legatus de latere vbi habet poteſtatem?

Reſp. In omnibus Prouincijs ſuę legationis: ita quòd exiſtens in vna prouincia alias gubernare poteſt, & finitur eius poteſtas, ſi exeat extra Prouincias, & fines poſitos in ſua legatione, & mandato. *c. nouit. eod. titulo.*

7 Statuta Legatorum à latere quantum durant?

℞. Licèt Legatus ſpiret morte, vel completo tẽpore eius ſtatuta ſunt perpetua, donec à ſuperiore, vel ſucceſſore moderentur, vel tollantur. *c. nemini, de off. legati.*

8 A Legato Papæ, ad quem poteſt appellari?

Reſp. Ad ſolum Papam; quia non habet alium ſuperiorem. *Abb. in c. 2. nu. 3. de off. legati.*

9 Le-

9 Legatus de latere, quæ beneficia conferre poteſt?
Reſp. Quæ ad Apoſtolicam ſedem pertinent, & cõcurrit in prouiſione cum Epiſcopo illius Prouinciæ, in qua eſt legatus. *Abb. in c. dilectus, de off. legati. nu.* 2.

10 Quis dicitur legatus à latere?
Reſp. Solùm Cardinales, qui aſſiſtunt cum latere Papæ, & à latere eius aſſumuntur, & habent maiorẽ iuriſdictionem, quam omnes alij legati. *Abb. in cap.* 1. *num.* 9. *eodem tit.*

11 Qui legatus poterit cognoſcere de exemptis?
Reſp. Solùm legatus à latere propter ſupremam eius iuriſdictionem. *Abb. vbi ſup. c.* 1. *num.* 9.

12 Legatus à latere poteſt abſoluere ex generali cõmiſſione excommunicatos per canonem, ſi quis ſuadente diabolo?
Reſp. Poteſt, licèt hæc abſolutio reſeruata ſit Papæ. *c. niſi ſpecialis, eod. tit.*

13 Legatus de latere, quas res non poteſt facere?
Reſp. Primò, non poteſt Epiſcopos transferre. Secundò, non poteſt vnam cathedralem alteri ſubijcere. Tertiò, non poteſt cõcedere ius primatię. Quartò, non poteſt duos Epiſcopatus in vnũ vnire. Quintò, non poteſt ex vno Epiſcopatu facere duos, quia hæc ſunt reſeruata Papæ, & quando facienda ſunt requiritur ſpecialis commiſſio, & non generalis. *cap. niſi ſpecialis, eod. tit.*

14 Legatus poteſt diſponere Epiſcopum?
Reſp. Non, niſi ſolus Papa, licèt legatus poſſit cognoſcere de cauſis depoſitionis, & fulminare proceſſum. *Abb. in c.* 1. *eod. tit. num.* 6.

15 Ad legatum poteſt appellari omiſſo medio?
Reſp. Poteſt, ſicut ad Papam. *Abb. in c.* 1. *n.* 8. *eod. tit.*

16 Si in vna Prouincia ſit cauſa aliqua certæ dignitati commiſſa, & ſit ibi legatus à latere, poterit cognoſcere de tali cauſa?
Reſp. Legatus à latere non ſe debet intromittere in tali cauſa, niſi vrgẽte aliqua neceſſitate. *Abb. vbi ſup. num.* 2.

17 Legatus à latere poteſt attentare aliquid contra canones, vel generalem conſuetudinem?
Reſp. Non, quia hoc eſt frangere ius, quod ipſe non poteſt facere; imò in omnibus negotijs ipſe debet ſeruare ius commune, quia commiſſio data eſt ad ædificationem, non ad ruinam, & deſtructionem. *Abb. in c. niſi ſpecialis. de offic. legati. nu.* 4.

18 Legatus à latere poteſt nè conferre beneficia iuris patronatus?
Reſp. Si ius patronatus ſit laicorum, non poteſt: ſi verò ſit Eccleſiaſticorum poteſt, quia plus iuris habet Prælatus in conceſſione, quàm patronus in præſentatione. *c. dilectus. eod. tit.*

19 Quare legatus à latere non poteſt conferre beneficia iuris patronatus laicorum, & poteſt conferre iuris patronatus Eccleſiaſticorum?
Reſp. Quia Papa non habet tantam poteſtatem in bonis laicorum, quantam habet in bonis Eccleſiaſticorum, & ne laici terreantur ab inſtitutione bonorũ operum, & ideo Papa non debet conferre ius patronatus laicorum, niſi faciendo de illo expreſſam mentionem, & inde ſequitur, quòd legatus à latere non poterit conferre beneficia iuris patronatus laicorũ. *Abb. in c. dilectus. num.* 4.

CAPVT XIII.

De officio Iudicis ordinarij.

1 IVriſdictio ordinaria à quo emanat, & quomodò acquiritur?
Reſp. A lege, Principe, & conſuetudine legitimè præſcripta. *Abb. in c. duo ſimul. num.* 2. *de off. iud. ord.*

2 Quis eſt iudex ordinarius?
Reſp. Ille, qui habet iuriſdictionem à Iure, vt Epiſcopus. *c.* 1. *eod. tit.*

3 Quotuplex eſt officium iudicis?
℞. Duplex. Primò, officium nobile, quando iudex ſine petitione alicuius ex ſua voluntate iubet, imperat, & ſupplet aliquid; & dicitur nobile, quia homo nobilis ex ſua mera voluntate facit beneficium alicui. Secundò eſt officium iudicis mercenarij, quando aliquis facit ad requiſitionem partis, & dicitur mercenarius, quia illud facit quaſi mercenarius iuſſus ab altero. *inſtit. in rub. de off. iud. ibi gl. Azor. in ſum. tit. de off. iud. & c.* 2. *eod. & Abb. ibi. num.* 5.

4 Monaſteria, & eorum Abbates poſſunt habere iuriſdictionem ordinariam quaſi Epiſcopalem?
Reſp. Poſſunt in ſuos ſubditos, quia de iure ſunt capaces iuriſdictionis. *Abb. in c. dilectus, de offic. ordin. num.* 1.

5 Qui dicuntur Prælati?
Reſp. Non ſolùm ſuperiores, ſed inferiores habentes iuriſdictionem. *Abb. in cap. ab Eccleſiarum, de offic. iud. ord. num.* 1.

6 Si Capitulum habet iuriſdictionem corrigẽdi ſuos canonicos, & negligens fuerit, quid debet facere ordinarius, & Epiſcopus?
Reſp. Terminum Capitulo ad correctionem præfigere; & ſi id non fecerit, ipſe debet facere correctionem. *c. irrefragabili, de off. ord.*

7 Correctio regularium, ad quem pertinet?
Reſp. Ad eorum Prælatos; ſed ſi negligentes fuerint ad ordinarum. *c. quanto de off. ord. & Trid. ſyn. ſeſſ.* 25. *de reg. c.* 14.

8 Ordinarius quando poteſt ſe intromittere in cauſa delegati, & ſupplere eius vices?
Reſp. Quando ob negligentiam delegati aliqui perſeuerant in peccato, & tunc propter maiorem Dei gloriam, & proximi vtilitatem poterit ordinarius ſupplere vices, vel negligentiam delegati, licèt peccatum commiſſum fuerit delegato corrigendum. *cap. ſignificauit. eod. tit. & Abb. ibi. nu.* 2. *DD. ibi.* licèt hoc raro, vel numquam cõtingat, cum ſemper legati ſint perſonæ magnæ authoritatis.

9 Patriarcha poteſt cognoſcere de cauſis ſubditorũ ſuorum Archiepiſcoporum, vel Epiſcoporum?
Reſp. Non, niſi vigore alicuius priuilegij, vel per appellationem legitimam. *Abb. c. duo ſimul. de offic. ord. num.* 1.

10 Ad quid imploratur in petitionibus officium iudicis liberale?
Reſp. Ad conteſtationem litis; aliquando ad authorizandum aliquam ſcripturam; aliquando vt ex eius officio aliquos ſuppleat defectus. *c.* 2. *de offic. iud.*

11 Ordinarius poteſt delegare abſolutionem ab excommunicatione?
Reſp. Poteſt,& etiam ipſam excommunicationem; quia hæc ſunt iuriſdictionis,cum,& iuriſdictio poſſit delegari cum cauſa. *c. his quibus. de offic.ord.*

12 Poteſt nè iudex prouidere de aduocato partibus?
Reſp. Siue ſit Iudex ordinarius,ſiue delegatus,debet parti pauperi prouideri de aduocato, ne defectu defenſionis iuſtitia pereat. *c.1.de offic.iud.*

13 Epiſcopus, & eius Vicarius poſſunt inuocare auxilium brachij ſæcularis, & quando?
Reſp. Poſſunt ſi vires Eccleſiaſticę non ſufficiunt ad coercenda delicta, & adminiſtrandam iuſtitiam, & tunc Iudex ſæcularis tenetur præbere auxilium brachij ſæcularis; quia vna iuriſdictio adiuuatur ab altera,vt latè dixi *lib.4.c.13.de Vicario Epiſcopi. cap.1. eodem tit.*

14 Sæcularis Iudex poteſt petere auxilium à Iudice Eccleſiaſtico?
Reſp. Poteſt quando eſt neceſſarium ad iuſtitiam adminiſtrandam ad Dei ſeruitium in caſibus à iure permiſſis,in quibus incurritur irregularitas. *Abb.c.1. de offic.iud.ord. num.5.*

15 Iudex iniuſtè iudicans committit nè peccatum?
Reſp. Si iudicet per errorem,non: ſi verò per malitiam,committit peccatum, & tenetur ad reſtitutionem damni. *Abb.c.1.eod.tit.n.5.*

16 Sacerdos, qui ſcit aliquid in confeſſione, ductus in teſtem poteſt nè licitè iurare abſque peccato ſe nihil ſcire?
Reſp. Poteſt,& ſic tenetur facere;& contrarium faciens debet puniri grauiter; quia illud, quod ſcit, eſt nihil ſciret,quia ſcit,vt Deus, & ſi aliter fieret homines arcerentur à confeſſione.*Abb.in c.2.num.de offic. iud.ord.*

17 Epiſcopus tenetur ſeruare ſententias Vicariorum & inferiorum?
Reſp. Si iuſtæ ſint,tenetur eas ſeruare, & non debet abſoluere excommunicatos ab eis ſine legitima ſatisfactione. *c.cum ab Eccleſiarum.de offic.iud. ord.*

18 Ordinarius viſitans monaſteria monialium, quos poteſt ſecum ducere?
Reſp. Non debet ducere ſæculares, ſi neceſſarij non fuerint ad aliquam fabricam,ſed ſolùm tres canonicos,& aliquos viros religioſos. *c. vt iuxta. eodem tit. & latè dixi lib.6.de clauſura monialium.*

19 Quid debet facere ordinarius, vt officium ſuum rectè adimpleat?
Reſp. Debet laborare in componendo partes, vt non ſint lites. *c.ex parte.de tranſactionibus.*

20 Iudex in ſententiando quid debet obſeruare?
Reſp. Debet mitigare ſeueritatem, & ſe inclinare ad miſericordiam. *c.ex parte de tranſactionibus.*

21 Iudex quando non inuenit ius in aliquo negotio, quid debet ſententiare?
Reſp. Æquitatem,vt Chriſtum imitetur,qui ſemper eſt miſericors; & ſic iudex debet declinare in humaniorem partem conſiderando perſonam, terras, loca,& neceſſitates hominum. *c.ex parte, de tranſactionibus.*

22 Si iudex habeat reum, & in perſecutione cauſæ inueniat in eo aliquod delictum, de quo ipſe non eſt Iudex competens, quid tenetur facere?
Reſp. Poſtquam ipſe protulerit ſententiam in delicto,in quo eſt Iudex debet remittere reum cum proceſſu ad proprium Iudicem illius delicti;ratio eſt,ne delicta maneant impunita. *tenet Abb.in c. de raptoribus, num. 10.*

CAPVT XIV.

De Officio Iudicis.

1 Quod eſt officium Iudicis?
Reſp. Facere iuſtitiam,prouidere aduocatum parti, delegare abſolutionem. *c.1.de offic.iud.*

2 Officium iudicis perpetuatur nè in ſua perſona per litis conteſtationem?
Reſp. Non;ſed finitur ſuo tempore,& Iudex de nouo in trans accipit cauſam in eo ſtatu, in quo eſt, & eam finit, licèt in conſilijs, & audientijs Regis Hiſpaniarum Iudex, qui vidit litem, debet eam ſententiare, licèt translatus ſit ad aliud tribunal maioris honoris. *Abb.c. udicis officium. eod. tit. nu.8.*

3 Conteſtatio litis poteſt fieri per iudicem?
Reſp. Poteſt, quando imploratur officium nobile iudicis, tunc ſit litis conteſtatio. *cap. iudicis officium. de offic. iud.*

4 Iudex poteſt cognoſcere de ſuccedentibus poſt conteſtationem litis?
Reſp. Affirmatiuè, quia ad id extenditur officium nobile iudicis. *Abb.c.iudicis officium.eod.tit.num.4.*

CAPVT XV.

De maioritate,& obedietia.

1 Papa, & Epiſcopi debent ſe ſubijcere Principibus ſæcularibus?
Reſp. Non;ſed eis pręeſſe, quia ſacerdotium Eccleſiaſticum eſt ſacerdotium primum,& æternum datũ à Chriſto Domino. *c.ſolitæ,de maior.& obedientia.*

2 Quo iure ſunt Clerici exempti à Principibus ſæcularibus?
Reſp. Iure diuino.*Abb.in c.ſolitæ. nu.4.eod.tit.de hoc dico latè lib.10.c. de immunitate Eccleſiaſtica.*

3 Cui debetur obedientia in tota diœceſi?
Reſp. Epiſcopo,& qui facit contra eius decreta, debet excommunicari. *c.2.c.omnes Principes. eod.tit.*

4 Quando ſuperior imponit,& iubet ſub pęna obedientiæ, quam pœnam imponit?
Reſp. Pęnam infamiæ,& arbitrariam; quia,qui non obedit, infamis eſt. *c.illud Dominus, de maioritate,& obedient.*

5 Capitulum tenetur obedire Epiſcopo?
Reſp. Tenetur.*Abb.in c.dilecti.de maior.& obed.n.1.*

6 Quando poteſt Capitulum appellare à mandatis Epiſcopi?
Reſp. Quando Eccleſia, vel ipſi canonici præiudicantur. *Abb.c.dilecti.eod.tit. num.1.*

7 Canonici regulares cui debent pręſtare obedientiam?
℞. Suo priori,qui poteſt inobedientes excõmunica

re.

re, & de fratrum conſortio incorrigibiles expellere. *c.cum in Eccleſijs eod.tit.*

8 Abbates, & Sacerdotes poſſunt ne compelli venire ad ſynodum?
℞. Poſſunt per cenſuram Eccleſiaſticam. *c. quod ſuper his eod.tit.*

9 Moniales tenentur ne obedire Abbatiſſæ?
Reſp. Tenentur ſub pęnis in ſuis cōſtitutionibus poſitis; quia ipſa non poteſt illas excommunicare.

10 Inter canonicos, & ordinatos, quis ordo ſeruatur?
Reſp. Ordo ſuæ ordinationis, & receptionis; ita vt, qui prius fuerit ordinatus in illo ordine, habet primū locum. *c.1.de maiorit.& obed.*

11 Si aliquis canonicus ſit receptus prius habēs Subdiaconatum, & alter ſit receptus poſterior habens ordinem ſacerdotalem, quis prefertur in loco honore, & portione?
Reſp. Secundus, qui habet ordinem ſacerdotalem; quia honoratur ſacerdotium magis, quàm tempus receptionis; ſed talis Subdiaconus cum tempore labente ſuſceperit ordinem ſacerdotalem, recuperabit primum locum ſuæ receptionis; quia iam eſt æqualis cum alio in ordine ſacerdotali, & maior alio tempore receptionis *c. ſtatuimus. eod.tit.de maiorit.& ob.*

12 Ordinatus per Papam eximitur ne iuriſdictione ſui Epiſcopi?
Reſp. Non; ſed in omnibus ſubeſt ſuo Epiſcopo, ſicut cęteri Clerici; quia talis exemptio requirit particulare priuilegium. *c. per tuas. eod.tit.*

13 Ordinatus à Papa poteſt deponi ab Epiſcopo, ſi ſubſit legitima cauſa?
Reſp. Licèt variæ ſint opiniones verior eſt, quòd ſuperueniente delicto poſſit puniri, & deponi per Epiſcopum, & iudicem inferiorem, qui de tali delicto cognoſcit; ratio eſt, quia Papa non reſeruit ſibi depoſitionem illius per ordinationem, quam in illo fecit; & quia delicto ſuperueniens illum priuauit honore ſibi debito. *Abb.c.per tuas.de maior.& obed.n.2.*

14 Si Metropolitanus exigat iuramentum à ſuffraganeo vltra formam ſtatutam à Canone, ad quid tenetur ſuffraganeus?
Reſp. Vltra formam ad nihil tenetur. *dilecti. de maiorit.& obed.*

15 Si Epiſcopus delinquat extra ſuam diæceſim, à quo poteſt puniri?
Reſp. De iure in *c. cum inferiorem de maiorit.* & obedientia punitur per inferiorem Epiſcopum; ſed hodie per Concil. Trid. cauſæ Epiſcoporum coram Papa litigantur, & ab eo punitur; cui ſtandum eſt. *Trid. ſyn.ſeſſ.24.c.5.de ref.*

16 Ex quibus cauſis poteſt negari obediētia prelato?
Reſp. Ex quatuor. Primò, ſi ſit hęreticus. Secundò, ſi ſit ſimoniacus in ordine dando. Tertio, ſi ſit ſchiſmaticus, vel ſequatur partes ſchiſmatici, vel neget obedientiam ſedi Apoſtolicæ. Quartò, in crimine notorio fornicationis. *c.ſanè 24.q.2.c.quia diligentia, de electione. & Abb.in c.cum non liceat, de præſcriptionib. num.4.*

CAPVT XVI.

De Tregua, & Pace.

1 QVid eſt tregua?
Reſp. Tempus, quo datur in bello, vel lite, vt pax tractetur. *c.1.de tregua, & pace.*

2 Tregua, & pax debent ne obſeruari, & ſub qua pœna?
Reſp. Debent, & etiam pacta cuſtodiri ſub pœna excommunicationis. *c.1.eodem tit.dicēte pax ſeruatur, pacta cuſtodiantur.*

3 Eſt ne tempus ſignatum ad treguam, & pacem?
Reſp. Licèt de iure antiquo tregua ſeruaretur in quarta feria, & ab Aduentu Domini vſq; ad octauam Paſchæ; hodie hoc non ſeruatur: ſed ad libitum partium, & iudicis treguæ dantur ad pacem conſequendam. *c.treguas, eod.tit.*

4 Quæ perſonæ gaudent tregua, & pace in bello?
Reſp. De iure Presbyteri, monachi, conuerſi, peregrini, mercatores, & agricolæ exiſtentes in agricoltura, & habentes animalia, vt agricolentur. *c.in nouamus, eod tit.*

5 Iudex Eccleſiaſticus inuitis partibus poteſt ne dare treguas?
Reſp. Non, debet id facere, niſi ſuperueniet cauſa, vel ſperet ex tali tregua venire pacem, tunc poterit treguam dare, & ſuperſedere à lite per tempus limitatum. *Abb.cap.treguas.eod.tit. num.* licèt hoc faciant Principes, & Reges, non habent ſuperiorem, qui aliquando dant litteras ſuperſeſſorias in litibus per tēpus limitatum, ex aliqua legitima cauſa.

CAPVT XVII.

de Pactis.

1 VNde dicitur pactum?
Reſp. A verbo paciſcor, ideſt promitto, vel ſpondeo, vel conuenio tecum de hac re. *Iſidor. lib.5. æthimologiar.verb.pactum.*

2 Quid eſt pactum?
Reſp. Conſenſus duorum, vel plurium in idem placitum ad dandum aliquid alteri ab altero eorum. *l.1. ff.de pactis.*

3 Pactum poteſt eſſe in vna ſola perſona?
Reſp. Non; neceſſariò enim debent eſſe ad minus duo vel plures, qui inter ſe aliquid promittant, & ad inuicem debent vnus dare alteri, & alter alteri. *l.1 ff. de pactis.*

4 Quot ſunt genera pactorum?
Reſp. Plura. Primò, eſt pactum conuentum. Secundò, pactum tacitum. Tertiò, pactum expreſſum. Quartò, pactum aiectionis. Quintò, pactum legis commiſſoriæ. Sextò, pactum perſonale. Septimo, pactum reale. Octauò, nudum. Nonò, veſtitum. Decimò,

pactum

pactum per donationem. Vndecimò pactum turpe.

5 Quod eſt pactum conuentum?
Reſp. Quod fit expreſſis verbis, vt ſi verba ſint obligatoria, pactum eſt obligatorium; ſi liberatoria, pactum eſt liberatorium: vt cùm creditur dicit debitori, trado tibi inſtrumentum, quia ſoluiſti debitum. *l.labeo.ff.de pactis*.

6 Quod eſt pactum tacitum?
Reſp. Illud quod verbis non eſt expreſſum, ſed ex lege aliqua conſtat; vt ſi conduxi Petrum, vt cuſtodiat meum agrum, ex lege debetur merces Petro, licèt verbis non ſit expreſſa; & quotidie hoc ſuccedit in ſutoribus; quibus ſine pacto laboris ſui traduntur veſtes, ſed ſutori debetur labor, ac ſi pactũ factũ fuiſſet.

7 Quod eſt pactum expreſſum?
Reſp. Illud, in quo verbis, vel ſcriptura exprimitur res, vt dabo ſibi centum aureos, & tu dabis mihi centum cados olei menſe Octobris venturi; & in hoc vtraque pars obligatur.

8 Quod eſt pactum adiectionis?
Reſp. Quando ſupra id, de quo paciſcimur, additur aliqua conditio: vt vendo tibi domum centum aureis, & ſi intra annum inuenero plus, vel reddidero tibi dictos centum aureos, repetam domum meã; quod ſolitum eſt nominari pactum de retrouendendo.

9 Quod eſt pactum legis commiſſoria?
Reſp. Illud, in quo apponitur aliqua alia conditio, quæ deducit rem in primũ ſtatum; vt vendo tibi domum centum aureis, & ſi intra menſem tibi reddidero, domus ſit quaſi non empta, & reuertatur ad me. *l.commiſſoriæ. C.de pactis inter emptorem, & venditorem*.

10 Quod eſt pactum perſonale?
Reſp. Illud, quod prodeſt ſoli certæ perſonę, vt ſi dicam centum debes mihi, non petam à te, ſed ab hęrede tuo tale, pactum ſolùm prodeſt Petro, ſed non hæredi ſuo.

11 Quod eſt pactum reale, vel in re?
Reſp. Illud, quod fit ſupra rem; vt dimitto tibi debitum taliter, quòd nulla actio mihi reſtet cõtra hęredes, neque contra te.

12 Quod eſt pactum nudum?
Reſp. Illud, quod diſtitutum eſt omni ſolemnitate Iuris, vbi non interuenit ſcriptura, neque chyrographum, ſed ſolum ipſum pactum, vt facio domum tuam, vt des mihi pecuniam, & mercedem, & ſi non paciſcar de quantitate, tale pactum dicitur nudum à ſolemnitatibus, & veſtitum à cauſa, nempe à labore faciendi, domum, & etiam dicitur nudum, quia non habet nomen emptionis, neque venditionis, locationis, vel mutui.

13 Quod eſt pactum veſtitu?
Reſp. Illud quod veſtitur aliquo ex his ſex modis. Primo re. Secundo verbis. Tertio litteris. Quarto conſenſu. Quinto cohærentia contractus. Sexto rei interuentu. *Goffred.de verb.oblig.*

14 Quod eſt pactum per donationem?
Reſp. Quando facio donationem alicui, & tunc paciſcor de non petendo rem, quam liberè donaui. *Goffr. in ſum.verb.pactum*.

15 Quod eſt pactum turpe, vel rei turpis?
Reſp. Quando paciſcor facere aliquam rem turpem, vt tradere mulierem meam, vel filiam certo homini ad rem turpem, & tale pactum non debet adimpleri, neque ex eo naſcitur aliqua obligatio, neque ex pacto rei impoſſibilis. *Goffr.in ſum. verb.pactum*.

16 Ad quem pertinet, vt pactum ſeruetur?
Reſp. Ad Iudicem ordinarium illarum perſonarum, quæ fecerunt conuentionem, & pactum. *c. qualiter, de pactis*.

17 Iudex debet ne compellere partes ad compoſitionem?
Reſp. Non, etiam ſi ſit Papa; quia hoc eſt in libera poteſtate partium, quæ non eſt coarctanda. *Abb. in c.cum pridem.n.6.de pactis*.

18 Si res ſit beneficialis, & in libera diſpoſitione Papæ, poſſunt compelli partes ad compoſitionem?
Reſp. Poſſunt, quia compoſitio non fit de re propria partium, ſed de re, quæ propriè pertinet ad Papę diſpoſitionem. *Abb.in c.cum pridem n.6.eod.tit.*

19 Pactum in quo differt à tranſactione?
Reſp. In eo, quòd tranſactio eſt de re litigioſa; pactũ verò de re certa; vt, do, vt des; facio, vt facias; vel facio, vt des; vel do, vt facias. *Bartol.l.1.ff.de pactis.*

20 Pactum inualidum quomodo validatur?
Reſp. Per conſenſum Superioris, & partium: nam ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *c. 2.de pactis*.

21 Pactum nudum eſt ne ſeruandum?
Reſp. Affirmatiuè, quia dicit tex. pax ſeruetur, & pacta cuſtodiantur. *c.1.de pactis*.

22 Pactum, vt quis renuntiet beneficio, pecunia, eſt ne validum?
Reſp. Non, cum ſit ſimonia. *c.cum pridem.eod.tit.*

23 Pactum in preiudicium alterius valet ne?
Reſp. Non; quia ad obligandum aliquem, requiritur proprius conſenſus. *c.plerinque, de pactis*.

24 Pactum poſitum contra ius valet ne, vel pœna?
Reſp. Non, cũ perſona priuata, quæ paciſcitur, non poſſit diſpenſare ius, neque derogare iuri. *Abb.cap. plerique, eod.tit.n.2.*

25 Si quis faciat pactum iuratum de non cedẽdo bonis, valet ne?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi talis deueniat in tantam paupertatem, vt non poſſit ſoluere, & teneatur perpetuò eſſe in carcere, vel cedere bonis, non tenetur obſeruare pactum, quia non eſt dominus membrorum ſuorum, & ſic pactum reputatur de re impoſſibili. *Abb.in c.pactiones, eod. tit.num.3.*

26 Pactum de re impoſſibili valet ne?
Reſp. Non, ſiue ſit impoſſibile de iure, vel de facto, *ex reg.iur.nemo poteſt ad impoſſibile obligari*.

27 Quotuplex eſt impoſſibilitas?
Reſp. Duplex; vna iuris, altera facti; iuris eſt, vt ſi laicus diceret, promitto tibi dare ordinem ſacrum; factis eſt, vt ſi quis diceret, promitto ambulare ducenta milliaria vno die, vel transfere montem in aliam partem. *Abb.in c.pactiones.num.1.eod. tit.*

CAPVT XVIII.

De tranſactionibus.

1 Qvare dicitur tranſactio.
Reſp. Quaſi extincta lite tranſeant in pacem, & ani-

& amicitiam, & dicitur quaſi amicabilis compoſitio. *c. ſtatuimus. de tranſactionibus. cap. niſi eſſent de præbend.*

2 Quid eſt tranſactio?
Reſp. Quędam conuentio, vel compoſitio de re incerta, de lite non finita, per quam quis accepta aliqua re cedat iuri ſuo. *c. ſuper eo, de tranſactionib.*

3 Quotuplex eſt tranſactio?
Reſp. Triplex. Prima generalis. Secunda ſpecialis. Tertia indefinita. *Abb. c. 1. eod. tit.*

4 Quæ eſt tranſactio generalis?
Reſp. Quando quis accepto aliquo remittit, & dat omnia ſua iura alteri. *l. age C. de tranſactionibus.*

5 Quæ eſt tranſactio ſpecialis?
Reſp. Quando quis accepto aliquo tranſigit, & donat aliquam ſpecialem rem, veluti agrum vel domũ, ſupra quam eſt lis, vel controuerſia; & hæc tranſactio non extenditur vltra illam particularem, & certam rem. *l. age C. de tranſactionibus.*

6 Quę eſt indefinita?
Reſp. Æquipollet vniuerſali tranſactioni, quia fine fine, & termino tranſigit. *l. final. de vino, tritico, & oleo legato.*

7 Tranſactio, & amicabilis compoſitio, in quo differunt?
Reſp. In eo, quòd amicabilis compoſitio eſt pactio gratuita ſine aliquo intereſſe; tranſactio verò non eſt gratuita; ſed pro aliqua re accepta, vel accipienda: *Abb. c. 2. de tranſactionib. nu. 6.*

8 Tranſactio poteſt ne fieri gratuita, ita quòd aliqua pars nihil accipiat?
Reſp. Non; quia talis cõtractus eſſet gratuita pactio, & non tranſactio. *c. ſuper eo. eod. tit.*

9 Tranſactio poteſt ne fieri de lite incepta, nec conteſtata?
Reſp. Poteſt, & tunc quis facit tranſactionem de iure ſuo, quod ſibi pertinere poterat. *l. eleganter. §. ſi quis ff. de cond. indeb. l. 2. C. de tranſactionib. Abb. in c. cõtingit. eod. tit. num. 1.*

10 Si pro re magna detur minima, erit ne verus contractus tranſactionis?
Reſp. Affirmatiuè: vt ſi peto mille, & dentur mihi decem, ſufficit aliquid recipere ad verum contractũ tranſactionis. *l. tranſactio, C. de tranſactionibus.*

11 In tranſactione requiritur neceſſariò, vt quod datur, detur de præſenti, vel recipiatur, vel ſufficit promittere aliquid de futuro?
Reſp. Vtroque modo eſt vera traſactio. *leg. 2. C. de tranſact.*

12 Si quis non recipit poſtea, quod illi promiſſum eſt poteſt ne reuerti ad primum ſuum Ius?
Reſp. Non; quia illum iam tranſegit, & dedit, & ſolùm habeat actionem ad rem promiſſam, niſi fortè in ſcriptura tranſactioni ponatur clauſula, quòd re tali tempore non ſoluta lis reuertatur in ſuo ſtatu. *Abb. vbi ſupr. num. vlt.*

13 Si pars faciat tranſactionem iuſtitię debet ne ceſſari à punitione illius delicti, ſuper quo facta fuit tranſactio?
Reſp. Non, ſed fiſcus debet ſequi negotium, ne delicta impunita maneant; licèt tunc mitius agatur. *l. cum bi ff. eodem titul.*

14 Cum fit tranſactio, inſtrumenta, vel iura habent aliquam vim?
Reſp. De natura tranſactionis, eſt vt omnia iura, & inſtrumenta contraria tranſactioni inualidentur: & ſolum inſtrumentum tranſactione habet vim. *cap. 1. eodem titul.*

15 Exceptio tranſactionis eſt ne dilatoria, & quando poteſt opponi?
Reſp. Eſt peremptoria, & poteſt opponi in quocumque ſtatu litis, & ante litem. *Abb. cap. 1. de tranſaction. numero 3.*

16 Tranſactio quando eſt licita in ſpiritualibus?
Reſp. Quando datur ſpirituale pro ſpirituali; nõ verò quando datur ſpirituale pro temporali. *Abb. in cap. ſtatuimus. de tranſactionibus. nu. 5. c. conſtitutus, eod. titul.*

17 Procurator poteſt ne tranſigere?
Reſp. Non, ſine ſpeciali mandato: & ſi tranſegerit, tranſactio non erit valida, niſi Dominum ratum habeat, quia poteſtas tranſigendi non includitur in generali mandato. *c. contingit eod. tit.*

18 Prelatus poteſt tranſigere ſine conſenſu capituli?
Reſp. Non, niſi habeat ſpeciale mandatum capituli, quia bona prælati ſunt in magna vtilitate capituli, præcipuè ſi res ſit immobilis, vt res pretioſa. *Abb. c. contingit num. 3. eodem titul.*

19 Si Prælatus faciat tranſactionem, obligatur ne ſucceſſor ad eam obſeruandam?
Reſp. Si eam fecit ſine conſenſu ſuperioris, non obligatur; ſi verò cum conſenſu obligatur ſucceſſor, quia actus fuit realis, legitimus, & perfectus, *c. veniens. de tranſaction.*

20 In ſpiritualibus, & beneficialibus valet ne tranſactio?
Reſp. Non, ſine licentia Summi Pont. *c. praterea, il 2. de tranſaction.*

21 In criminalibus valet ne tranſactio, vbi imponenda eſt pęna ſanguinis?
℞. Valet, quia licitum eſt cuique redimere ſuũ ſanguinem. *Abb. in c. 1. de colluſio. detegen. num. 7. c. adulterij, 32. q. 7.*

22 In crimine adulterij licet ne tranſigere?
℞. Non, propter famam, turpitudinem partis læſę, & magnitudinem delicti. *etat ſi Clerici. §. de adulterijs. de iud. & Abb. vbi ſup.*

23 In crimine hæreſis poteſt ne fieri traſactio?
Reſp. Non; quia agitur de honore Dei. *cap. final. de tranſaction.*

24 In decimis poteſt ne fieri tranſactio?
Reſp. Poteſt, & etiam in modo ſoluendi cũ conſenſu Papæ. *cap. ſtatuimus. de tranſactionibus. & Abb. ibi numero 7.*

25 Si capitulum ſemel conſenſit tranſactioni factę ab Eccleſia, licet ne ei poſtea diſſentire?
Reſp. Non. *c. contingit. eod. tit.*

26 Super Eccleſiaſtico beneficio poteſt ne fieri tranſactio?
Reſp. Non benè tamen poteſt fieri amicabilis compoſitio. *c. ſuper eo, de tranſact.*

CAPVT

CAPVT XIX.

De Poſtulando.

1 QVid eſt poſtulare?
Reſp. Facere officium aduocati, & pro alio poſtulare iuſtitiam. *c.1.de poſtulando*.

2 Quibus modis ſumitur hoc verbum, poſtulare?
Reſp. Duobus. Primò, quando quis à populo, vel à clero poſtulatur in Epiſcopum. Secundò, quando quis facit officium aduocati, & puſtulat iuſtitiam pro alio. *Goffr. in ſum.c.1.de poſtulando*.

3 Qui clerici prohibentur poſtulare?
Reſp. Conſtituti in ſacris, qui habent vnde ſubſtententur, & hoc propter decentiam. *Abb.c.1.de poſtulando.num.1.*

4 Quibus in caſibus Clerici poſſunt poſtulare coram iudice ſæculari?
Reſp. Primò, pro ſe, pro ſuis, pro patre, & matre, fratribus, & nepotibus. Secundò, pro ſua Eccleſia. Tertiò gratis pro miſerabilibus perſonis. *cap.1. de poſtulando*.

5 Aduocatus tenetur ne adiuuare, & defendere magis patriam, quam partem ſuum?
Reſp. Non, imo tenetur defendere magis patrem, cum quo debet vinculum naturale, quam patriam ſuam, cum qua habet vinculum gratitudini, & recognitionis. *l. vt vim.ff.de iuſt.& iur.l.2.C.de aduocatis. diuerſ.iud.*

6 Si Clericus ſit aduocatus contra ſuam Eccleſiam, qua pœna punitur?
Reſp. Tanquam ingratus priuatur beneficijs. *c. cum ſacerdotis, de poſtulando, & hoc latè dixi lib.5.cap.de Clerico aduocato*.

CAPVT XX.

De Procuratoribus.

1 QVis dicitur Procurator?
Reſp. Ille, qui accepto alieno mandato plura negotia ſuſcipit facienda. *l.3.ff. de negotijs geſtis. l.1.ff. de Procuratoribus*.

2 Syndicus quis eſt?
Reſp. Ille, qui conſtituitur à Prælato, ab Eccleſia, à communitatibus ad adminiſtranda, colligenda, & tuenda eorum bona in iudicio, & extra; & largo modo dicitur procurator. *cap. vnico, de ſynodaco, & ibi Abbas*.

3 Qui admittitur in iudicio ad procurandum?
Reſp. Solùm ille, qui habet ſpeciale, vel generale mandatum à Domino, ad litem, vel lites; nam ſi quis aliquid fecerit ſine mandato non tenet ratum, niſi à parte ratificetur. *c.1.de procurator.*

4 Quis poteſt compelli conſtituere procuratorem?
Reſp. In grandibus negotijs nullus poteſt compelli conſtituere procuratorem, ſi velit ipſe litigare pro ſua perſona. *Abb.c.querelam. de procuratoribus nu. 3.*

5 Procurator poteſt petere expēſas à parte pro ſuo labore?
Reſp. Si habuiſſet mandatum, poteſt, & etiam expenſas Notarium pro ipſo factas, quas debet Iudex taxare, ne partes grauentur. *c.cum pro cauſa, eod.tit.*

6 Si mandatum datum procuratori amittatur, poterit probari per teſtes?
Reſp. Poteſt, & etiā per inſtrumenta, cum hoc ſit in fauorem partis, ne indefenſus quis pareat. *Abb.c.1. de procuratorib.num.5.*

7 Ad probandum reuocationem procuratorit quot teſtes requiruntur?
Reſp. Sufficit iuramentum reuocantis, & vnus teſtis, *c.ex inſinuatione, de procuratoribus, & ibi gloſ.*

8 Quis poteſt conſtituere Procuratore?
Reſp. Vniuerſitas, Epiſcopus, capitulum, & quilibet particularis, ſiue homo, ſiue mulier, ſiue maior, ſiue minor cum authoritate tutoris, & Iudicis, & tādem quilibet, qui eſt ſui iuris. *cap.quia in cauſis, de procuratori, & Abb.ibi.num.1.*

9 Ad conſtituendum procuratorem quid requiritur?
Reſp. Poteſtas conſtituendi, & plena libertas, præcipuè in cauſa matrimoniali. *c.accedens.de procur.*

10 Procurator poteſt ne reuocari in viua voce?
Reſp. Poteſt, licèt ſit per ſcripturam conſtitutus. *Abb.in c.ex inſinuatione eod.tit.num.1.*

11 Reuocatio procuratoris cui debet notificari?
Reſp. Ipſi procuratori, & Iudici parti contrariæ, vt fraudes tollantur. *Abb. cap. in noſtra num.5. & 6.eodem tit.*

12 Qui malitioſè in præiudicium aduerſarij reuocat mandatum, qua pena punitur?
Reſp. Condemnatur in expenſis propter malitiam. *C.auditis, de procuratoribus, & ibi gloſ.*

13 Si talis reuocatio ſi non notificetur Iudici, neque parti contrariæ, valet ne?
Reſp. Acta facta cum tali procuratore valent, ac ſi non eſſent reuocata ad tollendas fraudes litigātium, qui ſæpè reuocarent occultè, vt ſententia contra eos lata nulla eſſet. *cap.mandato. eod.tit. cap.ex parte, de reſcriptis.*

14 Si Dominus, qui dedit mandatum moriatur, & hoc ignoret procurator, & pars contraria, & Iudex faciant iudicium bona fide cum procuratore, tale iudicium valebit ne?
Reſp. Non; quia iam nō agitur de damno tali mortui, ſed ſuorum hæredum, & ſic non obſtante bona fide debet peti mandatum ad hærede, de cuius dāno agitur: & quia ſententia lata contra defectum non valet. *l.ſi procurator.ff.de procuratoribus. Abb.in c.mandato.eod.tit.n.6.*

15 Quis debet notificare parti, & iudici reuocationem procuratoris
Reſp. Ipſas reuocans, & non alius; quia alijs non tenetur Iudex dare fidem de vluntate reuocantis *Abb. in c.mandato.eod.tit. num.vlt.*

16 Cum eſt in cauſa concluſum, poteſt ne reuocari mandatum?
Reſp Talis reuocatio nihil operatur, cum in dicta cauſa omnia ſint facta. *c.auditis eod.tit.*

17 Procurator lite conteſtata poterit ne reuocari.
Reſp. Non ſine legitima cauſa contradicente aduerſario, quia talis reuocatio videtur malitioſa, & pars

uocans

uocans tenetur ſtatim conſtituere alium procuratorem, cum quo fiant acta legitima, ne lis defferatur. *Abb.c.auditis. eod.tit.num.8.*

18 Infamis poteſt eſſe procurator?
Reſp. Non, ſiue ſit infamia iuris, ſiue facti; quia eſt officium honorificum, & publicum, & magnæ confidentiæ. *Abb.in c.Imperatorem. de iuramento calumniæ. num.9.*

19 Si quis ſit in carceribus, & conſtituat procuratorem, vel alicui promittat, præſumitur ne id facere metu carceris?
Reſp. Affirmatiuè, præcipuè in carceratis, qui ſæpè metu carſeris conſentiunt ſententiæ; & ſi occultè appellat, talis appellatio erit valida. *Abbas cap.accedens.num.1.de procuratorib.*

20 Clericus quando poteſt eſſe procurator?
Reſp. In cauſa ſuæ Eccleſię, pro ſe, & pro ſuis coniunctis, pro pauperibus in iudicio Eccleſiaſtico. *Abb.c.in noſtra.num.1.de procuratorib.*

21 Filius familias poteſt eſſe procurator?
Reſp. Affirmatiuè. *c.non iniuſtè, de procuratorib.*

22 Excommunicatus poteſt eſſe procurator?
Reſp. Non. *c.fin.eod.tit.*

23 Si quis excommunicatus eligatur in procuratorē, & poſtea abſoluatur, valebit ne electio?
℞. Non, quia electio fuit facta in perſona incapaci.

24 Coniuncta perſona poteſt ſupplere vices procuratoris?
Reſp. Non, in his rebus, quæ requirunt ſpeciale mādatum. *Abb.in c.ex parte, il 3. de reſcript.num.14.*

25 Excommunicatus poteſt eligere procuratorem & alios contractus facere, vt emere, & vendere?
Reſp. Poteſt, quia ſunt in ſui defenſionem, & hoc non eſt illi prohibitum à iure. *Abb.c.veritatis. nu.35. de dolo, & contumacia.*

26 Si aliqui ex vniuerſitate ſint excommunicati, poteſt talis vniuerſitas eligere procuratorem?
Reſp. Si maior pars ſit excommunicata, non poteſt; ſecus ſi minor, quia vniuerſitas conſtituitur ex maiori parte, & maior pars vitiat minorem, & in hoc caſu ſolùm poſſunt eligere procuratorem ad ſui defenſionem, non tamen ad negotia vniuerſitatis. *Abb. cap.final.eod.tit.*

27 Si quis citatus fuerit perſonaliter ad totā cauſam, & vſque ad definitiuam incluſiuè, & non conſtituat, vel iam conſtitutum reuocet poterit ne procedi in dicta cauſa?
Reſp. Poterit ſine noua citatione in dicta cauſa; & ſi reuocet procuratorem, habetur quaſi non conſtituiſſet procuratorem, & damnum ſibi imputetur. *c.auditis de procuratorib.*

28 Si quis ratificat facta per procuratorem falſum, vel reuocatum tenent ne?
Reſp. Tenent, ſicut ſi facta fuiſſent per verū procuratorem; ratio eſt, quia ratihabitio, & mandatum nō eſt dubium comparari, *tenet Abb.in c.quia nonnulli, §. ſunt alij de reſcriptis, num.4.*

29 Sententia lata cū procuratore reuocato valet ne?
Reſp. Si notificata fuit procuratori talis reuocatio, non valet. *c.ex inſinuatione. eod.tit.*

31 Facta à procuratore reuocato valet ne?
Reſp. Non. *Abbas capit.in noſtra. de procuratoribus numero 2.*

31 In criminalibus admittitur ne procurator?
Reſp. Si agatur de crimine ciuiliter, admittitur; ſi agatur criminaliter, non eſt neceſſarius. *Abb.in c.tua. numero 3.eod.tit.*

32 Si Procurator ſine mandato procurauit cauſam, poterit petere laborem ſuum?
Reſp. Non, quia fecit negotium ſine mandato alterius. *c.cum.eod.tit.*

33 Rector Eccleſiæ, ſi non habet mandatum, & facit expenſas pro Eccleſia, poterit ne eas petere?
Reſp. Poterit; quia ex eo, quòd ſit Rector ex natura intrinſeca, tenetur Eccleſiam beneficare & prouidere eius neceſſitatibus. *c. cum pro cauſa eod. tit.*

34 Si in aliqua communitate ſit maior pars excommuuicata, & ignoretur ab alijs, erit ne validum geſtum à minori parte?
Reſp. Affirmatiuè, ratio eſt, quia in his caſibus iuſta ignorantia, communis error ius facit, *Abb.c.fin. nu. 3. de procuratoribus, l.Barbarius Philippus, ff. de offic. Prætoris.*

35 Procurator habens generale mandatum, poteſt agere ea, quæ requirunt ſpeciale?
Reſp. Non; quia ſpecialitas non comprehenditur in generalitate; & ſic qui habet generale mandatum ad omnia recuperanda, non poterit recuperare certum debitum, ſi debitor petat ad ſui cautelam ſpeciale mandatum, *Abb.in c.petitio veſtra nu.1.eod. tit.*

36 Iudex debet dari procuratori tempus ad conſulendum Dominus litis?
℞. Debet, ſi malitioſè illud non petat; aliàs legitima erit appellatio talis procuratoris. *c. dilectus filius de procurat.*

37 Maritus ad agendum pro vxore debet ne habere eius mandatum?
Reſp. Non eſt neceſſarium, cum ſit caput vxoris, ambo pro vna perſona reputentur. *Abb.in c. conſtitutis num.1.eod.tit.*

38 Si plures procuratores dentur in ſolidum, quis eſt admittendus?
Reſp. Quis prius occupauit negotiū; & ſi ille moriatur, alius poteſt ſupplere eius locum abſque nouo mandato. *cap. non iniuſtè de procuratorib.*

39 Procurator tenetur neceſſariò appellare à ſententia lata contra ſuam partem?
Reſp. Tenetur, aliàs ſoluet damnum; ſed non tenetur proſequi appellationem, ſine nouo mandato. *cap. non iniuſte. eodem tit.*

40 Quādo poteſt opponi exceptio reuocationis procuratoris?
Reſp. In quocumque ſtatu litis. *Abb.c.in noſtra.eod. tit.num.4.*

41 Si procurator doloſè facit officium ſuum, vel negligenter, qua pœna punitur?
Reſp. Debet reſtituere de ſuo damnum, & intereſſe, & Dominus poteſt contra eum petere, præcipuè ſi probetur dolus. *Abb.c.1.vt lite non conteſtata. n.16.*

42 Si concurrant in vnalite procurator, & aliquis Canonicus penſionarius illius Eccleſiæ, quis debet admitti ad procurandum?
Reſp. Canonicus, quia eſt pars principalis in cauſa ſuę Eccleſiæ, & membrum principalius procuratore. *Abb.in c.ex litteris de probationibus nu.3.*

43 Quis dicitur contumax?
Reſp. Citatus, qui non ponit procuratorem, vel nō mittit legitimum mandatum, vel qui comparet, & recedit ſine licentia iudicis. *Abb.in c. conſtitutis, de procuratoribus.num.2.*

CAPVT

CAPVT XXI.

De Syndico.

1 Qvid eſt ſyndicus?
Reſp. Procurator Vniuerſitatis, vel Collegij ad iudicia conſtitutus, vt defendat Collegium, vel Vniuerſitatem. *c. 1. de Syndico, & ibi Abb. n. 2.*

2 Quis debet habere Syndicum?
Reſp. Omnes Vniuerſitates, Collegia, Cathedrales Eccleſiæ,& monaſteria monialium, vel virorum. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 7.*

3 Quare debent habere ſyndicum iſti?
℞. Quia cum pluribus litigari non poſſit; ideò cōſtituitur perſona, cum qua fiant, & quæ defendat cauſam pro omnibus. *Abb. in c. eod. tit. in princ.*

4 Confeſſio ſyndici præiudicat ne Eccleſijs?
Reſp. Præiudicat, quia eas repreſentat. *c. 2. de capellis monachorum, ibi gloſ. fin. de confeſſis.*

5 In perſona ſyndici poteſt dari libellus, & proferri ſententia?
Reſp. Affirmatiuè: dummodo dicatur Titius, vt ſyndicus talis Eccleſiæ, quia ipſe eam repreſentat. *cap. 2. de cappellis monachorum. & ibi gloſ.*

CAPVT XXII.

De ijs, quæ vi, metuſue cauſa fiunt.

1 Qvid eſt metus?
Reſp. Eſt mentis trepidatio, proueniens ex præſenti, vel futuro periculo. *l. 1. C. eod.*

2 Vnde dicitur metus, & quare ſic appellatur?
Reſp. Quia mentem tenet, vel impedit, ne liberè operetur. *gloſ. in c. ad audientiam. eod. tit. litt. B.*

3 Quotuplex eſt metus?
Reſp. Duplex. Primò, metus probabilis, qui cadit in conſtantem virum, & iſte excuſat. Secundò, metus non probabilis, ſeù reuerentialis, & iſte cadit in formidoloſum, & ideò non excuſat à iuramento, neq; à promiſſione Deo, vel hominibus facta. *in cap. cum dilectus. eod. tit.*

4 Quotuplex eſt metus reuerentialis?
Reſp. Duplex, ſcilicet metus reuerentialis veſtitus, & metus reuerentialis nudus, *Bart. in l. ſi ob turpem. ff. de conditione ob turpem cauſam.*

5 Quis dicitur metus reuerentialis veſtitus?
Reſp. Dicitur metus reuerentialis veſtitus ille metus, qui veſtitur minis atrocibus, vel verberibus, carcere, vel probabili amiſſione bonorum. *tenet Abb. Pan. in c. Abbas iſto tit. & c. cum virum, de regul. nu. 8. Bar. in l. metum, C. quæ vi, metuſue cauſa.*

6 Qui dicitur metus reuerentialis nudus?
Reſp. Quando aliqua perſona ſolùm timet propter magnam reuerentiam, & verecundiam, quàm habet in præſentia ſui patris, Principis, vel maioris; non verò propter aliquam iacturam, vel damnum, quia de hoc nulla ſuſpitio eſſe poteſt; aliquando propter rectitudinem, & iuſtitiam ſuperioris; aliquando propter parcitatem perſonæ in erroris timentis, quæ omnia ſunt conſideranda à iudice. *tenet Barth. in l. ſi ob turpem. ff. de conditione ob iuſtam cauſam. Bald. in l. 2. C. de ijs quæ vi, metuſue cauſa fiunt.*

7 Metus reuerentialis nudus, qui oritur ex Imperio, ex potentia, vel precibus ſuperioris, quas qualitates debet habere, vt ſit metus reuerentialis veſtitus, & excuſet à promiſſione, vel a voto?
Reſp. Duas. Primò quòd interueniant minæ, verbis, ſcripto, vel nuntio, & quòd ex iſtis minis iuſtè timeatur, quòd, ſi non acquieſcat voluntati minantis, eueniet illi aliquod magnum damnum, & iactura, vel in bonis, vel in honore, vel in corpore. Secundò, requiritur, quòd talis ſuperior minans ſoleat ſæuire in ipſum formidoloſum, vel in alios ſui ſimiles, & ſit aſſuefactus facere illis damnum in honore, in bonis, vel in corpore, & hoc ſufficit, vt ſit metus veſtitus. *tenet Bart. in l. metum. C. quæ vi met. cauſ. quem citat. Abb. in cap. cum dilectus eod. tit. nu. 8.*

8 Quæ differentia eſt inter metū probabilem cadentem in conſtantem virum, & metum nudū non probabilem cadentem in formidoloſum?
Reſp. Ex parte metus magna differentia; eſt nam ad metū nudum, & nō probabilem nullæ ſunt cauſæ, ex quibus quis debeat per metum emittere votū religionis; in metu verò veſtito ſunt plurimæ cauſę, & timores, qui poſſunt hominem inducere ad faciendū quid contra ſuam voluntatem; ex parte effectus magna eſt differentia: nam omnes renuntiationes, vota, & promiſſiones metu probabili factæ, etiam iuratæ non tenent, quia ſunt factæ abſq; libertate; factæ verò metu improbabili cadente in formidoloſū, tenent. *c. cum dilectus eod. tit.*

9 Quid eſt conſiderandum, vt cognoſcamus, quando eſt metus probabilis cadens in conſtantem virum, vel quando eſt metus cadens in formidoloſum?
Reſp. Primò, perſona, quæ habet metum: nam fœmina non eſt ita fortis, vt vir, puer non ita fortis, vt homo. Secundò, periculum rei, cum qua minatur, ſi eſt præſens, vel futurum, corporale, vel ſpirituale, rei familiaris, vel honoris, vt ſi eſt mors pręſens, vel futura. Tertiò, conſideratur perſona, quæ minatur, vt ſi eſt Princeps, Epiſcopus, Iudex, pater, mater, latro, vel aſſaſſinus, ſi eſt perſona æqualis, vel ſuperior. Quartò, locus: vt ſi eſt in agro, in cubiculo clauſo, vel aperto, ſine teſtibus, vbi non poteſt haberi auxilium: perſona, quæ habet metum, & conſideratis omnibus circumſtantijs, Iudex debet arbitrari: nā certa regula dari non poteſt, cum tot ſint diuerſi caſus. *DD. in c. cum dilectus. eod tit.*

10 Si quis metu religionem profiteatur, vel contrahat matrimonium, tenetur ne adimplere talem promiſſionem?
Reſp. Si ſit metus cadens in conſtantem virum, & poſtea nunquam liberè conſentiat, nō tenetur adimplere promiſſionem religionis. *c. 1. eod. tit. ſed Nauar. conſ. 5. de ijs, quæ vi, metuſue cauſę fiunt, tenet, quòd ſufficit metus reuerentialis veſtitus, licèt eſſet minor iuſto timore ad annullandam profeſſionem. iuxta gloſ. ſingul. in c. præſens, 20. quæſt. 3. verſ. patrem, in fin.*

in fin. idem tenet in manual. cap. 22. *num.* 51. ſed hoc non poteſt dici de matrimonio carnali, cum ſit ſacramentum, & ad illud annullandum requiritur metus cadens in conſtantem virum, *vt d. gl. ſingulariter dicit, & docet.*

21 Qui timore ſæcularium renuntiat electionem de ſe factam, tenetur ne adimplere?
Reſp. Si timor fuit cadens in conſtantem virum, poteſt petere confirmationem, & cum hac regula debent definiri omnes caſus pertinentes ad metum. *c. ad aures. eod. tit.*

CAPVT XXIII.

De in integrum reſtitutione.

1 Reſtitutio quibus modis ſumitur?
Reſp. Duobus. primo, pro reſtitutione rei ablatæ contra voluntatem Domini, & de hac ſignificatione dictum fuit in *tract. de reſtit. in foro conſcientię.* Secundo, pro reſtitutione ſtatus litis in foro contentioſo facienda, & pro hac ſignificatione ſumitur in hoc titulo.

2 Si ſententia ſit lata vigore alicuius falſi inſtrumẽti, vel ſcripturæ, intra quod tempus poteſt peti talis nullitas?
Reſp. Poſt quadriennium elapſum poterit retractari, quia quod à principio nullum fuit, tractu temporis non firmatur. *Abb. c. cum ex litteris, de in integr. reſtitutione, num.* 11.

3 Quid eſt reſtitutio in integrum?
Reſp. Reducere cauſam in eum ſtatum, in quo erat ante læſionem. *cap. auditis de in integrum reſtitutione, & l. 1. ff. eod. tit.*

4 Si Eccleſia fuit enormiter læſa in emptione, vel venditione; debet ne reſtitui?
Reſp. Debet, & competit ei reſtitutio in integrum, dummodo emptor non defraudetur de ſuo pretio, & de melioratione facta in tali re.

5 Quid requiritur, vt Eccleſia reſtituatur?
℞. Primò, vt ſit læſa occaſione illius contractus, & non aliunde. Secundò, quòd Eccleſia per teſtes probet læſionem eſſe enormem. *Abb. c. 1. eod. tit. nu.* 5.

6 Reſtitutio intra quod tempus eſt petenda à maiori, vel à minori?
Reſp. Intra quadriennium, quo elapſo, plus non datur, niſi probetur legitimum impedimentum, quare non potuit eam petere. *Abb. in c. cum ex litteris num.* 12. *&* 20. *eodem tit.*

7 A quo tempore incipit tempus quadriennij?
Reſp. A die elapſi termini, quia tunc cæpit lædi Eccleſia. *Abb. in c. coram. num.* 7. *eod. tit.*

8 Quibus in caſibus non currit quadriennium?
℞. Tribus. Primò, quando ſtat per iudicem, quo minus actus expediatur. Secundò, quando ſtat per aduerſarium. Tertiò, quando quis probat legitimum impedimentum; ſcilicet ſcientiæ, abſentiæ, infirmitatis, paupertatis, belli, periculi itineris, impetus fluminis, diſtantiæ loci: quia tempus quadriennij currit negligenti, non autem non volenti agere. *Abb. in cap. tum ex litteris. num.* 13. *eod. tit.*

9 Quibus competit reſtitutio in integrum?
Reſp. Eccleſijs, & minoribus, *l. poſtulata. C. eodem tit. & ibi gloſ.*

10 Reſtitutio in integrum conuenit ne maioribus?
℞. Conuenit aliquando ex legitima cauſa. *Abb. in c. ex litteris eod. tit. n.* 5. *& gl. in l. poſtulata. C. eod.*

11 Ciuitatibus, & Reip. competit ne reſtitutio in integrum?
Reſp. Competit, & etiam cuilibet communitati, quia præſumitur, quòd communitas non habeat tantam diligentiam in ſeruandis bonis ſuis, ſicut aliquis particularis, cum ſint nullius bona communitatis, & ferè ſemper dilapidentur ab adminiſtratoribus, tanquam ſi eſſent bona aliena. *Abb. in cap. 1. num.* 14. *eodem tit.*

12 Si minor fuit læſus in minori ætate, & quando petit reſtitutionem, eſt in maiori, debet ne audiri?
℞. Debet ei concedi; quia læſio facta fuit ei in minori ætate. *Abb. in c. conſtitutus. eod. tit. nu.* 5. *&* 8.

13 Minor quando reſtituitur?
Reſp. Quando probauerit ſe manifeſtè eſſe læſum, & quando petat reſtitutionem intra quadriennium. *c. conſtitutus, de in integr. reſt.*

14 In quibus contractibus datur reſtitutio in integrum?
Reſp. In emptione, venditione, locatione, & alijs. *c. 1. eod. tit.*

15 Libellus ad petendam reſtitutionem, quid debet continere?
Reſp. Debet ſpecificè, & non in genere narrare enormem læſionem, & qualitates perſonæ petentis reſtitutionem. *Abb. in cap. tum ex litteris, eodem titul. num.* 1.

16 Proteſtatio facta quid prodeſt?
Reſp. Multum ad concedendum reſtitutionem in integrum. *c. tum ex litteris, de in integrum reſt.*

17 Quot conſiderantur ad cognoſcendam læſionem magnam, & paruam?
Reſp. Duo. primò, quantitas rei; ſcilicet, ſi cõtractus continebat mille florenos, læſio decem florenorum erit parua; & ſi continebat quadraginta florenos, læſio decem florenorum erit magna. Secundò, conſideratur quantitas, & qualitas perſonæ, ſi Eccleſia ſit diues, læſio viginti florenorum, erit parua; ſi Eccleſia ſit pauper, erit magna. *Abb. in cap. 1. eod. tit. num.* 8.

18 Si procuratoris negligentia iura Eccleſiæ nõ ſint in litem producta, competit ne Eccleſiæ reſtitutio in integrum?
Reſp. Competit. *c. 2. eod. tit.*

19 Negligentia procuratoris dedit ne Eccleſiæ?
Reſp. Non, neque communitati, ſed homini particulari, qui potuit alium meliorem eligere; quia Eccleſia, & communitas poſſunt petere reſtitutionem aduerſus negligentiam procuratoris. *Abb. in c. 2. eod. tit. num. 7. c. cum Veniſſent. eod. tit.*

20 Si aliqua electio fuerit facta pendente lite reſtitutionis, debet ne confirmari?
Reſp. Neque debet confirmari, neque infirmari, ratio eſt, quia de natura reſtitutionis in integrum eſt, vt omnia reuertantur in ſuum priſtinum ſtatum, & ſic ſuperfluum eſſet confirmare, quod poſt paucum tempus debet infirmari. *c. cum veniſſent de in integrũ reſtit. & Abb. ibi num.* 9.

21 Eccleſia læſa ex malitia, vel negligentia procu-

ratoris, contra quem habet actionem?

Reſp. Contra procuratorem, & contra partem, quæ fecit læſionem. *Abb.c.2.eod.tit. num. 19.*

22 Reſtitutio in integrum à quo debet peti?

Reſp. A perſona, vel Communitate, vel Collegio, vel Eccleſia læſa, & dum non petitur, emptor facit legitimos fructus ſuos. *Abb.c.1.de in integrum reſtitutione,num.15.*

23 Si quis dedit res Eccleſiæ alteri, contra quem poteſt procedere Eccleſia?

Reſp. Contra vnum, vel alterum, quia hoc relinquitur in libera electione Eccleſiæ, vt petat contra perſonam, quam iudicauerit magis aptam ad reſtitutionem. *Abb. c.cum veniſſent,nu.20.eod.tit.*

24 Ad concedendam reſtitutionem requiritur ſemiplena, vel plena probatio?

℞. Plena probatio, cum ſit res tanti momenti. *c. ex litteris.eod.tit.& Abb.c.tum ex litteris.eod.tit,nu.16.*

25 Si aliqua Eccleſia non probauit tempore litis, vel non fecit probationem neceſſariam, ex hac cauſa competit ne ei reſtitutio, vel debet denegari?

Reſp. Competit, etiam elapſo vltimo, & peremptorio termino probationis, non ſolum contra particularem, ſed etiam contra aliam Eccleſiam, quia reſtitutio eſt quoddam priuilegiũ, quod conceditur Eccleſiæ, ſicut minori, & datur etiam poſtquam concluſum eſt in cauſa, & non ſolùm non perditur propter negligentiam probationum, ſed expreſsè datur ad ſupplendam negligentiam, & alios defectus procuratorum, & æconomorum *cap. cum veniſſent.eodem tit, & ibi Abbas,*

26 Poteſt quis petere reſtitutionem aduerſus ſententiam Summi Pont.

Reſp. Licet à ſententia Papæ non ſit appellandum, poteſt tamen ab ea ſupplicare ad ipſum papam melius informatum, & petere reſtitutionem in integrũ. *Abb,in c.tum ex litteris.eod. tit,num.2.*

27 Petitio reſtitutionis impedit ne exequutionem ſententiæ?

Reſp. Affirmatiuè; niſi ſit præſumptio, quòd malitioſè petitur; tunc enim præſtita cautione mandatur exequutioni ſententia *c.ſuſcitata.eod.tit.*

28 Reſtitutio poteſt peti à procuratore ſine ſpeciali mandato?

℞. Poteſt, niſi in duobus caſibus. Primò, cum petitur aduerſus aliquod inſtrumentum, vel ſcripturam. Secundò, aduerſus ſententiam, quę tranſit in rem iudicatam tempore decem dierum ſine auxilio appellationis; in his duobus caſibus procurator debet petere ſpeciale mandatum; quia reputantur à doctoribus tamquam nouæ lites. *DD. & Abb.in c.ſuſcitata.n. 5.eod.tit. de in integrum reſtit.*

29 Abſens intra quod tempus debet audiri, vt reſtituatur?

Reſp. Intra annum, & purgatis expenſis reſtituitur in primum ſtatum. *Abb.c.conſultationibus de off.iudic. delegati. num. 6.*

30 Spoliatus quid debet probare, vt reſtituatur?

Reſp. Poſſeſſionem, & ſpolium. *c.conſultationibus. de off.iud.deleg.*

31 A quo Iudice eſt petenda reſtitutio?

Reſp. A ſuperiori, & non inferiori, vel ab eo iudice, qui dedit ſententiam. *Abb.in cap.tum ex litteris.de in integrum reſtitutione, num.3.& cap.ſuſcitata. eodem titulo.*

32 In cauſa reſtitutionis poſſunt ſumi arbitri?

℞. Directè non, quia eſt beneficium procedens ab officio liberali iudicis, neque in cauſa matrimonij, cuius iuriſdictio eſt ſolius Epiſcopi. *Abb.in c.cauſa,de in integr. reſtit. num.4.*

33 Quæ dicitur noua cauſa ad hoc, vt detur Eccleſijs reſtitutio per eumdem iudicem denegata?

℞. Illa cauſa, quæ priùs non fuit allegata; puta Eccleſia petit reſtitutionem ex eo, quòd non præſentauit ſua priuilegia, & denegata fuit; quia non benè probauit, iterum de nouo petit reſtitutionem; quia negligentia procuratoris non probauit ſuam intentionem, vel quia habet nouos teſtes, tunc ex iſta noua cauſa per eumdem iudicem conceditur reſtitutio prius negata, *Abb.in c.fin.de in integrum reſt,num.1.*

34 Reſtitutio in integrum coram quo Iudice debet peti?

Reſp. Coram Iudice rei; quia actor tenetur ſequi forum rei. *Abbas in capit.conſtitutus eodem titulo numero 1.*

35 Cauſa reſtitutionis in integrum, poteſt ne delegari?

Reſp. Poteſt de iure Canonico, & ciuili. *Abb.in cap. cauſa.eod.tit.num.2.*

36 Si reſtitutio negetur Eccleſiæ, poteſt ei iterum concedi?

℞. Non, niſi ex cauſa noua; ſed datur appellatio à tali denegatione. *c.fin. eod.tit.*

CAPVT XXIV.

De Arbitris.

1 QVid eſt laudum in arbitris?

Reſp. Sententiam arbitri laudare, & ſententiam arbitralem ferre. *l.cum dies, §. ſi arbiter. ff. de arbitr.*

2 Quare dicitur, laudum, vel laudare ſententiam arbitri?

℞. Exiſtimo, quia laudabile eſt à litibus diſcedere, & lites dirimere arbitrio, vel amicabili compoſitione, & ſic ab effectu ſuſcipit nomen laudum.

3 Quid eſt emologare, vel emologiare?

℞. Confirmare, vel reprobare ſententiam arbitri. *Goffred.de arbitris.§.3.*

4 Quibus modis emologatur ſententia arbitri?

℞. Duobus. Primò, verbo, vel ſcripto. Secundò, tacendo per ſpatium decem dierũ. *Goffr.de arbitris.§.3.*

5 Quid eſt arbitrium?

℞. Eſt poteſtas iudicandi aliena voluntate tradita, & recepta ad pronuntiandum in lite, prout arbitrio ſuo viſum fuerit, aliquando appoſita certa pæna, & terminis. *Hoſtienſ.in ſum. de arbitris.n.1. l.ſi quis arbitratu.ff. de verb. oblig.*

6 Quot ſunt genera arbitrorum?

Reſp. Tria. primò, arbiter electus à partibus. Secundò, arbiter iuris. Tertiò arbiter, ſeu amicabilis compoſitor. *Doctores in cap. Quintauallis, de iureiurando.*

7 Quis eſt Iudex arbiter?

℞. Iudex electus à partibus, qui debet iudicare ſeruato

uato iuris ordine: & dicitur compromiſſarius; licèt non habeat iuriſdiđionem ordinariam, nec delegatam, ab eius ſententia non appellatur. *l. 1. ff. de arbitris*.

8 Quis eſt Iudex arbitrator?
Reſp. Ille, qui eligitur à partibus tali forma, vt poſſit cognoſcere, & iudicare, & amicabiliter componere, tollendo vni, & dando alteri, magis de æquitate, quàm de rigore iuris. *l. 2. C. quando prouocare non eſt neceſſe*.

9 Quis eſt arbitrer iuris?
Reſp. Quidam Iudex tertius, qui in aliquibus caſibus datur à Iure: vt quando recuſatur ordinarius, debet à partibus aliquis Iudex nominari, qui de recuſatione cognoſcat, qui vocatur iuris arbiter, ideſt datus à iure. *c. cùm ſpeciali, de appell.*

10 Compromiſſum valet ne in numero pari?
Reſp. Valet. *Abb. in cap. 1. de arbitris, num. 1. citans alia capita.*

11 Arbitri in quo numero debent eligi?
Reſp. In diſpari, & tunc ſtatur ſententiæ maioris partis. *c. 1. de arbit. num. 1.*

12 Si ſint tres iudices arbitri, & duo proferant ſententiam tertio abſente, valebit ne talis ſententia?
Reſp. Non, quia poſſet ille tertius ducere alios duos in contrariam opinionem, & quia non ſeruatur forma compromiſſi. *Abb. c. 1. de arbit. num. 3.*

13 In mulierem poteſt compromittere Clericus?
Reſp. Cum diſtinđione; de rebus patrimonialibus poterit, quia tunc non ſubijcit ſe laico in ſua perſona; de rebus verò Eccleſiæ ſpiritualibus, & criminalibus non poteſt ſine licentia ſui Epiſcopi. *Abb. in c. dilecti filij. num. 8. de arbitr.*

14 Mulier poteſt eſſe arbitra?
Reſp. Non, quia arbitrium eſt redađum ad inſtar iudicij, & iudicare eſt proprium viri, & non mulieris. *l. 1. ff. de arbitris. Abb. c. dilecti filij, eod. tit. num. 2.*

15 In iudicem ordinarium poteſt fieri cōpromiſſum?
℞. Poteſt, tam de iure Canonico, quàm ciuili; ordinarius verò non poterit iubere, vt in ipſum compromittant. *gl. in c. cum temp. de arbit. & Abb. ibi num. 5.*

16 Mulier poteſt eſſe arbitratrix, & amicabilis compoſitrix?
Reſp. Poteſt, quia in hoc caſu procedit extraiudicialiter, componendo, & coram ea propriè non eſt iudicium. *c. Quintaual. de iureiurando. Abb. c. dilecti filij. eod. tit. num. 2.*

17 In laicum & Clericum poteſt compromitti de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali?
Reſp. Poteſt, cum auctoritate iudicis ordinarij, vel delegati, quia tunc authoritas ſuperioris, & conſortium Clerici incapacem reddit capacem. *text. in cap. per tuas in fin. de arbit. & Abb. in princ.*

18 Quotupliciter poteſt fieri compromiſſum?
Reſp. Dupliciter. Primo, pacto ſtipulatione, & nudis verbis. Secundo, ſcriptura quarentigia cum iuramento, & pęna appoſita. *Abb. in c. per tuas. num. 8.*

19 Compromiſſum nudis verbis, & ſententia inde ſequuta parit ne aliquam actionem?
Reſp. De iure ciuili, non; benè tamen de iure Canonico, in quo magis attenditur ad æquitatem, & concordiam, quam ad iuris rigorem, *l. diem proferre. ff. de compromiſſ. Abb. in c. per tuas. n. 8. eod. tit.*

20 Compromiſſum eſt ne liberum?
Reſp. In principio eſt, tam ex parte partium, quàm ex parte iudicis; ſed poſtea non eſt liberum, quia partes tenentur obedire, & compelluntur, & Iudex compellitur ſententiare. *l. 3. ff. de arbitris.*

21 Cōpromiſſum morte vnius tranſit ne ad hęredes?
Reſp. Non, ſed finitur morte eius, niſi in eo fiat mētio, quod compromiſſum comprehendat hęredes; ratio eſt, quia compromiſſum eſt ſtricti iuris, & compromittitur in amicos, qui forſan ignoti ſunt hæredibus, cum amicitia ſit quid perſonale. *Abb. cap. fin. de comprom. c. ex parte. eod. tit. num. 2. l. ſi quis arbitratu. ff. de verb. oblig.*

22 Compromiſſum quomodo accipit firmitatem?
Reſp. Datione obſidum, vel pignorum, vel pęnæ; quæ omnia licita ſunt in compromiſſo ad eius firmitatem, vt pars nō poſſit reſilire. *Abb. cap. expoſita, de arbit. num. 1.*

23 Eccleſia, & religioſi poſſunt petere pęnam compromiſſi?
℞. Poſſunt. *c. dilecti filij. eod. tit. & ibi Abb. num. 12.*

24 Si fiat compromiſſum cum pęna ſine iuramento, ad quid tenebitur pars, quæ fuit condemnata?
Reſp. Solum ad ſolutionem pęnę; ſed non obligatur emologare, confirmare, vel conſentire ſententiæ arbitri. *Abb. in c. per tuas. eod. tit. num. 15.*

25 Quando quis cogitur compromittere?
Reſp. Quoties in iure diſpoſitum eſt, vt compromittat. *cap. ſuſpicionis. de offic. delegati. l. cum ſpecialis. C. de iudicijs.*

26 Clericus poteſt compromittere in laicum ſine licentia ſui Epiſcopi?
Reſp. Non. *Abb. in c. dilecti filij, eod. tit. nu. 8.*

27 Qua ratione ſtatur ſententiæ iudicis arbitri?
Reſp. Metu pęnæ poſitæ in compromiſſo, quia de iure ſententia non habet vim coerciuam, cum non lata ſit à Iudice habente iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam. *cap. à iudicibus. 2. q. 6.*

28 Eccleſia exempta poteſt facere compromiſſum in iudicium ſuæ exemptionis?
Reſp. Non, quia non poteſt renuntiare priuilegijs ſuæ libertatis. *c. cum tempore, de arbitris.*

29 Qui non poſſunt compromittere?
Reſp. Omnes, qui non poſſunt alienare, ſicut prælatus, tutor, Clericus, minor, mulier non vxorata, & ſimiles. *Abb. in c. cum tempore de arbitris. num. 3.*

30 Super re ſpirituali poteſt ne cōpromitti in laicū?
Reſp. Non, cum laicus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſit incapax. *Abb. c. contingit. num. 1. eod. tit.*

31 Laicus poteſt eſſe aſſeſſor iudicis ſpiritualis?
℞. poterit, etiā ſi iudex ſit Clericus, & ſit arbiter, vel arbitrator. *Abb. in c. contingit de arbitris. num. 3.*

32 Super matrimonio poteſt fieri compromiſſum?
Reſp. poteſt, tam ſuper matrimonio carnali, quàm ſpirituali. *Abb. c. ex parte de arbitris. num. 1.*

33 Quando appellatur à ſententia arbitri, ad quem appellatur?
℞. Ad Iudicem ordinarium illius perſonę, contra quam appellatur. *Abb. in c. cum dilectus, eod. tit. n. 20.*

34 Quis debet mādare executioni ſententiā arbitri?
Reſp. Iudex ordinarius illius perſonæ, contra quam lata fuit ſententia. *Abb. c. cum dilectus. eod. tit. nu. 20.*

35 poſſunt ne partes eligere arbitrum, & dare illi facultatem, vt cauſam definiat, vel eligat alios Iudices, qui eam terminent?
℞. poſſunt, & eſt validum compromiſſum; quia tūc non compromittitur in certam perſonam, ſed datur

facultas tali perſonæ, vt ipſa eligat arbitros iudices, ſicut poteſt quis dare ſpeciale mandatum ſuo procuratori, vt eligat arbitros, & compromittat, cap. cũ à nobis de arbitris, & non eſt contrarium *c. innotuit. eod. tit. Abb. in c. cum à nobis. eod. tit.*

36 Super matrimonio poteſt fieri compromiſſum?
Reſp. Poterit fieri tam ſuper matrimonio carnali, quàm ſpirituali. *Abb. in c. ex parte de arbitris. num. 1.*

37 Ad compromittendum ſufficit ne mandatum generale?
Reſp. Non, ſed neceſſariò debet eſſe ſpeciale, cum pendeat ex aliena voluntate partium. cap. per tuas de arbitris.

38 Iudex arbiter poteſt eſſe teſtis coram ſe?
Reſp. Poteſt propter inopiam probationis ſolum, ſed non quando ſunt alij teſtes. *Abb. c. non ſine multa eod. tit. num. 1. gloſ. in c. niſi, de præbend.*

39 Coram arbitro electo à partibus poteſt fieri reconuentio?
Reſp. Non; quia non habet iuriſdictionem vltra comprehenſa in compromiſſo, *capit. cum dilectus, de arbitris.*

40 Coram arbitro iuris poteſt fieri conuentio?
Reſp. Poteſt, quia ille habet iuriſdictionem à Iure, & non à partibus. *Abb. c. cum dilectus eod. tit. num. 10.*

41 Si Iudex ordinarius ſit arbiter, & ſocius eius moriatur ante ſententiam, poterit ne, vt ordinarius ex actis factis ante eum cauſam iudicare, vt ordinarius?
Reſp. Diuerſæ ſunt opiniones. *Abb. in c. ex parte. n. 4. de arbit.* tenet partem affirmatiuam, & allegat pro ſe, *l. 1. C. de arbitris, & c. præſentata de teſt. ib.* ſed Butrius contrarium tenet, cum finita ſit iuriſdictio arbitri, & arbitrium diſtinctum ſit à iuriſdictione ordinaria, & ſic acta non valent.

42 Poteſt ne fieri reconuentio coram arbitro electo à partibus?
Reſp. Non, quia non habet iuriſdictionem, vltra comprehenſa in compromiſſo. *capit. cum dilectus, de arbitris.*

43 Compromiſſum de puris, & liquidis poteſt fieri in iudicem arbitrum?
Reſp. Non, ſed in arbitratorem, & amicabilem cõpoſitorem. *Abb. in c. expoſita, de arbit. num. 3.*

44 Si poſt datam ſententiam arbitrorum oriatur aliqua lis ſuper tali ſententia, vel aliquo articulo eius, arbiter poterit ne iudicare de hoc?
Reſp. Non; quia arbiter non debet arbitrari de alio, niſi de eo, de quo compromiſſum eſt cap. expoſita de arbitris.

45 Compromiſſum factum inter duos iudices (cum poteſtate, vt in diſcordia ipſi eligant tertium) valebit ne?
Reſp. Non, quia compromiſſum debet eſſe de certa perſona, & in hoc caſu de incerta: imò ſi illi duo iudices concordent, ſententia erit valida, ſi diſcordent, & ipſi eligant tertium, talis ſententia lata à tertio erit inualida, cum fuerit electa perſona incerta in iudicem, contra naturam compromiſſi; ſi verò partes dicant, ſi iſti duo iudices diſcordauerint, eligimus Petrum in tertium iudicem compromiſſarium, tunc ſententia erit valida. *c. innotuit. de arbitris. Abb. d. cap. n. 1. l. non diſtingu mus, §. quæſitum. ff. eod. l. ſi quis arbitratu, ff. de verb. oblig.*

46 Quomodo tollitur compromiſſum primum?
Reſp. Per ſecundum factum ab eiſdem partibus: vel per voluntatem ambarum partium, quia ſicut ipſi partes dant iuriſdictionem compromiſſariã, poſſunt eam tollere. *Abb. c. innotuit, de arbitris, n. 6.*

CAPVT XXV.

De alienatione iudicij mutandi cauſa facta.

1 QVibus modis fit alienatio iudicij?
Reſp. Duobus. Primo, reſignando ſimpliciter beneficium. Secundo, permutando illud. *Abb. c. 1. de alien. iud. num. 1.*

2 Quam pœnam incurrit, qui alienat rem, de qua litigatur, iudicij mutandi cauſa?
Reſp. Soluit damnum illatum ex alienatione, & ſubſequutum poſt alienationem. *l. 1. 2. & 3. ff. eod. tit.*

3 Quando facit quis fraudem alienando rem, contra quem eſt procedendum?
Reſp. Eodem reſcripto proceditur contra alienantem, & contra illum, qui poſſidet rem alienatam. *c. 1. de alienat. iud.*

4 Clericus poteſt recipere ceſſionem, vel renuntiationem à laicis cauſa mutandi iudicium?
Reſp. Non, quia eſt fraus manifeſta; imò Clericus id faciens punitur. *c. 2. eod. tit.*

5 Quando præſumitur doloſa ceſſio facta in Clericum?
Reſp. Primò, quando pretium ſit parui momenti pro re magna. Secundò, quando in ceſſione non exprimitur titulus, vel contractus. Tertiò, quando in inſtrumento non dicitur cauſa ceſſionis. Quartò, ſi res fuit pro parte vẽditã, & pro parte donata. Quintò, quando in ſcriptura emptor confitetur ſe recepiſſe pretium, & non apparet de receptione ex fide Notarij. *Abb. cap. 2. de alienatione iudicij mutandi cauſa facta. num. 7.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER

LIBER OCTAVVS CONTINENS OMNES MATERIAS LIBRI SECVNDI DECRETALIVM.

De quibus hactenus non eſt Tractatum.

CAPVT PRIMVM.

De Iudicijs,& iuriſdictione.

1 QVid eſt iuriſdictio?
Reſp. Poteſtas de publico introducta in bonum Reip. & publicam vtilitatem. *leg. priuatorum. Cod. de iuriſd. omn.iud. gloſ.in l. 1 ff.de iuriſdict.ind.*

2 Qui poſſunt dare hanc iuriſdictionem?
Reſp. Quatuor. Primò lex, vel canon. Secundò Papa, vel Imperator. Tertiò conſuetudo. Quarto Vniuerſitas approbata, vt mercatores. *c.tum ab Eccleſiarum, de offic. Ordin.*

3 Homines priuati poſſunt conferre hanc iuriſdictionem?
Reſp. Non, ſed poſſunt eligere iudices arbitros in ſuis litibus, & ſuper re priuata illis dare iuriſdictionem, *l.priuatorum, C.de iuriſdictione omn. iudic.*

4 Quotuplex eſt iuriſdictio, & quomodo diuiditur?
Reſp. In merum, & mixtum imperium,& ſimplicem iuriſdictionem, *Ioan. Gillot in tract. iuriſdictione, & imperio, cap.2. num.1.*

5 Quid eſt merum imperium?
Reſp. Habere gladij poteſtatem ad puniendum facinoroſos,& dicitur merum,quia ſeparatur à cognitione pecuniaria, eo quod inde nullum ſequitur cōmodum pecuniarium. *l. imperium, ff. de iuriſdict. omnium ind.*

6 Quod eſt mixtum imperium?
Reſp. Poteſtas media, quia habet aliquid de mero imperio,& de iuriſdictione ordinaria,& habet commodum pecuniarium,& pertinet ad ipſum bonorum poſſeſſio. *l.3.ff.de iuriſd.omn.iud.in gloſ.& in text.*

7 Simplex iuriſdictio ordinaria qualis eſt?
Reſp. Ea, quam habent iudices inferiores. *c.ſi diligenti,de for.comp.c.cæterum,de iudicijs, & Abb.ibi nu. 2.& in c.in ſingulis,de ſtatu monac.num.3.*

8 Laicus poteſt eſſe aſſeſſor iudicis ſpiritualis.
Reſp. Poteſt, etiam ſi iudex Eccleſiaſticus ſit arbiter, vel arbitrator. *Abb. in cap.contingit, de arbitris, num. 3.*

9 Quid eſt Iudicium?
Reſp. Actus legitimus trium perſonarum fictè, vel propriè: videlicet Iudicis, actoris, & rei in iudicio contendentium. *cap.1.de iudicijs, & Abbas ibi.in rub. num. 1.*

10 Inquiſitio eſt iudicium ordinarium, vel extraordinarium?
Reſp. Quia introductum eſt à iure, poterit eſſe ordinarium: & quia non apparet actor,poterit eſſe extraordinarium. *Abb.vbi ſup. num.3.*

11 Iudicium quibus modis finitur?
Reſp. Quatuor. Primo, tempore, videlicet, quia cauſæ criminales biennio finiri debent. *leg. properandum. Cod. de iudicijs.* Secundò, ſententia Iudicis, cum qua finitur iudicium. *leg. iudicium. ff. de iudicijs.* Tertiò, prohibitione, vt cum à Principe prohibetur, ne de tali cauſa cognoſcatur. Quarto, ſtatus mutatione. *leg.Iudicium.ff.de Iudicijs.*

12 Hoc nomen Iudicium quid ſignificat?
Reſp. In iure habet plures ſignificationes. Primò, idem eſt, quod caſus fortuitus. Secundò, ſumitur pro diſcretione, vt quando dicitur,in iſto puero non eſt iudicium. Tertiò,pro actione,vt cum dicitur iudicium familiæ erciſcundæ. *l. cum prætor. ff. de iudicijs.* Quartò pro vltima voluntate teſtatoris. *inſtit. quibus mod. eſt permiſſum facere.tex.* §.1. Quintò pro examinatione, vel deliberatione. Sexto pro auctoritate alicuius perſonæ, vt cum dicitur, talis eſt magni iudicij. *diſt.62.c.1.* Septimò, pro pœna, & dicitur Titium ſubijſſe tale iudicium, *cap. & purgabit diſtinct.50.* Octauo,pro ordinatione cauſæ diſcutiendæ in iure,coram iudice,vel pro iudicio,& ſententia Iudicis. *l.1.ff.de re iudicata.l.properandum.§.1.C.de Iudicijs.*

13 Ante litis conteſtationem dicitur ne iudicium?
Reſp. Non, quia deficit pars delinquentis, vel rei, quæ eſt neceſſaria. *c.1.de iudic.& Abb.ibi n.2.in rub.*

14 Quotuplex eſt iudicium?
Reſp. Triplex. Primò,ad petitionē partis. Secundò, per inquiſitionem. Tertio, per denuntiationem.

15 Quod eſt iudicium ad petitionē partium, & quid poteſt iudex facere?
Reſp. Quando aliquis ciuiliter,vel criminaliter corā Iudice intentat aliquam actionem contra aliquem, & in hoc caſu nullæ ſunt vires iudicis, quia debet iuſtitiam ad vnguem ſeruare, etiam diabolo litiganti. *Abbas in capit. cum contingat, numer. 29. de*

foro competenti, inſtitutio. de offic. Iudicis in principio.

15 Quod eſt indicium per denuntiationem?
Reſp. Quando fiſcus, vel alius coram iudice crimen alicui denuntiat, vt de concubinatu, & tunc mitius poteſt Iudex ſe habere. *Hoſtienſ. de accuſat. de denunt. in rubr. num. 1.*

16 Admonitio Euangelica debet ne præcedere denuntiationem?
Reſp. Debet, vt habetur in c. nouit. de iudicijs; ratio eſt, quia ſi quis ſe emẽdat per ſolam admonitionem, fruſtra fit denuntiatio; & Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.

17 Quod eſt iudicium per inquiſitionem?
Reſp. Quando Iudex ex officio, vel eius iuſſu fiſcus inquirit vitam alicuius. *Hoſtienſ. in rubric. de inquiſit. num. 2.*

18 Fiſcus poteſt ne denuntiare aliquem contra voluntatem partis læſæ?
Reſp. Poteſt; quia in quolibet delicto ſunt duę partes. Prima, perſona lęſa. Secunda, fiſcus regius læſus, qui ob publicam vtilitatem, ne delicta impunita maneant, & tenetur petere punitionem, vt alij arceantur à delictis. *leg. qui ſeruum, §. at is. ff. de interrogat. actionibus, & gloſſ. in leg. ſub prætextu. C. de tranſact.*

19 Quod eſt iudicium contradictorium?
Reſp. Quando partes inter ſe corã Iudice differunt, vt ſi vnus dicat, domus eſt mea, & alter dicat, non eſt tua, ſed mea, *cap. Abbate. gloſ. ſi. de verb. ſign. in Verbo, contradicto.*

20 Quod eſt iudicium capitale?
Reſp. Cum quis reus morte naturali, vel exilio mulctatur, & de ciuitate eijcitur. *Inſtitut. de publ. iud. in princ.*

21 Quod eſt iudicium publicum?
Reſp. Dicitur de publicis cauſis, & ſolet dici, quaſi populicum, quia propter eius grauitatem cuilibet de populo commiſſa eſt exequutio, vt crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, vel humanæ, in quo propter grauitatem delicti omnes ſunt legitimi accuſatores, vel denuntiatores. *Inſtit. vt ſup. §. 1.*

22 Quod eſt iudicium priuatum?
Reſp. Quod ciuiliter tractatur, vel intentatur, & in quo ius priuatim duorum, vel trium litigantium cognoſcitur. *l. priuatorum. C. de iuriſdict. omnium iudicũ, §. huius ſtudij, inſt. de iuſt. & iure.*

23 Iudicium priuatum quomodo diuiditur?
Reſp. Ratione materiæ, formæ, & quantitatis, ratione materiæ, quia eſt aut temporale, aut ſpirituale, ciuile, vel criminale, ratione formæ, quia, aut eſt iudicium ordinarium, vbi ſeruatur ordo iuris, vel extraordinarium, vbi proceditur ex corrupto, non ſeruato ordine iuris, ratione quantitatis videlicet vniuerſale, & generale. *Specul. lib. 2. p. 1. de actione, ſeu petitione, nu. 45. Niconit. in c. quoniam in reper. de probat. num. 155. allegans multa iura.*

24 Quis dicitur Iudex in communi?
Reſp. Ille, qui dicit ius populo, ſiue ille, qui in iure diſceptat, & iuſtè iudicat. *cap. forus. §. in omni quoque, de verb. ſign.*

25 Quas qualitates debet habere Iudex bonos?
Reſp. Debet eſſe ſapiens, prudens, grauis, & bonus, qui iuſtitiam pecunia non vendat, & abſq; amore, vel timore ſine vllo reſpectu iuſtitiam adminiſtret.

26 Quotuplex eſt Iudex?
℞. Alius ordinarius, qui habet iuriſdictionẽ à iure, vt Epiſcopus, & prætor, alius delegatus, qui habet iuriſdictionem ab alio ſibi ſpecialiter commiſſam.

27 Sententia lata à Iudice in competente, ſi partes conſentiant, valet ne?
Reſp. Non, quia partes non poſſunt validare, quod de ſe inualidatum eſt, poſſunt tamen ipſi obſeruare, quod Iudex determinauit tamquam iuſtum. *Abb. in c. cum veniſſent, de iud. num. 12.*

28 Quis eſt Iudex competens?
Reſp. Ille, qui habet iuriſdictionem cum exercitio. *gloſ. in clem. cum lite. tit. vt lite pendente.*

29 Quis eſt Iudex incompetens?
Reſp. Ille, qui non habet iuriſdictionem, ordinariã, neque delegatam, vel ille, coram quo compellitur aliquis litigare, vel ille, qui ratione alicuius defectus, non eſt capax iuriſdictionis. *d. clem.*

30 Iudex debet auferre appellationes, & defenſiones partibus?
Reſp. Non, etiam diabolo, ſi litigaret, nec debet facere alias vexationes partibus appellantibus, quia appellatio eſt de iure naturali, & propter defenſio. rei, cui de iure faciendum eſt. *Abb. in cap. cum contingat, num. 29. de foro compet.*

31 Iudex poterit condemnare aliquem in expenſis abſque ſententia?
Reſp. Non. *Abb. capit. finem de dolo, & contumacia. num. 34.*

32 Iudex poteſt in ſententia reſeruare partibus, facultatem petendi expenſas.
Reſp. Poteſt, ſicut poteſt ſeruare alia iura partibus. *Abb. c. 1. de ſequeſtr. poſſeſſion. num. 24.*

33 Taxationes expenſarum apud quem debent fieri?
Reſp. Apud Iudicem, qui in expenſis condemnauit.

34 Quomodo taxantur expenſæ proceſſales, & perſonales?
Reſp. Proceſſales, taxando moderatè rationes Aduocati, Procuratoris, & Notarij, perſonales faciendo computum de expenſis, quas deberet expendere domui ſuæ, nam quando eſt in ciuitate ſua, non dantur expenſæ perſonales, niſi ſit aliquis officialis, qui relinquit ſuum officium occupando ſe in lite.

35 Quis debet moderare expenſas, & quo ordine?
Reſp. Iudex, qui fecit condemnationem, & taxatio fit dato memoriali iurato a parte, qui fecit expẽſas, & audito reo tradendo illi copiam, poſtea iudex debet moderare expenſas in fauorem rei, qui debet ſoluere. *Abb. vbi ſup. nu. 26. c. 1. de ſequeſtratione poſſeſſionis, & fructuum.*

36 Si ſententia condemnet generaliter in expenſis, intelligitur ne de expenſis perſonalibus, & proceſſalibus?
Reſp. Non, ſed de proceſſalibus tantum, quia cum condemnatio ſit quid odioſum, extendi non debet ad perſonales expenſas, in quibus iudex rarò condemnat, niſi in cauſa iniuſtiſſima. *Abb. c. 1. de ſequeſtrat. poſſeſ. & fruct.*

37 Vicarius Epiſcopi, quam iuriſdictionem habet, ordinariam, vel delegatam?
Reſp. Ordinariam à iure. *Abb. in c. quoniam, de offic. iud. delegat. num. 11.*

38 Iudex poteſt ſententiare per articulos vnum hodie, & mane alterum?
℞. Poteſt, & in eadem ſentẽtia poteſt ſentẽtiare pro

reo

reo vnum articulum, & alium pro actore. *Abb.c.1. de ſequeſtr.poſſeſ.& fructuum,nu. 5.*

39 Vicarius Epiſcopi debet eſſe clericus neceſſario?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb.in c.quoniam de offic.iud.ord. nu.3.Bull. Clem. VIII.qua expreſſe dicit, quod minus ſit de Epiſtola.*

40 Qui ſunt iudices pedanei, & vnde dicuntur?
Reſp. Illi, qui ſolum cognoſcunt de minimis, & vilibus cauſis, & dicuntur a pede, quæ eſt extrama pars corporis. *l.2.C.de pedaneis iudicibus.*

41 Iudex poteſt accipere expenſas pro ſuo labore,ſicut aduocatus?
Reſp. Poteſt expenſas moderatas petere, & recipere. *c.cum ob omni. de vita, & honeſt.cler.c.non ſane.15. q.5.ſolent.ff.de offic. proconſul.*

42 Prælatus eſt ne Iudex ordinarius?
Reſp. Affirmatiuè,quia eſt de iure communi Iudex, & propter prohibitionem iudicum ſecularo non debet relinquere ſuam iuriſdictionem. *c. decernimus de iud. & ibi gloſ.*

43 Cum vertitur quæſtio feudi inter vaſſallos,coram quo iudice tractari debet talis cauſa?
Reſp. Coram Domino feudi, ſi cauſa ſit de feudo, licet Vaſſalli ſint alterius iuriſdictionis, *c. verum, de foro compet.Abb.ibi nu.1.*

44 Si Rector alicuius collegij, vel mercatorium habet iuriſdictio ſupra ſuos collegas, aufert ne iuriſdictionem ordinariam ſuper eiſdem cauſis?
Reſp. Non,niſi per nullam Apoſtolicam ſit iuriſdictio priuatiua. *gloſſ. in c. cum ab Eccleſiarum.de offic. ordinar.Abb.in cap. caterum. eod.tit.n.7.l. per iniquum. C. de iuriſdictione omnium Iudicum.*

45 Iudex Eccleſiaſticus poteſt præſtare auxilium iudici ſæculari?
Reſp. Affirmatiuè,in licitis,& honeſtis,quæ non sũt in damnum Eccleſiæ,neq. contra ius,& etiam,vt vna iuriſdictio adiuuet aliam. *Abb.c.at ſi clerici, de iudic. num.12.*

46 Princeps non recognoſcens ſuperiorem poteſt eſſe iudex in cauſa propria?
Reſp. Poteſt, quia, lex plurimum confidit de rectitudine Regum,& Principum,& exiſtimat eos contra ſe ipſos facere iuſtitiam. *Abb.in c.nouit, de iud.num.6.*

47 Reges, & Imperatores in quibus ſubijciuntur Eccleſiaſticis?
Reſp. In ſpiritualibus, vt in ſumendis Sacramentis ſubijciuntur Parochis, ſicut alij Chriſtiani, cum præcipua gloria Regum ſit fides Chriſti, qui dicit, per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, *Prou.8.nu.15. Abb. in c.nouit. de iud.nu.8.*

48 Duces, & Magni Magiſtri militum quam iuriſdictionem habent?
Reſp. Iuriſdictionem ſibi a Rege delegatam,& poſſunt cognoſcere inter duos milites, vel contra militem accuſatum a ciue ſummariè, & de plano. *l.magiſteria, C. de iuriſd.omn.iud.*

49 Cauſa Eccleſiaſtica poteſt committi à Prælato iudici laico?
Reſp. Non, neque eam debet committere, niſi clericis, & iudicibus ſynodalibus. *Abb.c.de cernimus,de iud.num.7.*

50 Quando quis habet iuriſdictionem extra ordinariam conceſſam in ſuo fauore, & illa vti non vult, ad quem deuoluitur?
Reſp. Ad ordinarium. *c.caterũ.eod.tit.& ibi Abb.n.5.*

51 In notorijs poterit Iudex iudicare?
Reſp. Poterit, abſq. alia probatione, licet titius ſit proceſſum formare, præcipuè in re graui. *Abb.c.dilecti.eod.tit.n.3.& l.1.C.qui, & aduerſus quos,& ibi gl.*

52 Iudex poteſt cognoſcere de re, quæ ſibi conſtat vt homini priuato, & non vt iudici?
Reſp. Non,ſed debet illi conſtare, per teſtes,& proceſſum. *Abb.c.dilecti.de iudic.num.3.& l.1.C. qui, & aduerſus quo in integrum.*

53 Quando poteſt iudex ſæcularis punire clericum?
Reſp. Poſtquam eſt degradatus, & traditus curiæ ſeculari. *Abb.c.cum non ab homine,eod.tit.nu.9.*

54 Quando põt Iudex Eccleſiaſticus punire laicos?
Reſp. In pluribus, quæ priuatiue ſunt iuriſdictionis Eccleſiaſticę, vt quando ſunt ſacrilegi, concubinarij, in decimis, in matrimonio,& in alijs mixti fori contra periurium, & publicum peccatorem. *c.nouit.ille, eodem titulo.*

55 Adminiſtrator alicuius rei poteſt agere in iudicio?
Reſp. Poteſt,ſuper iuribus alicuius adminiſtrationis. *Abb.in c.cum deputati.eod.nu.1.*

56 Quæ differentia eſt inter iudicium iudicis ordinarij, & arbitrij?
Reſp. Primo, differunt in eo, quod iudicium ordinarij eſt de ciuili, & criminali, iudicium arbitrorum ſolum de ciuili, Secundo, iudicium ordinarij eſt neceſſarium,ſed arbitri voluntarium. *Goffred.de iud.& Cardinalis.eod.tit.*

57 Quid ſolet peruertere, & turbare iudicium, & iudices?
Reſp. Primò, fauor, Secundò, odium. Tertio præmium, ſeu pecunia, Quarto timor. *vt habetur in cap. quatuor modis.11.q.3.*

58 Qui non poſſunt eſſe iudices?
Reſp. De iure, mulier, infamis, ſeruus, qui nõ ſunt ſui iuris mentecaptus, furioſus,ebrius,infans, deportatus, & omnes, qui ſub poteſtate alterius ſunt, & omnes illi, quia iure priuati ſunt omnibus honoribus, quia ſeruus de iure ciuili habetur pro mortuo. *l. Caſius.ff.de ſenatoribus.Abb.in c.cum dilecti.num.17.de confirmat.vtili, vel inutili.l.cum lege.ff.de arbitris.*

60 Iudex Eccleſiaſticus poterit accipere ſalarium, & pretio locare ſuam perſonam?
Reſp. Licet ſit iudex Eccleſiaſticus, ſiue ſecularis licitè poterit recipere ſalarium, & pecunias, ſeu iura, & emolumenta prouenientia ex officio ſecundum taxas poſitas a ſuperiore,& poterit locare pretio ſua perſona, ratio eſt, quia labor iudicis pretio eſt æſtimabilis, ſicut labor aduocati, & mercenarij, qui fodit vineam, *tenet Abb. in c.1.ne Prelati vices ſuas numero 4.*

61 Si duo litigant, vnus pauper,& alter diues licebit nè iudici miſeratione pauperis commoto tollere iuſtitiam diuiti, & dare illam pauperi?
Reſp. Non, quia Spiritus Sanctus dicit, in iudicio pauperis non miſereberis, quaſi dicat, quod pauper, & diues æqualiter ſunt iudicãdi. *Abb.c.cum contingat. de foro comp.nu.29.*

62 Iudex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio, ſit controuerſia in aliquo negotio de foro competenti inter ipſum, & iudicem ſæculare,vel inter duo iudices Eccleſiaſticos?
Reſp. Poteſt ſuper articulo iſto pronuntiare actum interlocutorium, declarando ſe eſſe iudicem, vel remit-

mittendo negotium iudici competenti, & de tali actu interlocutorio legitime poteſt appellari à partibus, ratio eſt, quia eſt damnum irreparabile per diffinitiuam ſententiam. *tenet Abb. in c. ex parte, de reſcript. il 3. nu. 3. & 6.*

63 Res inter alios acta quid operatur?
Reſp. Non præjudicat, etiam inter habentes conſimilem cauſam, ſed exemplo adiuuat. *Abb. in c. cauſamque, il 2. eod. tit. nu. 3.*

64 In reſcripto clauſula, quod procedat ſimpliciter, & pure, tollit ne ordinem iudicialem?
Reſp. Non, ſed ſeruanda eſt, vt partes reſtent ſatisfactę, *Abb. in c. dilecti filij. eod. tit. nu. 4.*

65 Papa poteſt concedere Principi ſæculari, vt iudicet cauſam clericorum?
Reſp. Poteſt, eſt magna cauſa, quia Papa poteſt facere omnia, quę ipſe Deus, claue non errante, *Abb. c. propoſuit, de conceſſione præbendæ. nu. 14.*

CAPVT II.

De foro competenti.

1 QVid eſt forum competentes?
Reſp. Quod quiſque habet ſecundum ſuum ſtatum, ſiue ſit clericus, ſiue laicus, in quo pro eius commoditate neceſſario debet conueniri ab actore. *Abb. in rubr. de foro competenti nu. 1.*

2 Quid eſt ptiuilegium fori?
Reſp. Quod habent clerici, vel Monachi, vel alij Eccleſiaſtici, vt neceſſario debeant conuenire coram ſuo iudice Eccleſiaſtico. *Abb. in d. rubr. cap. 1. num. 1.*

3 Ad quid datum eſt hoc priuilegium Eccleſiaſticis perſonis?
Reſp. Ne inhoneſte clerici ante iudices ſæculares tradantur, & vt melius, & decentius coram Eccleſiaſtico eorum finiantur, & quia habent priuilegium militiæ cæleſtis.

4 Quibus modis quis ſortitur forum?
Reſp. Multis. Primò, ratione delicti. Secundo, ratione contractus, vel deſtinatæ ſolutionis. Tertio, ratione domicilij. Quarto, ratione rei ſitę, in loco, vbi ſita eſt. Quinto, ratione iuriſdictionis ſupremę Summi Pontificis, quia quilibet poteſt conuenire coram Pontifice, cum Papa ſit vniuerſalis Iudex omnium clericorum. *Abb. c. licet, il 2. de foro compet. nu. 2.*

5 Forum ſumitur ratione perſonæ, vel ratione rei?
℞. Ratione rei, de qua agitur videlicet ſi ager, ſuper quo eſt cõtrouerſia, eſt in vno territorio, & poſſidẽs in alio, debet negotium ventilari in iuriſdictione, vbi ager ſitus eſt. *c. ſane. eod. tit.*

6 In criminalibus quomodo quis ſortitur forum?
Reſp. Ratione delicti, vbi enim quis commiſit delictum, ibi debet puniri. *Abb. in c. ſane eodem. tit. nu. 5. c. delecti, & fin. eod. tit.*

7 Actor quod forum ſequi debet?
Reſp. Forum rei, quia ius fauet reo. *c. cum ſit generale, & c. ſi clericus. eod. tit.*

8 Cum quis habet duo fora, vbi conueniri poſſit, cui datur electio fori?
Reſp. Actori. *l. iuris ordinem, C. de iuriſdictione omniũ iudicium. c. cum ſit generale. de foro comp.*

9 Si quis legitime citatus fuit, coram vno iudice, & poſt citationem mutauit forum, quia aduenit ei aliquod beneficium in alia diœceſi, vbi tenetur cauſam proſequi?
Reſp. In foro, vbi prius fuit citatus, quia ibi lis legitimè incæpta fuit, & ibi finiri debet. *c. propoſuiſti. eod tit.*

10 Si quis habet dignitatem, & contrahit, & poſtea relinquit dignitatem, vbi debet conueniri?
Reſp. In loco dignitatis, quia in illo loco habuit duo vincula ſcilicet domicilium, & dignitatem tempore contractus. *L. iuris ordinem. C. de iuriſdict. omn. iud.*

11 In criminalibus, quotuplex eſt forum, quod ſequi poteſt contrarium?
Reſp. Duplex. Primò, vbi crimen eſt inceptum. Secundò, vbi reus habet ſuum domicilium. *l. quæſtiones. C. vbi de criminibus agi oportet.*

12 Si quis in aliquo loco mandauit fieri aliquod vulnus, vel aliquem interfici, vbi debet puniri, in foro, vbi mors, vel delictum commiſſum fuit, an in loco, vbi dedit tale mandatum.
Reſp. In loco, vbi delictum commiſſum fuit. *Barboſa in l. ſi vt ponitur. ff. de fideiuſſoribus. Abb. in c. licet, 2. nu. 7. eod. tit. de foro comp.*

13 Quando aliquis poteſt conueniri in duobus locis, quis debet eligere locum conuentionis, actor, vel reus?
Reſp. Actor. *Abb. in c. dilecti fili. nu. 9. eod. tit.*

14 Clericus habens plura beneficia in pluribus locis habet nè plura domicilia?
Reſp. Si talia beneficia ſint curata, & per ſe ipſum illis ſeruiat habet tot domicilia, quot ſunt beneficia, ſi verò ſint ſimplicia, habet ſolum domicilium, vbi habet titulum. *c. non poteſt. de præbend. in 6. l. aſſumptio. §. iuris prudentibus. ff. ad municipalem, C. de ſepult. in 6.*

15 Si clericus committat crimen in diœceſi aliena, quis debet de eo cognoſcere proprius Epiſcopus, vel Epiſcopus in cuius diœceſi commiſit crimen?
Reſp. Epiſcopus, in cuius diœceſi commiſit crimen, licet per *Conc. Trid. c. 8. ſeſſ. 14. de reform.* Epiſcopus proprius admonendus ſit, ante ſententiam. *cap. cum contingat, de foro comp.*

16 Si clericus habens beneficium committa delictũ in alieno territorio, vbi debet puniri?
Reſp. De delicto, in territorio, vbi deliquit, priuatio verò beneficij mandanda eſt exequutioni ab Epiſcopo, vbi ſitum eſt beneficium. *tex. in c. poſtulaſti de foro comp.*

17 Poſſunt eſſe duo ordinarij in vna diœceſi?
Reſp. Non, quia quilibet Epiſcopus eſt ordinarius ſolus in ſua diœceſi. *c. cum contingat. eod tit.*

18 Si Epiſcopus recuſetur, Archiepiſcopus poteſt cognoſcere de illa cauſa?
Reſp. Non, ſed Epiſcopus de conſenſu partium debet dare alium iudicem, qui negotium ſententiet vel remittat cauſam ſuperiori, *c. cum ſpeciali, de appell. & Abb. c. ſi quis. de foro comp. nu. 7.*

19 Epiſcopus, vel Vicarius recuſatus poterunt nè mandare exequutioni ſententiam delegati?
Reſp. Poterunt, quia in exequutione ſententiæ non datur recuſatio. *Abb. vbi ſup. nu. 1. 10. & 11.*

20 Quis debet cognoſcere an negotium pertineat ad Eccleſiaſticum?

℞. Ipſe

Reſp. Ipſe Iudex Eccleſiaſticus, ſed ſi inuenerit rem non eſſe ſuoi fori, remittet negotium ad ſecularem condemnando actorem in expenſis. *Abb.c.cum ſit generale.nu.14.eod.tit.*

21 Si aliqui ſecularis commiſit delictum contra aliũ ſecularem in Eccleſia, poterit Iudex Eccleſiaſticus punire tale delictum?
Reſp. Non, ſed ſolum Iudex ſecularis, & Eccleſia poterit punire ſacrilegium, ſed non furtum factum alicui laico. *Abb.in c.cum ſit generale.nu.27.eod.tit.*

22 Archiepiſcopus habet iuriſdictionem in diœceſi ſuorum ſuffraganeorum?
Reſp. Non, neque in res, neque in perſonas, niſi in ſecunda inſtantia, cum legitimè ad illum appellatum fuerit. *Abb.c.ſanè nu.6.de foro comp.*

23 Clericus in quo caſu poteſt contra laicum petere iuſtitiam in foro Eccleſiaſtico?
Reſp. Deficiente, vel negligente iuſtitia ſeculari, licèt hoc nunquam his temporibus contingat. *c.licet, il 1.eod.tit.de foro comp.*

24 Cognitio cauſæ, per quas dietas poteſt trahi extra Prouinciam, & à quo loco enumerantur dietæ?
Reſp. Per vnam dietam, quæ enumeratur ab vltimo loco diœceſis. *c.ex parte, de foro comp.& ibi.Abb.n.10.*

25 Si ſit conſuetudo in aliquo loco, vt laicus conueniatur cum laico coram Iudice Eccleſiaſtico, quid agendum.
Reſp. In illo loco talis conſuetudo eſt ſeruãda. *Abb. in c. licet, il 2.eod.tit.nu.23.*

26 Exequutio teſtamenti ad quem pertinet.
Reſp. Quoad legata, & opera pia ad Eccleſiaſticum, & etiam inter pauperes; at vero quoad reliqua, ad ſecularem. *Abb.in c.ex tenore eod.tit.nu.7.*

27 Abbas in quo caſu habet maiorem iuriſdictionẽ, quàm Epiſcopum in ſuos monachos?
Reſp. In expectantibus ad regulæ obſeruãtiam præfertur Epiſcopo. *Abb.c.cum contingat.eod. tit.n.21.*

28 Pater, dominum, & maritus quam iuriſdictionem habent in ſeruos, famulos, & filios, & vxores?
Reſp. Poſſunt caſtigare leuitur, & in cubiculo, quaſi in cacere detrudere, & fuſtigare, ſed non poſſunt in eos ſæuire, neq; pęna legali, quaſi iudicialiter eos punire *l. perſpiciendum.ff. de pœnis. gl.in c.ſicut alterius.7. q.1.l.vnica.C.de emendat. ſer.inſt. de ijs, qui ſunt ſui vel alie.iur.*

29 Si Abbas, vel ſuperior ſit negligens in punitione Monachorum, qui extra clauſtra notoriè delinquerint, quid debet facere Epiſcopus?
Reſp. In iſto caſu præmiſſa monitione, ſi Abbas in puniendo munus ſuum non fecerit, poteſt ipſe Epiſcopus punire talem Monachum ſiue Abbate, per facultatem ſibi traditam *à Trid.ſyn. ſeſſ.25.c. 14. de regular.*

30 Monachus vbi habet domicilium?
Reſp. Quoad onera in monaſterio, vbi habitat, & ibi debet neceſſariò conuenire: quoad commoda, & priuilegia in ciuitate, vbi natus eſt. *Abb.in c.poſtulaſti.nu.5.de foro comp.*

31 Quam pœnam incurrit Iudex ſecularis, qui incarcerat clericum, vel cognoſcit de cauſa ipſius, vel eam ſententiat?
Reſp. Excommunicationis; quia qui iniuriam facit Eccleſiæ, iuſtè caret eius communione, quia iuſtè punitur in eo, in quo peccauit. *c.2.eod. tit.c.ſicut antiquitus.17.q.4.*

32 Talis Iudex incurrit excommunicationem ipſo facto, an per ſententiam?
℞. *Gloſſ.vltimo in c.nullus. de foro competenti, tenet, quòd per ſententiam, & allegat.c. quaſi 30.diſt.ſed Gloſ. in c.quicumq; de hæreticis. lib.6.* verbo innodetur, tenet, quòd ipſo facto eſt excommunicatus, & hęc opinio eſt magis recepta à doctoribus?

33 Qui ſunt de familia Epiſcopi, gaudent nè priuilegio fori Eccleſiaſtici?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb. in c.cum non ab homine. de iud.nu. 2.ſed famuli clericorum non gaudent hoc priuilegio. Abb.in c.nullus.de foro comp.nu.7.*

34 Seruientes Eccleſiæ, ſi non habent ordinem primæ tonſuræ in criminalibus gaudent nè priuilegio fori.
Reſp. Diſtinguendo, ſeruientes, qui cum officijs perpetuò ſunt deputati ſeruitio Eccleſiæ, velut ianitor, aut qui ex officio pulſat campanas, vel qui portant candelas, & ceroferaria, gaudent priuilegio fori, qui verò ſeruiunt temporalibus officij aliquibus in Eccleſijs non gaudent. *c.omnis ætas.12.q.1.cap.per exceptionem de priuilegijs,in 6.& Abb.c.nullus, de foro comp.nu.5.*

35 Eremitæ, coloni Eccleſiarum, rectores hoſpitalium, fratres tertij ordinis Sancti Franciſci, & ædificantes Eccleſias, gaudent nè priuilegio fori?
Reſp. Licèt *Innoc.in c.cum monaſterium, de elect.teneat partem affirmatiuam; tamen Abb.in c. nullus. de foro competenti. nu.*10.contrarium tenet, quia priuilegium datum eſt ijs, qui ſub aliqua regula approbata perpetuò ſe Deo dedicauerit, vel ijs, qui ordines ſuſceperunt, iſti vero ſunt eremitæ ex propria voluntate, & velut locuſtæ, quæ Regem non habent, & ne de facili iuriſdictio imperatoria excludatur, ſubijciuntur iudici ſeculari.

36 Conuerſi religioſorum gaudẽt nè priuilegio fori?
Reſp. Si emittunt profeſſionem, gaudent etiam tempore nouitiatus. *Abb.vbi ſupr.nu.8.*

37 Super re Eccleſiæ, vel clerici coram quo Iudice debet conueniri laicus à clerico?
Reſp. Etiam ſi bona clerici ſint patrimonialia, corã Eccleſiaſtico. *c.ſi clericus.eod.tit. Abb ibi nu.3.*

38 Si laicus neget rem Eccleſiæ, vel clerici, & dicat eſſe ſuam, coram quo Iudice conueniri debet?
Reſp. Facta probatione non eſſe Eccleſiæ, coram iudice ſeculari niſi in iis locis, contraria fuerit conſuetudo, & tunc illa ſeruanda eſt. *c.ſi clericus. de foro cõpetenti.*

39 Cui incumbit onus probandi, quòd aliquis non ſit clericus?
Reſp. Si notorie ſit clericus, vel in habitu clericaſi incedat; obijcienti exceptionem, ſi verò incedat in habitu laicali, vel non ſit cognitus, ad ipſum clericum pertinet probatio. *c.ſi Iudex laicus de ſententia excommunicationis, lib.6.*

40 Miſerabiles perſonæ, coram quo Iudice conuenire debent ſuos reos?
Reſp. Coram Eccleſiaſtico, quia ipſæ ſunt ſub protectione Eccleſiaſtico, *Abb. in c.cæterum.de iudic. nu. 16.& c.cum ſit generale.de foro comp. nu.6.*

41 Qui dicuntur miſerabiles perſonæ?
Reſp. Vidua ſpoliata, & pupillus, ſi ſint pauperes, & à potentioribus oppreſſi. *Abb.in c.licet,il 1.num.7. eod.titulo.*

42 Si quis clericus, vel Monachus ſeruiat alicui iuriſdictio-

dictionem habenti, coram quod eſt conueniendus?
Reſp. Coram ſuo ordinario, & non coram illo, cui ſeruit, niſi forte talis habeat priuilegium cognoſcendi de cauſis ſuæ familiæ. *Abb. in c. cum contingat. de foro comp. nu.* 1.

43 Priuilegiatus quo in loco debet conueniri?
Reſp. In loco ſui priuilegij, ſed ex contractu ab eo facto poterit alio in loco conueniri. *text. in c. dilecti eodem titulo*.

44 Si priuilegium concedatur hominibus alicuius loci, tranſit nè in clericos?
Reſp. Clerici de iure gaudent illo priuilegio, etiam ſi de illis nulla fiat mentio; quia creditur, quòd Princeps cōcedat clericis à fortiori, quod concedit laicis, cum ſint inferioris conditionis, & clerici, cum ſint ſuperioris conditionis, non debent excludi à libertate, & priuilegio communi. *Abb. in c. dilecti. eod tit. nu.* 30.

45 Quotuplicia ſunt crimina?
Reſp. Alia ſunt mera Eccleſiaſtica; alia mera ſęcularia; alia mixti fori. *Abb. c. cum ſit generale eod. tit. nu.* 30.

46 Quæ ſunt mera Eccleſiaſtica?
Reſp. Quę prohibita ſunt, per leges merè Eccleſiaſticas, vel quia ſæculares Iudices de his non cognoſcunt, propter periculum, vt in crimine vſurę, & hæreſis, in quibus laici poſſunt dubitare de ſubſtantia delicti. *Abb. in c. cum ſit generale. nu.* 31. *eod. tit.*

47 Priuilegium, & conſuetudo derogant nè iuri communi criminalibus?
Reſp. Derogant in cognitione criminum. *c. cum contingat. eod. tit.*

48 Si reus ponat exceptionem, coram quo iudice debet litigare?
Reſp. In ſuo foro, vbi negotium principaliter tractatur; ratio eſt, quia exceptio propriè ſequitur negotium principale, & ab eodem iudice eſt determinanda. *Abb. c. ſi quis. de foro competenti. num.* 2. *in additionibus. c. ſi clericus. eod. tit.*

49 Capitulum habet iuriſdictionem in famulis ſibi ſeruientibus?
℞. De iure cōmuni non niſi illam habet virtute alicuius priuilegij, vel cōſuetudinis immemorabilis legitimè præſcriptæ. *Abb. in c. cum contingat eod. tit. nu.* 4.

50 Poteſtas audiendi confeſſiones, & adminiſtrandi Sacramenta poteſt nè preſcribi?
Reſp. Non, quia ſunt iuriſdictiones Epiſcopals pertinentes ad admiuiſtrationem ordinis, & ſic Epiſcopus debet dare licentiā, & ſoluere ligatam poteſtatem, *cap. dudum de priuilegijs, & exceſſibus priuilegiat. Abb. c. cum contingat. de foro comp. num.* 16.

51 Succeſſor tenetur ex contractu facto cum ſuo anteceſſore?
Reſp. In ciuilibus affirmatiuè, & debet reſpondere in loco, vbi ſuus anteceſſor ſe obligauit. *Abb. in c. dilecti filij. de foro comp. nu.* 2.

52 Sacrilegi, & qui offendunt Eccleſiam, in quo foro conuenire debent?
Reſp. In foro ſęculari, vel Eccleſiaſtico, quia eſt crimen mixtum, & hoc relinquitur in electione Eccleſiæ. *c. cum ſit generale. eod. tit.*

53 Poteſtas legitimandi, vel tabelliones procreandi poteſt nè preſcribi?
Reſp. Poteſt, licèt hoc competat ſoli Principi ratione meri, & mixti imperij. *c. per venerabilem, qui filij ſint legitim. ibi Ant. de Butr. & Abb. in c. cum contingat. de foro competent. nu.* 15.

54 Violentia facta Eccleſiæ, vel clerico coram quo iudice debet tractari?
Reſp. Coram Eccleſiaſtico. *Abb. c. cum ſit generale, eodem tit nu.* 13.

55 Crimen ſimoniæ, in quo foro cognoſcitur?
Reſp. Solùm in Eccleſiaſtico; cum res, ſuper quia fuit ſimonia, ſit Eccleſiaſtica. *Abb. vbi ſup. nu.* 20.

56 Quæ ſunt mera ſæcularia crimina, quorum cognitio pertinet ad iudices ſæculares?
Reſp. Crimina per leges Regias, & ſęculares prohibita. *Abb. in c. cum ſit generale, eod. tit. nu. vlt.*

57 Quæ ſunt mixta crimina, cuius cognitio pertinet ad iudicem ſæcularem, & Eccleſiaſticum?
Reſp. Illa, quæ prohibita ſunt per vtrumque Ius, vt periurium, & concubinatus; quæ delicta tàm Iudex Eccleſiaſticus, quàm ſæcularem punit. *Abb. in c. cum ſit generale. eod. tit. num.* 31. *Gloſſ. in regula.* 2. *de regulis iuris. lib.* 6.

58 Vſurpantes bona Eccleſiaſtica, coram quo Iudice puniuntur?
Reſp. Coram Eccleſiaſtico, quia eſt ſacrilegij crimen. *c. conquæſtus. eod. tit.*

59 Poteſt clericus eligere ſibi iudicem laicum?
Reſp. Non, etiam ſi iuret, & conſentiat altera pars, quia ius publicum pacto priuatorum non tollitur; & iuriſdictio Eccleſiaſtica non eſt clerici, ſed Dei, data omnibus clericus. *cap. ſi diligenti. eod. tit.*

60 Quam pœnam incurrit clericus, qui trahit alium clericum coram Iudice ſæculare?
Reſp. In criminali deponitur, in ciuili perdit cauſam. *c. grauamen. de exceſſibus Prælator. Abb. cap. ſi. diligenti. nu.* 6. *eod. tit. de foro comp.*

61 Si quis inuadat patrimonium clerici, quam pœnam incurrit, & coram quo Iudice debet conueniri?
Reſp. Talis incurrit ſacrilegium, & pœnam excommunicationis, & debet conueniri corm Iudice Eccleſiaſtico, quia iſta crimina ſunt fori Eccleſiaſtici; *tenet Abb. in c. cæterum, de iudicijs. nu.* 17.

62 Clericus ſuccedens laico in bonis, coram quo Iudice debet conueniri, ſi lis oriatur ſupra dicta bona?
Reſp. Cum diſtinctione ſi lis incæpta fuit viuente laico ſuper bona illius, debet conueniri clericus, qui ſucceſſit in dictis bonis, coram Iudice laico, coram quo lis incæpta fuit; ratio eſt, quia clericus ſucceſſit in illis bonis cum onere finiendi illam litem, vbi incepta fuit, & bona licèt mutent poſſeſſionem, non mutant qualitatem; ſi verò lis non fuit incępta, neq; conteſtata viuente laico, ſed poſtquam clericus habuit pacificam poſſeſſionem bonorum, tunc talis clericus debet conueniri coram Iudice Eccleſiaſtico; ratio eſt, quia bona ſequuntur forum clerici, cum tempore poſſeſſionis nulli fuerint obnoxia, & clericus habet Iudices Eccleſiaſticos diſtinctos a laicis, & tunc actio intentatur directè contra clericum, & contra bona clerici; *vt tenet Abb. in c. quia, de iudicijs, nu.* 12.

63 Clericus in cauſa reconuentionis poterit nè recōueniri coram Iudice ſæculari?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi clericus agat contra laicum coram Iudice ſæculari pro aliqua cauſa ciuili, tunc benè poterit reconueniri coram eodē Iude ſæculari in concernentibus ad dictam cauſam ciuilem; ratio

ratio eſt, quia iſtæ reconuentiones ſæpe ſæpius ſunt exceptiones, & pendent à cauſa principali, vel opponuntur iuri principali, & ſic non congruit, vt iudicium diuidatur; ſi verò Clericus actionem criminalem ciuiliter petat contra laicum coram Iudice ſæculari, laicus non poterit reconuenire Clericum de alio crimine, neque ſimili neque diſſimili coram Iudice ſæculari, ſed coram Eccleſiaſtico; ratio eſt, quia actio criminalis non reſpicit bona, ſed perſonam, & perſona Clerici exēpta eſt Iure diuino à iuriſdictione laicorum. *tenet Abb. in c. at ſi Clerici, de iudic. nu. 19.*

64 Qualis Iudex debet cognoſcere, an Clericus debeat gaudere priuilegio fori, & conueniri coram Iudice Eccleſiaſtico in ciuilibus, & criminalibus?

℞. Iudex Eccleſiaſticus, & non ſæcularis; ratio eſt, quia hoc iudicium eſt ſuper perſonam Clerici, in qua Iudex ſæcularis nullam poteſtatem habet, & hoc debet intelligi, etiam ſi Clericus inueniatur in habitu ſæculari, & indecenti, vel in ſocietate latronum; quotieſcumque agitur, an talis homo ſit ordinatus, debet Iudex Eccleſiaſticus hoc ſententiare. *Trident. ſyn. ſeſſ. 23. c. 6. de refor.*

65 Si Clericus trahantur inuitu corā Iudice ſæculari, quomodo debet procedere, vt pœnam euadat?

Reſp. Non debet reſpondere ad obiecta, ſed debet declinare, & proteſtari, quòd ſi aliquid fecerit, eſt ex metu Iudicis ſæcularis. *Abb. in c. ſi diligenti, num. 17. eod. tit.*

66 Iuriſdictio in quem poteſt prorogari?

℞. Solùm in habentem iuriſdictionē, & non in perſonam particularem. *Abb. c. ſignificaſti, eod. tit. num. 5.*

67 In cauſa feudi coram quo Iudice debet laicus conuenire?

℞. Coram Domino feudi, etiam ſi talis Dominus ſit Rex, vel imperator, quia de natura feudi, eſt vt lites ortæ ſupra feudum, coram Domino tractentur, qui habet iuriſdictionem ordinariam ſupra ſubditos ſupradicti feudi. *c. ex tranſmiſſa, de foro competenti. Abb. in cap. ſolitæ de maioritate, & obedientia, num. 3. & Innoc. ibi.*

68 Quare in cauſa feudi laicus poteſt cognoſcere de bonis Eccleſiæ, Epiſcopi, vel Clerici?

℞. Quia in donatione feudi Dominus apud ſe directum retinet dominium, & ſolùm dat vtile, & ideo magis videtur ſæcularis cognoſcere debere ſua, quā de re Eccleſiæ, *c. Romana. de appellationibus lib. 6. §. debet.*

69 Capitulum ſede vacāte cognoſcit nè de cauſa feudi, quando eſt Epiſcopi?

Reſp. Non, quia non ſuccedit Capitulum in his, quę ad Epiſcopum pertinent iure ſpeciali, vt in feudo, & prouiſione beneficiorum, neque in ijs, quę pertinent ad Epiſcopum Iure accidentali, ſed ſolùm in ijs, quæ iure communi, & ordinario ad Epiſcopum pertinent, vt in iuriſdictione ordinaria. *Innocent. cap. cum in cunctis; de elect. & Abbas cap. verum. de foro compet. nu. 8.*

70 Teſtes, qui examinantur ad perpetuam rei memoriam, coram quo Iudice ſunt examinandi?

Reſp. Coram Iudice illius perſonæ, pro qua fiunt informationes. *Abb. in c. ſi quis, de foro compet. n. 3.*

CAPVT III.

De Priuilegio fori.

1 Quid eſt priuilegium fori?

Reſp. Quædam exemptio militiæ cœleſtis; vt habetur in cæremoniali Romano, *cap. de ordinibus ſuſcipiendis.*

2 Vt quis gaudeat priuilegio fori quid requiritur?

Reſp. Vt ad minus primam tonſuram habeat, & portet habitum clericalem, & de licentia Epiſcopi alicui Eccleſiæ, vel Oratorio inſeruiat, vel det operam litteris in aliquo ſtudio, vel Seminario vel habeat beneficium Eccleſiaſticum. *Trident. ſyn. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.*

3 Hoc ſeruitium, vel ſtudium neceſſariò debet eſſe continuum, vel ſufficit, vt ſit interpolatum?

Reſp. Sufficit, vt ſi interpolatum, & ſuis certis temporibus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 6. cit.*

4 Ad gaudendum priuilegio fori erunt ne neceſſaria requiſita ſimul, vel ſufficit vnum tantum?

Reſp. Sufficit vnum diſiunctiuè, quia illæ dictiones, aut, vel, diſiunctiuæ ſunt, & faciunt integrum ſenſum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 23. c. 6. de refor.*

5 Sufficit ne prima tonſura ſine habitu, vel habitus ſine prima tonſura, ad gaudendum priuilegio fori?

Reſp. Neceſſarium eſſe, vt vtrūque concurrat, quia illa dictio, & poſita in ſancto Concilio, eſt conunctiua, vt patet *in c. 6. ſeſſ. 23. cit.*

6 Si Clericus ad breue tempus dimittat habitum, & iterum reaſſumat, gaudebit ne priuilegio fori?

Reſp. Affirmatiuè. *Trident. ſynod. ſeſſ. 23. cap. 6. vt ſupra.*

7 Si quis per publicam ſcripturam renuntiat priuilegio fori, & de facto relinquat habitum, & poſtea de ſua propria auctoritate, vel de licentia Iudicis Eccleſiaſtici reaſſumat habitum, gaudebit ne in iſto caſu priuilegio fori?

Reſp. Gaudebit, quia renuntiauit quod ſuum non erat; nam iuriſdictio ſæcularis data fuit Regibus à populo, qui ſibi conſtituerunt Reges, & Duces; ſed iuriſdictio Eccleſiaſtica data fuit Petro, & Succeſſoribus à Chriſto Domino, quando dixit, Petre paſce oues meas; & ſic renuntiari non poteſt à Clericis, quia renuntiant, quod ſuum non eſt, *vt dicunt Doctores in rubrica de iudicijs.*

8 Si talis, dum non habeat habitum, commiſit aliquod delictum, & Iudex ſæcularis cępit cognoſcere, & poſtea iſte reaſſumat habitum quis Iudex debet cognoſcere tali delicto?

Reſp. In iſto caſu Iudex ſæcularis, cùm primum ad eius notitiam venerit, talem eſſe Clericum, tenetur remittere perſonam, & proceſſum ad iudicem Eccleſiaſticum, quia renuntiatio priùs facta nulla fuit, *tenent Paul. de Caſtr. & Bald. in authentic. Clericus quoque. C. de Epiſc. & Cler.*

9 Propter delicta crebriùs cōmiſſa perdidit ne quis priuilegium fori?

Reſp. Non, quia Petro interroganti, ſi frater meus peccauerit in me, quoties parcam ei vſq; ſepties? (Reſpon-

(Reſpondit Chriſtus non dico tibi ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties) & ibi numerus finitus ponitur pro infinito.

10 Si quis habeat ſolam primam tonſuram, & non incedat in habitu Clericali, requiritur ne aliqua monitio, vt tunc non gaudeat priuilegio fori?

Reſp. Non, ſed ad gaudendum neceſſarium eſt vt iterũ reaſſumat habitum, *tenet Couarruuias in practicis quæſtionib.c.* 32.

11 Si Clericus in minoribus habens primam tonſurã, & portans habitum committat aliquod delictum, & poſtea dimittat habitum, & vxorem ducat, à quo iudice debet puniri de tali delicto?

Reſp. A Iudice Eccleſiaſtico, quia in foro inſpicitur tempus delicti. *tenet Abb.in c.1.de apoſtat.nu.7.&* 8.

12 Si quis habet penſionem Eccleſiaſticam, & non portat habitum clericalem, gaudebit nè priuilegio fori?

Reſp. Non, quia concilium expreſsè exprimit tria requiſita, ſcilicet habet beneficium, incedere in habitu, & tonſura, & inſeruire alicui Eccleſiæ, ſed ſi talis habuerit primam tonſuram cum penſione, poterit reaſſumere habitum, & tunc gaudebit. *Trid.ſyn.ſeſſ.* 23.*c.6.de refor.*

13 Clericus negotiator gaudet nè priuilegio fori?

Reſp. In bonis patrimonialibus non gaudet, nam perdidit priuilegium per delictum negotiationis, *vt tenet Abb.in c. recolentes, de ſtatu Monachor.nu.*1.*c.fin. de vita,& honeſt.Cler.c.generaliter.*16.*q.*1.

14 Si inueniatur Clericus die, vel nocte cum armis defenſiuis, vel offenſiuis, ex hoc perdit nè priuilegiũ fori?

Reſp. Non, quia tali delicto non eſt impoſita talis pęna à iure, & pœnæ non ſunt extendendæ. *c.in audientia de ſent.excom.*

15 Clericus, qui inuenitur à Iudice ſæculari, ſine habitu, & corona, & ſe immiſcet rebus obſcænis, & profanis, quam pœnam incurrit?

Reſp. Perdidit priuilegium canonis, ſi quis ſuadente diabolo, quia tunc Iudex ſæcularis abſq; metus excommunicationis poterit eum, vi comprehendere, & incarcerare, ſed abſolutè talis Clericus non perdidit priuilegium fori, quia poſtea debet remitti ad Iudicem Eccleſiaſticum cum ſuo proceſſu. *text.in c.*1. *de apoſtatis, & reiterantibus baptiſmum. & Abb.ibi numero* 1.

16 Si Iudex ſæcularis cognoſcat illum in illo habitu eſſe canonicum alicuius Eccleſiæ, vel beneficiatum, poterit nè vi illum comprehendere, & incarcerare abſq; metu excommunicationis canonis ſi quis ſuadante diabolo?

Reſp. Talis Iudex melius faciet, ſi honorificè ſine ſtrepitu illum conducat ad ſuum Epiſcopum, vel Iudicem Eccleſiaſticum, ſed ſi forſan ad euitandum aliquod damnum vi illum ducat in carcerem, nõ incidet in excommunicationem dicti canonis; ratio eſt, quia *text.in c.*1. de appoſtatis, non erat neceſſarius iudicibus, ſed fuit neceſſarius ad imponendam pęnã Clericis relinquentibus habitum, & coronam, vt à tali delicto arceantur, vt patet ex d.text.

17 Si Clericus incedit de nocte cum enſe, vel cum alijs armis offenſiuis, vel defenſiuis, & cum longo pallio, vel veſtitu, cum quo itineratur, Iudex ſæcularis poterit abſque metu excommunicationis illum comprehendere, & incarcerare?

Reſp. Si Iudex nõ inueniat talem Clericum in rebus obſcęnis, & libidinoſis, vel dando operam rei illicitæ, veluti furando, faciendo incendium, violando domos, pugnando cum aliquo non poterit abſque excommunicatione in illum violentas manus inijcere, ſolùm poterit illum mittere ad ſuum iudicem; ratio eſt, quia licitum eſt Clerico in ſui defenſionem portare nocte arma offenſiua, & defenſiua, ſicut licitum eſt itinerando, & talis Clericus ſolùm perdidit priuilegium, cum inuenitur in rebus obſcęnis, & cum ſimus in odioſis pęna extendi non debet. *c.*1. *de apoſtatis, & reiterantibus baptiſmum, & ad ſecundum veriorem ſententiam ſic eſt intelligendum, & de hoc dixi late lib.*1.*c.*5.*nu.*7.8.9.*&* 10.

18 Quid requiritur, vt quis priuetur priuilegio fori?

Reſp. Si ſit in minoribus ordinibus trina monitio, vel quod incorrigibilis exiſtat, & tunc per ſententiam priuatur priuilegio, & habitu. *c.in audientia, de ſententia excommunicationis, & c.vlt. de vita, & honeſtat. Clericorum.*

19 Si Clericus ſit in ſacris, poterit nè priuari priuilegio fori, & habitu?

Reſp. Non, immò debet cogi, vt habitum portet, quia ordo ſacer imprimit characterẽ indebilem, *c.in audientia, de ſententia excommunicationis.c.contingit, il* 2.*eod. tit.*

20 Si Clericus in ſacris ſæpè admonitus non portauerit habitum, quam pęnam incurrit?

Reſp. Semel admonitus perſonaliter, vel per edictũ ſi inueniri non poteſt, ſuſpenditur ab officio, ordine, & beneficio, & priuatur fructibus, & ſi perſeuerauerit alijs conferantur officia, & beneficia. *Trid.ſyn.ſeſſ.* 14.*c.6.de refor.*

21 Clericus poteſt obligari ex ſcriptura ad amiſſionem habitus, vel beneficij?

Reſp. Si ſit in minoribus, poteſt conſentiente ſuo ſuperiore. *c.cum dilectus, de elect.gloſ.in c.contingit, il* 2. *de ſent.excom.*

22 Clericus, ſi falſum teſtimonium alicui obiecerit, tenetur nè recantare palinodiam?

Reſp. Non, quia eſt res infamis, & Clericus gaudet priuilegio nobilium: & ſufficit, vt priuatim veniam petat. *c.Clericus.* il 2.*diſt.*46. *Boer.conſ.*4.*nu.*4.

23 Clericus poteſt agere coram Iudice ſæculari pro iniuria ſibi facta, vel ſuis?

Reſp. Poteſt cum proteſtatione ſub pęna ſanguinis. *Abb.in c.poſtulaſti, de homicidio, num.*1.*Bart.in authent. & conſequenter, C.de ſententijs, & interlocutorijs omniũ iud.num.*19.

24 Si Clericus certò ſciat mortem ſequuturam, poterit ne (facta dicta proteſtatione) agere?

Reſp. Poterit, abſq; metu irregularitatis. *Abb. in c. poſtulaſti ſup.cit.nu.*3.

25 Quid requiritur in Clericis coniugatis, vt gaudeãt priuilegio fori?

Reſp. Habere primam tonſuram, & habitum Clericalem, & inſeruire alicui Eccleſiæ. *Trid.ſyn.ſeſſ.*23. *c.6 de refor.*

CAPVT

CAPVT IV.

De Libelli oblatione.

1 QVid eſt libellus?
Reſp. Paruus liber, vel carta parua, vel ſchedula, in qua actor coram Iudice cauſam exprimit. *gloſ.* 10. *c.* 1. *de libelli oblatione.*

2 Quibus modis ſumitur in iure hoc nomen libellus?
Reſp. Pluribus. Primo, ponitur pro ſcriptura demandatoria. Secundo, pro ſcriptura accuſationis. Tertio, pro repudio, & dicitur libellus repudij. Quarto, pro ſcriptura appellationis. *l.* 1 *ff. de appellationibus.* §. *libelli.* Quinto, pro ſcriptura infamatoria, & dicitur libellus famoſus. Sexto, & magis propriè ponitur pro ſcriptura, in qua actor exprimit actionem cõtra reum, *vt per totum titulum de libelli oblatione, & c. ſignificantibus. eod. tit.*

3 Quotuplex eſt libellus?
Reſp. Duplex: vnus accuſationis in cauſa criminali: alius conuentionis, qui ponitur in cauſis ciuilibus. *gl. Vnic. c.* 1. *eod. tit.*

4 Quid debet continere libellus?
Reſp. Debet in eo actor exprimere ſuam actionem, rationem, & cauſam, ob quam petit ſibi dari talem agrum, vel ſatisfactionem talis iniuriæ, & libellus debet exprimere contenta in his verſibus.

Quis, quid, coram quo,
Quo Iure petatur, & à quo.

Goffred. in ſumm. iudici. C. de Epiſcopali audientia. c. dilecti filij, de iudicijs.

5 Quas qualitates debet habere libellus?
Reſp. Tres. breuis, diſtinctus, & continens nomen actoris, & rei, & iudicis coram quo, & actionem, & cauſam actioni. *c. ſignificantibus, eod. tit. de libelli oblatione, quæ omnia verſibus ſupradictis continentur.*

6 Libellus debet neceſſariò eſſe ſubſcriptus à parte?
Reſp. Cum diſtinctione: in ciuilibus non eſt præcisè neceſſaria ſubſcriptio; ſufficit enim notoriꝑ ſides: in criminalibus verò neceſſariò debet eſſe ſubſcriptus ab accuſatore, qui ſe ſupponit ad pœnam talionis. *Abb. c.* 1. *nu.* 6. *eod. tit. de libelli oblatione.*

7 Quem effectum facit oblatio libelli?
Reſp. Interrumpit præſcriptionem, ponit poſſeſſorem in mala, vel ſaltê dubia fide. *Abb. c.* 1. *n.* 9. *eod. tit.*

8 Si libellus ſit ineptus, quid agendum?
Reſp. Iudex, ex ſuo officio poterit illum ſupplere. *Abb. c. dilecti filij. de iudicijs. nu.* 2.

9 In quibus cauſis non requiritur libellus?
Reſp. In cauſis parui momenti, arbitrio iudicis, & in cauſa pauperis. *Abb. in c. eod. tit. nu.* 17.

10 Reus tenetur reſpondere libello?
Reſp. Tenetur ſemper. *c. dilecti. eod. tit.*

11 Quando reus non tenetur reſpondere libello?
Reſp. Quando libellus petit actionem perſonalem, & in eo non exprimitur cauſa petendi, tunc reus non tenetur reſpondere tali libello, quia delicta in genere non puniuntur. *cap. dilecti. eod. tit.*

12 Iudex poteſt nè admittere actorem ad petendum aliquid verbo?
Reſp. Non, ſed ſcripto, & præſentato libello. *cap.* 1. *eodem tit.*

13 Si actor exprimit vnam cauſam in libello, & eam nòn probat, ſed probat aliam, poterit nè obtinere ſententiam?
Reſp. Non, quia ſententia debet eſſe ſuper re contenta in libello. *Abb. c. dilecti. eod. tit. nu.* 11.

14 In Inquiſitione requiritur libellus?
Reſp. Si procedat ex puro officio iudicis, nõ requiritur; ſi verò procedat ex inſtigatione alicuius partis dantis capitula, tunc requiritur. *cap. licet. c. veniens. de accuſationib. & Abb. c.* 1. *de libelli oblat. num.* 13.

15 Summus Pontifex ſi pronunciet ſupra rem non contentam in libello, erit nè valida ſententia?
Reſp. Affirmatiuè; quia ipſe eſt ſupra leges, & licèt teneatur eam obſeruare, eſt ſolùm, quoad vim directiuam, non verò quoad vim coerciuam. *Abb. in cap. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol. nu.* 15.

CAPVT V.

De mutuis petitionibus.

1 HOc nomen petitio quid ſignificat?
Reſp. Quidquid homo vult à Iudice petere in ſuam vtilitatem.

2 Et mutua petitio, quid ſignificat?
Reſp. Petitionem actoris, & petitionem rei, quibus adinuicem mutuo vnus petit, alter ſe defendit.

3 In iure quot ſunt petitiones?
Reſp. Quatuor. Prima, eſt petitio hæreditatis, quæ competit omnibus illis, qui iurè hæredes ſunt contra poſſeſſorem. Secunda, eſt petitio hæreditatis fideicommiſſariæ, & competit ei, cui fideicòmmiſſaria hæreditas reſtituitur ex Senatuſconſulto Trebelliano. Tertia, eſt petitio hæreditatis poſſeſſoriæ, quæ datur emancipatis, intra tres menſes. *Inſtit. de bonorum poſſeſſione.* §. *liberis.* Quarta, eſt petitio ſcripturæ continens petitionem alicujus. *gl. in c. ſi quis Papa diſtinctio.* 79.

4 Reconuentio quomodo intelligitur, & regulatur?
Reſp. Secundum naturam conuentionis, & eodem pede currit, & eiſdem terminis finitur, eiſdemque priuilegijs vtitur. *Abb. cap.* 2. *num.* 2. *&* 8. *de mutuis petitionibus.*

5 Si actio reconuentionis oriatur poſt impetrationem reſcripti, poterit Iudex delegatus de reconuentione cognoſcere?
℞. Licet *Io. Andr. c. diſpendia, de reſcript. lib.* 6. teneat partem negatiuam; *Abb. c.* 2. *de mutuis petitionibus. numero* 12. tenet affirmatiuam, cum *Antonio Butrio*; quia cum lex prohibeat reum, vt non adeat alium Iudicem duràte illa lite; neceſſariò debet prouidere illi de Iudice delegato, ne pereat ſua iuſtitia. *in d. c.* 2. dicit indiſtinctè Iudex delegatus cognoſcat de renuntiatione, & non reſtringit, vt ſi orta ante impetrationem reſcripti, vel poſt, ergo nos in damnum rei illam non debemus reſtringere. *Abb. d. c.* 2. *num.* 12. *eod. tit.*

6 Iudex delegatus poteſt compellere reum, vt reſpondeat in cauſa reconuentionis?
Reſp. Poteſt, & vtramque cauſam ſimul debet determinare. *c.1.eod.tit.*

7 Reconuentio poteſt fieri coram arbitro?
Reſp. Coram arbitro electo à partibus, non, ſed coram arbitris iuris benè poteſt fieri, quia habent poteſtatem, ſicut Ordinarius. *Abb. cap. 1. eodem titulo, num. 3.*

CAPVT VI.

De litis conteſtatione.

1 QVid eſt litis conteſtatio?
Reſp. Negotij principalis, hinc inde ab actore & reo facta narratio coram Iudice.

2 Quomodo fit litis conteſtatio, & coram quo?
Reſp. Coram Iudice legitimo per narrationē actoris, & per contradictoriam reſponſionem rei in ſcriptis; *Gloſ. capit. dudum, de electon. capit. 1. de litis conteſtatione.*

3 Quam vtilitatem habet in Iure litis conteſtatio?
Reſp. Perpetuat actionem vſque ad triginta annos, & interrumpit præſcriptionem, ponit poſſeſſorem in dubia fide, & perpetuat iuriſdictionem Iudicis. *Abbas cap. 1. num. 11. de litis conteſtatione.*

4 Si actor, & reus coram Iudice verbo tantùm comparentes, ſuam actionem narrent, ſufficiet ne ad litis conteſtationem?
Reſp. Non; quia ſic nullus eſt proceſſus, & neceſſariò, vt fiat, debet in ſcriptis apparere petitio actoris, & reſponſio rei; alias ſententia erit nulla; quia ſolemnitas non præſumitur, niſi appareat in actis ſcripta. *capit. primo, eodem titulo, & Abbas ibi num. 3.*

5 Si reus faciat reſponſionem, & in ea dicat, quòd reus facit illam cum poteſtate conteſtandi litem, nihilominus conteſtatur ne lis?
Reſp. Affirmatiuè, licèt ſi directè non neget, neque excipiat, neque cōfiteatur, Iudex poterit illum compellere, ne faciat iudicium fruſtatorium. *Abb. cap. 1. eod. tit. num. 26.*

6 Si conteſtatur per verba iniurioſa, vt ſi reus reſpondeat, tu mentiris, non dicis verum?
Reſp. Si illa verba dicat animo ſatisfaciendi ad ſibi obiecta, volendo illa negare, lis conteſtatur; ſi verò illa verba dicat calore iracundiæ, ſolùm animo iniuriandi actorem, tunc lis non conteſtatur, licèt in dubio tenendū ſit, per illa verba voluiſſe negare actionem ſibi obiectam. *Abb. cap. 1. de litis conteſtat. numer. 28.*

7 Partes poſſunt renuntiare litis conteſtationi?
Reſp. Non, quia non poſſunt renuntiare ſolemnitatibus iudiciarijs. *Abbas cap. 1. num. 4. de litis conteſtatione.*

CAPVT VII.

Vt lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem.

1 LIte non conteſtata in cauſa diuortij poſſunt ne teſtes examinari?
Reſp. Non, ſed contumax poterit excommunicari, vt compareat. *c. 1. vt litè non conteſt. &c.*

2 Quibus in caſibus lite non conteſtata poſſunt teſtes recipi?
Reſp. Primò, ſi timeatur de morte. Secundò, ſi timeatur de abſentia diuturna teſtium. Tertiò, ſi teſtes ſint ſenes, vel valetudinarij, tunc valet receptio teſtium, ne iuſtitia pereat, & occultetur, cum hac tamen conditione, quòd intra annum actor citet reū, & renūtietur ei talis receptio teſtium, vt omnis fraus ab actore tollatur, aliter erit nulla; hoc intellige, ſi agatur ciuiliter. *c. quoniam, vt lite non conteſtata non, &c. & Abb. ibi num. 3.*

3 Si in cauſa matrimoniali lite non conteſtata recipiantur teſtes, erit ne valida receptio?
Reſp. Si recipiatur contra non contumacem, non erit valida, ſi verò contra contumacem, erit valida. *cap. accedens, il 2. eod. tit.*

4 Contumax quam pœnam habet?
Reſp. Habetur pro confitente, vel negante. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 5.*

5 Si lite non conteſtata reus ſit contumax, quid agendum in fauorem actoris?
Reſp. Tunc actor poteſt mitti in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, vel reus poteſt excommunicari. *cap. tuæ fraternitatis. eod. tit.*

6 In caſu reſtitutionis contra contumacem poteſt fieri ſententia, lite non conteſtata?
Reſp. Non, *cap. 2. eod. tit.*

7 Quando reus non excommunicatur?
Reſp. Quando agitur cōtra eum actione ciuili, quia tunc actor non mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ; ſecus verò ſi agatur contra eum actione perſonali, quia tunc reus contumax excommunicatur. *Abb. c. tua fraternitatis. nu. 3. eod. tit.*

8 Si in citatione contineatur copia libelli, & reus iuridicè citetur, ſufficiet ne hæc copia ad conteſtationem litis?
Reſp. Non, ſed neceſſariò requiritur ad conteſtationem litis reſponſio, vel contumacia rei ratio eſt, quia conteſtatio litis eſt actus iuridicus, qui non poteſt prætermitti, neque ſuppleri, & non perficitur, niſi per ipſam reſponſionem, quia eſt magni præiudicij. *tenet Abb. cap. prætereà, de dilationibus, num. 3.*

CAPVT

CAPVT VIII.

De iuramento calumniæ.

1 QVid eſt iuramentum calumniæ?
℞. Quando quis iurat bona fide, & non animo calumniandi, agere aliquid, & affirmat, quod lis ſibi iuſta videtur. *c. 1. de iuramento calumniæ. gloſ. 4.*

2 Ad quid inuentum fuit à iure iuramẽtum calumniæ?
Reſp. Ad veritatem eliciendam, ad fraudes vitandas, & lites finiendas; quia, ſi quis iurat ſe debere Petro decem, ſua confeſſione compellitur ſoluere abſq; alia probatione. *Abb. in c. cæterum. eod. tit. n. 3.*

3 Quid debet continere iuramentum calumniæ?
Reſp. Primò, quòd credit ſe bonam cauſam, & iuſtam habere. Secundò, quòd interrogatus non negabit, quod verum eſſe crediderit. Tertiò, quòd non vtitur ſcienter falſa probatione. Quartò, quòd non petet dilationem in fraudem. Quintò, quòd non promiſit, neque dedit, nec dabit, neque promittet aliquid pro hac cauſa. *gloſ. verbo calumniæ, capit. 1. de iuramen. calumniæ.*

4 Si dubitetur, quòd quis veritatem non fatebitur, eſt nè exigendum à tali homine iuramentum calumniæ?
Reſp. Non; ſi veriſimiliter dubitetur de contrauentione, ne talis ſit periurus. *cap. Clericos, & ibi gl. de cohabit. Cler. & mulier. cap. ille, 22. q. 5. ne talis anima ſit periura.*

5 Quotuplex eſt iuramentum?
Reſp. Multiplex: veritatis, credulitatis in litem, & calumniæ. *Abb. c. 2. de iuram. calum.*

6 In quo differunt iuramentum calumniæ, & iuramentum de veritate dicenda?
℞. Primò, in iuramento calumniæ debet reſponderi de credulitate. Secundò, in iuramento calumniæ iuratur ſolum ſupra ſcientiam, in alio iuratur ſupra plura capitula. Tertiò, in iuramento datur dilatio. Quartò, iuramentum calumniæ fit per Procuratorem; iuramentum verò de credulitate fit per ſolam principalem perſonam. *Abb. c. 2. eod. tit. nu. 10.*

7 Iuramentum calumniæ adhibendum nè erit, tum in cauſis parui, tum in cauſis magni momenti?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb. c. 1. eod. tit. n. 14.* imò in cauſis minimis ſæpè vtuntur partes iuramento calumniæ, & cum eo dirimunt litem.

8 Si omittatur iuramentum calumniæ, ex hoc vitiatur nè proceſſus?
Reſp. Non, cum ſolum præſtetur, quando eſt aliqua ſuſpicio in altera parte. *Abb. vbi ſup. n. 4.*

9 In præſentatione inſtrumentorum debet nè peti iuramentum calumniæ?
Reſp. Si inſtrumentum redarguetur falſitatis, peti debet; & toties, quoties præſentatur inſtrumentum, iuratur de calumnia. *Abb. vbi ſup. nu. 12.*

10 Si pars præſtet iuramentum calumniæ in præſentatione alicuius ſcripturæ, poterit nihilominus pars aduerſa probare, tale iuramentum eſſe falſum?
℞. Licèt pars, vel Procurator iurent de calumnia, liberum eſt alteri probare tale iuramentum eſſe falſum, & etiam falsè iuraſſe partem contrariam, & in vtroque articulo admittitur probatio à Iudice ex officio eius liberali. *Abb. vbi ſup. nu. 12.*

11 In cauſis ſpiritualibus iuratur nè de calumnia?
℞. Licèt in c. litteras, de iuramento calumniæ, dicatur, quod in cauſis Eccleſiarum, decimarum, & rerũ ſpiritualium non iuratur de calumnia, tamen ex mãdato Iudicis, vel parte poſtulante, hodie in omnibus cauſis iuratur de calumnia ad tollendas citiùs lites. *c. cum nobis. c. cum dilectus, de elect. & ibi gl.*

12 Quot ſunt genera cauſarum, in quibus iuratur de calumnia, & etiam de veritate dicenda?
Reſp. Plura. Primò, ſunt cauſæ ſpirituales. Secundò, annexæ ſpiritualibus. Tertiò, meræ ciuiles. Quartò, criminales, vbi agitur de crimine directè. Quintò, cauſæ criminales, quando agitur de crimine ciuiliter. *gloſ. in cap. litteras. de iuramento calumniæ, in verbo ſpiritualibus.*

13 Quæ ſunt cauſæ annexæ ſpiritualibus, & quomodo in eis iuratur?
Reſp. Sunt cauſæ iuris patronatus, & in eis non iuratur de calumnia, ſed de veritate dicenda. *c. dudum, il 2. de elect. quod citat gl. in c. litteras, de iuram. calumn. in verbo ſpiritualibus.*

14 Quæ ſunt cauſæ merę ciuiles, & quomodo iuratur in eis?
Reſp. Cauſæ, in quibus agitur, de pecunia, vel rei vendicatione. c. vlt. & penultimo de libelli oblatione, quæ citat *d. gloſ. ſup. cit. eod. c. & verbo.*

15 Quæ ſunt cauſæ criminales, & quomodo in eis iuratur?
Reſp. Sunt cauſæ, in quibus agitur de aliquo crimine directè criminaliter, quod apparet fuiſſe cõmiſſum, & licèt in eis iuretur de calumnia, actor debet ſe obligare ad pœnam tallionis, & etiam iurare de veritate dicenda. *gl. ſup. cit.*

16 Qui in cauſa matrimoniali oppoſuit impedimentum, debet nè iurare de calumnia?
Reſp. Affirmatiuè, vt ſi quis ponit impedimentum affinitatis debet iurare de calumnia, *vt in c. litteras, de reſtit. ſpol.*

17 Iuramentum calumniæ quando præſtatur?
Reſp. Communiter poſt litis conteſtationem; aliquando ante, ad petitionem partis contrariæ; & etiã præſtatur ad præſentationem alicuius ſcripturæ. *Abb. in c. 1. de iuramento calumniæ. num. 4. c. cum cauſam. eod. tit.*

18 Quando poteſt fieri iuramentum calumniæ, ante litis conteſtationem?
Reſp. Quando Iudex viderit, quòd æquitas ſuadet, vt fiat. *Abb. in c. cum cauſam. num. 13. eod. tit.*

19 Iuramentum calumniæ debet nè peti in fine litis?
Reſp. Non, ſed in principio; quia faciliùs dicitur veritas, quam in fine, cum difficile, & turpe ſit, quòd quis in fine confiteatur contrarium eius, quod in principio allegauit, & probauit. *Abb. in cap. cæterum. eod. tit. nu. 4. & Hoſt. eod. tit.*

20 Si quis iurat de calumnia, & petat tempus ad liberandum, eſt nè ei concedendum?
℞. Si res ſit antiqua, difficilis, & de ea non habeat notitiã; & ſi velit procurator informare de veritate cauſæ, debet ei concedi tempus, vt ſe informet; præcipue ſi Iudex videat, quòd malitioſè hoc non petitur, ſed ad indagãdã veritatẽ, cui ſemper eſt fauẽdũ.

Specul.tit.de iuramento calumniæ.Abb.cap.cum cauſam. eod.tit.num.6.

21 Si quis reſpondeat, credo me hoc feciſſe, quid eſt iudicandum?
Reſp. Reſponſio de credulitate ſic præiudicat, ſicut reſponſio de veritate, & ſic talis eſt condemnandus, ſicut ſi talis confiteretur. *Abb. in c.cum cauſam.nu.6. de iuram. calum.*

22 Quam pęnam incurrit, qui non vult iurare de calumnia?
Reſp. Cadit à cauſa, quia habetur pro confeſſo. *tex. in c.Imperatorum, de iuram.calumniæ.*

23 Si iſte talis, quia noluit iurare, vel eſt contumax, habetur pro confeſſo, debet nè ſtatim condemnari?
Reſp. Debet prius Iudex pronuntiare actum de tali contumacia, & poſtea eum condemnare; quia talis contumacia eſt delictum; & debet prius conſtare de delicto, quàm de pęna. *l.eius qui.ff. de iure fiſci. & Abb.in c.cum cauſam, eod.tit. nu.26.*

24 Si quis condemnetur propter contumaciam, quia noluit iurare, vel ſe abſcondit, hæc condẽnatio tranſit nè ad hæredes?
Reſp. Non, quia procedit ex delicto; & patris delicta non tranſeunt ad hæredes, ſed morte delinquentis extinguntur. *Abb.in c.cum cauſam.c.26.eod.tit.de iurament. calumn.*

25 Quotuplex eſt procurator?
Reſp. Duplex. Primò, ad lites. Secundò, ad negotia, vt ad procurandas merces, vel recuperandos fructus domini à colonis. *Abb.in c.in pertractandis.n.5. de iuram.calum.*

26 Procurator debet iurare de calumnia?
Reſp. Debet cum virtute mandati, quia eſt pars principalis in illa lite. *Abb.in c.1.eod.tit.n.6.c.in pertractandis. eod.tit.*

27 Procurator ad lites poteſt nè iurare de calumnia cum mandato generali, ad omnes lites?
Reſp. Non, niſi habet ſpeciale mandatum ad iurandum, etiam de calumnia. auth. principales, de iureiurando propter calumniam, *c.fin.de iuramen.calumniæ in 6.& ibi gloſſ.*

28 Procurator, vt iuret in animam ſuæ partis, debet nè habere ſpeciale mandatum?
Reſp. Debet, & aliter non admittitur ad iurandum de calumnia, quia eſt actus principalis cauſæ. *Abb.in c.1.de iuram. calumniæ. nu.15.*

29 Eccleſia, & capitulum poteſt nè iurare de calumnia?
Reſp. Poteſt, per ſuum procuratorem ad hoc nominatum. *c.1.eod.tit.*

30 Si Clericus, vel Monachus iuret ſine licentia ſuperioris, tale iuramentum valet nè?
Reſp. Valet; quia non eſt hoc expreſsè à iure reprobatum, licèt talis Clericus, vel Monachus debeant puniri à ſuperiore, quòd ſine licentia iurauerint. cap. inter corporalia de translatione Epiſcopi. cap. & ſi Chriſtus, de iureiurando.

31 Clericus poteſt nè iurare de calumnia abſque licentia ſui Prælati?
Reſp. Non; cum tale iuramentum ſit quid graue, & obligetur ex tali, & ideò requiritur licentia ſui ſuperioris in ſcriptis, cùm Clericus, & Monachus non ſint ſui iuris. *c.1. de iuram.calum.*

32 Aduocatus de iure poteſt nè obligari, vt iuret de calumnia?
Reſp. Poteſt, cum ſit defenſor cauſæ, & non poſſit in conſcientia abſque peccato defendere cauſam iniuſtam. *Abb.in c.1.eod.tit.num.5.*

33 Procurator ad negotia, qui emit, & vendit, admittitur nè ad iurandum de calumnia ſine ſpeciali mandato, vt inſtitor nauis?
Reſp. Admittitur, quia ipſe habet notitiam ſuper res venditas, & emptas, magis, quàm dominus principalis. *Abb.in c.in pertractandis, eod.tit.n.vlt.c.qui generaliter, de procur.in 6.& ibi Ioan.Andr.*

34 Iudæus quomodo iurabit de calumnia?
Reſp. Per decem præcepta Moyſi, & per Deum patrem, poteſt de calumnia iurare, ſicut eſt mox Iudæorum iurare. *Speculator, de iuramento calumniæ.§. reſtat. num. 17.*

35 Syndicus vniuerſitatis, vel tutor ad iurandum de calumnia debet nè habere ſpeciale mandatum?
℞. Sufficit habere mandatum generale, quod iſti habent, quia conſtituti ſunt à iure ad defenſionem vniuerſitatis, & pupilli; nam iſti quaſi gerũt propriã perſonam illorum. *Abb.in c.1.de iuram.calum.nu.15.*

36 Epiſcopus poteſt iurare de calumnia abſque licentia Papæ?
Reſp. Poteſt, cum hoc, & plura alia ius committat Epiſcopis: quia plurimum confidit de eorum auctoritate. *Abb.in c.1.eod.tit.nu.19.*

37 Si Epiſcopus iuret de calumnia, debet nè tangere ſancta Euangelia?
Reſp. Non, propter magnam eius fidelitatem, & dignitatem, licèt debeant eſſe ante ipſum aperta, ſufficiet ſi tangat pectus ſuum. cap. vltimo de iuramento calumniæ.

38 Vniuerſitas compellitur nè iurare de calumnia?
℞. Non; quia ſunt plures; ſed cogitur iurare per adminiſtratorem, vel œconomum, *c.Imperatorum. eod. tit.l.2. C.de iureiurando, propter calumnia dando.*

39 Minor impubes poteſt nè iurare de calumnia, vel ſuus tutor?
Reſp. In omnibus rebus, & caſibus, in quibus minor poteſt agere ſine ſuo procuratore, debet iurare de calumnia, ſi ſit doli capax, & poſſit agere ſine tutore, & ſic debet iurare; in alijs verò negotijs, in quibus minor ſine tutore non poteſt agere, debet tutor iurare pro minori. *Abb.in c.cum cauſam, eod.tit. nu.10. & 12.lege 1.C.ſi per vim, vel alio modo.*

40 Excommunicatus poteſt iurare de calumnia?
Reſp. Poteſt; quia non priuatur ijs, quæ ſunt in ſuũ damnum. *Abb.in cap. cum cauſam, de iuramento calumniæ. num. 9.*

CAPVT IX.

De Dilationibus.

1 QVid eſt dilatio?
Reſp. Eſt temporis in cauſa prorogatio, vel eſt tempus differens cauſam, quę habet certum principium, & finem. *Abb. & gloſ. in capit. 1. de dilationibus.*

2 Quis concedit dilationem?
Reſp. Aliquando ius, aliquando lex, aliquãdo Iudex pro

pro eius arbitrio, vt dicitur in rubr. de ferijs.

3 Dilatio quotuplex eſt?

℞. Alia eſt legalis, quæ datur à lege, vt tempus ad appellandum, alia conuentionalis, quæ datur à partibus conuenientibus; alia iudicialis, quæ datur à Iudice pro ſuo arbitrio. *Abb.c.1. de dilationibus. nu.15.*

4 Quot ſunt dilationes?

Reſp. Plures. prima, citatoria. Secunda, reſtitutoria. Tertia, ad appellandum. Quarta, deliberatoria. Quinta executoria. Sexta, dilatoria. Septima, peremptoria. Octaua, reuocatoria. Nona, perſequutoria. Decima, ſaluatoria. Vndecima, præceptoria. Duodecima, exemptoria. Decimatertia, electoria. Decimaquarta, exceptoria. Decimaquinta, ferialis. *Hoſt. & Speculator in ſum. de dilat.*

5 Quæ eſt dilatio citatoria?

Reſp. Tempus, quod datur à Iudice ad citandam partem, & ad comparendum in iudicio. *Hoſtienſ. in ſum. tit. de dilationibus.*

6 Quæ eſt reſtitutoria?

Reſp. Illud tempus, quod datur à Iudice ad reſtituendum ſpoliatum. *Hoſtienſ. in ſum. dilation.*

7 Quæ eſt dilatio ad appellandum?

Reſp. Illud tempus, quod datur à lege, vel prorogatur à Iudice, vt poſſit quis appellare, vel ſuam ſequi appellationem. *Hoſt. vbi ſup.*

8 Quæ eſt dilatio deliberatoria?

Reſp. Illa, quæ datur reis ad deliberandum de ſuo negotio. *l.fin. C.de in integ. reſt.*

9 Quæ eſt dilatio exequutoria?

Reſp. Illa, quæ datur criminatis, vt intra certum tempus ſatisfaciant criminibus. *l.3. C. de vſur. rei iudicatæ, quam citat. Hoſt. eod. tit.*

10 Quæ eſt dilatoria?

℞. Quando Iudex ex aliqua cauſa dat parti annum, menſem, vel aliquem terminum ad ſequẽdum ſuam litem. *Hoſt. in ſum. de dilationibus.*

11 Quæ eſt dilatio peremptoria?

℞. Tempus, quod datur à Iudice ad probandam aliquam exceptionem, quæ perimit litem; vt ſi quis velit probare, rem iudicatam in eadem lite, vel inſtrumentum ſolutionis. *l.1.C. de dilationibus.*

12 Quæ eſt reuocatoria?

Reſp. Quando aliqua pars, habet ius reuocandi ſibi domum, vel rem, tempus illud, quod ei datur, vt eam reuocet. *Hoſt. in ſum. de dilationibus.*

13 Quæ eſt proſequutoria?

Reſp. Tempus, quod datur alicui ad proſequendam ſuam appellationem. *Hoſt. vbi ſup. de dilat.*

14 Quæ eſt dilatio ſaluatoria, ſeu penitentialis?

Reſp. Quæ datur ad implendam ſuam penitẽtiam, qua ſaluatur à crimine. *Hoſtienſ. in ſum. tit. de dilationibus.*

15 Quæ eſt præceptoria?

Reſp. Tempus, quod datur à Iudice, vt quis faciat aliquam rem, quæ illi præcipitur. *cap. præterea. de appellationibus.*

16 Quæ eſt dilatio electoria?

Reſp. Tempus, quod datur à Iudice patrono, vel alicui perſonæ ad faciendam aliquam electionem publicam, *capit. ex publico, de conuerſat. coniugat. & ibi Hoſtienſ.*

17 Citatio vnica, quomodo poteſt habere vim trinæ citationis?

℞. Si vna citatione dentur tres termini competentes, vt tres dies. Tertia, pro prima. Tertia, pro ſecunda, & tertia pro tertia. *Abb. cap. 1. num. 5. de dilationibus.*

18 Quæ eſt exemptoria?

℞. Tempus, quod datur alicui ad probandum, ſe eſſe liberum, vel exemptum. *l. diffamare. C. de manumiſ.*

19 Quæ eſt electoria?

Reſp. Quæ datur ad eligendos iudices, vel arbitros in ſpatio trium dierum. *Hoſtienſ. & Specul. titul. de dilation.*

20 Quæ eſt exceptiora?

Reſp. Tempus, quod datur à Iudice ad ponendas exceptiones. *Hoſt. in ſum. tit. de dilat.*

21 Si in lite citatoria ponatur libellus, & pars compareat, petatque dilationem deliberatoriam, debet nè ei dari?

Reſp. Non, quia per libellum, incertus in citatione factus fuit certior de re, nec fieri certior amplius debet, qui ſatis certus eſſe potuit, & noluit ſibi conſulere. *c. præterea, de dilat.*

22 Quæ eſt exceptio ferialis?

Reſp. Eſt illa, in qua ſunt feriæ, & de iure negotia non tractantur, *l.1. C. de ferijs.*

23 Dilatio, ſeu citatio vocatoria, ſeu peremptoria quomodo debet eſſe?

Reſp. Vocare aliquem, vel citare peremptoriè, non debet eſſe cum termino breui, præcipuè in cauſis Eccleſiaſticis, & legitimè de tali breui termino appellatur. *c. 1. de dilation.*

24 Quando Iudex arctat terminum, vel prorogat, quid debet agere?

Reſp. Exprimere cauſam, aliás iuſtè appellatur à partibus. *Abb. c.1. n.8. de dilationibus.*

25 Copia libelli miſſa reo in citatione ſufficit nè ad litem conteſtandam?

℞. Non, ſed reſponſio, vel contumacia rei. *Abb. cap. præterea. nu. 10. eodem tit.*

CAPVT X.

De Ferijs, &c.

1 QVotupliciter ſumitur hoc nomen feria?

Reſp. Sumitur pro die feſtiuo, & etiam pro die laboris, & dicitur feria quinta, tertia, & ſecunda, & tũc deriuatur à verbo faris, vel fare, quia Deus omnia creauit fando in ferijs hebdomadis fando, ideſt ſolo verbo, vt habetur *Geneſ. 1. l. 2. C. de ferijs. Abb. in rubr. de ferijs.*

2 Vnde dicitur feria?

Reſp. Primò, à foro, quia in ea requieſcitur ab his negotijs, quæ conſueſcunt fieri in foro. vt Azor. in ſum. titulo de ferijs, vel dicitur à feriando, ideſt requieſcendo à labore tamquam in die feſtiuo, vt tenet Hoſt. in ſumm. vel dicitur, quia in illa litigantes habent immunitatem ab iis, quæ fiunt contra eos in foro, vel pro die feſtiuali, quia in ipſis victimæ offerebantur, & immolabantur, & ſic dici ſolent feriæ nuptiales. *Abb. vbi ſup.*

3 Quæ ſunt ſpecies feriarum?

℞. Tres. Primò, dicuntur feriæ ſolemnes, ſcilicet

dies feſtiuus in honorem Dei. Secundò, dicuntur feriæ publicæ, ſeu ruſticæ indictæ ad colligendos fructus terræ. Tertiò, dicuntur repentinæ, quia repentè inducuntur; vt cum Princeps inducit ferias propter natiuitatem filij, vel quia duxit vxorem. *Abb. cap. conquæſtus. nu. 8. de ferijs.*

4 Quis inſtituit dies feſtiuos, vel feriatos?
Reſp. Deus inſtituit diem Dominicam, quia in eo requieuit ab omni opere, quod patrarat, & in eo reſurrexit à mortuis; reliquas verò feſtiuitates inſtituit Eccleſia; & Principes ſæculares ſolent inſtituere dies feſtiuos pro natali ſui filij, vel pro aliqua victoria; & Epiſcopi in ſuis diœceſibus, iuſtis de cauſis, præcipiunt aliquos dies celebrari. *l. 1. C. de ferijs.*

5 Dies feſtiuus, vel feriatus ſolet nè eſſe æqualis in omnibus diœceſibus, & ciuitatibus.
Reſp. Non, ſed in obſeruando dies feſtiuos in qualibet ciuitate debet obſeruari ritus illius ciuitatis. *l. præſides. ff. de ferijs.*

6 In diebus feriatis, vel feſtiuis quid poſſunt homines facere?
Reſp. Non poſſunt facere opera ſeruilia, niſi fuerint neceſſaria ad victum quotidianum; & poſſunt exercere artes liberales, vt ſtudere, ſcribere, & pſallere, & his ſimilia. *l. 1. l. diuus. ff. de ferijs. c. conquæſtus. de ferijs, & ibi DD. & dixi latè. lib. 3. c. 1.*

7 Ad quem Iudicem ſpectat cognoſcere de obſeruatione dierum feſtiuorum?
Reſp. Ad Eccleſiaſticum; quia dies feſtus eſt Deo ſacratus.

8 Die Dominica, quid prohibetur hominibus facere?
Reſp. Mercari, litigare, iudicare, vendere, & iurare. *c. 1. de ferijs.*

9 Eſt nè licitum diebus feſtiuis, ſtudere, vel conſulere?
Reſp. Si intentio principalis ſit lucrari nummos, vel ditari, non eſt licitum; ſi verò intentio principalis ſit illuminare mentem, laborare ad regendam rempublicam, expedire negotium alicuius litigantis, & ſecundariò ex tali ſtudio ſequatur lucrum, vel honor, eſt licitum, & meritorium. *Abb. concordans opiniones, DD. in c. 1. de ferijs. nu. 4.*

10 In die feſtiuo poſſunt nè milites exercere arma, & ſuum officium?
Reſp. Poſſunt; quia neceſſitas cogit. *c. 1. de tregua, & pace. gloſ. in l. penultima ff. de ferijs. l. omnes iudices. C. eod. titulo.*

11 Quibus cauſis poteſt Epiſcopus dare licentiam, vt diebus feſtiuis ſeminetur, aretur, colligantur fructus terræ, domus ædificentur, & agricultura exerceatur?
Reſp. Propter aliquam neceſſitatem, ne res pereant vel fructus terræ tempeſtatibus minuãtur, vt ſi tempus ſeminandi labatur, ſi domus ſit ædificata, & non cooperta, & timeatur de pluuia; & hæc omnia relinquuntur arbitrio iudicis Eccleſiaſtici. *c. licet. de ferijs, & Abb. ibi. num. 7.*

12 Si ſit aliqua opera pia, vt ædificium alicuius Eccleſiæ, vel monaſterij poteſt Iudex dare licentiam, vt in illa opera laboretur diebus feſtiuis?
Reſp. Affirmatiuè, quia ſicut poteſt dare licentiam propter neceſſitatem, ſic propter pietatem. *capit. conquæſtus de ferijs.*

CAPVT XI.

De ordine cognitionum.

1 QVid eſt ordo cognitionum?
Reſp. Quædam regula, quæ iudicibus datur, quo ordine debent cauſam cognoſcere, & determinare.

2 Si opponatur exceptio peremptoria, quando debet determinari?
Reſp. Ante cauſam principalem, & ſententiam diffinitiuam, quia ſi exceptio peremptoria probetur, fruſtra agitur de cauſa principali commiſſa, cum ipſa eliciat intentionem actoris. *cap. 1. de ordine cognitionum.*

3 Exceptio peremptoria, poteſt opponi publicatis atteſtationibus, vel poſt ſententiam?
Reſp. Cum diſtinctione, ſi exceptio eſt compatibilis cum cauſa principali, vt ſi agatur de validitate matrimonij, & ſimul de conſanguinitate, tunc opponi poteſt publicatis atteſtationibus: ſi verò non ſit compatibilis cum cauſa principali, non debet admitti, ne quis inſtruatur. *Abb. c. 1. eod. tit. n. 9.*

4 Expoliatio quomodo poteſt opponi?
Reſp. Dupliciter; ab actore petendo ſpoliationem: & à reo petendo, quod actor ipſe eum ſpoliauit. *cap. cum dilectus. eod. tit.*

5 Exceptio excommunicationis poteſt fieri, & opponi poſt concluſionem?
Reſp. Poteſt, cum ſit impedimentum iuris. *Abb. c. cum dilectus, n. 16.*

6 Quæ eſt exceptio ſpoliationis, & quando opponitur?
Reſp. Exceptio dilatoria, & opponitur ante litis conteſtationem. *Abb. cap. 2. num. 2. de ordine cognitionum.*

7 Iudex tenetur ſtatim ad pronuntiationem incidentem, vel emergentem pronuntiare ſuper exceptione?
Reſp. Aliquando poterit reſeruare pronuntiationem, vſque ad ſententiam diffinitiuam, & ſimul vtrumque determinare. *Abb. vbi ſup. n. 11. c. 1.*

8 Si quis petat hæreditatem, & opponatur, illum eſſe illegitimum, quid debet determinari prius, articulus ſucceſſionis, vel illegitimitatis?
Reſp. Articulus illegitimitatis, & coram Eccleſiaſtico: quia illegitimus eſt de iure excluſus, & ſic cauſa hæreditatis eſt finita. *cap. tuam. eod. tit. de ordine cognitionum.*

9 Spoliatus cogitur nè reſpondere ſpoliatori ante reſtitutionem ſuam?
Reſp. Non; quia ſpoliatus ante omnia, eſt reſtituẽdus. *c. cum dilectus. eod. tit.*

10 Accuſatus poteſt accuſare ſuum accuſatorem?
Reſp. Regulariter non, pendente ſua accuſatione. *Abb. cap. cum dilectus. eodem titulo. numero trigeſimoprimo.*

CAPVT XII.

De pluribus petitionibus.

1 QVid eſt plus petititio?
Reſp. Exactio plus, vel aliter, quam pactum fuit, *l. 1. C. de plus petit.*

2 Quibus modis petitur plus?
Reſp. Quatuor. Primo, quando petitur ante tempus ſtatutum. Secundo, quando petitur maior quantitas. Tertio, quando petitur in alio loco, quàm in eo, in quo eſt conſtitutum ſoluere. Quarto, quando petitur ob aliam cauſam magis neceſſariam, vt ſi debet peti via ordinaria, & petatur via exequutiua. *cap. de plus petitionibus.*

3 Qui plus petit, quam pœnam incurrit?
Reſp. Condemnatur in expenſis, & intereſſe, & vſque realiter ſolutæ ſint, non tenetur reſpondere reus parti petenti. *c. 1. eod. tit.*

4 Quando plus petens non punitur?
Reſp. Primò, quando actor conuictus de maiori quantitate ante ſententiam tranſigit cum reo de maiori quantitate. Secundò, quando actor plus exigit, quam ſonat ſcriptura, ſed reus confitetur ſe totū illud debere. Tertiò, quando poſt litis conteſtationē ante ſententiam actor cōfitetur ſe plus petijſſe, quia tūc ipſe ſe conuincit, & non cōuincitur à reo. Quartò, quando actor (ſi ſibi debentur decem) facit, vt reus faciat ſcripturam, quòd ipſe debet viginti, tunc licet petat viginti, non tenentur ad pœnam, cum non petat dolosè, ſed de conſenſu rei ſoluentis. *Abb. c. conſilium eod. tit. num. 8.*

5 Quando plus petens tenetur ad ſoluendam pœnam?
Reſp. Poſtquam fuerit conuinctus, & per ſentētiam condemnatus à Iudice. *Abb. c. conſilium, de plus petitionibus, num. 4.*

6 Si quis debet decem, & illi petantur viginti, poterit ne abſolutè negare ſe nihil debere?
Reſp. Non; ſed in iudicio debet cōfiteri decem, quæ debet, & negare non eſſe viginti, quia qui petit viginti, & totum petit, & partem, cum decem, in viginti includantur, tamquam pars in toto, *l. ſi quis cum totum. ff. de exceptione rei iudicatæ.*

CAPVT XIII.

De cauſa poſſeſsionis, & proprietatis.

1 QVæ dicitur cauſa poſſeſſionis?
Reſp. Illa, in qua agitur ſolùm de poſſeſſione ſuſpenſo iudicio proprietatis. *c. 1. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, & ibi gloſ.*

2 Quæ dicitur cauſa proprietatis?
Reſp. Quando ſuſpenſo iudicio poſſeſſionis agitur immediate de iudicio proprietatis. *c. 1. eod. tit.*

3 Poſſeſſorium poteſt terminari ſine proprietate?
Reſp. Poteſt finiri prius cauſa poſſeſſionis; ſed cum agitur de proprietate, ſimul tractantur. *cap. ad vltimum. eodem titulo de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.*

4 Quando perditur, vel interrumpitur poſſeſſio?
Reſp. Quando quis excluditur à loco vbi talia exercentur; aut excluditur à capitulo, vbi fit electio. *Abb. in c. cum Eccleſia ſub trina. eod. tit. num. 7.*

5 Poſſeſſio circa quas res verſatur?
Reſp. Circa res corporales, & incorporales & in vtroque acquiritur ius poſſidendi, vt circa domos, & agros, quæ ſunt iura corporalia, & circa ius præſentandi, & eligendi, quæ ſunt iura incorporalia. *Abb. vbi ſup. nu. 25. in c. cum Eccleſia ſub trina.*

6 Poſſeſſio rerum incorporalium quomodo retinetur?
Reſp. Animo. *Abb. vbi ſupra.*

7 Conſuetudo, & poſſeſſio ex quibus actibus inducitur?
Reſp. Ex tribus actibus, cum ſcientia, & patientia partis contrariæ. *Abb. vbi ſup. num. 41.*

8 Ad præſcribendum rem Eccleſiaſticam quid requiritur?
Reſp. Bona fides, & titulus, quia eſt contra Ius. *Abb. vbi ſup. num. 31. & 43.*

9 In libello debet ne exprimi actio poſſeſſionis, vel proprietatis, quam quis vult intentare?
Reſp. Debet neceſſariò exprimi, & ſi libellus ſit generalis, & ex eo non appareat actio, quæ intentatur, Iudex ex ſuo officio debet interrogare partem, & declarare actionem, vt tollatur dubitatio. *Abb. in c. paſtoralis, num. 3. eod. tit.*

10 Conſuetudo vnde dicitur?
Reſp. Ex vſu, & ad eam inducendam non requiritur cauſa, & titulus, qui à loco ipſorum eſt vſus continuatus à maiori parte populi, vel communitatis ſine vlla contradictione, *Abb. in c. cum Eccleſia ſub trina. num. 45. eod. tit.*

11 In quo differunt iudicium poſſeſſionis, & proprietatis?
Reſp. In eo, quòd poſſeſſio habetur pro vſufructu, & poſſeſſione rerum, proprietas verò habetur pro domino directo, & ſic qui vincit proprietatem, vincit poſſeſſionem, & fructum rei, cum de Iure debeatur domino. *Abb c. 1. eod. tit. num. 2.*

12 Coram quo Iudice debet litigari iudicium poſſeſſionis?
Reſp. Coram eodem Iudice, coram quo debet litigari iudicium Proprietatis, quia in eadem re ſunt diuerſa iudicia ad eumdem finem tendētia. *c. 1. eod. tit.*

13 Citatio de quo Iure eſt?
Reſp. De iure diuino, & naturali, quia eſt defenſio licita. *Abb. in c. 1. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis. num. 5.*

14 Iudex datus in proprietate poteſt eſſe Iudex poſſeſſorio?
Reſp. Poteſt; quia poſſeſſio intrinſecus ineſt proprietati, *Abb. in c. paſtoralis. eod. tit. n. 10.*

15 Interdictum vnde vi pro quibus rebus datur?
Reſp. Pro mobilibus, & immobilibus vi ablatis; & dicitur vnde vi; quia per hoc interdictum vis tollitur. *l. 1. §. illud vtique ff. de vi, & vi armata, & inſtit. vi bonorum raptor. in princ.*

16 Iudex,

16 Iudex, qui ſententiauit ſuper proprietate, poteſt ne ſententiare ſuper poſſeſſione?
Reſp. Non, quia petitorium abſoluit poſſeſſorium, & ſic functus eſt officio ſuo, ſed non è contra; imò Iudex, qui ſententiauit ſuper poſſeſſorio, poteſt ſententiare ſuper proprietate. *Abb. in cap. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fructuum, nu. 12.*

17 Interdictum, vti poſſideris, pro quibus reb. datur?
Reſp. Pro rebus immobilibus, vel pro iuribus, & cõſuetudinibus ſedendis in locis, vel aliquid faciendi, in quibus aliquis moleſtatur, & datur hoc interdictum, vt quis poſſideat, veluti ante moleſtationem poſſidebat. *c. licet de probationibus. Inſtitut. de interdictis. §. retinendæ.*

18 Si libellus contineat petitionẽ poſſeſſionis, poterit ne Iudex ſententiare in articulo proprietatis?
Reſp. Non, quia iudicat vltra petita. *Abb. in c. paſtoralis. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis, n. 11.*

19 Quando agitur ſimul de petitorio, & poſſeſſorio, debet ne vna ſententia terminari?
Reſp. Affirmatiuè, ſed in executione ſententię priùs debet exequi ſententia proprietatis, quam ſententia poſſeſſionis, tanquam magis digna. *Abb. c. cum dilectus, de cauſa poſſeſſ. & proprietatis, num. 12.*

20 Qui agit de iudicio proprietatis poteſt ne poſtea agere de iudicio poſſeſſionis?
Reſp. Affirmatiuè; quia in iudicio proprietatis tacitè ineſt iudicium poſſeſſionis. *c. ad vltimum. eod. tit.*

21 Si quis ſimul agat de iudicio petitorio, & poſſeſſorio, & probet poſſeſſionem, & non proprietatem, Iudex in iſto caſu quam ſententiam debet proferre?
Reſp. Debet illi dare poſſeſſionem, quia probauit, & confeſtim auferre ab eo proprietatem, quia ſuccubuit, & non probauit, & ſimul cum ea poſſeſſionẽ; cum iudicium proprietatis vtrumque abſoluat. *cap. cum Eccleſia. eod. tit.*

22 Si quis intentet iudiciũ poſſeſſionis, & reus opponat iudicium proprietatis, eſt ne audiendus?
Reſp. Regulariter non, quia prius debet definiri cauſa adipiſcendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis, & poſtea agi poteſt de proprietate. *Abb. in cap. ad vltimum. nu. 4. eod titulo.*

23 Parte non citata poteſt ne aliqua cauſa determinari?
Reſp. Non, cum lex dicat, nec nos inauditis partibus poſſumus aliquid determinare. *Abb. in cap. 1. eod. tit. nu. 5.*

24 Actore non probante abſoluitur reus?
Reſp. Affirmatiuè, & remanet cum ſua proprietate. *c. cum Eccleſia, de cauſa proprietatis. l. qui accuſare. C. de edendo.*

25 Canonicus ad electionem admiſſus à minore parte Capituli acquirit ne Ius, & poſſeſſionem eligendi?
Reſp. Non niſi admittatur à maiori parte: tun enim acquirit Ius, cum iuſtè admittitur. *Abb. in c. cum Eccleſia. num. 35. eod. tit.*

26 Si vnus ſit in poſſeſſione eligendi, & alius habeat proprietatem, & non poſſeſſionem, & vterque eligat, quam electionem debet Iudex confirmare?
Reſp. Si ille qui eſt in poſſeſſione, habet bonam fidem, confirmari debet electio facta ab eo, qui eſt in poſſeſſione, quia ille, qui habet proprietatem, nõ poteſt ſua auctoritate priuare eum, qui habet poſſeſſionem a ſua poſſeſſione, ſed id debet facere auctoritate Iudicis, ſuam proprietatem apud illum proponendo, & citando eum, qui habet poſſeſſionem. *Abb. in c. cum Eccleſia. eod. tit. num. 53. Innoc. in c. cum dilectus. eod. tit.*

27 Si quis petat aliquem rem ex vna cauſa, & ſuccumbat, poterit ne audiri ex alia cauſa?
Reſp. Poterit, quia ſententia lata ex vna cauſa non præiudicat, quin iterum ex alia cauſa talis, qui ſuccubuit, poſſit audiri. *c. vlt. eod. tit. de cauſa poſſeſſ. & proprietatis.*

28 Si quis fuit electus, confirmatus, & ſpoliatus, debet ne reſtitui?
Reſp. Si electio facta in eum, fuit bona, debet reſtitui; ſi electio fuit nulla, non debet, quia cofirmatio cadit ſupra electionem, quæ ſi nulla fuit à principio, nec confirmatio valuit. *Abb. in c. cum ſuper, num. 5. eod. titulo.*

29 Geſta ab inualidè electo tenet ne?
Reſp. Tenent ratione publici officij; quia error cõmunis Ius facit. *Abb. in c. cum ſuper, num. 6. eod tit. L. Barbarius Philippus. ff. de officio Prætoris. quam citat. Abb. proximè cit.*

30 Si reus confiteatur rem non eſſe ſuam, & actor nõ probet eſſe ſuam, quid agendum?
Reſp. Reus abſoluitur, & res (ſupra quam eſt controuerſia) non datur, actori, quia non probauit, ſed proprio domino. *Abb. vbi ſup. n. 9.*

31 Si quis agit de poſſeſſione, poteſt in diſcurſu litis agere de proprietate?
Reſp. Poteſt in quocumque ſtatu litis, relicto iudicio poſſeſſionis, dommodo nihil ſit cõcluſum in cauſa; quia ſit concluſum fuerit, neceſſario ſententia ferenda eſt de poſſeſſione. *c. paſtoralis. de cauſa poſſeſſionis, & proprietatis.*

32 Si quis agit de petitorio, & ſuccumbit poterit agere de poſſeſſorio?
Reſp. Poſt ſententiam in petitorio non debet talis audiri in poſſeſſorio; quia petitorium inducit in poſſeſſorium. *Abb. c. paſtoralis. n. 24. eod tit.*

CAPVT XIV.

De Reſtitutione ſpoliatorũ.

1 QVid eſt reſtitutio?
Reſp. Eſt prioris ſtatus, vel iuris integratio, videlicet reducere cauſam in priorem ſtatum, in quo erant ante læſione. *c. 1. de reſtit. in integrum.*

2 Quotuplex eſt reſtitutio in integrum?
Reſp. Duplex, alia ſummaria ſine cauſæ cognitione, vel cum aliqua cauſæ cognitione; altera plenaria, factis probationibus, & finita lite, quæ vocatur reſtitutio in integrum.

3 Quibus datur reſtitutio?
Reſp. Minoribus, qui nondum vigeſimum quintum annum attingerit, & Eccleſijs, & communitatibus, quæ vt minores cenſentur. *c. 1. eod. tit. de reſtit. in integr. & ibi gloſ.*

4 Quando eſt reſtituendum ſpoliato?
Reſp. Statim ante omnia facta, tamen poſitá probatione ſpoliationis, ne Iudex decipiatur. *Abbas c. ſolicitè,*

ſolicitè, de reſt.ſpoliat. nu.5.

5 Quibus competit hæc reſtititutio?
Reſp. Tam maioribus, quàm minoribus. c.1. & 4. de reſtit. integr. & ff. eod. tit. per totum.

6 Si quis petat reſtitutionẽ, & opponatur illi, quod renunciauit beneficio reſtitutionis, quid agendum?
Reſp. Debet reſtitui non obſtante oppoſitione renunciationis, quæ dilatoria eſſe videtur, cum nemo cenſeatur renunciare iuri ſuo. Abb. cap. ſolicitè de reſtit. ſpol. num. 1.

7 Violentus ſpoliator quam pœnam incurrit?
Reſp. Reſtituit rem cum fructibus, quos percepit, vel quos potuit facere, condemnatur in expenſis, & Abb. in cap. olim, il ſecondo, num. 3. de reſtitut. ſpoliat. & c. 1. eod. tit.

8 Si quis accipit poſſeſſionẽ ſua auctoritate ignorãte domino, qui poſſidebat, poterit ne per ipſum dominum repelli à poſſeſſione ſine mandato Iudicis?
Reſp. Poterit à domino primo vi repelli, & tali repulſo non competit interdictum de poſſidendo: quia vim vi repellere licet, tamen cum moderamine inculpatæ tutelæ. c. olim. il 1. de reſtit. ſpoliatorum.

9 Si quis non ſpoliauit, neque ſpoliare mandauit, neq; ratam habuit ſpoliationem, & tamen poſſidet rem, poterit ne contra eum agi interdicto; vnde vi; ſi alius fecit ſpoliationem?
Reſp. Non, ſed res debet peti ab eo, iudicio ordinario petendo poſſeſſionem, vel proprietatem. cap. cum ad ſedem. eodem titulo, de reſtitutione ſpoliatorum.

10 Si quis reſpiciat à ſpoliatore rem ſpoliatam ad quid tenetur?
Reſp. Si ſciant rem eſſe inuaſam, tenetur eam reſtituere ex interdicto, vnde vi; ſi verò neſciat eſſe inuaſam, debet ab eo peti iudicio ordinario, quia fraus, & dolus nemini opitulatur. c. ſæpè, eod. tit.

11 Spoliatus contra quem poteſt agere contra ſpoliantem, vel contra primum, & tertium poſſidentẽ?
Reſp. Contra vtrumq; & electio non illi præiudicat, nec ſi agat contra vnum, non ob id perdit actionem agendi contra alium. Abb. c. ſæpè. num. 21. eod. tit.

12 Si quis ad reſtituendum condemnetur, & ipſe opponat paupertatem, quid agendum?
Reſp. Si probet non habere, vnde reſtituat, obligatur ad reſtituendum, quando euenerit in cõmodiori fortuna; quia inopia impedit executionẽm ſententiæ, cum nemo ad impoſſibile obligetur. c. olim il 2. eodem tit.

13 Petitorium, & poſſeſſorium ſi à diuerſis petãtur, quod debet prius finiri?
Reſp. Poſſeſſorium, & ſpoliatus reſtituitur in priſtinum, licet iudicium proprietatis abſorbeat iudicium poſſeſsorium. c. ex conqueſtione eodem tit. & Abb. ibi numero 1.

14 Si quis petat reſtitutionẽ, & reus opponat de proprietate, eſt ne audiendus?
Reſp. Non, niſi actor conſentiat, quia de iure, prius debet terminari cauſa reſtitutionis, & actor poterit renuntiare iuri ſuo. c. 1. eod. tit.

15 Si quis faciat pactum de non agendo de poſſeſſorio, & poſtea agat, obſtabit nei ei pactum?
Reſp. Si factum fuit poſt ſpoliationem factam obſtabit ei, ſi verò fuit factum ante ſpoliationem, non obſtabit; quia daretur materia delinquendi, & dolus futurus remitti non poteſt. l. ſi vnus. ff. de pactis, §. pacta, c. quemadmodum, de iureiurando, Innocent. c. ſuper hoc de renuntiationibus. gloſ. c. ex inſinuatione de procuratoribus, quæ iura alleg. Abb. in c. ſollicitè, de reſtitutione ſpoliatorum, nu. 16.

16 Quis propriè dicitur ſpoliatur?
Reſp. Ille, qui ipſo neſciente, vel vidente; & contradicente, ab ipſo vi auſertur aliqua res, vel Ius ei tollitur.

17 Si quis velit probare non feciſſe ſpolium, debetne audiri ante reſtitutionem?
Reſp. Debet, quia ſi non fuit ſpolium, non eſt danda reſtitutio. c. accepta, de reſtit. ſpol. & ibi gloſ.

18 Si in ſpoliatione alicuius, ordo iuris fuit ſeruatus, debet ne ſeruari in reſtitutione?
Reſp. Affirmatiuè, nam res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Abb. c. conquerente num. 1. eodem tit.

19 In omnibus reſtitutionibus faciendis; Iudex debet ſeruare iuris ordinem?
Reſp. Licèt omnino non debeat ſeruari ordo iuris, tamen ante reſtitutionem prius probari debet iuridicè ſpoliatio. cap. conquerente, de reſtitutione ſpoliator.

20 Si quis petat reſtitutionem beneficij, & opponatur illi, quòd non fuit Canonicè inſtitutus, obſtabit ne hoc ad articulum reſtitutionis finiendum?
Reſp. Non, quia quæſtio ſpoliationis finienda eſt ante quæſtionem proprietatis. cap. in litteris, eodem tit. & ibi Abb. num. 1.

21 Si quis petat reſtitutionem, & opponatur illi aliquod magnum crimen ab eo, aquo petit reſtitutionem, obſtabit ne illi?
Reſp. Non, ſed primo debet reſtitui, quia præſumitur crimen oppoſitum ab inimico, vt impediat reſtitutionem, cum inimicitia oriatur inter ſpoliantem, & ſpoliatum. c. item eod. tit. & ibi Abb. num. 1. & 2.

22 Quando exceptio criminis impedit actionem petendi reſtitutionem?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi crimen inhabilitat perſonam ad agendum (vt obiectio excommunicationis) tunc impedit actionem petendi reſtitutionem; ſi vero crimen non inhabilitat perſonam ad agendum tunc non impedit. Abb. c. item, eod. tit. nu. 9.

23 Poſſeſſor bonæ fidei debet ne reſtituere cum fructibus, vel ſine fructibus?
Reſp. Si habeat bonam fidem ex aliquo titulo etiam colorato, vel ſit ſucceſſor alterius, debet reſtituere rem ſine fructibus; quia per bonam fidem eos facit ſuos: ſed a die, in quo poſitus eſt in mala fide per litis cõteſtationem, tenetur reſtituere rem, & fructus. Abb. c. grauis. de reſt. ſpol. num. 6. & 7.

24 Si quis ſit poſſeſſor malæ fidei, & poſtea habet bonam fidem, tenetur reſtituere rem cum fructibus?
Reſp. Non, nec fructus perceptos tempore bonæ fidei, vt ſi quis habeat agrum cum mala fide, & hæres eius interim cum bona fide, hæres non tenetur reſtituere fructus, quos in illa bona fide percepit. Abb. c. grauis num. 10. eod. tit.

25 Si quis Prælatus poſſidet agrum mala fide, & ſucceſſor in prælatia habeat bonam fidem, poterit ne præſcribere?
Reſp. Poterit, quia non fuit ſucceſſor malæ fidei, ſed prælatiæ, & illius rei. Abb. vbi ſup. nu. 10.

26 Latro, vel Prædo quomodo poteſt petere reſtitutionem rei furtiuæ, cum ſua non ſit?
Reſp. Licèt res iurata ſua non ſit, tamen habet poſſeſſionem eius rei, & poteſt petere reſtitutionem poſſeſſionis

ſeſſionis

ſeſſionis à ſpoliante, niſi ſpolians ſit dominus rei, tūc enim ſpolians non dicitur ſpoliare alium, ſed recuperare propriam rem, quam amiſit. *Abb. c. in litteris, eod. tit. num. 9.*

CAPVT XV.

De dolo, & contumacia, &c.

1 Qvis dicitur contumax?

Reſp. Ille, qui legitimè citatus intra terminū ſibi præfixum non comparet coram Iudice, vel legitimè non ſe excuſat. *l. contumacia, ff. de re iudicata. c. cum dilecti eod. tit.*

2 Vnde dicitur contumax?

Reſp. A contemnendo, quia ex contemptu non cōparet in iudicio. *Iſidor. in Ethimolog.*

3 Quotuplex eſt contumacia?

Reſp. Duplex: vera, cum quis reſpondet ſe nolle cōparere coram Iudices, ficta, cum quis latitat, vel citatus nihil reſpondet, & etiam non comparet. *gloſ. in clem. vnica, de dolo, & contumac.*

4 Iudex ſi procedat contra aliquem ſine indicijs, vel ſine infamia, ſi poſtea abſoluat eum, ad quid tenetur?

Reſp. Ad ſoluendas expenſas tali proſequuto, quia contra Ius fuit talis proſequutus. *Abb. in c. cum dilecti filij, de dolo, & cont. num. 17.*

5 Contumacia in quibus caſibus committitur?

Reſp. In pluribus. Primò, in non veniendo. Secundò, in non reſpondendo. Tertiò, in latendo. Quartò, in fugiendo. Quintò, in procurandò vi, vel fraude ne veniat citatio. Sextò, in non reſtituendo. Septimò, in non emendando delicto poſtquam eſt monitus. Octauò, in non exhibendo proceſſum, vel ſcripturā. *Goffr. in ſum. §. excommunicatio, de ſententia excommunicationis.*

6 Qui comparet, & diſcedit ſine licentia, dicitur ne contumax?

Reſp. Affirmatiuè; quia idem damnum facit, ac ſi non comparuiſſet. *Abb. in cap. prout, de dolo, & contumac. num. 2.*

7 Semel contumax quam cautionem debet præſtare?

Reſp. Sufficientem ſecundum litis qualitatem. *Abb. vbi ſupra num. 10.*

8 Dolus poteſt eſſe ſine culpa?

Reſp. Non, ſed poteſt eſſe cum lata culpa, vt quando ſtudioſè machinatur aliquem decipere, & poteſt eſſe cum culpa leui, quæ dicitur negligentia, propter quam alteri fecit damnum, & poteſt eſſe cum leuiſſima culpa, vt quando potui prouidere, & non prouidit caſum venturum. *Hoſtienſ. in ſumm. de dolo, & contumacia.*

9 Quis dicitur doloſus?

Reſp. Ille, qui per fraudem fugit iudicium, vel in lite facit dolum ad peruertendam, vel dilatandā iuſtitiā.

10 Quotuplex eſt dolus?

Reſp. Duplex, malus, & bonus: malus eſt calliditas, fallacia, aut machinatio ad fallendum alterū bonus eſt quædam aſtutia, vel calliditas ad bonum finem, puta contra latronem, vel hoſtem publicum, vel ad aperiendam veritatem, vt Salamon fecit cum voluit diuidere infantem. *Hoſtienſ. in ſum. eodem tit. l. 1. ff. de dolo malo. c. afferte mihi gladium, de præſumptionibus. cap. vtilem. 22. q. 2. & cap. de dolo malo ibi in principio tituli.*

11 Quis debet probare dolum?

Reſp. Ille qui opponit. *l. quoties. ff. de approbationibus. & Abb. in c. aduerſario, de exemptionib. nu. 8.*

12 Quis dicitur doli capax?

Reſp. Proximus pubertatis; vt vir cum habet vndecim annos, & dimidium. *l. Pupillum. ff. de reg. iur. c. omnes vtriuſq; ſexus, de pœnit. & remiſſ.*

13 Dolus quomodo probatur?

Reſp. Ex coniecturis, ex verbis, & actionibus. *Abb. c. aduerſario de exceptionibus. num. 8.*

14 Dolus, & fraus debent alicui prodeſſe?

Reſp. Non, imò obeſſe. *capit. ex litteris. de dolo, & contum.*

15 Ad citationem faciendam requiritur neceſſariò, vt quis ſit ſcriba?

Reſp. Non, ſed poteſt Iudex dare authoritatem priuatę perſonę, & etiam ipſi parti contrariæ, vt faciat citationem, & talis à Iudice ſic habilitatus poteſt facere citationem; ratio eſt, quia citatio non eſt publica ſcriptura, quæ neceſſariò debet fieri à Notario, vel ſcriba approbato, ſed talis citatio, eſt melius, vt fiat à Notario. *Abb. in c. cum dilecti, eod. tit. nu. 6.*

16 Citatio arctata, & impoſſibilis litigat ne citatum, vt faciat contumaciam?

Reſp. Non, puta ſi quis diſtat per triginta leucas, & citetur comparere intra duos dies, ſi non compareat non eſt contumax, neq; condemnatur, quia ad impoſſibile nemo obligatur. *Abb. in c. cum dilecti filij, de dolo, & contum. nu. 20.*

17 Caſus fortuitus quid eſt?

Reſp. Ille, qui non eſt in manu hominis prouidere, vt pluuia repentina, tempeſtas maris, & latronum incurſus. *l. quæ fortuitis. C. de pignoratitia actione.*

18 Citatio ſufficit ne fieri in domo?

Reſp. Si non appareat ille, qui citatur, ſufficit; & talis erit verè contumax. *c. cauſam de dolo, & contum. & ibi gloſ.*

19 Quando dicitur aliquis non poſſe reperiri perſonaliter ad effectum citandi?

Reſp. Quando eſt extra prouinciam vel ſe aliò confert, & occultat, tunc ſi de hoc conſtat, poteſt citari in domo. *Abb. in c. cauſam de dolo, & contumacia. numer. 5. & 6.*

20 Requiritur ne ad citationem peremptoriam, vt in ea fiat diuiſio trium terminorum?

Reſp. Non ſufficit, vt dicat te peremptoriè citamus vſque ad diffinitiuam incluſiuè. *Abb. in c. cum dilecti. num. 5. eodem tit.*

21 Si quis non inueniatur in ſua domo, vbi debet citari?

Reſp. In Eccleſia debent figi tres citationes, & vltima peremptoria, & poſtea procedi in cauſam. *cap. vlt. eodem tit.*

22 Reus, qui non comparet, vel non obedit mandato iudicis, intra quod tempus auditur?

Reſp. Intra annum cautione de ſtando iuri, quæ cautio datur ad euitandum, ne iterum ſit contumax. *Abb. c. 1. eodem. tit. num. 1.*

23 Si contumax probauerit iſtud impedimentum, debet,

debet ne condemnari in expenſis?

℟. Non, quia impedito iuſtè non currit praſcriptio, nec pœna. *Abb. in cap. querelam, de procuratoribus, num. 3. c. cum dilecti filij, eod. tit.*

24 Citatus impeditus quid tenetur facere, vt ſe excuſet à pęna?

Reſp. Docere Iudicem per nuntium iuſtum impedimentum, faciendo informationem, vel teſtimoniū medicorum. *Abb. vbi ſup. num. 4.*

25 Quod erit iuſtum impedimentum ad non comparendum coram Iudice, ſi quis legitimè citetur?

℟. Infirmitas grauis, pluuia magna, fluminis impetus, bellum, periculum latronum, & omnis cauſa, quæ de ſua natura poteſt periculum vitæ ferre. *cap. querelam, de Procuratoribus. nu. 5.*

26 Impeditus quando tenetur comparere per ſe, vel per procuratorem?

℟. Tam actor, quàm reus, tàm in cauſa ardua, quàm in leui, tàm in impedimento longo, quàm breui, tàm in iuſto impedimento, quàm in iniuſto tenetur intra terminum ſibi aſſignatum Procuratorem inſtituere. *Abb. in cap. cum dilecti filij. numero 13. de dolo, & contumac.*

27 Si quis non inueniat procuratorem, vel nolit acceptare eius mandatum, & ipſe ſit impeditus, in iſto caſu erit ne contumax?

℟. Non; & Iudex tenebitur illi dare procuratorem ex ſuo officio, & ſupplere eius neceſſitatem; *inſt. de mandato. § recte, & Abb. in c. cum dilecti, de dolo, & contum. num. 14.*

28 Si quis citetur, & mandet excuſatorem docentem de ſuo impedimento, habebitur ne, vt contumax?

℟. Affirmatiuè; quia ſicut mandauit excuſatorem, potuit mandare procuratorem ad ſe defendendum, & ideò condemnatur in expenſis, quia non mandauit perſonam vellem. *Abb. in c. vlt. de dolo, & contum. nu. 8. & c. querelam num. 4. de procurat.*

29 Vbi ius actoris factum eſt ad deterius per contumaciam rei debet ne pęna exigi à reo contumace?

℟. De Iure Canonico non, ſi intra annum compareat, & ſtet iuri *cap. 1. de dolo. & contumacia, & ibi Abb. num. 1.*

30 Quæ ſunt pœnæ, quæ imponuntur contumacibus à Iure?

℟. Aliquando mulctantur pecunia; aliquādo pignus ab eo capitur, aliquando in carcerantur, & excommunicantur, tandem pœnæ relinquuntur arbitrio *Iudicis. gloſſ. 1. in cap. 1. eodem tit. in verbo, multoties.*

31 Partes tenentur habere procuratorem?

℟. Si abſint a loco litis, tenentur relinquere eum, aliàs erunt contumaces. *Abb. in c. cauſam, de dolo, & contumac. num. 2.*

32 In criminalibus admittitur ne procurator?

℟. Non, quando eſt imponenda pœna corporis, & ſi reus mittat procuratorem, habetur pro contumace. *Abb. c. veritatis. eod. tit. num. 20.*

33 Poteſt res, de qua litigatur, ſequeſtrari propter ſolam contumaciam?

℟. Affirmatiuè, & reus condemnari in expenſis ab actore legitimè factis. *c. ex litteris eodem tit. & Abb. ibi num. 5.*

34 Expenſæ ſunt ne taxandę à tempore citationis, vel à tempore contumaciæ?

℟. Expenſæ proceſſales à tempore citationis; perſonales verò à tempore contumaciæ, detrahendo expenſas, quas talis debebat domui ſuæ facere; ratio eſt, quia actor tunc incipit expectare, quando reus incipit eſſe contumax. *Abb. in c. cum dilecti, de dolo, & contumac. num. vlt.*

35 Condemnatus in expenſis generaliter, de quibus expenſis intelligitur?

℟. De expenſis neceſſarijs, moderatis, & vtilibus, & taxantur arbitrio iudicis ſecundum cauſę qualitatem. *gl. in c. finem, in verbo expenſas, de dolo, & cont. & Abb. ibi. nu. 28.*

36 Condemnatio de expenſis fit ne in criminalibus?

℟. Affirmatiuè, ſi ſit contumacia in comparendo. *Abb. in c. finem, eod tit. num. 24.*

37 Sententia lata in beneficiali contra contumacem tranſit ne in rem iudicatam?

℟. Non, quia contumax eſt indefenſus, & ſi comparendo, & moram purgando debet audiri. *Abb. c. cum olim. de dolo, & contu. num. 1.*

38 Actore contumace poſſunt ne recipi teſtes, & ferri ſententia?

Reſp. Affirmatiuè, etiam lite non conteſtata, ad petitionem tamen rei. *cap. cauſam, de dolo, & contumac.*

39 Qui non poteſt ſoluere expenſas propter paupertatem, qua pęna debet puniri?

℟. Pœna corporis arbitrio Iudicis imponenda. *c. finem. eod. tit.*

40 Eſt ne citandus contumax ad condemnationem expenſarum?

℟. Non. *Abb. in c. finem. de dolo, & contum. n. 17.*

41 Sub condemnatione generali expenſarum intelliguntur expenſæ perſonale factę à parte contraria, vt victus, & veſtitus, vel damna paſſa ab actore ratione contumaciæ rei?

℟. Niſi in tali condemnatione Iudex expreſsè dicat, quòd condemnat contumacem in expenſis proceſſalibus, perſonalibus, & in damnis à parte paſſis.

42 Quando Iudex debet concedere vnam citationem peremptoriam, & non tres?

℟. Quando citandus eſt de longinquo, & in citatione facienda debent fieri magnæ expenſæ. *Abb. c. cum dilecti, eod. tit. nu. 5.*

43 Si actor fundauit actionem ſuam, & reus tunc opponat exceptionem peremptoriam, vel dilatoriam, ſi eam in continenti non probet, qua pęna punitur?

℟. Condemnatur in expenſis, non expectata diffinitiua ſententia. *c. finem litibus. de dolo, & contum. & Abb. ibi. nu. 10.*

44 Si procedatur per viam inquiſitionis contra contumacem, ſententia poteſt ne ferri lite non conteſtata?

℟. Affirmatiuè non ſolum ſententia, ſed etiam executio ſententiæ poteſt fieri, & priuatio beneficij, quia hoc fit in pœnam contumaciæ. *c. veritatis. de dolo, & contum.*

45 In qua cauſa Iudex poteſt committere citationem ex officio ſuo?

℟. Solùm in cauſa criminali, ſed non in ciuili: ratio eſt, quia in ciuili debet fieri ſolum ad inſtantiam partis, cuius intereſt, & Iudex non debet ſumere officiū partis, ne det occaſionem recuſationi. *tenet Abb. in c. veritatis iſto tit. num. 5.*

46 Iudex poteſt reſeruare ſibi condemnationem expenſarum, ſicut taxationem?

℟. Poteſt

℞. Poteſt, & ratio eſt quia vtrumque cadit ſub poteſtate Iudicis; vt habetur in *l. aſſeſſ. de hæredibus instituendis, quam allegat, Abb. in c. 1. num. 22. de ſequeſtr. poſſeſ. & fruct.*

47 Confeſſio, & contumacia Prælati, & capituli nocet ne Eccleſiæ?

℞. Affirmatiuè, quamuis Eccleſiæ competit remedium reſtitutionis. *Abb. in c. 1. de dolo, & contumacia, num. vlt.*

CAPVT XVI.

De eo, qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ.

1 QVid eſt poſſeſſio?

℞. Corporalis detentio corporis, & animi iuris adminiculo concurrente, *Azo. in C. de acquirenda, & retinenda poſſeſſione, Hoſtienſ. in ſum. de cauſa poſſeſſionis, num.*

2 Quotuplex eſt poſſeſſio?

Reſp. Triplex; alia iuris tantùm, alia facti tantùm, alia iuris, & facti ſimul. *cap. cum noſtris. de conceſſione prabendæ. l. in C. de acquirenda poſſeſ. & ibi gl.*

3 Iudicium poſſeſſionis quotuplex eſt?

Reſp. Triplex. Primò, pro poſſeſſione adipiſcendæ. Secundò, pro poſſeſſione retinendæ. Tertiò, pro poſſeſſione recuperanda. *c. paſtoralis, de cauſa poſſeſſ. & propr. & inſt. de interdict. §. ſequens.*

4 Quando dicitur quis poſſidere naturaliter?

Reſp. Quando eſt ipſe homo in re, vel in parte eius, vel videt rem. *Azo. in ſum. C. de acquirenda, & retinenda poſſeſſ.*

5 Quando dicitur quis poſſidere ciuiliter?

Reſp. Quando non eſt in re, neque in parte rei, neque videt rem. *Azo. vbi ſup.*

6 Quando dicitur quis poſſidere clàm?

Reſp. Quando poſſidet occultè abſente domino.

7 Quando dicitur quis poſſidere vi?

Reſp. Quando violenter, vi armorum quis contra voluntatem alterius poſſidet.

8 Quando dicitur quis poſſidere cauſa rei ſeruandæ?

Reſp. Quando contendiſti talem fundum eſſe tuum, & probaſti, & Iudex per executorem ſuum mittit te in poſſeſſionem, & facit verum poſſeſſorem. *l. prætoris. ff. de dam. infect. & cap. 1. de eo, qui mittitur in poſſeſſion.*

9 Primum, & ſecundum decretum in cauſa poſſeſſionis quid ſunt?

Reſp. Sententiæ interlocutoriæ, quæ reuocari poſſunt ex cauſa. *Abb. c. 1. eod. tit. nu. 10.*

10 Ad interponendum primum decretum ſufficit ne contumacia?

Reſp. Non; ſed requiritur trina citatio cum contumacia. *Abb. c. fin. eod. tit. num. 11.*

11 Sufficit ne citatio in domo ad procedendum ad ſententia diffinitiuam?

Reſp. Si talis non malitioſè abſit à domo non valet ad ſententiam diffinitiuam, neque ad venditionem bonorum faciendam, neq; ad excommunicationem, ad tollendam poſſeſſionem; quia in his requiritur vera contumacia. *Abb. vbi ſup. nu. 14.*

12 Si quis ſit abſens, & non relinquat procuratorem, poterit quis contra illum procedere tanquam contra contumacem?

Reſp. Poterit; quia quilibet tenetur dare procuratorem, qui illum defendat, aliàs procedetur contra ipſum, cum præſumetur, quòd ex dolo hoc faciat. *c. fin. eod. tit. de eo, qui mittitur in poſſeſſionem.*

13 Si quis ſit contumax per annum, & ob contumaciam amittat poſſeſſionem, poterit tranſacto anno illam recuperare?

Reſp. Non, quia in tempore vnius anni alter efficitur verus poſſeſſor. *c. 1. de eo, qui mittitur in poſſ. &c.*

14 Si quis obtulit cautionē iudicibus, vel alteri eorum intra annum, poterit recuperare ſuam poſſeſſionem?

Reſp. Poterit, cum non ſtet per ipſum quo minus det cautionem, cum non poſſit habere copiam iudicis. *c. cum ſit, eod. tit.*

15 Si quis paſſus ſit expulſionem à ſua poſſeſſione, & allegat ſe contumacem non fuiſſe, debet ne audiri?

Reſp. Debet, & etiam reſtitui in priſtinum ſtatum, data cautione de principali, & expenſis. *cap. cum veniſſent, eod. tit.*

16 Si per ſententiam iudicis ex primo decreto iuſtum fuerit, vt quis in poſſeſſionem reducatur, & reus non dedit illi talem poſſeſſionem; finito anno habebitur iſte pro vero poſſeſſore?

Reſp. Dixi *lib. 8. cap. 29. de ſententia, & re iudicata, num. 39.*

CAPVT XVII.

Vt lite pendente nihil innouetur.

1 QVando dicitur lis pendere ſuper aliqua re?

Reſp. Eo tempore, quando lis non eſt ſententiata. *Clem. 1. vt lite pendente, & ibi gloſ. Hoſt. eod. tit. num. 1. ſumma.*

2 Lite pendente debet auferri alicui poſſeſſio?

Reſp. Non. *c. 1. vt lite pend. & ibi gloſ.*

3 Si lite pendente quis obtineat priuilegium à Principe contra poſſeſſore, debet ne executioni mandari?

Reſp. Non, quia tale priuilegium cenſetur ſuprepritium. *c. 1. vt lite pend. & c. ibi Abb. num. 1.*

4 Si quis acquirat priuilegium à Principe lite pendēte, debent ne ſentētiari lis ſecundū tale priuilegium?

Reſp. Non, niſi priuilegium faciat mentionem de litis pendentia. *c. final. eodem tit.*

5 Cauſa ſententiata, appellatione pendente, debet ne aliquid innouari?

Reſp. Non, neque contra tempus conceſſum ad appelandum aliquid debet innouari, quia illa ſententia poterit reuocari. *Abb. cap. laudabilem, eodem tit. numero 6.*

6 Accuſatus de adulterio ad ſeparationem tantum thori, debet ne lite pendente ſeparari?

Reſp. Non, quia non debet priuari ſua poſſeſſione, pendente lite. *Abb. c. laudabilem. vbi ſup. nu. 1.*

7 Quam

7 Quam pœnam incurret, qui vendit, & emit rem litigioſam?
Reſp. Si ignorantia eos non excuſet, ſed ſciẽtes emptor, & venditor rem eſſe litigioſam vendat, emptor perdit pretium; venditor verò perdit tantam quantitatem, quanti valebat res litigioſa, & hæc pęna applicatur fiſco, contractus reſcinditur, & res litigioſa exiſtit in litigitio, ſicut prius. *l. cenſemus. C. de litigioſis. Abb. in c. Eccleſia. vt lite pend. nu. 9.*

8 Conſors litis poteſt nè admitti lite pendente?
Reſp. Conſors litis poteſt admitti pendente lite poſt conteſtationem litis, & in quocumque ſtatu litis, & ingreditur de iure tertij, ſed cæteræ partes gaudent terminis conceſſis tertio oppoſitori. *tenet Abb. in c. cum dilecti, de dolo, & contumacia. num. 9.*

CAPVT XVIII.

De ſequeſtratione poſeſsionis, & fructuum.

1 QVid eſt ſequeſtratio?
℞. Separatio rei, de qua agitur, vt ſit in custodia, & detur obtinenti victoriam. *gloſ. in l. vnica, verb. ſequeſtrationis, C. de probib. ſequeſtr. pecun.*

2 Poſſeſſio rei ſequeſtratæ penes quem ſtat?
Reſp. Eſt depoſitata penes ſequeſtrum, vt detur cũ fructibus parti, ex iuſtitia obtinenti victoriam. *Abb. in c. 2. de ſequeſtr. poſſ. & fruct. num. 11.*

3 Quotuplex eſt ſequeſtratio?
Reſp. Duplex: alia poſſeſſionis, alia fructuum.

4 Si quis mittatur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, & diſſipat fructus, quid faciendum?
Reſp. Sequeſtrantur fructus. *cap. dilectus, de ſequeſtr. poſſ. & fruct.*

5 Qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſeruandæ, facit ne fructus ſuos?
Reſp. Intra annum, non, quia ſi intra annum aduerſarius recuperat poſſeſſionem, debent illi reſtitui; at verò tranſacto anno facit fructus ſuos. *gl. in c. dilectus de ſequeſtr. poſſ. & fructuum.*

6 Quando dicitur quis dilapidare fructus?
Reſp. Quando diſſipat, & publicè depopulatur, non verò quando poſſeſſor vtitur fructibus, ſicut prius vtebatur. *Cardin. c. fin. de ſequeſtr. poſſ. & fructuum, quẽ refert. Abb. eod. c. fi. de ſequeſtr. num. 8.*

7 Quibus cauſis fit ſequeſtratio?
℞. Prima voluntate partium, vt lite finita detur obtinenti victoriam. Secunda ex neceſſitate, ne perſona, quæ habet rem mobilem, vel fructus, vel pecunias, fugiat. Tertia ne fructus depopulentur, vel res immobilis pereat. Quarta propter cõtumaciam alicuius partis. Quinta cum ſeruus proclamat libertatem, talis deſpontatur. Sexta cũ appellatur ab executore, res depoſitatur. Septima cum vxor timet de ſæuitia viri, vt caueatur, & conſulatur vitæ eius. Octaua ne perdatur commoditas, vel beneficium vendendi, res depoſitatur. *Goffr. in ſumm. de ſequeſtr. Clem. vnica, eod. tit. Abb. in c. eod. tit. nu. 7. & 16. Hoſt. in ſum. eod. tit. nu. 4. allegans plura iura.*

8 Pendente lite datur nè ſequeſtratio?
Reſp. Regulariter eſt prohibita; quia lite pendente debet pro poſſeſſore præſumi, & non prohibendum eſt poſſeſſori, ne re ſua vtatur *c. ex litteris, de probat. Abb. c. dilectus de ſequeſtr. poſſ. & fructuum, nu. 16.*

9 Quo tempore poteſt peti ſequeſtratio?
Reſp. Triplici. Primò, pendente negotio principali ante ſententiam. Secundò, poſt ſententiam pendente appellatione. Tertiò, quando ſententia tranſiuit in rem iudicatam. *Abbas num. 16. in capit. dilectus iſto titulo.*

10 Quando datur ſequeſtrum?
Reſp. Quando timetur, ne qui habet rem, eam depopulet, vel poſtea non ſit, vnde ſoluat. *gl. in cap. 2. de ſequeſtr. poſſ. & ibi Abb. nu. 7.*

11 Quid requiritur, vt ſequeſtrum reuocetur?
Reſp. Vt cautio ſecura, & ſufficiens offeratur, & expenſæ factæ ſoluantur vſque ad diem datę cautionis: & tunc ſequeſtrum propter ſcandalum tollitur. *cap. 1. de ſequeſtr. poſſ. & fructuum.*

12 Expenſæ factę pro conſeruatione, & cuſtodia fructuum debent nè deduci?
Reſp. Debent deduci, & congruum ſalarium, & expenſæ, venditiones, & locationes neceſſariæ, ſoluunturque ab eo, qui debet percipere fructus, cum facti fuerint in eius vtilitatem taxationę à Iudice facta. *capit. dilectus. eodem titulo, & ibi gloſſ. in verbo, diſtrahunt.*

13 Sequeſtratio poteſt ne fieri ab ordinario?
Reſp. Poteſt, & à delegato, ſi pars appellat à ſententia contra eum lata, & probetur, quòd dilapidet fructus, vel non habeat, vndè ſoluat. *Abb. in c. dilectus eod. tit. num. 21.*

14 Sequeſtratio per quem Iudicem debet fieri, per Iudicem à quo, vel ad quem?
Reſp. Per Iudicem à quo, qui dedit ſententiam primam, licèt poſtea recurratur ad Iudicem ad quem, vt eam tollat. *Abb. in c. fin. 11. eod. tit.*

15 Si Eccleſia ſit ſequeſtrata, & habeat ius prę́ſentãdi, poterit nè præſentare, qui habet ſequeſtrum, vel ille, qui prætendit ſuum eſſe Iuspatronatus?
Reſp. Neuter, vſque finiatur lis. *gloſ. vera. beneficium. clem. vnica, de ſequeſtr. poſſ. & fructuum.*

16 Si reus intra annum recuperat poſſeſſionem à ſe ablatam, fructus debent ne ei reſtitui?
Reſp. Debent, deductis prius expenſis factis in ſequeſtro, tamquam æs alienum. *c. dilectus. eod. tit. ibi gl. verbo, diſtrahunt.*

CAPVT XIX.

De Confeſsis.

1 QVid eſt confeſſio?
Reſp. Illa reſponſio, quam reus facit ſolemniter coram Iudice de crimine, de quo quæritur.

2 Quotuplex eſt confeſſio?
Reſp. Duplex. Prima, Sacramentalis in foro interiori, & Sacramento pœnitentiæ. Secunda iudicialis in foro exteriori coram Iudice ſęculari, vel Eccleſiaſtico. *Sylu. de confeſ. non Sacramentali. p. 1. nu. 1.*

3 Confeſſio, quæ probatio eſt?
Reſp. Eſt abſolutè inter omnes probationes præcipua. *DD. in cap. cum ſuper, de confeſſis; quia confeſſus in Iure habetur pro conuicto. l. vnica, & ibi gloſ. C. de confeſſis.*

4 Per ſolam confeſſionem poteſt ne quis puniri pœna ordinaria?
Reſp. Poteſt abſque alia probatione, licèt cum confeſſis voluntariè mitiùs ſit agendum, quia qui confitetur ſuum delictum, & petit veniam, videtur habere voluntatem ſe emendandi. *DD. in c. cum ſuper, de confeſſis. & Abb. in c. at ſi clerici, de iud. nu. 8.*

5 Confeſſio poteſt ne acceptari pro parte, & pro parte negari?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb. c. præterea, il 2. de tranſactionibus. num. 1.*

6 Interrogationes, articula, & oppoſitiones quando poſſunt fieri à fiſco?
Reſp. Ante, & poſt litem conteſtatam. *Abb. in c. ex parte, de confeſſis. nu. 5.*

7 Confeſſio facta ante litis conteſtationem valet ne?
Reſp. Licet receptio teſtium non valeat, confeſſio verò ante litis cōteſtationem valet; quia pars aduerſa in cōfeſſione nihil, vel parum debet agere, & quiſque ſe præiudicat in confeſſione; at verò in receptione teſtium pars aduerſa multum debet agere. *Abb. in c. at ſi clerici, de iud. nu. 5.*

8 Quot ſunt confeſſiones, quæ in foro exteriori dānant reum?
Reſp. Plures. Prima, quæ fit coram Iudice competenti. Secunda, quæ incidēter fit coram Iudice competenti. Tertia, quæ fit coram Iudice incompetenti. Quarta, quæ fit extraiudicialiter. Quinta, quæ fit calore iracundiæ. Sexta, quæ fit in tormentis. Septima, confeſſio inducta per contumaciam. Octaua, confeſſio erronea. *Abb. in c. at ſi clerici de iudic.*

9 Quando confitens coram Iudice tenetur reſponſionibus criminoſis, & interrogationibus à fiſco factis, reſpondere?
Reſp. Quando talis eſt infamatus de illo delicto, vel ſunt contra eum indicia, vel accuſatio partis, quia tunc iudicium directè contra eum agitur. *Abb. c. cum ſuper, de confeſſis, nu. 18.*

10 Quæ eſt confeſſio facta corā Iudice competenti?
Reſp. Illa, quam clericus facit coram ſuo Epiſcopo, & laicus coram ſuo Iudice temporali, & quam quiſque facit coram Iudice, ſub cuius iuriſdictione eſt.

11 Confeſſio facta in vno iudicio præiudicat ne in alio?
Reſp. Si Iudex ſit competens, præiudicat: & reus tenetur ſtare primis dictis, cum iuridicè confeſſus fuerit. *Abb. vbi ſup. nu. 5.*

12 Quæ eſt confeſſio incidenter facta?
Reſp. Quando aliquis reus interrogatus, an occiderit Petrum, dicat ſe percuſſiſſe Ioannem, de quo ei nihil interrogabatur, & incidenter confitetur delictum, de quo non erat accuſatus. *Abb. c. cum ſuper, de confeſſ. num. 11.*

13 Confeſſio incidenter facta eſt ne punibilis?
℞. Licèt in illo proceſſu non ſit punibilis, tamē poteſt fieri nouus proceſſus, & puniri, ſed debet iterum interrogari iuridicè. *tenet Abb. in c. cū ſuper eo. tit. n. 12.*

14 Si quis non directè, ſed incidenter confiteatur crimen ſuum, qua pœna poteſt puniri?
Reſp. Pœna ordinaria. *Abb. c. cum ſuper de confeſſis. num. 1.*

15 Quæ eſt confeſſio, quæ fit coram Iudice incompetenti?
Reſp. Quando Clericus confitetur coram laico, vel laicus coram Eccleſiaſtico. *Abb. c. cum ſuper, eod. tit. num. 5.*

16 Confeſſio facta coram Iudice incompetēti, quam vim habet?
Reſp. Facit aliquod indicium, ſed non ſufficit ad condemnationem. *Abb. c. at ſi Clerici. de iud. n. 1. & 5.*

17 Quotuplex eſt confeſſio extraiudicialis?
Reſp. Duplex. Prima, quando quis coram ipſa parte contraria, & teſtibus confitetur debitum, & hæc plurimum præiudicat, & eſt quaſi plena probatio. Secunda, quando quis publicè ſe laudat commiſiſſe tale delictum. *Abb. vbi ſup.*

18 Confeſſio publicè facta de delicto, quid operatur?
Reſp. Si commiſit tale delictum, facit magnum indicium contra ſe: ſi verò nō commiſit tale delictum, poteſt puniri non pœna ordinaria, ſed quaſi, qui gloriatur de delicto. *Abbas cap. cum ſuper de confeſſis. numero 15. & cap. quam ſit, de exceſſibus. Prælat. Innoc. ibi.*

19 Confeſſio extraiudicialis valet ne?
Reſp. Si ſit ſpontanea, dat magnum indicium cōtra confitentem. *Abb. in c. at ſi Clerici. eod. tit. num. 18.*

20 Quæ eſt confeſſio facta calore iracundiæ?
Reſp. Quando quis incenſus ira, & veluti extra ſe, ſicut ebrius loquitur, vt ſi dicat, verbi gratia ego interfeci patrem tuum, vel ſimilia. *Abb. c. at ſi Clerici, de iud. num. 15.*

21 Talis confeſſio valet ne facta calore iracundiæ?
Reſp. Non, tamquam facta ab homine ebrio, niſi poſtea finito furore idem dicat *Abb. vbi ſup.*

22 Quæ eſt confeſſio, quæ fit in tormentis?
Reſp. Quando aliquis in tortura ſuſpenſus confitetur aliquod delictum, etiam ſi nondum denudatus fuerit. *Abb. vbi ſup. c. vlt. eod. tit. num. 11.*

23 Confeſſio facta in tormentis valet ne?
Reſp. Non, niſi tranſacto ſpatio viginti quatuor horarum, ratificetur; abſque metu tormentorum coram Iudice, & teſtibus. *Abb. c. olim ex litteris, nu. 8. de reſcriptis.*

24 Confeſſio minoris in tormentis extorta, valet ne ſine auctoritate tutoris?
Reſp. Si minor ratificet poſt viginti quatuor horas, & tutor fuit præſens ad interrogationes factas ante torturam, valet, quo ad indaginem veritatis iudicij. *l. 1 ff. de queſtionibus. c. ſi res. 14. q. 6. quæ citat Abb. in c. vlt. de confeſ. num. 9.*

25 Confeſſio facta metu valet ne?
Reſp. Non, ſiue ſit metu carceris, ſiue minarum, ſiue tormentorum; valebit verò ſi finito metu perſeuerat in confeſſione coram Iudice, & teſtibus. *Abbas in capite, ex parte, de confeſſis, numero 11. & 12.*

26 Quæ eſt confeſſio inducta per contumaciam?
Reſp. Quando reus fuit citatus, & non comparet & fuit vocatus per publica edicta, & per Iudicem condemnatus, tamquam ſi fuiſſet confeſſus tale delictū. *Abb. c. 1. de iud. nu. 15. qui allegat gloſ. in c. cum contumacia, de hæreticis, in 6.*

27 Confeſſio facta per contumaciā infamat ne confitentem?

℞. Non,

Reſp. Non, cum pars ſuo ore non confiteatur delictum,& dicitur confeſſio ficta. *Abb. cap. at ſi clerici, de iud. numero 28. allegans l. eius, qui dilatorem. ff. de iure fiſci.*

28 Quæ eſt confeſſio erronea?
Reſp. Illa, quam aliquis facit errando in facto, vel in Iure, vt ſi quis exiſtimat ſe interfeciſſe Petrum inter dimicandum;& Petrus non fuit interfectus, vel ſi quis ruſticus neſciat priuilegium Eccleſiæ, & ſe intromittat illuc, & ſubito, vt ſciuit priuilegium, reliquit locum Eccleſiæ liberum,& confiteatur hoc: tūc talis confeſſio eſt facta errore iuris *gloſ. in cap. vlt. de confeſſis.*

29 Si quis per errorem facti confiteatur contra ſe, vel ſuam Eccleſiam, nocet illi, vel Eccleſiæ talis confeſſio?
Reſp. Si errorem doceat ante ſententiam, non nocet: cum Ius quærat veritatem,& ſic cognito errore, talis confeſſio non nocet. *c. vlt. de confeſſis.*

30 Confeſſio erronea, quando poteſt reuocari?
Reſp. Siue facta ſit ſcienter, vel tacitè, ſiue expreſſe, ſiue non ſcienter, ſiue ſit propria, ſiue procuratoris, ante ſententiam probato errore ſemper reuocatur. *Abb. in c. ex parte. nu. 20. de confeſſis.*

31 Error quomodo probatur, vt retractetur ab eo, qui confeſſionem fecit?
Reſp. Si ſtatim quis vult reuocare ſuam confeſſionem, non tenetur probare errorem, ſi tranſacto tempore velit reuocare, debet probare, quod ipſe exiſtimauit ſe rem ſic ſe habere, ſed nunc ſcit aliter rem ſe habere,& ideo reuocat confeſſionem, & hoc intelligitur de ignorantia facti. *Abb. in c. ex parte. n. 21. cap. præterea, de teſtibus cogend.*

32 Error iuris quomodo probatur?
Reſp. Ex circumſtantijs, & qualitate perſonæ, vt ſi homo ruſticus aſſumit ſponſam conſanguineam, & admonitus ſtatim diſcedit ab ea, probatur iuris error in tali homine, *vt in l. ſi adulterium. ff. ad legem Iuliam de adulterijs.* §. 1.

33 Infamatur ne quis per ſolam confeſſionem?
Reſp. Non, ſed requiritur ſententia Iudicis confirmans talem confeſſionem, quia infamia eſt pæna, & hæc ſolum imponitur per ſententiam. *Abb. in cap. ex parte, de confeſſis. nu. 19.*

34 Infamatus, qui non facit purgationem Canonicam, quam pęnam incurrit, præcipuè ſi ſit mulier?
Reſp. Si ſit mulier, maritus poteſt pro ea comparere, cum ſit caput vxoris, & reputetur pro vna perſona, alias condemnatur pęna extraordinaria. *l. maritus Cod. de procuratoribus, vt notat Abb. in cap. ex parte, de confeſſ. num. 2.*

35 Infamatus de crimine, quid debet agere?
Reſp. Debet ſe purgare purgatione Canonica, etiã ſi contra eum non ſint probationes authenticæ. *cap. 1. de confeſſ.*

36 Si quis confiteatur ſuum delictum, & talis confeſſus ſit in præiudicium aliorum, præiudicat ne alias?
Reſp. In pręiudicium aliorum non, ſed ſolum in ſuũ præiudicium. *c. 1. de confeſſis, & ibi gl.*

37 Confeſſio ſocij criminis, eſt ne ſufficiens ad torturam?
Reſp. Sola non ſufficit, niſi adiuuetur alijs pręſumptionibus. *Abb. in c. 1. de confeſſ. nu. 2.*

38 Si reus in ciuili, cauſa confiteatur ſe nullum habere Ius in re illa, & actor non probet rem illam eſſe ſuam, quid debet Iudex facere?
Reſp. Iudex in iſto caſu non poteſt tradere rẽ actori, niſi ſolus Papa, cui cauſa talis remitti debet, quia ex hoc, quod quis confiteatur rem non eſſem ſuam, non conſtat, quod ſit actoris. *Abb. in c. cum ſuper eod. tit. num. 9.*

39 Confeſſio facta coram iudice incompetenti quid operatur?
Reſp. Si reus confiteatur delictum, etiam coram Iudice incompetenti, facit maiorem probationem, & præſumptionem, vt facilius quis cōdemnetur, quam confeſſio facta extraiudicialis, ratio eſt, quia ibi facta eſt in iudicio, vbi rebus geſtis datur maior auctoritas, *vt habetur in l. iubemus. ff. de iureiurando, & tenet Innoc. in cap. per Inquiſitionem de electione, quem refert Abb. in c. at ſi clerici, de iud. nu. 14.*

40 Confeſſio facta in proceſſu inualido præiudicat ne confitenti?
Reſp. Affirmatiuè, ratio eſt, quia confeſſio eſt Regina probationum,& ſic licet alij actus non valeant in proceſſu inualido, ſola confeſſio valet, ſi fiat coram ſuo Iudice, quia proceſſus ex pluribus alijs capitulis poteſt inualidari, & in proceſſu fiunt plurimæ nullitates,& attentata, ex quibus proceſſus eſt inualidus, ſed confeſſio contra reum ſemper remanet firma ad eum condemnandum. *tenent Doctorum ſupra allegati, & alij, quos citat Abb. in c. at ſi clerici, de iudicijs, numer. 6.*

41 Si clericus confiteatur delictum coram iudice ſęculari, poterit ne Epiſcopus ex eiſdem actibus, & ex eadem confeſſione eum punire?
Reſp. Non, ratio eſt, quia acta fuerunt nulla,& confeſſio fuit nulla, tamquam facta coram Iudice incōpetenti, & ſolum generat aliquod indicium, & aliquam præſumptionem, & talis clericus iterum debet confiteri, & conuinci coram Epiſcopo, vt poſſit puniri. *tenet Abbas in cap. at ſi clerici, de iudicijs, numero 14.*

42 Si aliqua Eccleſia habeat litem, confeſſio presbyteri facta in illa lite præiudicat ne ſuæ Eccleſiæ, ſi ex tali confeſſione debeat condemnari?
℞. Cum diſtinctione, ſi talis Eccleſia non habeat niſi illum presbyterum, qui habet coram illius Eccleſiæ, vel eſt beneficiatus, vel parochus in ea, proculdubio confeſſio iſtius clerici præiudicat Eccleſiæ: ratio eſt, quia talis clericus eſt anima,& lingua iſtius Eccleſiæ, & Eccleſia, & clericus faciunt vnum corpus, ſi vero Eccleſia habeat alios plurimos clericos, vel beneficiatos, vel ſit congregatio clericorum participantium de fructibus, & decimis, vel oblationibus, vel ſit capitulum Eccleſię collegialis, vel Cathedralis, vel monaſterium, tunc confeſſio vnius de capitulo, vel vnius clerici non præiudicat Eccleſiæ, ſed requiritur confeſſio communitatis, vel alicuius perſonæ nominatæ tota communitate cum ſpeciali mãdato ad loquendum,& confitendum pro omnibus,& pro Eccleſia, ratio eſt, quia tota communitas clericorum facit vnum corpus cum Eccleſia, vel ſaltem maior pars, & vnus non poteſt ſupplere vices aliorum ſine ſpeciali mandato. *tenent Abb. in c. 2. de capellis. num. 4.*

43 Confeſſio œconomi præiudicat ne Eccleſiæ?
Reſp. Affirmatiuè, ſicut facit in fauorem Eccleſiæ. *Abb. c. ſi. de confeſſ. num. 1. & 3.*

44 Eccleſia, quibus modis poteſt reuocare confeſſionem ſui æconomi?
Reſp. Duobus. primo, probando errorem ante ſententiam. Secundo, reſtituendo ſe, vt minor, & ad hoc habet quatuor annos, ſed non tenetur probare errorem, niſi ſolum læſionem. *Abb. c. ex parte, de confeſſ. n. 3. c. ſuborta, de ſententia, & re iudicata.*

45 Confeſſio procuratoris lædit partem ſuam?
Reſp. Affirmatiuè, quia agit cum eius mandato, & ad eam reuocandam tenetur probare errorem ante ſententiam. *c. ex parte de confeſſis, & Abb. ibi num. 3.*

46 Confeſſio mariti facta ſine mandato vxoris nocet ne vxori?
Reſp. Affirmatiuè, cum ſit perſonæ coniunctæ. *Abb. vbi ſup. num. 2.*

47 Confeſſio aduocatorum præiudicat ne parti?
Reſp. Non, dum reuocet intra triduum, quia ſunt conſulentes, & non habent mādatum partis, niſi ſcriptum ſit firmatum à parte, vel procuratore habente mandatum. *l. 3. C. de errore aduocator. c. cum cauſam, de appellation.*

48 Confeſſio infantis valet ne?
Reſp. Non, etiam cum auctoritate tutoris, quia infans cum non habeat iudicium cōpletum, ſibi preiudicare non poteſt. *Abb. in c. ex parte, num. 6. de confeſſ.*

49 Confeſſio impuberis valet ne?
℞. Diſtinguendo, ſi habeat tutorem, cū eius auctoritate valet, & aliter non, ſi non habeat tutorem, in illis caſibus, in quibus ſine tutore habet in iudicio legitimam perſonam, & poteſt agere, & excipere, in alijs vero caſibus non valet. *Abb. vbi ſup. nu. 7.*

50 Confeſſio adulti valet ne ſi nō habeat curatorē?
Reſp. Si talis confeſſio facta ſit ſuper aliquo contractu extra iudicium, valet: ſi vero lædatur, talis adultus reſtituitur: ſi verò talis confeſſio ſit facta in iudicio, in caſibus vero, vt in criminalibus, in quibus neceſſario propter magnum iudicium requiritur curator ſine curatore non valet. *Abb. in cap. ex parte, de confeſſus num. 8.*

CAPVT XX.

De Probationibus.

1 QVid eſt probatio?
Reſp. Rei dubiæ in iudicio legitimè facta declaratio, ſeu oſtenſio. *Azor. de probationib. quem refert Abb. in rubr. num. 1. de probationibus.*

2 Probatio quomodo debet eſſe?
Reſp. Clara, non dubia, quia dubia non releuat. *c. in præſentia, de probationibus, & ibi Abb. nu. 6.*

3 probatio in genere, quid probat?
Reſp. Nihil, ſed debet eſſe in ſpecie: & ſi ſunt plures ſpecies, debent omnes ſigillatim probari, quia probationes ad condemnandum, & tollendam poſſeſſionem debent eſſe luce clariores. *Abb. c. in præſentia, de probationibus num. 9.*

4 probatio ambigua contra quem interpretatur?
Reſp. Contra probantem, & non contra reum. *Abb. vbi ſup. num. 34.*

5 Si quis aſtrinxit ſe ad plura probanda, ſufficit ne probare vnum?
Reſp. Non, & ideo aduocati dicunt, non me aſtringo ad probandos omnes articulos, ſed illos, qui mihi ſunt neceſſarij. *c. licet, de probationibus, & ibi gloſ.*

6 Quæ eſt probatio magis principalis, affirmatiua, vel negatiua?
Reſp. In tantum prævalet affirmatiua negatiuæ, vt probata affirmatiua, non admittatur negatiua tamquam ſuperflua. *c. ad noſtram, de probat.*

7 probationes, & acta facta in primo Iudice faciunt ne fidem in ſecundo Iudice?
Reſp. Affirmatiuè, & neceſſariò ſunt tradenda ſecundo Iudici, vt videat veritatem primæ ſententiæ, & eam confirmet, vel reuocet. *c. fin. de probationib.*

8 Quibus modis in iudicio fit probatio?
℞. pluribus modis. primo, ſimpliciter, veluti in aſpectu, in facto contingenti, vt in notorijs, quibus res probatur per facti euidentiam, vt cum fur inuenitur cum furto, homo in occiſione. Secundo, per plures teſtes, vel vnum cum alijs præſumptionibus. Tertio, per inſtrumenta. Quarto, per confeſſionem partis. Quinto, per ſcripturam antiquorum librorum. Sexto, per violentam præſumptionem. Septimo, per famam. Octauo, per iuramentum. *c. euidentia, de accuſationibus c. cum ad ſedem, de reſtit. ſpol. c. dixit Dominus, 32. q. 1. Goff. tit. de probationibus.*

9 Fines alicuius diœceſis, vel agri quomodo probantur?
Reſp. per libros antiquos, teſtes, & famam. *cap. cum cauſam, de probat.*

10 Quot ſunt modi probandi?
Reſp. Quatuor. primo, per euidentiam facti. Secundo, per teſtes. Tertio, per inſtrumentum. Quarto, per propriam confeſſionem. *gloſſ. in c. cum ad ſedem, de reſtit. ſpoliat.*

11 Si in aliquo delicto ſint plures teſtes, & nullus velit teſtificari, & conſtet delicto, Iudex poterit procedere ad condemnationem rei?
Reſp. Non, quia cum agatur de damno tertij, requiritur vera probatio, ſed poterit procedere contra teſtes eos carcerando. *cap. tua nos, de cohabit. cleric. & mulier.*

12 Quotuplex eſt probatio?
Reſp. Quatruplex. prima eſt probatio perfecta, clara, & euidens. Secunda probatio dubia. Tertia probatio difficilis. Quarta probatio impoſſibilis.

13 Quæ eſt probatio clara, & euidens, & quotuplex?
Reſp. Quæ nullam in mente relinquit dubitationem, & eſt triplex. prima per confeſſionem partis. Secunda, per teſtes conteſtantes in facto, & circumſtantijs. Tertia, per euidentiam, & notorietatem facti.

14 Quæ eſt probatio dubia, & quibus modis fit?
℞. Illa, quæ relinquit in mente dubitationem, & fit quatrupliciter. prima verbis. Secunda ſignis. Tertia factis. Quarta teſtibus. Verbis, quando quis dicit verbum malitioſè, quod poteſt in bonam, & malam partem interpretari, & interpretatio pendet ex ſua voluntate, vt quando quis confitetur factum hæreticum, & negat ſe neſcire eſſe hæreticum, & feciſſe ſine intentione. Signis, quando quis manu, vel oculo aliquem vocat, tempore alicuius delicti, & dicit ſe vocaſſe ad rem iuſtam, & cauſam, & caſu euenit delictum. Factis quando quis curſitat viam, in

qua

qua via eſt Eccleſia,& etiam eſt domus meretricis, & non probatur cuius cauſa curſitet viam. Teſtibus, quando teſtes non vniformiter deponunt, ſed contradictionibus in factis,vel circumſtantijs, vel quando ſunt tot teſtes condemnantes,& tot abſoluentes, vel quando teſtes ex vna parte ſunt in maiori numero, & teſtes contrarij ſunt maioris auctoritatis.

15 Poteſt aliquando dari fides vni teſti?
Reſp. Poteſt, ſcilicet in caſibus, in quibus non fit præiudicium parti, vt ſi volo probare filium meum eſſe baptizatum, me adimpleuiſſe pœnitentiam ſacramentalem, *gl.in c.ſuper il 2. de teſtib.& atteſt.*

16 Reus quibus defenſionibus vti poteſt?
Reſp. Pluribus,vel vna,ſicut bene viſum fuerit. *Abb. in c.tertio loco,de prob. nu.3.*

17 Quæ eſt probatio difficilis?
Reſp. Illa, quæ fit de delicto occulto, ad quod perpetrandum naturaliter homines ſe abſcondunt, vt probatio de hæreſi,de peccato nefando, de furto,de apoſtaſia,in quibus caſibus neceſſarium eſt, vt Iudices magis moueantur circumſtantijs,præſumptionibus, adminiculis,fama,& vitâ anteriori, quam dictis teſtium.

18 Allegans, vel manifeſtans impedimentum in matrimonio poteſt eſſe teſtis?
℞. poteſt,quia non agitur de ſuo intereſſe,ſed de validitate matrimonij. *Abb.in c.iur.suit de prob.num.1.*

19 Quæ eſt probatio impoſſibilis?
Reſp. Quæ per teſtes probari non poteſt, ſicut ſollicitatio in confeſſione, cuius ſecretum & ſigillum ſub pœnis ab Eccleſia eſt inſtitutum; & ſic videtur, quòd maritus zeloſus relinquat ſolam cum Confeſſore ſuam vxorem per tempus ſibi bene viſum,& ita in hoc delicto ſufficiunt teſtes ſingulares, vt in Bull. Gregor. XV. edita anno 1622. contra ſollicitantes in confeſſione.

20 Inſcriptiones antiquæ in lapidibus, quam probationem habent?
Reſp. Aliquam, tamquam res publica,& notoria,& ab omnibus credita. *Abb. in cap.cum cauſam, de probat. num.1.*

21 Conſuetudo probata, quam probationem facit?
Reſp. Magnam,& plenam, ſi bene probetur, & ſit immemorabilis, & valet etiam ignorante Principe. *Abb.c.ſicut conſuetudo, de prob. nu.5.*

22 Negatiua quomodo debet probari,vt faciat fidē?
Reſp. Debet eſſe arctata loco,& tempore,& probare euidenter,tali tempore non fuiſſe in illo loco, vbi commiſſum fuit delictum. *Abb.in c. quoniam: eod.tit. num. 2.*

23 Negatiua coarctata certis perſonis quomodo poteſt probari?
Reſp. Directè non poteſt probari, quod ego non conſenſi, ſed indirectè poſſum ex actibus anterioribus, & poſterioribus probare me non cōſenſiſſe profeſſioni,vel ſcripturæ,quæ,licèt ſint præſumptiones, eis debet ſtari,cùm ſint claræ. *Abb.cap. tertio loco de probat.num.4.*

24 Cui probationi ſtādum eſt de iure,probationi per teſtes, an probationi contrariæ per inſtrumentum?
Reſp. probationi per teſtes;quia inſtrumenta inuēta ſunt propter fragilitatem memoriæ hominum, ſed vbi teſtes ſunt,& memoria, inſtrumentum nō eſt neceſſarium. *c.tertio loco,tit. de teſtib.*

25 Qui teſtes non valent, neque eis adhibetur fides?
Reſp. Regulariter teſtes ſibi contradicentes, teſtes ſingulares, & teſtes malæ famæ. *c.licet,de prob.*

26 Iudicium quibus modis ſumitur?
Reſp. pro violenta præſumptione,pro plena probatione,& pro notabili ſigno maleficij. *Abb. in c.tertio loco nu.7. eod.tit.*

27 Iuramentum quando præſtatur in litibus?
Reſp. In defectum probationum. *cap.ſicut conſuetudo eod. tit.*

28 Actor,qui plenè probauit, dēt ne cōpelli iurare?
Reſp. Non,quia iuramentum eſt,& præſtatur in defectum probationum. *c.ſicut, de probat.*

29 Si actor non probat tenetur reus iurare?
Reſp. Non,quia actore non probante, reus abſoluitur. *Abb.in c.ſicut conſuetudo,eod.tit.nu.1.*

30 Iudicia, quam probationem faciunt?
Reſp. Si ſint clara,& indubitata,condemnatur reus, ſi ſint obſcura,& dubitata, torquetur reus. *Abbas in tertio loco, eod.tit. num.8.*

31 Quæ ſunt indicia, & iudicia indubitata?
Reſp. Illa, quæ humano iudicio non poſſunt habere fallaciam, vt ſi cubiculum habeat vnam ſolam portam, & vnus exeat cum gladio ſanguinolento, & inueniatur homo mortuus, indubitanter iudicatur, quòd ille occidit hominem,ſed ſi habet duas portas, non poteſt iudicari, quia per aliam portam potuit exire occiſor,tunc erunt indicia dubitata,& ſufficientia ad torturam,& non ad condemnationem. *Abbas vbi ſup. tertio loco de probat.*

32 Tenetur ne quis contra ſe dare inſtrumenta?
Reſp. Reus non tenetur contra ſe dare inſtrumenta, neque probationes. *c.1.de probat.*

33 Quis tenetur oſtendere,& dare communia inſtrumenta reo,& actori?
Reſp. Tam actor, quam reus, *c.1.de teſt.*

34 Vſurarius tenetur ne dare inſtrumenta, quæ continent vſuras?
Reſp. Tenetur,etiam ſecreta ratione peccati, quod commiſit. *Abb.c.1.de probat.num.5.*

35 Notarius, quæ inſtrumenta tenetur edere?
Reſp. Tamquam perſona publica,omnia inſtrumēta communia tam reo,quam actori. *Abb.c.1.de probat. num.10.*

36 Si quis exemplauit aliquod inſtrumentum ſua pecunia, & apud ſe habet, tenetur ne illud edere,& copiam dare parti contrariæ?
Reſp. Non, quia ſua pecunia emit, & iura, quæ loquuntur de traditione inſtrumentorum, loquuntur de inſtrumentis originalibus,non de tranſumptibus. *Abb. vbi ſup.num. 12.*

37 Reus in quibus caſibus tenetur edere inſtrumenta actoris, ad ſuam intentionem fundandam?
℞. In duobus. primò,in cauſa matrimoniali propter periculū Sacramenti, ne in materia tam graui erretur. Secundò,quotieſcūq;oriretur peccatū ſi talis inſtrumentum non manifeſtaretur. *Abb.vbi ſup.num.1.*

38 Inſtrumentum à Notario quomodo eſt edendū?
Reſp. Integrum,vt totum negotium reſpiciatur, & cum Iudicis mandato,& auctoritate, & parte cōtraria citata ad videndum deduci,& corrigi, & cum die data. *Abb.vbi ſup.n.29.& 34.c.1.de prob.*

39 Sufficit ne in iudicio copia inſtrumenti, vel eſt neceſſarium originale?
Reſp. Sufficit copia tranſumpta cum ſolemnitatibus iuris, & originale debet manere penes Notarium,

propter periculum, ne perdatur. *Abb. vbi ſup. nu. 31. & 32.*

40 Probatio per inſtrumenta, & allegationes quo tempore poteſt admitti?

Reſp. In omni tempore, etiam poſt concluſionem cauſæ. *Abb. c. licet de probat. n. 18.*

41 Natus ex adultera præſumitur ne natus legitimo patre?

Reſp. Ante probationem adulterij, talis præſumitur natus ex legitimo matrimonio, quia (vt dicit lex) mater certa, pater verò, quem nuptiæ declarant, & ſemper præſumendum eſt pro matrimonio, donec contrarium luce clarius probetur. *Abb. in c. per tuas, num. 1. de probat.*

42 Si mater confiteatur filium non eſſe ex ſuo marito, eſt ne credendum ei?

Reſp. Non, neque filius tenetur credere ei in foro exteriori, neque interior, neque relinquere honores, neque hæreditates ex patre prouenientes; quia ſemper eſt iudicandum pro matrimonio. *Abb. c. per tuas eod. tit. num. 4.*

43 Virginitas quomodo probatur?

Reſp. Per inſpectionem matronarum expertarum in hac re poſt ſuſpectionem factam, & per earum iuramentum. *Abb. in c. propoſuiſti. de probat. n. 2.*

44 Si mulier non ſit cognita à viro, & ingrediatur monaſterium, & poſtea ceſſet monacatus, debet ne reſtitui marito?

Reſp. Si ambo conſentiant, debet; ſi verò mulier nolit corrumpi à marito, vel non poſſit eſſe cautio de non corrumpendo, non debet reſtitui propter magnum virginitatis priuilegium. *Abb. in c. cauſam nu. 1. & 2. de probationibus.*

45 Iudex per quos gradus aſcendit ad ferendam ſententiam iuſtam?

℟. Per quatuor. Primò, poſita petitione actoris, & negatione rei, Iudex habet dubitationē, & nō debet præſumere per actorem, neque reum. Secundò, ſi ſit aliquod leue indicium, vel argumentum, Iudex venit in ſuſpicionem. Tertiò, ſi exurgant fortiora argumēta pro reo, vel actore, Iudex incipit opinari, & hæc opinio non eſt ſufficiens ad ſententiam. Quartò, ſi in cauſa ſint probationes, tunc Iudex venit in incredulitatem, veritatemque illius rei, vel delicti, & poteſt ferre ſententia. *Abb. in c. tertio loco, de probat. n. 11.*

46 Corrumpere muneribus teſtes, ſufficit ne ad retractationem ſententiæ?

Reſp. Si eſt benè probata ſufficit, quia Iudex ſe fundauit ſuper veritate, & legalitate teſtium, & fundamento deſtructo, ſententia quoque deſtrui debet. *Abb. in c. licet, de probationibus, num. 24.*

47 Si probatio rei, & actoris ſit æqualis, pro qua debet ſententiari?

Reſp. Pro reo, cui fauendum eſt de iure, niſi actor agat cauſam piam, quia tunc cauſæ piæ eſt fauendū. *c. ex litteris, de probationibus.*

48 Quando reus deprehenditur in actu propinquo, vel in ipſo delicto, tunc ſufficit ne hoc ad condemnationem?

Reſp. Affirmatiuè, quia maleficium eſt notorium, & notorietas malefici) eſt probatio ſufficiens. *Abb. in c. tertio loco, eod. tit. nu. 10.*

49 Iudex poteſt ne iterum interrogare teſtes obſcuros, & dubios?

Reſp. Poteſt ex ſuo officio, non verò ad petitionem partis. *Abb. in c. præſentia de probat. num. 35.*

50 Si actor, & reus probent interdicto retinendæ poſſeſſionis, Iudex pro quo debet ſententiare?

Reſp. Pro eo, qui probauit antiquiorem habere poſſeſſionem, vel pro eo, qui meliores probationes attulit, & ſi in omnibus ſint æquales, reo fauendum eſt. *c. licet, de probationibus.*

51 Iudex coram quo debet ſententiare?

Reſp. Corā Notario, & duobus, vel tribus teſtibus, vt veritas ſemper appareat. *c. quoniam. eod. tit.*

52 Vbi debet eſſe maior probatio, in cauſis ciuilibus vel in criminalibus?

Reſp. In criminalibus debent eſſe probationes luce clariores. *l. vis. C. de probationibus.*

53 Quando debet Iudex occurrere ad iudicium peritorum, & qui periti debent adhiberi?

Reſp. Quando in tali negotio deficit probatio, & in cauſa ardua plures periti debent adhiberi, & ſi fieri poteſt electi à partibus; & ſi non ſe concordent, à iudice, in parua cauſa ſufficit vnus peritus. *Abb. in cap. propoſuiſti, eod. tit. num. 5.*

54 Princeps ſi faciat contractum cum ſuo ſubdito, obligatur ne?

Reſp. Obligatur, ſaltem naturaliter, & licèt nō poſſit compelli, tenetur adimplere, quia fortior veritas debet eſſe in principe, quàm in alio homine. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 1.*

55 Sententia peritorum reuocatur ne per alios peritiores affirmantes contrarium?

℟. Non, niſi intra te. minum de ea appelletur, aliàs tranſit in rem iudicatam, quia ex hoc, quòd periti illi nominati ſunt ad talem cauſam, facti ſunt veri Iudices talis cauſæ. *Abb. in c. propoſuiſti, eod. tit. nu. 11.*

56 Papa per quot teſtes poteſt conuinci de crimine?

Reſp. Per duos: ratio eſt, quia quanto eſt ſuperior in dignitate, debet eſſe purior in vita, & abſtinere ſe non ſolùm à delicto, ſed etiam à ſuſpitione. *Abb. in c. tertio loco, de probat. nu. 6.*

57 Imperator coram quo poteſt conuenire?

Reſp. Coram Papa, à quo habet imperium. *Abb. c. 1. de probat. num. 2.*

58 Actor poteſt compellere reum, vt reſpondeat poſitionibus?

Reſp. Poteſt, vt ſe liberet à probationibus, quia aliquando poſitiones confeſſę, faciunt integram probationem. *Abb. c. 1. de probationib. num. 17.*

59 Papa, quam poteſtatem habet in temporalibus?

Reſp. In terris ſuis habet poteſtatem actu, in terris Regum poteſtatem habitu, & illam exercet, cum eſt neceſſarium. *Abb. c. 1. de probationib. nu. 4.*

60 Cui incumbit probatio præſcriptionis?

Reſp. Obijcienti illam, ſicut qui obijcit alias exceptiones, vel iura, ipſe tenetur probare. *c. ex litteris. eodem tit. & ibi gloſ.*

61 Nuncio publico quomodo creditur?

Reſp. Poſtquam iurauit, præcipuè in citationibus faciendis ab officialibus Curiæ, creditur eis tanquā perſonis publicis. *Abb. in c. quoniam, de probationibus, num. 10.*

62 Si maritus iuret ſe cognouiſſe vxorem, & mulier per mulieres expertas, (quæ vocantur obſtetrices) probet ſe non eſſe corruptam, cui creditur?

Reſp. In iſto caſu non creditur iuramento mariti, qui iurat in re propria. *Abb. in c. propoſuiſti. eod. tit. in princ.*

63 Si

63 Si aliquis nominet aliquem filium, & communiter pro tali reputatur, & poſtea cum iuramento neget eſſe ſuum filium, quid eſt credendum?
Reſp. Eſſe ſuum filium, quia tunc communiter reputatur pro tali ipſo conſentiente, & primo dicto ſtandum eſt, quia eſt in fauorem rei, *cap. per tuas. de probationibus*.

64 Si non reperiatur in actis conteſtatio litis, & partes eam confiteantur, erit nè ſufficiens probatio?
Reſp. Erit, quia confeſſio partium eſt regina probationum. *c. fin. de probationib.*

CAPVT XXI.

De probationibus in delictis occultis, & difficillimæ probationis.

1 QVæ ſunt delicta occulta?
Reſp. Omnia delicta, ad quæ perpetranda naturaliter homines ſe occultant propter verecundiã, vel enormitatem pœnæ, quorum probatio à communiter accidentibus non faciliter haberi poteſt, vt tenet Iacob. *Nouell. in ſua regul. 166. Maſcard. in rubrica de probationib. nu. 230. Menoch. de arbitr. lib. 2. caſu 156. num. 4. Paramus lib. 3. de orig. S. Inquiſitionis. tit. de inquiſitione abſque præuia infamia, quæſtione 7. numero 24.*

2 Quæ regula poteſt dari, vt cognoſcatur, quæ delicta ſunt magis occculta, & ideò habent difficiliorem probationem?
Reſp. Iudex debet conſiderare, quod delictum poteſt perpetrari cum pauciori communicatione perſonarum; ita quod delictum, quod vnus homo ſolus abſq; alterius communicatione poteſt committere, illud erit magis occultum, quàm delictum, ad quod committendum requiruntur duo homines, & ſic in illo delicto tanquam difficilioris probationis, minor probatio requiritur ad infligendam pœnam, *Maſcar. in rubrica de probationibus. Paramus loco allegato numero 20.*

3 In quo loco committuntur delicta occulta?
Reſp. In agro, in ſolitudine, in loco occulto, clauſis ianuis, nocte, *Io. Andr. c. veſtra duxit, de cohabit. cler. mulier.*

4 Quod dicitur delictum occultum?
Reſp. Illud delictum, quod non patet, neq; per Iudicis ſententiam, neq; per partis confeſſionem, neq; per probationem teſtium, neq; per notorietatem, neque per publicam famam, vt habetur in *c. veſtra de cohabitatione clericorum, & mulierum*.

5 Quibus modis dicitur aliquod delictum eſſe occultum?
Reſp. Duobus modis. Primo modo, quando ita eſt occultum delictum, quòd à nemine ſciatur, niſi à cõmittentibus tale delictum, qui vocantur complices, ſiue ſint pauci, ſiue plurimi, quia omnes iſti quaſi pro vna perſona reputantur, cum æqualiter omnium ſalus conſiſtat in ſilentio. Secundo modo, dicitur etiã delictum occultum, quando ſcitur à paucis, veluti à quinque perſonis, vel minori numero, *vt tenet Nauar. in manu. c. 27. nu. 255.*

6 Si delictum ſit delatum ad forum contentioſum, & non ſit probatum, vel ſit probatum falſis teſtibus, hoc delictum dicetur ne occultum, vel manifeſtum?
Reſp. Tale delictum magis poteſt dici non delictum, quàm delictum occultum, neque manifeſtum, cum talis homo malitioſè fuerit accuſatus; ratio eſt, quia quilibet homo præſumitur bonus: niſi in contrarium probetur malus, *vt tenet Iaſon in Rub. C. vt nemo priuatus, nu. 2.*

7 Quid eſt fama, & quando dicetur delictum manifeſtum per famam, vt in eo procedatur; ſicut proceditur in delictis occultis?
Reſp. Fama eſt quidam conceptus bonus, vel malus, vel quædam opinio bona vel mala, quam plurimi homines habent, quòd aliquis committit aliquod delictum, licèt illud non committat, talis homo eſt infamatus de tali delicto, & ſi tale delictum de ſua natura ſit occultum, procedendum eſt in eo probationibus, & inditijs ſicut infra dicetur. *Sayr. in claui regia lib. 11. c. 3. nu. 4. citans Sotum lib. 5. q. 9. art. 1.*

8 Quæ differentia eſt inter famam, & rumorem?
Reſp. Rumor eſt quando aliqua pars vicinorum de aliquo delicto loquitur cum dubio, & ſub nebula, & abſque probabili fundamento, & talis rumor ſolus non facit probationem in delictis occultis, ſed adiuuat alias probationes; fama verò eſt, quando tota ciuitas vel maior pars aſſuerunt aliquod delictum, vt certum, & hæc eſt magna probatio in delictis occultis, & licèt non omnes dent cauſam ſuæ depoſitionis, ſufficit, vt aliqui ex illo populo illam dent, & reliqui deponãt de auditu, & credãt illud verum eſſe *vt tenet Abb. in cap. ſuper eo. de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris ſuæ, num. 3. & habetur in c. inquiſitionis de accuſationibus.*

9 Delictum notorium quando dicitur, & quomodo eſt in eo procedendum, etiam ſi ſit ex delictis occultis?
Reſp. Quando delictum eſt notorium per confeſſionem factam à reo in iudicio, aut per ſententiam datam à Iudice, aut per facti euidentiam, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poteſt; verbi gratia; ſi quis inueniatur in ipſo actu delicti, tale dicitur delictum notorium, & in eo non procedendum coniecturis, & ſuſpitionibus, ſed ordinarijs probationibus; ratio eſt, quia in notorijs non ſunt neceſſaria indicia, neque præſumptiones. *tenet Abb. in c. veſtra n. 14. & 18. de cohabitatione clericorum, & mulierum, & c. quæſitũ. cod. tit.*

10 Fama publica, vel murmur, vt faciat probationẽ, quas qualitates debet habere?
Reſp. Dixi latè *lib. 5. c. 11. num. 25. 26. 27. 28.*

11 Quæ ſunt ſpecies delictorum occultorum?
Reſp. Plurimæ. Prima, eſt delictum ſimpliciter occultum, quod in ſolo animo concipitur, vt eſt hæreſis, error in intellectu, inimicitia, maleuolentia, inuidia, deſideria peſſima; & hæc delicta a ſolo Deo cognoſcuntur, qui eſt cordium ſcrutator, de his delictis rarò Eccleſia cognoſcit niſi exteriùs executioni mandentur. Secunda eſt delictum occultum per accidens, quod committitur nemine vidente, quia accidentaliter, vel conſulto nemo erat præſens, quando homo occiſus fuit. Tertia, eſt delictum non euidens, ſcilicet

illud

illud, quod non ab omnibus, ſed à paucis ſcitur, vel cũ difficultate, & magna diligentia in lucem editur. *cap. Deus qui. 2. 2. q. 1. c. veſtra. de cohabit. Cler. & mulier. Io. Andr. ibi à Param. citati lib. 3. de orig. Inquiſitionis. q. 7. de inquiſitionibus abſq; præuia infamia. nu. 23.*

12 Quæ delicta communiter dicuntur occulta?

Reſp. Delicta carnis, videlicet ſimplex fornicatio, ſtupratio virginis, concubinatus, partus ſuppoſitus, inceſtus, adulterium, ſodomia, hæreſis, apoſtaſia, crimen læſæ maieſtatis, conſpiratio in aliquem apoſtatum, tradimentum, tractatus de homicidio, vel medio veneno, libelli famoſi, incendium, ſcopetæ, ictus morte ſequuta, vel non in loco occulto, vel in agro, falſa moneta, furtum, dolus, fraus, ſimulatio, falſitas in ſcripturis, & inſtrumentis, viarum curſores, ſimonia, vſura, ſollicitatio in confeſſione: ad quę perpetranda delinquentes fugiunt lucem, & conſortia hominum. *tenet Iacob. Nouell. reg. 166. Maſcard. in rubric. de probat. num. 130. Menoch. de arbitris. caſu 116. nu. 4. Param. q. 7. lib. 3. de orig. Inquiſitionis. tit. de inquiſit. abſq; præuia infamia.*

13 Quæ probatio requiritur in delictis occultis?

Reſp. Licèt de iure in delictis requirantur probationes luce clariores, vt habeant. liſciam. cuncti. C. de probationib. tamen in delictis occultis minor probatio requiritur, & neceſſarium eſt, vt Iudices moueantur præſũptionibus, indicijs, & adminiculis, coniecturis, fama anteriori, aliquando vno teſte etiam complice; ratio eſt, quia de ſe naturaliter iſta delicta probari nõ poſſunt; & ne delicta maneant impunita, probantur eo modo, quo probari poſſunt. *tenet Maſcard. in l. ſi quis. ff. de quæſtionib.*

14 Poteſt ne aſſignari certa, & determinata regula, vel doctrina iudicibus, quæ indicia, vel præſumptiones requirantur, in quolibet delicto occulto ad pœnam ordinariam, vel extraordinariam?

Reſp. Non, ſed relinquitur arbitrio boni Iudicis, qui iudicauit iudicium, coniecturam, præſumptionem eſſe ſufficientem, vel non ex qualitate perſonarum, & ex antecedentibus, & conſequentibus, ex loco, vultu, ore, vita præterita delinquentis. *l. 3. ff. de teſtibus. & Bar. in l. fi. ff. de quæſtionibus, per totam legem.*

15 Probatio in delictis quotuplex eſt?

Reſp. Triplex. Prima, clara, & perfecta, quæ fit per confeſſionem, & per teſtes legitimos. Secunda, difficilis, vel impoſſibilis, quę fit in delictis occultis. Tertia, dubia, quæ relinquit mentem iudicis dubiam, & cauſatur quatuor modis. Primò, verbis, quando verbum à teſte prolatum poteſt in bonam, malamque partem interpretari. Secundo, ſignis: quando quis manu, vel oculo aliquem vocat tempore alicuius delicti, & poſtea dicit ſe eum vocaſſe ad rem iuſtam. Tertiò, factis; quandò quis curſitat viam, in qua eſt Eccleſia, & domus meretricis, & dubitatur, cuius cauſa curſitat. Quarto, teſtibus; quando teſtes ſunt æquales numero, & auctoritate, & contraria deponunt. *Bald. in l. fin. C. de probationibus. nu. 5. & 8. Abb. c. cum tu, filij, de teſtibus. num. fin. c. in præſentia, de probation. numero 34.*

16 Quæ eſt præſumptio, quæ in delictis occultis facit probationem?

Reſp. Quædam ſumptio, imaginatio, vel opinio orta in animo Iudicis ex coniecturis, & indicijs iudicantis: tale delictum commiſſum fuiſſe à Petro. *Abb. cap. afferte mihi gladium. de præſumptionibus. numero quinto, & cap. quarto, numero 2.*

17 Quæ ſunt genera præſumptionum in delictis occultis.

Reſp. Plura. Primum, præſumptio iuris. Secundum, præſumptio hominis. Tertium, præſumptio iuris, vel de iure. Quartum, præſumptio probabilis. Quintũ, præſumptio vehemens. Sextum, vehementiſſima. Septimum, violenta. Octauum, temeraria. Nonum, modica. Decimum, fictio iuris; quę omnia ſumuntur ex præteritis, & præſentibus, & futuris, de quibus latè diximus. *in c. de præſumptionib. & tex. c. litteras. c. quanto. c. afferte mihi gladium. de præſumptionibus, c. cum contumacia. de hæreticis. lib. 6. c. ſuper eod. de teſtibus. cap. mandata. de pręſũptionibus. Abb. c. quanto, de præſumpt. num. 2.*

18 Indicia, quæ ſunt, & in qua differentia?

Reſp. Indicium eſt quoddam ſignum, & veſtigium, quod apparet in homine, vel in veſte, vel in enſe, indicans commiſiſſe tale delictum, & fuga eſt indicium plenum, & ſemiplenum, propinquum, & remotum, *vt tenet Bar. l. fin. ff. de quæſtionibus. & l. cum probatio. ff. de probationib. & l. indicia. C. de rei vend. quas allegat Bal. in l. ea quidem. C. de accuſationib. num. 8.*

19 Quæ præſumptiones, & iudicia ſufficiunt in delictis occultis ad dandam pœnam ordinariam ſine teſtibus?

Reſp. Quando præſumptio eſt iuris, vel de iure violenta, & vehementiſſima, & quando indicia ſunt indubitata, ſcilicet talia, quòd humano iudicio non poſſunt habere fallaciam, vt ſi quis in cubiculo clauſo dormiat cum ſocio, & repetiatur occiſus mucrone; & aduertendum eſt, quod tunc talia indicia, & præſumptiones debent conſtare in actis, quia ponũtur loco probationis. *tenet Abb. c. afferte mihi gladiũ. de præſumptionibus. num. 1. & in c. tertio loco. de probationib. nu. 50.*

20 Reliqua indicia, & probationes in delictis occultis ad quid inſeruiunt?

Reſp. Primò, ad adiuuandam probationem. Secundò, vt cum vno teſte reus torqueatur. Tertiò, vt detur aliqua pœna extraordinaria. *Abb. c. tertio loco de probat. nu. 8. & in cap. afferte mihi gladium. de præſumpt. numero 6.*

21 Quando reus titubat, variat, vel dicit mendacium in re, quæ directè non pertinet ad delictum; vt ſi dicat ſe non fuiſſe in ciuitate tali nocte, vel die, vel ſe non loquutum fuiſſe cum Petro in tali loco, vel hora, vel non portaſſe arma, & contrarium directè probatur, quam præſumptionem facit?

Reſp. Magnam contra reum, & talem, quod ex ipſa ſola poteſt reus torqueri, quia non pręſumitur, quòd qui non commiſit delictum, & innocens eſt, neget rem veram, quæ cum delicto nullam habet connexionem. *tenet Conrad. Brunus. p. 2. c. 9. de hereticis, tex. expreſſus. l. 1. §. Diuus Seuerus. ff. de quæſtionib.*

22 Qui teſtes admittuntur in delictis occultis difficillimæ probationis?

Reſp. In defectum aliorum teſtium admittũtur omnes, qui habent ſanum iudicium, ſcilicet mulieres, infames, periuri, excommunicati, ſocij criminis, ſerui, qui omnes licet admittantur cum ſuo defectu, & in alijs delictis admittantur ad habendam maiorem cognitionem veritatis, loci, modi, circumſtantiarum delicti; tamen in delictis occultis maiorem probationem habent, licet non tantam ſicut teſtis omni ex-

ceptione

exceptione maior. *tenet DD.c.quoniam.de teſt.Io.And. in additionibus ad Speculatorem tit.de teſtib.Iaſ.l.fin. C. de ijs quibus ab indicijs.cap ſi teſtes.4.quæſtion.3.§. item liberi.c.1.de confeſſis, c. veniens de teſtibus, & Abb. ibi num.7.8. Paramus lib.3.directorij.q.10.nu. 136. tit. de ſollicitant.ad libidinem in act.confeſ.*

23 Quis dicitur teſtis idoneus?
Reſp. Ille in quo concurrunt conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama, fortuna; *vt habetur in gloſ.c.2.de teſt. verſ.viliſſimi littera h.*

24 Cæcus quando poteſt eſſe teſtis in delictis occultis?
Reſp. Quando habet cognitam vocem cōmittentis delictum factam coram Iudice experientia, tunc eſt teſtis idoneus. *Abb.c.præterea. de teſtib.nu.6.*

25 In delictis occultis, in quibus de iure ſufficit vnus teſtis ſingularis cum alijs adminiculis, de quo teſte eſt intelligendum?
Reſp. Ad imponendam pęnam ordinariam intelligendum eſt de teſte omni exceptione maiori, cui nihil de iure poſſit opponi. *gloſ. inſtit. de inutili ſtipulat. §.item verborum.Paramus,p.2.directorijs.lib.3.q.10.tit. de ſollicitante.nu.136.& 137.*

26 Singularitas teſtium quotuplex eſt.
Reſp. Triplex, obſtatiua, diuerſificatiua, cumulatiua, de quibus latè diximus. *in cap. de cleric.ſollicitante in confeſſione.lib.5.tenet Bald.c.licet cauſam.de probation.nu.11.*

27 Quæ ſingularitas teſtium in delictis occultis facit quaſi pleuam probationem?
Reſp. Singularitas cumulatiua, quando vnus teſtis coadiuuat dictum alterius in genere, vel ſpecie, vel ſubſtantia, vt ſi vnus dicat, Petrum delinquentem occidiſſe Ioannem tali die, & loco, & alius dicat occidiſſe Franciſcum altero diæ, & altero loco, hæc ſingularitas cumulat delicta vnius generis, & conuertitur in naturam quaſi plenæ probationis propter difficultatem probandi delicta occulta, quia ad Remp. pertinent, ne delicta maneant impunita. *vt habet gl. in l.vulneratus.ff.ad legem Aquil.Alexan.conſ.21.Bald. c.licet cauſam.de prob. nu.11.*

28 In dilectis carnalibus, quæ præſumptiones, & inditia requiruntur?
Reſp. Locus, ſolitudo, ætas vita anterior, viſus, communicatio priuata, tactus, viæ mulieris frequentatio, & domus, miſſio nunciorum, epiſtolę, dona, victus, veſtitus datus ab homine mulieri, & è contra, vel ſimilia, *Abb.c.tertio loco.de præſumpt.nu.4.*

29 Si frater inueniatur cum ſorore, ſolus cum ſola, quam præſumptionem facit?
Reſp. Licet inueniantur oſculantes ſe vel in vno lecto, non facit præſumptionem incontinentiæ, quia natura abhorret ſimile coitum propter naturale fædus. *c.cum in iuuentute, de prẹſumptionib.*

30 In fornicatione ſimplici quę probatio requiritur?
Reſp. Sufficit, quod duo teſtes videant hominem, & mulierem etiam in occulto ad inuicem ſe oſculantes, & ſi cum hoc ſit aliqua fama, vel aliquod iudicium ex ſupradictis, erit ſufficiens probatio, præcipue in Clerico iuuene. *Abb.capit.præterea. de teſtibus numero 2.*

31 In delicto ſtupri quæ probatio requiritur?
Reſp. Sufficit depoſitio ſtuprati, vel ſtupratæ etiam in tortura, quia deponit de proprio facto, & in hoc caſu creditur vnico teſti, ſi cum eo concurrant aliqua alia adminicula, *tenet Alexan.conſ.63.vol.1.Bart.l. eos.ff.ad legem Corneliam, de falſis. Crauet.conſil.75.n. 30.l.quero.de ædil.edicto Socyn.regul.422. Decius conſ. 342.nu.1.*

32 Virginitas quomodo probatur?
Reſp. Per inſpectionem matronarum expertarum, per earum iuramentum, licet antiquitus probaretur per ignem ardentem, vel per aquam feruentem, vbi mulier abſq; læſione ponebat manum. *Abb. cap. propoſuiſti. de prob. num.2.*

33 Concubinatus quomodo probatur?
Reſp. Per indicia, nempe frequentationem viri in domo mulieris, vel è contra, per dona data, per famam publicam, & alia his ſimilia. *c.tua nos, de cobabit.cler.& mulier.*

34 Inceſtus quomodo probatur?
Reſp. Per teſtes deponentes de conſanguinitate, vel affinitate, & in his admittuntur pater, mater conſanguinei, & præferuntur alijs teſtibus, quia habuit maiorem communicationem, & notitiam, & ſunt cogendi, & moleſtando, vt dicant in qualibet cauſa matrimoniali, *vt in c.cæterum. de teſtibus. cogend. cap. quoties. c.ſuper eo.il 2.de teſtib.*

35 In Scrimine adulterij quæ probatio requiritur?
℞. Sufficiunt duo, vel tres teſtes ſingulares in actibus diuerſis, ſingularitate copulatiua, & ſi cum his concurrant aliquæ præſumptiones, nempe nimia familiaritas, dona, nuncij, & fama, erit probatio fortiſſima. *Abb.c.præterea, de teſtib.nu.1.*

36 Ad probandam conſumationem matrimonij, quę probatio requiritur?
Reſp. Sufficit vt duos teſtes dicant de auditu cum alijs adminiculis, nempe quod viderunt eos ſolos, vel in lecto, & hoc in fauorem matrimonij. *tenet Abb. cap. præterea, de teſtib.nu.4.*

37 Ad ſeparationem thori quæ probatio ræquiritur?
Reſp. Sufficit, vt duo, vel tres teſtes dicant de auditu ſæuitiam viri, timorem mulieris, & quod eam viderunt aliquando percuſſam, vel quod ſit natura ſęuus extra ſuam domum, vel quia audierunt mulierem plorantem, & vociferantem in ſua domo. *Abb. cap.1.de diuor.nu.4. vt late dixi lib.1.ca.de diuor.*

38 Ad diſſoluendum matrimonium perpetuum, quæ probatio requiritur?
Reſp. In defectum virorum duæ mulieres deponentes impedimentum (quod diſſoluit matrimonīū perpetuum) faciunt plenam probationem propter periculum Sacramenti. *Abb.c.ſuper, il 2.de teſtib.nu.2.*

39 Ad impediendum matrimonium contrahendum, quæ probatio requiritur?
Reſp. Sufficit vnus teſtis etiam ſi ſit mulier propter periculum Sacramenti, & tunc Iudex debet dare terminum neceſſarium partibus, vt probent, an ſit verum impedimentum, vel malitioſe obiectum. *vt tenet Abb.c.ſuper.il 2.de teſt. & ibi gl.*

40 Ad probandum matrimonium præteritum, quæ ſolemnitates requiritur?
Reſp. Matrimonium præteritum probatur primo per inſtrumentum matrimoniale, ſuſcriptum a parocho, & hæc probatio eſt ſufficiens, & concludens: ea defficiente, probatur per famam publicam, per cohabitationem ſimul, per communem crudelitatem virorum, per opinionem vicinorum locorum, omnes iſtæ probationes ſimul faciunt præſumptiones iuris, vel de iure, & probationem plena. *cap. illud quoque,* de

de præſũptionibus, ſed de iure ciuili ſufficiebat ſola præſumptio cohabitationis. *l. in libera.ff.de ritu nuptiarum.*

41 Si duo petant eandem mulierem in vxorem, & æqualiter probent, cui debet Iudex illam dare?

Reſp. Iudex debet differre ſententiam, donec conſtet quis ſit eius verus maritus propter periculum Sacramenti. *tenet Maſcard.l.1.§.Diuus.ff.de quæſtionib. Aff. in conſtitutionibus Neapol. Franciſ. Viuas libr. 1. decol. 157.numer. 9. Alex.conſ. 66. vol.3. Iaſ. conſilio 161. volu.4.*

42 Abuſus quando dicitur?

Reſp. Quando quis vtitur aliqua re contra ſuam naturam. *tenet Io. Viguer.c.7.de virtute temperantiæ.§.5. verſ.7.de vitio contra naturam.*

43 Sodomiæ quam pœnam incurrunt?

Reſp. Tam agentes, quam patientes habent pœnam mortis, & ignis ex omni iure. *C. ad l.Iuliam, de adulterijs. l. cum vir nubit in fœmima viros paritura; & in eos inſurgunt leges, armantur iura, & iubet infames, gladio vltore perire. Sanct. Antonin.2.p.tit.5.cap.4.per totum.*

44 Quare lex non nominauit expreſsè peccatum ſodomiæ?

Reſp. Quia eſt tam horrendum flagitium, & ab eo ita abhorret natura humana, vt litteris exprimi, & nominari non debeat. *ita tenet Bartol. & alij DD. in d. l.cum vir.C.ad l. Iuliam de adulterijs.*

45 Quibus modis committitur peccatum ſodomię?

Reſp. Pluribus. Primo, homo cum homine, cum vnus eorum eſt patiens per ſeceſſum, & facit officium mulieris, de quo peccato propriè loquitur lex. Secundo, homo cum muliere per vas poſterius. Tertio, mulier cum muliere coeũtes per vas poſterius. Quarto, homo cum aliqua beſtia habet coitum per vas beſtię. Quinto, quando mulier, vel homo coeunt cum dęmonio in figura hominis, vel mulieris, quam diabolus fingit, & arripit, ad committendum hoc delictum, & tunc dicitur incubus: ex omnibus iſtis modis incurritur crimen ſodomiæ, ratio eſt, quia quis abutitur re contra eius naturam. *S. Thom. ſecunda ſecundæ quæſtione 154. art.11.12.Tolet.libr.5.c.13. in ſumm.*

46 Quare lex non nominauit omnes has ſpecies ſodomię?

Reſp. Quia forſan tempore legis nõ erant inuentę, & poſtea malitia hominum creuit, & eas inuenit.

47 Si duæ mulieres vna cum altera modo ſodomitarum coeant, quam pęnam incurrunt?

Reſp. Variæ ſunt opiniones. *Couar.p.2.c.7.§.5.n.7.tenet.* quod incurrunt pœnam mortis, & ignis; ratio eſt, quia in hoc delicto, & alijs ſimilibus ſæpe punitur affectus, licet non ſequatur effectus, ſed Antonius Gomez tenet, quod mulier, quæ prouocat aliam mulierem aliquo inſtrumentum ad copulam, debet condemnari ad mortem, ſi vero ſine inſtrumẽto, pęna extraordinaria puniri debet.

48 Si vir cum propria vxore per vas poſterius habeat copulam, qua pęna punitur.

Reſp. Pęna mortis, & ignis; ſicut ſodomitæ; ratio eſt, quia matrimonium non dat facultatem ad committẽdum hoc peccatum, imo auget delictum, cum ſit res ſacra, & non debet induci excuſatio, & velamen ad tam magnum peccatum, & quia mulier credita eſt, & commiſſa viro per Sacramentum ad benè vtendum, & non ad malè vtendum. *DD. in l. cum vir nubit in fœmina. C.ad l.Iuliam de adulterijs, & in cap. in Archiepiſcopatu, de raptorib.*

49 Propter crimen ſodomiæ commiſſum à viro, datur nè ſeparatio thori ad inſtantiam mulieris?

Reſp. Affirmatiuè, ſiue ſit ſodomia cum propria muliere, ſiue cum alia, ſiue cum viro; ratio eſt, quia maior iniuria ſit matrimonio per ſodomiam, quam per adulteriũ, cum ſit maius peccatum, & per adulterium datur ſeparatio, a fortiori debet dari per ſodomiam. *tenet Io. Andr. Anch. & Archid. in c. maritis, de adulterijs. c. Idolatria, 28.q. 1.c.omnes accuſationes.32. quæſt.7.*

50 Sodomia hominis cum aliqua beſtia cuiuſcumque generis ſit, vel ſi aliqua mulier coeat cum aliqua beſtia, vt cum cane per vas naturale, qua pęna punitur?

Reſp. Punitur pęna mortis, & ignis, ſicut ſodomita; ratio eſt, quia abutitur ſuo corpore contra ſuam naturam. *l. cum vir nubit in fęmina. l. citata, & DD. ibi, & Abbas in d.capit. cum in Archiepiſcopatu de raptoribus.*

51 Crimen ſodomię quomodo probatur?

Reſp. Sufficit confeſſio rei extorta in tormento, ſed poſtea ratificata intra terminum 24. horarum, & ſufficit ſocius criminis, etiam infamis, & præſumptiones vehementes, & in lege Hiſpaniæ edita a Philippo II. Rege prudentiſſimo, ſufficiunt duo teſtes ſingulares complices in diuerſis actibus, & probant ſicut ſi eſſent conteſtes in vno, eodemque actu, & ſicut ſi eſſent omni exceptione maiores, ratio eſt, quia de ſuâ natura alij teſtes haberi nequeunt. *tenet Maſcard. 1.§.diuus.ff.de quæſtion. Afflict. in conſt. Neapol. Franciſ. Viuas lib.1.diſt.157.num.9. Alex.conſ.66.in fin. vol.3. Iaſ.conſ.161.vol.4.*

52 Quæ pręſumptiones, & coniecturæ ſufficiunt in crimine ſodomiæ ad condemnationem?

Reſp. Fuga, fama publica cum alijs adminiculis, nẽpe cum mutua conuerſatione, dormitione in eodem lecto, oſculis, dictis ſolicitationibus, cauta, & intrinſeca amicitia, & ſi his addatur confeſſio vnius partis, etiam exorta in tormentis, erit ſufficiens probatio (altera parte exiſtente negatiua) ad pęnam ordinariam. *c. præterea, de teſtibus. Alex.conſ.66.in fin.vol. 3. Iaſ.conſ.141.vol.4.nu.4.*

53 Solâ fama in delicto ſodomiæ quam probationem facit, & quid operatur?

Reſp. Primo, ſi fama ſit publica, & habeatur a maiori, & ſeniori parte populi ita credentis, facit probationem ſufficientem ad inquiſitionem, non vero ad torturam, neq; ad condemnationem, niſi poſtea illi adiungantur cætera adminicula, quia nunquam, vel raro per ſolam famam in hoc crimine proceditur, ne iniuſtè, & cum falſo fundamento tollatur alicui viro ſuus honor. *tenet Alex.conſ.53. vol.3.Iaſ.in l. admonendi.ff.de iureiur.nu.248.*

54 Si non agatur de crimine reali ſodomiæ, ſed de ſola ſolicitatione: nempe, quia ſollicitatus non ſolũ non conſenſit ſollicitationi, imo coram Iudice denuntiauit ſollicitantem, quæ probatio requiritur in hoc caſu?

Reſp. Ad capturam ſufficiet denuntiatio, ad pęnam vero aduertendum eſt, quod requiruntur eędem pręſumptiones, & adminicula, quæ in crimine vero, licet nunquam ex ſola ſollicitatione imponatur pęna mortis,

mortis, ſed pœna extraordinaria grauiſſima, nempe exilij, recluſionis in aliquo monaſterio, vel alia huiuſmodi. *vt tenet Franc. Viuius lib. 1. dec. 157. numero 6.*

55 In crimine hæreſis quæ probatio requiritur?
Reſp. Licèt cautiùs ſit agendum, vbi maius periculum vertitur, & crimen hæreſis quaſi ſemper ſit cum ſocijs, tribus modis probatur. Primo, confeſſione etiam extorta in tormentis. Secundo, teſtibus etiam infamibus, vel ſocijs criminum. Tertio, ſcripturis recognitis à parte, vel ab alijs; ratio eſt, quia Ius Canonicum ſolùm habilitauit teſtes, & probationes, ſine quibus hoc delictum non probaretur; nam licèt nobis hoc delictum ſit occultum, interi hæreticos publicum eſt, & honoris. *Conrad. Brun. p. 2. c. 9. de haret. l. 1. §. Diuus. ff. de quæſtionib.*

56 Crimen læſæ maieſtatis quomodo probatur?
Reſp. Per ſocium criminis, per coniecturas, & præſumptiones violentas, per fugam, per dicta etiam extraiudicialia, ſtatim bona confiſcantur. *tenet Zilet. to. 1. conſ. 103. Io. Andr. cap. 1. de homicid. verſ. requiritur.*

57 Coniuratio, & conſpiratio apoſtata quid eſt?
Reſp. Loquutio aliquorum cum iuramento, vel ſine illo facta occultè, vel publicè in damnũ alicuius particularis Reipubl. vel Principis. *tenet Abb. c. fin. de teſtib. cogen. nu. 1.*

58 In delicto coniurationis quę probatio requiritur?
Reſp. Sufficit, vt probetur per ipſos ſocios criminis, qui ſtatim debent cogi tormentis, cum res ſit inter ipſos ſecreta, & fuga ſit maximum indicium. *Abb. c. venerabilis. eod. tit.*

59 Quibus modis committitur apoſtatum, ſeu homicidium factum animo deliberato?
Reſp. Quatuor modis. Primo, ex propoſito quærens inimicum à facie ad faciem, & hoc non habent ſpeciem tradimenti. Secundo, ex inſidijs. Tertiò, proditoriè interficiendo inimicum inſcium, & ſecurum cum tradimento. Quartò, per aſſaſſinium, mandando alteri, vt illum interficiat, *vt tenet Iulius Clar. lib. 5. homicidium. nu. 8. & 9.*

60 In homicidio ex propoſito cauſato (vbi quis non facit tradimentum) quæ probationes requiruntur?
Reſp. Confeſſio partis, vel teſtes, & fuga.

61 In homicidio cauſato proditoriè ex inſidijs, quæ probationes requiruntur?
Reſp. Confeſſio partis extortę in tormentis, vel præſumptiones violentæ, ſicut fuga, inimicitia, arma, cum quibus occiſus fuit, fama, titubationes, ſigna exteriora, & alia his ſimilia. *Iulius Clar. lib. 5. §. homicidum. n. 10.*

62 Quis dicitur aſſaſſinus verè?
℞. Tam ille, qui mandat aliquem occidere, quàm qui occidit mediante pecunia, vel ſine pecunia, & vterque eandem pœnam incurrunt, *Iul. Clar. libr. 5. §. aſſaſſinium. n. 1. Bald. conſ. 383. n. 1. & non gaudent immunitate Eccleſiaſtica. Remig. de immunit. Eccleſ. fol. 15. §. ex omnibus.*

63 Crimen aſſaſſinij quomodo probatur?
Reſp. Primo, confeſſione partis extortæ in tormento, quæ facit fidem contra mandantem, & exequentem. Secundò, præſumptionibus, fuga ſcilicet, & inimicitia anteriori, fama, inſidijs poſitis in alia occaſione, aggreſſione facta ab occidente, armis ſuperioribus, quæ portabat ille, qui occidit alius, minis antè factis, & alijs coniecturis, quæ in quolibet negotio oriuntur. *c. 1. de homic. in 6. & ibi DD. præcipuè Iul. Clar. §. aſſaſſinum, lib. 5. n. 5.*

64 Crimen interficientis aliquem veneno quomodo probatur?
Reſp. Confeſſione partis extortę in tormentis, præſumptionibus, nempe fuga, & inimicitia anteriori, ſi emit venenum ex aliqua officina, ſi ipſe ſciat id condere, ſi dedit mortuo aliquid manducare, ex quo ſecuta ſit mors, ſi habeat malam famam, ſi ſit homo inferior, & non potuerit ab alio, alio modo vindictã ſumere, & in hoc caſu coram Iudice, Notario, & teſtibus, mortuus eſt aperiendus, & medicis inſpiciendus eorum dicta ſunt ſcribenda. *l. 1. & 4. ff. de ſicarijs. quas citat Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. homicidium. numer. 3.*

65 Medicus, qui ſcienter adhibet medicamentum, vt infirmus moriatur, quam pœnam incurrit, & quomodo probatur?
Reſp. Punitur Pœna mortis grauiſſima; ratio eſt, quia vtitur ſuo officio in malum finem, & probatur coniecturis, præſumptionibus, nempe inimicitia anteriori ex dictis aliorum medicorum. *tenet Iul. Clar. lib. 5. §. fin. n. 26. in practica criminali.*

66 Schopetę ictus, morte ſecuta, vel non, quomodo probatur?
Reſp. Confeſſione partis etiam extortæ tormentis, præſumptionibus, fuga, ſonitu ſcopetæ, conſiderato loco, tempore, diſtantia, inimicitia, occiſione, fama, ætate, intentione, & alijs.

67 Si in delictis occultis mors non ſequatur, qua pœna punitur, qui intentauit alium occidere?
Reſp. Cum diſtinctione: ſi voluit occidere veneno, ve alio tradimento, & perſona erat Princeps, vel Dominus, punitur pęna grauiſſima mortis in exemplum aliorum; ſi verò perſonæ ſint ordinarię punitur pœna extraordinaria arbitraria. *Iul. Clar. lib. 5. ſentent. §. homicidium, nu. 14.*

68 Libellus famoſus quomodo probatur?
Reſp. Indicis, nempe fuga, inimicitia, occaſione minis extraiudicialibus, vita anteriori, & conſiderata perſona, hæc inditia ſufficiunt ad torturam: ſi verò accedat vnus teſtis occulatus, vel confeſſio partis, ad pęnam grauiſſimam ordinariam. *Iulius Clar. libr. 5. q. 21. §. practica criminalis. n. 18. cum ſeqq.*

69 Delictum incendiarij quomodo probatur?
℞. Per ſolam fugam, cum quis bannitur, & non comparet, hæc probatio eſt ſufficiens ad probandum bona fiſco competere, & ſi ad fugam accedant alia indicia, nempe inimicitia, minæ, mala fama, quòd talidie fuit viſus in agro prope incendium, hæc probatio erit pleniſſima; quia hoc delictum poteſt committi ab vno homine, ſcilicet eſca. *Zilet. tom. 1. conſ. criminal. conſ. 61. l. admonendi. ff. de iureiurando, & Bart. ibi, num. 35.*

70 Libellus famoſus quibus modis fit, & qua pœna punitur, qui eum intentat?
℞. Duobus. Primò ſcriptura. Secundò, ſignis, vt ſi quis atramento, vel alio colore coinquinet domum mulieris, vel ſuſpendat cornua, & licèt de iure puniatur pœna capitali, tamen raró executioni mandatur, ſed talis ſolet puniri fuſtibus, exilio, pœna pecuniaria. *l. vnica. C. de famoſis libellis. Iul. Clar. lib. 5. § fin. num. 25.*

71 Falſa moneta quomodo probatur?

℞. Ex

℟. Ex præſumptionibus, nempe fuga, ſi inueniantur inſtrumenta cum quibus fit, vel ipſa moneta falſificata, & his ſimilia. *Iulius Clarus. vbi ſup. §. falſum, numer. 37.*

72 Quot ſunt genera furtorum?

℟. Duo, ſcilicet, manifeſtum, quandò quis deprehenditur cum furto, vel furans, & tunc impunè poteſt interfici; & aliud eſt non manifeſtum furtum, & non deprehenditur apud furantem. *l. furtorum. ff. de furtis. Iul. Clar. vbi ſupra. §. furtum. nu. 2.*

73 Delictum furti quomodo probatur.

℟. Per teſtes, complices, per indicia, famam, ex eo quòd aliqua res furata inueniatur in domo, vel poteſtate latronis. *Iulius Clarus vbi ſupra §. furtum, numeor. 5.*

74 Crimen falſi circa quæ committi poteſt?

℟. Circa plurima, & multis modis. Primo circa teſtes, ſubornans eos, & talis, eadem pœna mulctatur. Secundo, circa ſcripturas. Tertio, circa monetam. *Iulius Clarus. vbi ſup. §. falſum. num. 4.*

75 Quibus modis probatur crimen falſi?

℟. Primo, per confeſſionē partis. Secundo, per hoc, quòd ipſe teſtis deponat contraria. Tertio, per teſtes legitimos deponētes, quòd talis teſtis depoſuit falſitatem ſciens. *Iul. Clar. vbi ſup. nu. 3. & 8.*

76 Si aliquis teſtis dicat ſe depoſuiſſe falſum precibus alicuius; eſt ne illi danda fides contra talem hominem, qui eum induxit?

℟. Regulariter non: quia talis teſtis eſt periurus, & infamis, ſed cum alijs adminiculis, nempè ſi indicens eſt inimicus illius, contra quem teſtis falſum dixit, facit aliquam probationem, & magnum indicium, vt talis inducens proſequatur de delicto ſubornationis, ſeu inductionis. *tenet Iul. Clar. lib. 5. §. falſum. n. 5. Dec. conſ. 69. num. 8. verb. primo quia.*

77 Dolus, fraus, ſimulatio, & falſitas in ſcripturis, vel inſtrumentis, quomodo probatur?

℟. Per coniecturas; nempè examinādo, & recognoſcendo coram teſtibus, & Notarijs litteras, & inſcriptionem talis tabellionis, & eam comparando cum litteris falſificatis, & hæc probatio, ſi tabellio ille, qui falſicauit, ſit mortuus, ſufficiet ad declarandam talem ſcripturam falſam; ſi verò ſit viuus, ad torquēdum talem hominem, vt tenet omnes criminaliſtæ, mittatur.

78 Probatio ſimoniæ quomodo fit?

℟. Per coniecturas, ſicut dictū eſt in hoc libro, tractatu de ſimonia, præcipuè cum ſit realis, & mentalis; ſed cum hoc delictum ſit occultum, & grauiſſimam, coniecturæ debent eſſe euidentiſſimę, quę nulla ratione fallere poſſint, ita vt conuincant reum, vt habetur. *1. quæſt. 1. per totum. c. euidentia de accuſat. leg. ſciant cuncti. C. de probationib. Io. Andr. in c. ſicut. de ſimonia. l. 1. C. de hæreticis, & Manicheis.*

79 In delictis occultis ſi probatio ſit dubia, pro quo iudicandum eſt, pro reo, vel contra reum?

℟. Pro reo; ratio eſt, quia delictum non pręſumitur, vbi poſſibile eſt aliquid ſine crimine fieri, & quia de æquitate iuris magis fauendum eſt reo, quam actori, *Abb. c. cum tu fili de teſtib. nu. fin. cap. in præſentia. de probat. nu. 34.*

80 Iudex cum condemnat aliquem, qui commiſit delictum occultum, & mouetur ſolis præſumptionibus, & coniecturis vehementibus, vel vno ſolo teſte, quam pœnam debet imponere?

℟. Non debet dare pœnam ordinariam, ſed mitiorem, & infra ordinariam, quæ magis ſit remedium, quàm pœna, ne tale delictum iterum committatur; ratio eſt, quia non extant plenę informationes. *Marſil. in l. ſi quis ne. ff. de quæſt. nu. 149. Abb. c. ſi quis quam, de cohab. cler. & mul. nu. 4.*

81 Iudex in quibus delictis occultis, vel non occultis poteſt procedere ſolà ſcientia, quærela, vel denuntiatione abſq; eo, quod conſtet de delicto?

℟. Cum diſtinctione delicta ſunt in duplici differentia. Primò, ſunt delicta, quæ commiſſa nulla relinquunt veſtigia ſui, vt ſimplex fornicatio, adulterium, furtum, hæreſis, periurium, & alia ſimilia; & in his delictis Iudex procedit ſola ſcientia, vel denuntiatione vſque ad finem cauſæ. Secundò, ſunt alia delicta, quæ relinquunt ſui veſtigium, & ſignum, vt occiſio hominis, ſtuprum virginis, vulnus, incendium, fractio domus, vel carceris, & his ſimilia: in iſtis Index procedit, poſtquam conſtitit de delicto. *Iulius Clarus. libro quinto, §. final. quæſtione quarta, numero ſecundo.*

CAPVT XXII.

De teſtibus, & atteſtationibus.

1 PRobatio per teſtes, quare eſt introducta à iure?

℟. Vt res, quæ per teſtimonia, & ſcripturas non apparent, per teſtes notæ fiant. *gloſ. in rubr. de teſtib. & atteſtationib. & Ioan. Andr. in d. rub.*

2 Qualis eſt probatio per teſtes?

℟. Si teſtes ſint omni exceptione maiores fortiſſima eſt, & ſecunda fortior poſt confeſſionem partium. *gloſ. vbi ſupra.*

3 Quis debet eſſe teſtis?

℟. Idoneus. *c. 1. de teſtib. & ibi gl.*

4 Quis dicitur teſtis idoneus?

℟. Ille, cui nulla poteſt opponi exceptio ex his, quæ teſtem reddunt inhabilem, *c. 1. de teſtib.*

5 Quam regulam debemus ſeruare ad admittendū teſtes ad teſtificandum?

℟. Quoties quis ex tali delicto commodum, vel damnum non reportat, neq; eſt pars principalis, neq; procurator, vel affinis partis, neq; habet odium, neque amicitiam, neque timorem, neq; affectionem reſpectu partis, tunc admittendus eſt tanquam teſtis idoneus. *Abb. in c. inſuper, de teſtib. nu. 8. c. licet ex quadam, eod. tit. & ibi gl.*

6 Quæ requiruntur in teſte idoneo?

℟. Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama, & fortuna. *Gloſ. in c. 2. de teſtib.*

7 Quæ eſt conditio, quæ requiritur?

℟. Vt ſint teſtes liberi, non ſerui. *c. ſi teſtes. 4. q. 3. §. item liberi.*

8 Qui ſexus requiritur?

℟. Vt ſit maſculus, & non fęmina, quæ de iure canonico non admittitur. *c. forus, de verb. ſignific.*

6 Mulier in quibus caſibus admittitur ad teſtificandum?

℟. In

Reſp. *In crimine commiſſo à ſe*, & etiam contra Clericum in defectu aliorum teſtium. *cap. quoniam. de teſtibus*.

10 Quæ ætas requiritur in teſte.

Reſp. In ciuilibus debet eſſe maior quatuordecim annis, in criminalibus maior viginti, quia agitur de vita, quæ pretioſior eſt diuitijs. *c. ſi teſtes. q. 3.*

11 Quæ diſcretio requiritur in teſte?

Reſp. Talis diſcretio, vt poſſit diſcernere rem, & veritatem à falſitate, & ideò non debet eſſe impubes?

12 Quæ fama requiritur in teſtibus?

Reſp. Quòd non ſit infamis infamia iuris, vel facti. *c. teſtimonium, de teſt.*

13 Quæ fortuna requiritur in teſte?

Reſp. Quòd non ſit pauper ea paupertate, de qua timeatur, quòd propter metum veritatem non aperiat. *c. ſi qui teſtium, eodem tit.*

14 Pauper repellitur nè à teſtimonio dicendo?

Reſp. Secundùm. *c. in primis. q. 2. & c. ſi teſtes. 4. q. 3.* repellitur pauper teſtificando; ſed hoc intelligitur non ratione paupertatis, ſed timoris, vt non corrumpatur: at verò ſi pauper ſit perſona honeſta, non ſolùm non repellitur, ſed ei fides datur. *gl. in c. ſi teſtes. 4. q. 3. §. teſtium.*

15 Quæ eſt cauſa ſcientiæ, quæ requirenda eſt à Iudice in teſte, & in quo conſiſtit?

Reſp. Conſiſtit in ſenſibus hominis deponentis, videlicet ſi res ſit viſibilis, quia vidit, ſi res eſt palpabilis, quia palpauit, ſi ad auditum pertinet, quia audiuit, & debet interrogari quando, quo loco, quo tempore, & coram quibus. *Abbas in c. cum cauſam, de teſtibus. num. 8.*

16 Quæ fides requiritur in teſte?

Reſp. Quòd non ſit infidelis. *vt habetur in c. 1. & ibi gloſ. de teſt. & atteſt.*

17 Quotuplex eſt odium?

Reſp. Duplex priuatum, & publicum, vel generale: priuatum eſt, quando propter inimicitiam quis odio habet alteri perſonæ; publicũ, vel generale eſt, quando publicè omnes odio habemus, videlicet peccatoribus, quia generaliter odio habemus peccata, & vitia. *Abb. in c. quoties, de teſt. num. 4.*

18 Quod odium debet quis habere, vt repellatur à dicendo teſtimonium in aliqua cauſa?

Reſp. Odium priuatum tali perſonæ; quia publicum non vitiat teſtimonium, cum ſit generale. *Ioan. Andr. in c. quoties, de teſtibus.*

19 Quotuplex eſt amicitia?

Reſp. Duplex alia carnalis, alia charitatiua; carnalis eſt, quæ dirigitur in ordine ad corporis voluptates aut ad alium finem humanum: charitatiua eſt, quæ reſpicit Deum tamquam finem, ſeu rationem formalem, propter quem res diligitur, vt cum diligitur proximus propter amorem Dei, *c. de parentela. 35. q. 6. & Abb. in c. quoties, de teſt. num. 5.*

20 Quæ amicitia repellit hominem à teſtificando?

Reſp. Carnalis, non charitatiua. *Abb. vbi ſup.*

21 Productiones teſtium quo in numero debent admitti a Iudice ad petitionem partis?

Reſp. Tres productiones poſſunt admitti? quarta verò productio teſtium non eſt admittenda ſine ſolemnitate legali, vt litibus finis imponatur. *c. in cauſis de teſtibus.*

22 Quæ ſolemnitas eſt legalis?

℟. Iuramentum, quod fit à parte proferente, quòd ad eius notitiam ante non venerit notitia talium teſtium, & quòd non fecerit dictam quartam productionem animo dilatandi, nec ſuperfluè, ſed conſequendi iuſtitiam. *Abb. in c. cauſis de teſt.*

23 Atteſtationes, & depoſitiones factę in vno iudicio valent nè in alio?

Reſp. Si legitimè ſint factæ, valent. *c. cauſamque, il 1. de teſtib. & atteſt.*

24 Teſtes quomodo ſunt examinandi?

Reſp. Sigillatim, & ſecretè, non præſente conteſte; alias non valent. *c. venerabilis, de teſt.*

25 Teſtis, qui ſub obſcurè dixit, poteſt nè iterũ examinari?

Reſp. Poteſt etiam poſt publicationem. *cap. cum clamor, de teſtibus.*

26 Teſtes quomodo debent eſſe, vt ſit ſufficiens eorum teſtimonium?

Reſp. De viſu, de affirmatiua, reddendo ſufficientem cauſam ſuæ depoſitionis.

27 Si aliquis teſtis det cauſam ſuæ depoſitionis, & poſtea dicat ſe credere, quam fidem facit?

Reſp. Sufficit ſuum dictum, quaſi dicat de credulitate. *Abb. in c. quoties. de teſt. num. 9.*

28 Teſtis præſentatus ſuper vno articulo, ſi dicat in alio, valet nè eius depoſitio?

Reſp. Non, quia ſolum valet in eo, ad quod eſt pręſentatus. *c. de teſtib. tit. de teſt. & ibi Abb. nu. 1.*

29 Si teſtis examinatus in ſummaria moriatur, facit nè fidem eius dictum in plenaria?

Reſp. Non, quaſi non eſſet; ratio eſt, quia ratificatio teſtium de iure eſt neceſſaria, tamquam ſolemnitas ſubſtantialis. *Abb. in c. tua, de teſt. num. 4.*

30 Si teſtis velit ſe corrigere in ſua atteſtatione, eſt nè admittendus?

Reſp. Si id faciat ſtatim, vel ante publicationem, tunc eſt admittendus. *Abb. in cap. per tuas, eod. tit. numero 1.*

31 Si aliquis teſtis dicat vnum coram arbitro, & cõtrarium coram Iudice ordinario, cum arbiter mortuus fuerit, cui dicto eſt ſtandum?

Reſp. Primo dicto, licèt multum debilitetur, cum ſecundum habeatur ſuſpectum. *Abb in c. præſentata, de teſt. num. 10.*

32 Actus depoſitionis ad quod tempus defertur?

Reſp. Ad tempus iuramenti, licet depoſitio in alio die fiat. *Abb. c. 2. de teſt. num. 4.*

33 Teſtis debet nè iurare?

Reſp. Debet de veritate dicenda, & debet admoneri à Iudice, vt dicat veritatem pro vtraque parte. *Abb. in c. in nomine Domini. de teſt. num. 1.*

34 Teſtis, qui iurat de non teſtificando, poteſt nè cõpelli ad dicendum?

Reſp. Debet penis, carcere, & cẽſura, præcipuè, quia tale iuramentum non obligat; eſt enim contra iuſtitiæ adminiſtrationem. *cap. intimauit, de teſt. & ibi Abb. num. 1.*

35 Si quis iurauit alicui non reuelare ſecretum, ſi in teſtem ſuper eadem re producatur, quid debet agere?

Reſp. Debet dicere veritatem, & non peccat eam dicendo ſub iuramento, quia ipſe non reuelat ſecretum ſibi commiſſum, quia alij prius reuelauerunt, & ipſe tenetur deponere veritatem. *Abbas vbi ſupra num. 3.*

36 Si teſtis deponat, & poſtea iuret, valebit ne eius dictum?
Reſp. Non, quia iuramentum eſt actus ſubſtantificus ad eliciendam veritatem, licèt contrariam opinionem aliqui teneant, ſed verius eſt non valere tale dictum; ratio eſt, quia dixit ante iuramentum, & iuramentum cadit ſupra dicenda, non ſupra iam dicta. *Abb.c.de teſt.eod.tit.nu.*8.

37 Si teſtis deponat ſine iuramento, & dicat falſitatem, poteſt ne condemnari de crimine falſi?
Reſp. Poterit puniri vt falſarius, ſed non vt periurus. *Abb. vbi ſup.num.9.*

38 In quibus ſtandum eſt iuramento partis?
Reſp. In dependentibus a conſcientia alicuius, ſi per alia remedia res probari non poſſit. *Abb.cap.præſentium,de teſtib. num.*3.

39 Partes poſſunt remittere iuramentum teſtibus ſine conſenſu Iudicis?
Reſp. Poſſunt, quia introductum eſt in fauorem partium, quæ poſſunt renunciare: & officium Iudicis eſt ſolum partes ad concordiam reducere. *Abb. cap.tuis quæſtionibus,eod.tit.nu.3.de teſt.*

40 Si aliquis teſtis iurauit ſe nihil dicturum, aut non dicturum veritatem, eſt ne admittendus, & valet tale iuramentum?
Reſp. Tale iuramentum non obligat, ſicut de re illicita, & nihilominus eſt admittendus, & tenetur dicere veritatem. *Abb.in cap.conſtitutis,il 1.de teſtibus numero* 2.

41 Teſtis poteſt iurare per procuratorem?
Reſp. Non, cum ſit actus pertinens ad propriã conſcientiam. *Abb.c.licet ex quodam.eod.tit.num.6.*

42 Si quis ſine iuramento dicat aliquid contra aliquem ſcripto, vel verbo, eſt ne ei credendum?
Reſp. Non, quia eſt contra ordinem iuris, & contra charitatem. *c.nuper, de teſt.*

43 Teſtis receptus ſine citatione partis valet ne?
Reſp. Non. *c.2. de teſtibus.*

44 Quando proceditur per inquiſitionem, pars debet ne citari ad recipiendos teſtes?
Reſp. Non, bene tamen ad publicationem teſtium. *Abb.c.2. de teſt b.num.*8.

45 Si timeatur potentia aduerſarij, poteſt ne Iudex clam examinare teſtes?
Reſp. Poteſt ad inſtantiam partis. *Abb.cap.2.nu.9. de teſtibus.*

46 Si pars citata noluerit comparere, nec intereſſe iuramento teſtium, valebit ne teſtimonium?
Reſp. Valebit, ſicut ſi præſens fuiſſet. *Gloſs. in verb. noluerit.c.2.teſtibus.*

47 Si citatus fuit procurator, & non dominus, & dominus non comparuit, valebit ne talis depoſitio?
Reſp. Valebit, quia procurator agit eius perſonam. *l. qui ſtipendia.C.de procuratoribus.2.q.7. capit.biduum, verb.palam,vt refert Abb.capit.2. eod.titulo noſtro,numer.* 17.

48 Qui numerus teſtium eſt neceſſarius in qualibet cauſa?
Reſp. In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum, & licèt duo teſtes probent in rebus grauiſſimi præiudicij, tamen ſecundùm veriorem opinionem D. Thom. duo teſtes ſufficiunt ad pœnam rigoroſam, & ordinariam. *Abb.in c.quoties de teſt.nu.1. & cap.licet, il 1.eod.tit.*

49 In quibus cauſis ſufficit teſtimonium vnius?
Reſp. In cauſis, vbi non agitur de præiudicio alterius; vt ſi quis eſt baptizatus, ſi Eccleſia eſt cõſecrata, ſi quis eſt vxoratus, vel non vxoratus. *Abb.in cap. licet, il 1 cod.tit. num.5.*

50 Si teſtator mandet, vt ſtetur dicto vnius perſonæ in aliqua re, vel in diſpoſitione ſui teſtamenti, requiritur citatio partis?
Reſp. Non, & eſt caſus notabilis. *Bart. in l.Teopompus.ff.de dote prælegata, num.*1.

51 Vnus teſtis, quam fidem facit?
Reſp. Nullam, quia dictum vnius, dictum nullius; ſed auget præſumptionem. *c.veniens, il 1.de teſtib.c. licet, il 1.eod.tit.*

52 Singularitas teſtium quotuplex eſt?
℞ Triplex, obſtatiua, diuerſificatiua, & cumulatiua. *Bald.in c.licet cauſa,de probationibus.vide caput de Clerico ſollicit.in confeſſ. lib.5.*

53 Dictum vnius quando ſufficit ad torturam?
Reſp. Quando dicit ſuper facto, non quando dicit ſuper præſumptione, vel indicio. *l.2.C. ad l.Iuliam de adult.*

54 Eſt ne conſiderandus numerus teſtium in probationibus?
Reſp. Non, ſed auctoritas, videlicet ſi ſint honeſtiores, ditiores, melioris famæ. Secundò conſideratur, ſi dicta eorum ſint magis conſona Iuri communi. *4. q.3.c.ſi teſtes.c.licet, de probationibus.* Tertio, eorum multitudo, quia ſunt plures numero, ſed iſtæ qualitates conſiderantur eo ordine, quo ſcriptæ ſunt, ſecundùm quas aliquando minor pars teſtium præualet maiori. *Hoſtienſ.eod. tit. Abb.in c.in noſtra, de teſtibus, num.* 1.

55 Cui credendum eſt magis, duobus teſtibns de affirmatiua, aut pluribus de negatiua?
Reſp. Duobus teſtibus de affirmatiua, quia deponunt rem certam; teſtes verò de negatiua deponunt quaſi de re incerta. *Abb.c.in noſtra.eod.tit.nu.6.*

56 Teſtimonium de credulitate quando admittitur?
Reſp. Vbicumque cauſæ per ſcientiam probari non poſſunt propter magnam antiquitatem, & admittuntur teſtes de auditu, quando inſtrumenta deficiunt, quia non eſt alia probatio. *Abb.in c.quoties, de teſtib.num.6. & 7.*

57 Criminoſi, & infames, quando admittuntur ad denuntiandum crimen aliorum?
Reſp. In re graui pernicioſa fiſco, vel Reip. vel Principi. *Abb.in c.nouit,de iudicijs,nu.39. & c.in omni negocio, de teſtib. & num.5.*

58 Si teſtis dicat ſe audiuiſſe ab alio, qui etiam audiuit ab alio, quid probat?
Reſp. Nihil, quia teſtis debet deponere de viſu, vel auditu, ſcilicet, quia audiuit ab alio, qui ipſemet vidit, ac narrauit. *Abb.in c.tam litteris,de teſtib. num.5. c.cum cauſam, eod.tit.*

59 In denunciatione qui teſtes admittuntur?
Reſp. Omnes, ſed non inimici, neque criminoſi. *cap. quoniam, de teſtib. & ibi gloſ.*

60 Admonitiones requiruntur ad validitatem denunciationis?
Reſp. Sufficiunt duæ denunciationes. *Abb.c.in omni negocio. vt ſup. num.2.*

61 Denuncians quando admittitur ad teſtificadum?
Reſp. Solũ quando agitur ad correctionem delicti, vel pœnam leuiſſimam; non verò quando imponitur

tur pœna legis. *Abb. in cap. in omni negotio, de teſtibus, num.* 4.

62 Si quis confiteatur delictum, & ratificetur in confeſſione, & poſtea dicat contrarium, quid agendum?

Reſp. Non eſt illi credendum. *c. veniens, il* 1. *de teſt.*

63 In crimine ſimoniæ contra Clericum, quæ probatio requiritur?

Reſp. Plena, etiam ſi agatur ciuiliter. *Abb. c. veniens. il* 1. *nu.* 4. *eod tit.*

64 Socius criminis admittitur in teſtem in crimine ſimoniæ?

Reſp. Regulariter non admittitur in vno crimine, ſed eius depoſitio dat maiorem claritatem, & auget fidē aliorum teſtium. *c. veniens ad nos, de teſt.*

65 Quibus modis, quis eſt ſocius criminis ſimoniæ?

Reſp. Duobus. Primo, adiuuando ad crimen ſimoniæ. Secundo, adiuuando, & participando de pretio dato pro ſimonia. *cap.* 1. *de teſtibus in* 6. *gloſſ. mediatores.*

66 Quando admittitur ſocius criminis ſimonię ad teſtificandum contra ſimoniacum, & contra quas perſonas?

Reſp. Contra laicum, & ſolùm quando agitur ciuiliter, & non criminaliter; at verò non admittitur cōtra Clericum, neque quando agitur ciuiliter, neque criminaliter propter eius dignitatem, niſi Clericus ſit perſona vilis, & infamatus. *c. in primis.* 2. *q.* 1. *Abb. in c. veniens. de teſt. num.* 7. *& gl. in c.* 1. *de teſt. verb. mediatores. in* 6.

67 Quot mulieres ſufficiunt ad diſſoluendum matrimonium, vel contrahendum?

Reſp. Duæ mulieres faciunt plenariam probationem, ſi non ſit alia probatio virorum. *Abb. in c. ſuper. nu.* 2. *de teſtibus. il* 2.

68 Si duo petant eamdem vxorem, & æqualiter probent, cui debet dari?

Reſp. Iudex debet differre ſententiam, vſque dum conſtet, quis ſit eius maritus propter periculum, ne fortè tradatur homini, qui non ſit eius maritus. *Abb. in c. in noſtra. eod. tit. nu.* 5.

69 In cauſa matrimoniali, vel criminali partes poſſunt nè remittere iuramentum partibus?

Reſp. Non, ſi agatur de validitate matrimonij, nec in crimine, cum lædatur fiſcus, & hæc eſt regula generalis, & non poſſunt remittere iuramentum, niſi in cauſis, quę pendent à libera partium voluntate, quia alias non renuntiarent ſuo iuri, ſed alieno. *Abb. c. tuis q. nu.* 5. *eod. tit.*

70 Cum agitur ad impediēdum matrimonium, quot teſtes requiruntur?

Reſp. Vnus ſufficit. *cap. præterea. de ſponſalibus, il ſecundo.*

71 Ad probandum crimen adulterij, quæ probatio requiritur?

Reſp. Sufficit, quòd ſint ſinguli teſtes in actibus diuerſis; videlicet, quòd viderint in diebus diuerſis hominem eſſe ſupra mulierem. *c. præterea. de teſtib. & ibi Abb. nu.* 1.

72 Ad crimen fornicationis, quæ probatio requiritur?

Reſp. Sufficit, quod teſtes viderint hominem, & mulierem in latebris, vel in occulto ad inuicem ſe oſculantes. *Abb. in c. præterea. de teſt. nu.* 2.

73 Ad probandām copulam carnalem in matrimonio, quæ probatio requiritur?

Reſp. Sufficit teſtimonium de auditu cum alijs adminiculis, *Abb. c. præterea. de teſtib. nu.* 4.

74 Quæ ſunt adminicula, quæ iuuant probationes iſtas?

Reſp. Tactus viri, & mulieris, viſus, frequentatio domus, miſſio nuntiorum, cohabitatio, amplexus, oſcula, & ſimilia. *Abb. in capit. præterea, de teſtibus numero* 7.

75 Ad ſeparationem thori, quæ probatio requiritur?

Reſp. Sufficit, vt teſtes dicant de auditu. *Abb. vbi ſupra num.* 5.

76 Requiruntur nè hæc omnia adminicula ſimul ad probationem horum criminum?

Reſp. Sufficiunt cum fama vnum, vel duo ex his adminiculis, ſi verò non ſit fama, non ſufficiunt adminicula. *Abb. vbi ſupa nu.* 7. *&* 5.

77 Cæcus, qui audit clauſo oſtio, vel media cortina, poteſt in iſtis criminibus carnalibus eſſe teſtis?

Reſp. Si cæcus habet cognitam vocem viri, & mulieris, ita quòd diſtinctè poſſit teſtificari illos eſſe Ioannem, & Ioannam, eſt ſufficiens teſtis, cum ex mira Domini prouidentia voces hominis ſint diuerſæ ſicut facies. *Abb. c. præterea. nn.* 6. *de teſt.*

78 Vni Cardinali, vel Epiſcopo creditur nè?

℞. In prꝑiudicium alterius, non. *c. cum à nobis, de teſt.*

79 Iudex poteſt committere examinationem teſtiū in alio loco alicui Delegato, tàm in ciuili, quàm in criminali cauſa?

Reſp. Poteſt, ſi teſtes commodè comparere non poſſint, & Delegatus debet eſſe diſcretus, & peritus. *cap. ſi qui teſtium, de teſt.* Abb. *in c. conſtitutus, de fideiuſſorib. num.* 5. *&* 8.

80 Si teſtes deponant diuerſa, & non ſimilia, quid debet facere Iudex?

Reſp. Si fieri poteſt, concordare eorum dicta, vt euitetur periurium. *text. in c. cum tu fili, de teſt.*

81 In dubio, in cuius fauorem eſt interpretanda depoſitio teſtium?

Reſp. In fauorem rei, & non actoris, quia ius reo fauet. A*bb. in c. cum tu fili, de teſt. nu. vlt.*

82 Facta publicatione teſtium, Iudex poteſt nè admittere nouos teſtes?

Reſp. Non, ſuper eiſdem articulis, ſuper quibus dictum fuit iam; ratio eſt, quia ante publicationem, fit renuntiatio à partibus, dicentibus ſe non velle præſentare nouos teſtes. *text. in c. fraternitatis, de teſtib.*

83 In quibus caſibus poſt publicationem poſſunt recipi teſtes ſuper eiſdem articulis, vel contrarijs?

Reſp. In pluribus in *d. capit. fraternitati.* Abbas ponit quatuordecim caſus, in quibus fallit dicta regula. Primò, in cauſa matrimoniali propter periculum Sacramenti. Secundò, in cauſa appellationis. Tertiò, vbi non obſtat exceptio rei iudicatæ. Quartò, vbi perijt inſtantia propter lapſum biennij, vel triennij, *cap. examinata de iudicijs. l. properandum. Cod. eod. tit.* Quintò, quando dicta teſtium ſunt perdita, vel furata, vel igne cremata. Sextò, cum agitur inter alias perſonas, vel venit tertius oppoſitor, vel ligatur de nouo. Septimò, cum variatur modus agendi. *cap. veniens. de teſtibus.* vt ſi probationes factæ fuerint in ſummario, & publicatæ in plenario ſuper eiſdem articulis alij poſſunt recipi. Octauò, quando reſtituitur minor, vel Eccleſia. Nonò, in iudicio inquiſitionis,

tionis, quæ procedit ex officio iudicis. Decimò, ſi quis directè voluerit probare falſitatem teſtium. Vndecimò, ſi inſcia, vel inuita parte, fuit facta publicatio teſtium. Duodecimò, ſi Iudex arbiter moriatur facta publicatione, arbitrium non fuit finitum, & in voluntate partis conſiſtit ſuper eiſdem articulis præſentare directè nouos teſtes. *c. præſentata. de teſtib.* Decimotertiò, cum quis probauit ſe deceptum vltra dimidium pretium ſed teſtes non dixerunt, neq; declarauerunt quantitatem deceptionis, vltra dimidiū vt in caſu, *cap. cum cauſa. de teſtibus.* Decimoquartò, cum aliqui teſtes fuerunt interrogati, ſed non plene. *vt in c. per tuas: de teſtibus.* Decimoquintò, in cauſa criminali *l. Diuus. ff. de cuſtodia reorum. l. 1. ff. de quæſtionibus. & Hoſtienſ. in c. præſentata. de teſtib. Abb. c. fraternitatis, num. 3. & 4.*

84 Iudæi poſſunt eſſe teſtes contra Chriſtianos?
Reſp. Non, bene tamen è contra. *c. Iudæi. de teſtib. & Abb. ibi. nu. 3.*

85 Teſtes ſibi contrarij, quam fidem faciunt?
Reſp. Nullam, *Abb. in noſtra de teſt. num. 3.*

86 Si probationes æquales ſint pro quo eſt ſententiandum?
Reſp. Pro reo. *c. in noſtra. de teſt.*

87 Si quis condemnatus ſit in poſſeſſorio, poteſt nè audiri de nouo in proprietate?
Reſp. Non, niſi prius reficiat expenſas, & reſtituat fructus à ſe perceptos; poſtea vero auditur in iudicio proprietatis, quia abſoluit etiam in iudicio poſſeſſorio. *Abbas in capit. ſignificauerunt. de teſtibus numero octauo.*

88 Iudex poteſt præſcribere partibus numerum certum teſtium?
Reſp. Poteſt ſecundum qualitatem cauſæ, dummodo præſcribat æqualem numerum reo, & actori, *cap. cum cauſam. de teſtibus.*

89 Quam pœnam incurrit Iudex, qui non interrogat teſtem de cauſa ſcientiæ depoſitionis ſuæ?
Reſp. Tenetur reſtituere parti intereſſe. *Abb. in cap. cum cauſam, de teſt. num. 8.*

90 Iudex poteſt publicatis atteſtationibus teſtes nouos recipere?
Reſp. Poteſt ex officio ſuo. *Abb. in c. cum clamor. de teſtib. num. 1.*

91 Atteſtationes factæ in ſummario valent nè in plenario?
Reſp. Non, niſi iterum recipiantur, & reproducantur. *Abb. c. veniens. eod. tit. nu. 13. il 2.*

92 Iudex delegatus, ſi ſubdelegauit cauſam, poterit nè eſſe teſtis in eadem cauſa?
Reſp. Variæ ſunt opiniones. Abb. tenet, quòd ſi talis Iudex ſubdelegauit cauſam, amplius non poteſt reaſſumere, & ſi nihil egit ante ſubdelegationem, ſed re integra ſe exonerauit, quod non repellitur in teſtificando. *Abb. c. dilecto, de teſt. nu. 8.*

93 Facta publicatione debent teſtes iterum interrogari?
Reſp. Non, quia negligentia Iudicis non debet eſſe nociua partibus. *Abbas in capitul. per tuas. eodem titulo.*

94 Clerici poſſunt eſſe teſtes in cauſa ſuæ Eccleſiæ?
Reſp. Si non ſint procuratores in tali cauſa poſſunt eſſe teſtes in fauorem Eccleſiarum, quia ius tantorum virorum teſtimonio plurimum confidit. *c. inſuper de teſtibus.*

95 Qui ſunt de aliqua vniuerſitate poſſunt nè eſſe teſtes in cauſa vniuerſitatis?
Reſp. Poſſunt in ciuilibus, in criminalibus verò non. *c. ſuper prudentia. 14. q. 2.*

96 Clericus productus corā laico, quid debet agere?
℞. Debet petere licentiam à Iudice Eccleſiaſtico, & coram illo dicere, & iurare ad defenſionem, & nō ad offenſionem, vbi poſſit interuenire mors, & mutilatio membri. *Abb. c. ſi qui teſtium. de teſtib. nu. 6.*

97 Clerici debent nè compelli ad teſtificandum?
Reſp. In cauſa Eccleſiaſtica poſſunt compelli: in cauſa verò ſæculari non debent compelli: niſi in defectū teſtium ſæcularium; & hoc in fauorem alicuius, ne veritas pereat, quod arbitrio Iudicis Eccleſiaſtici relinquitur. *Abb. c. cum nuntius. de teſt. nu. 3.*

98 In quibus caſibus Reges, & Principes in teſtes recipiuntur?
Reſp. In crimine hæreſis, & leſę maieſtatis diuinæ, vel humanæ. *c. in fidei fauorem de hæreticis in 6.* & ſic Dom. Imperatrix vxor Caroli V. Summi Imperatoris dixit teſtimonium coram Doctore Valdes Archiepiſcopo Hiſpalenſi Inquiſitori Generali in negotio Doctoris de Torralua medici auruſpicis, qui ex pacto cuiuſdam familiaris dicebat res futuras, & eo die, in quo Carolus V. armis occupauit Tunicem, dixit in ciuitate Valliſoletana, dictæ Dominæ Imperatrici victoriam adeptam à ſupra dicto Imperatore, & notato die, poſtea verum fuit eius dictum, & fuit in S. Inquiſitione Valliſoletana pęnitentiatus.

99 Religioſi conuerſi poſſunt eſſe teſtes?
Reſp. Poſſunt, quia illis non eſt in iure prohibitum. *c. nuper, de teſt. c. & ſi Chriſtus, de iureiurando.*

100 Si religioſi dicant teſtimonium ſine licentia Prælati, valebit ne eorum dictum?
Reſp. Affirmatiuè: licèt ex eorum conſtitutione à ſuo ſuperiori puniantur, cum ſine eius licentia, neque litteras poſſint accipere. *cap. nuper, de teſt. c. & ſi Chriſtus, de iureiurando. Bald. in authang reſſi. C. de Sacroſan. Eccleſ.*

101 Laici ad quid admittendi ſunt contra Clericum?
Reſp. Ad accuſationem proſequentis ſuam, vel ſuorum iniuriam ſemper admittuntur: ad teſtimonium verò non, niſi in defectu aliorum teſtium Clericorū, ne delicta maneant impunita. *c. de cætero, de teſtib. & Abb. ibi. nu. 4.*

102 Procurator poteſt nè admitti in teſtem?
Reſp. Procurator ad lites, non; quia repræſentat perſonam Domini principalis: procurator verò ad negotia poteſt admitti, dummodo ipſe de illa lite non ferat commodum, vel damnum. *Abb. in c. inſuper, de teſt. num. 8.*

103 Procurator in vna cauſa poteſt eſſe teſtis in alia?
Reſp. Affirmatiuè: licèt in cauſa, in qua fuit teſtis, vltra de nouo non poterit eſſe procurator. *Abb. in c. ſuper. de teſt.*

104 Pater in quibus caſibus eſt teſtis idoneus pro filio vel contra?
Reſp. In denuntiatione: quia in ea agitur de correctione, & prohibitione peccati, & exaltatione fidei, in quibus affectio carnalis non operatur. *Abbas in capit. in omni negotio. numero 3. gloſſ. vltima in d. c. eod. tit.*

105 Quando conſanguinei poſſunt eſſe teſtes?

℞. In

Reſp. In cauſa conſanguinitatis, & affinitatis, & præferuntur alijs teſtibus, quia habent maiorem notitiam, quàm forenſes. *text. in c. quoties de teſt.*

106 Mater, quando poteſt admitti in teſtẽ pro filio?
Reſp. Quando agitur de validitate matrimonij, vel de reuocando matrimonio. *capit. ſuper eo, il ſecondo de teſtibus.*

107 Vilis teſtis, & infamis poſſunt teſtificari contra Clericum?
Reſp. Non, neque laici in cauſa criminali, niſi de ea ciuiliter agatur, ſed hęc Iura hodie ſeruantur in quãtum cum alijs teſtibus poſſunt probari, vel non poſſunt; quia ſi aliter non poſſit probari, omnes admittuntur, ne delicta impunita maneant. *tex. in c. ex parte de teſt. c. teſtimonium, eod. tit.*

108 Si quis ſit actor, & obijciat crimen alicui, poterit nè reus contra ipſum opponere aliud crimen, vt eum repellat?
Reſp. Durante lite criminis non, ne ex metu talis obiectionis delicta impunita maneant. *Abb. in c. teſtimonium, de teſtib. num. vlt.*

109 Periurus repellitur nè à teſtificando?
Reſp. Diſtinguendo: ſi quis violauit licitum iuramẽtum, vt infamis repellitur, at verò ſi iurauit iuramẽtum illicitum, & factum contra charitatem, non repellitur; quia licèt fecerit male iurando, ſe occidere inimicum, facit bene non adimplendo tale iuramentum. *Io. Andr. c. teſtimonium, de teſt.*

110 Ad quid prodeſt recipere teſtimonium ſocij criminis?
Reſp. Ad augendam pręſumptionem, & declarandã maiorem veritatem ex circumſtantijs confeſſis, non ad maiorem probationem faciendam. *c. ſi teſtes. 4. q. 3. §. item liberi. c. 1. de confeſſis. c. veniens. il 2. de teſtibus & Abb. ibi. num. 7.*

111 Conuictus de periurio in vna cauſa, poteſt nè eſſe teſtis in alia?
Reſp. Non, ſed repellitur, vt periurus. *Abb. c. ex parte, eod. tit. num. 3.*

112 Legatarius poteſt admitti in teſtem, quia habet commodum, ex eo quod teſtamentum ſit validum?
Reſp. Variæ ſunt opiniones pro affirmatiua adducitur. §. legatarijs. *inſt. de teſtam.* quia ſunt ſucceſſores rei, & non iuris: *Speculator verò. tit. de inſtrumentor. edict. § nono, num. 31.* tenet negatiuam, ea fultus ratione, quòd ſi tale teſtamentum non valet, neque eorum legatum, ſed *Abb. tenet mediam viam: in c. inſuper. de teſtibus num. 9.* nempe, quòd quoties agitur de re, quæ ad teſtamenti validitatem non pertinet, vel quoties legatum eſt ſibi dandum, licèt teſtamentum ſit validum, vel non, tunc loquuntur iura, quę dicunt legatarium poſſe eſſe teſtem; ſed quoties agitur de validitate teſtamenti, & ex conſequenti, de validitate legati non poſſunt eſſe teſtes, cum ſint principales quoad legatum, & dicant in propria cauſa ſicut Dominus principalis litis.

113 Proxeneta, vel curſor, vel ille, qui inter mercatores accommodat pretium, rem, merces, & tempus ſoluendi, poteſt eſſe teſtis in re, quam vendidit?
Reſp. Regulariter non; quia portat lucrum, & commodum ex venditione: ſed ſi cauſa aliter probari nõ poſſit, & ſit vir integer, admittendus eſt arbitrio boni viri. *Abb. in cap. licet Heli, de ſimonia, num. 16. & c. ex litteris, num. 3. de tranſactionibus, qui allegat pro ſe multa iura.*

114 Donator in cauſa donatarij eſt nè idoneus teſtis?
Reſp. Affirmatiuè, quia donatarius non tenetur de euictione. *Io. Andr. c. inſuper. de teſt.*

115 Cedens actionem eſt nè idoneus teſtis in cauſa ceſſionarij?
Reſp. Non, quia tenetur de euictione. *Io. And. c. inſuper. de teſt.*

116 Socius eſt nè idoneus teſtis pro ſocio?
Reſp. Si ſit ſocius in toto negotio, tunc non poteſt eſſe teſtis: quia agit in re ſua: ſi verò ſit ſocius in aliqua parte negotij, poteſt dicere teſtimonium pro ſocio, in alijs partibus, in quibus non fert commodũ. *Innoc. c. 3. de teſt. num. 1.*

117 Vaſſallus poteſt eſſe teſtis in cauſa Domini ſui?
Reſp. Debent conſiderari qualitates domini, & vaſſalli, ſcilicet, ſi dominus ſæuiat in eos, qui contra ipſum dicunt, vel ſi vaſſallus non timeat dominum, quę omnia relinquuntur arbitrio iudicis. *Io. Andr. c. inſuper. de teſt. l. eos. l. etiam. C. de teſt.*

118 Canonici poſſunt eſſe teſtes in cauſa, quæ contingit intra ſuum capitulum?
Reſp. Affirmatiuè: imò ſunt teſtes neceſſarij, quia capitulum eſt clauſum, & nullus alius poteſt teſtificare. *c. veniens, il 2. de teſtib. & ibi gloſſa.*

119 Excommunicatus admittitur nè in teſtem?
Reſp. Non, niſi priùs abſoluatur, & tunc teſtificari poterit de ijs, quæ vidit tempore, quo erat excommunicatus. *c. veniens, citato, & Abb. ibi. num. 5.*

120 Si teſtis habeat conſimilem cauſam, debet nè admitti in teſtem?
Reſp. Non, neque laborans conſimili morbo, vel delicto, quia præſumitur habere affectionem. *c. perſonas, de teſtib.*

121 In quibus caſibus ſeruus eſt teſtis legitimus ad deponendum?
Reſp. In caſibus, qui domi aguntur, & reſultant inter virum, & vxorem: quia per alios probari facilè non poteſt. *Abb. c. in litteris, de teſt. nu. 20*

122 Famuli de familia admittuntur nè, quando agitur de dirimendo matrimonio?
Reſp. Non, cum agatur de validitate Sacramenti, & requiritur maior probatio; licèt admittantur in crimine adulterij ad punitionem delicti, & eſt caſus notabilis. *Abb. in c. in litteris, eod. tit. n. 2. & ſic intelligenda eſt. l. conſenſu. C. de repu.* quando dicit, quod ad adulterium, & ſimilia, quæ domi aguntur, poſſunt probari per ſeruos, ſed non validitas, vel diſſolutio matrimonij, quod expreſsè eſt exceptuatum in dicto *c. in litteris, de teſtib.*

123 Poteſt Epiſcopus eſſe teſtis coram ſuo Vicario Generali?
Reſp. Poteſt, & etiam coram foraneo; licèt poſtquã teſtificauerit, non poſſit reſumere cauſam, neque in ea debet iudex aliquid facere. *Abb. in c. dilecto, eod. tit. num. 11.*

124 Si inſtrumentum amiſſum fuerit ad probationem talis inſtrumenti, vel ſcripturæ, qui teſtes ſunt examinandi?
Reſp. Non quilibet teſtis, licèt dicat ſe vidiſſe, ſed Notarius, vel teſtis peritus in arte, nam alij teſtes facillimè poſſunt decipi. *Abb. c. Albericus. nu. 4. eod. tit. noſtro.*

125 Inſtrumenta quando poſſunt produci in cauſa?
Reſp. Vſque ad concluſionem cauſæ. *Abb. in cap. ſeries, de teſt. num. 2.*

126 Quis dicitur teſtis omni exceptione maior?

Reſp. Ille, qui nulla exceptione poteſt repelli, neq; iure illi aliquid opponi poteſt. *Gloſs. inſtit. de inutilib. ſtipulationibus, verbo, idoneos, §. item veborum, & Abb. in capit. 1. de conſanguinitate, & affinitate. num. 5.*

127 Si quis præſentauit inſtrumentum falſum, ad euitandam pœnam, ſufficit nè dicere ſe nolle vti illo inſtrumento?

Reſp. Sufficit, ſi ille non fecit tale inſtrumentum. *l. 3. C. de fide inſtrum.*

128 Si ſententia ſuper matrimonio, vel ſuper alia re in ſcriptis non appareat, quid eſt agendum?

Reſp. Tunc probari poteſt parte citata per teſtes, qui interfuerunt ſententiæ, & tali probationi ſtatur. *c. Albericus, de teſtibus.*

129 Proteſtatio iuri contraria valet nè?

Reſp. Nihil prodeſt proteſtanti, cum facta contra ius nihil valeant. *Abb. in c. ex tenore, de teſt. nu. 6.*

130 Quibus modis agitur de crimine falſi?

Reſp. Duobus modis, ſcilicet ciuiliter ad recuperandum damnum: criminaliter ad exequendas pęnas à Iure ſtatutas, & vtroque modo admittuntur teſtes ad recognoſcendam falſitatem ſcripturæ, qui licèt deponant ſe nō vidiſſe proprijs oculis falſificari ſcripturam, tamen ſi deponant, quòd talis ſcriptura non ſit talis ſcribæ, quia ipſi cognoſcunt characterem talis tabellionis, & quòd illis videatur talis ſcriptura eſſe falſificata, horum teſtimonium eſt admittēdum, vt habetur *in cap. per tuas, de ſimonia, & cap. 1. de teſt. lib. 6.*

131 Iudex poteſt producere, vel abbreuiare dilationes iuris?

Reſp. Poterit abbreuiare, ſed non producere, cum dilatio ſit terminus à iure ſtatutus ad hoc, vt litibus finis imponatur, & ne dilatentur in damnum partiū. *tenet Abb. in c. vltra tertiam, de teſt. nu. 4.*

132 Quando incipiunt currere iſtæ dilationes, ſeu termini legales?

Reſp. Statim poſtquā ſunt aſſignatæ à iudice, quia tempus in eis eſt continuum, & non vtile ad hoc, vt pars illud ſibi ſumat, quando vult. *tenet Abb. in c. vltra tertiam, de teſt. nu. 6.*

133 Accuſatus criminaliter admittitur ne in teſtem, pendente ſua accuſatione?

Reſp. In cauſa criminali, pendente ſua accuſatione, non admittitur in teſtem, niſi in hæreſi, & in crimine læſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ; ratio eſt, quia pendente accuſatione eſt ſuſpectus de aliqua infamia, ſed bene admittitur in cauſa ciuili. *tenet Abb. in c. non debet, de teſt. num. 3. & 4.*

134 Quare accuſatus de crimine admittitur in teſtem in cauſa ciuili, & non in criminali?

Reſp. Quia in cauſa criminali agitur de vita, vel honore, & in cauſa ciuili agitur de bonis tēporalibus, & cum vita, & honor ſint maioris exiſtimationis, ideò in eis requiritur, vt teſtes ſint maioris veritatis, & ſine aliquo defectu. *tenet Abb. loco cit.*

135 Si ſententia ſit lata in fauorem alicuius partis ſuper matrimonio, vel alia re, & non appareat, poterit probare per teſtes talem cauſam eſſe ſententiatam?

Reſp. Parte citata poterit probare per teſtes talem cauſam eſſe ſententiatam in fauorem Petri, & tali probationi ſtatur, ſicut ſententiæ; ratio eſt, quia inſtrumenta inuenta fuerunt propter fragilitatem hominis, ſed vbi teſtes deponunt, ipſi ſunt viua ſcriptura. *c. Albericus, de teſt. & ibi gloſ.*

136 Iſti teſtes, qui deponunt negotium eſſe ſententiatum in fauorem alicuius, quid debent deponere, & quas qualitates debent habere?

Reſp. Iſti teſtes debent eſſe inſtrumentales talis ſententiæ, vel talis ſcripturæ, & debent deponere ſe fuiſſe præſentes, & continere talem rem cum omnibus articulis, & adminiculis talis ſcripturæ. *c. Albericus de teſtibus.*

137 Tranſacto termino probationis, ſi quis voluerit præſentare nouos teſtes, quomodo debet probare ad ſuam notitiam veniſſe illos nouos teſtes?

Reſp. Sufficit per iuramentum ſuum, vel quod eius procurator iuret tunc veniſſe ad eius notitiam illos teſtes ad ſuam iuſtitiam neceſſarios; ratio eſt, ne de facili tollantur defenſiones. *tenet Abb. in c. præſentiū, de teſtibus, num. 5.*

138 Qui producit teſtes, ſi fortè deponant contra ipſum producentem, poteſt nè producens eos reprobare, & obijcere illis aliquam inhabilitatem?

Reſp. Non, quia contrarius eſſet ſuo proprio facto, neque admittendæ ſunt exceptiones contra eos, quia iam illos approbauit, atque præſentauit. *Abb. c. de teſt. eod. tit. num. 4.*

139 Si quis approbauit teſtem præſentando illum in vna cauſa, & non renuntiauit facultatem reprobandi illum in alia cauſa, poteſt nè reprobare talem teſtem?

Reſp. Affirmatiuè, quia ex eo quod illum approbauit in vna cauſa non renuntiauit facultatem reprobandi in alia cauſa. *Abb. c. præſentium, de teſt. nu. 8.*

140 Si actor approbauit vnum teſtem, & cōtra ipſum depoſuit, poterit nè reprobare eius dictum?

Reſp. Poterit: quia aliud eſt reprobare dictum, vel reprobare perſonam, quam ſemel approbauit. *Abb. c. præſentium, de teſt. nu. 8.*

141 Quot productiones teſtium poſſunt fieri in qualibet lite?

Reſp. Regulariter duæ, ſcilicet teſtium, & teſtium reprobatorum, vltra has duas non permittit vlla, ne cauſa prorogetur in infinitum. *c. licet. il'3. de teſt. & ibi gloſſa.*

142 Si quis ſe opponat in lite, incepto negotio, quid debet probare?

Reſp. Prius debet probare damnum, quod inde patitur, & poſtea admittitur, atque hoc peracto poteſt tam ipſe, quam aliæ partes facere de nouo ſuas probationes. *c. veniens, il. 2. de teſtib. & ibi gl.*

143 Intra quod tempus debet (tertius comparens) probare tale damnum eſſe, vt admittatur?

Reſp. Relinquitur arbitrio boni viri; aliqui dicunt, quòd intra octo dies, ſed verum eſt debere eſſe ſummariam cognitionem de hac re, & non admittitur terminus vltramarinus. *Abb. cap. veniens il. ſecundo eodem. tit. num.*

CAPVT XXIII.

De Teſtibus cogendis.

1 QVam pœnam debet imponere Iudex teſtibus, qui nolunt deponere?
℞. Creſcente contumacia, creſci debet pœna: & ſic ſecundum qualitatem negotij, & contumaciæ arbitriò iudicis debent puniri. *c.2.de teſt.cogend.*

2 In cauſa ciuili ſunt ne compellendi teſtes?
℞. Prius ſunt monendi, & poſtea compellendi, ne iuſtitia pereat. *c.1.eod.tit.*

3 In cauſa criminali ſunt ne compellendi teſtes?
℞. Si aliter delictum probari non poteſt, ſunt compellendi, ſicut in ciuili cum pœnis, cenſuris, ac carcere. *c.peruenit ad nos, de teſt.cogend.*

4 In cauſa matrimoniali, & conſanguinitatis ſunt ne compellendi?
℞. Affirmatiuè. *c.cæterum.eod.tit.*

5 Si teſtis ſit Clericus, & nolit comparere qua pœna punitur?
Reſp. Poteſt excommunicari, ſuſpendi, & deponi. *Abb.c. de teſtibus cogendis.*

6 Quot citationes requiruntur, vt Iudex poſſit mulctare teſtem?
Reſp. In prima citatione poteſt imponere pœnam, vel mulctam: ſed ad hoc, vt exequatur mulcta, tres citationes requiruntur. *leg.ad peremptorium.ff.de iudicijs.*

7 Quando dicetur teſtis corrigere ſe incontinenti?
Reſp. Antequam finiat dictum, aut poſt paruam temporis moram, vel antequam loquatur cum partibus quia tunc videtur ſe corrigere in fauorem veritatis conſentia extimulatus: non autem ex perſuaſiones partis. *Abb. in c.præterea.de teſtibus cogendis. num.12.*

8 Si Iudex citauit teſtes ſub pœna excommunicationis ad certũ diem, ſi teſtes legitimè impediti fuerunt, incurrunt ne excommunicationem?
Reſp. Quò ad Deum, non; quia legitime impedito nullum damnum currit; quò ad Eccleſiam verò ſunt excommunicati, licèt ſtatim à Iudice ad cautelam ſint abſoluendi. *Abb.in cap.2. de teſtibus cogendis, num.6.Speculato lib.2.de citatione.§. penultimo, numero 20.*

9 Si teſtis ſe ſubtrahat timore, aduerſæ partis, quid debet agere Iudex?
Reſp. Compellere illum, vt dicat, & ponere grauiſſimam pœnam, ne lædat tali parti. *c.ſuper eod.de teſtibus cogend.*

10 Teſtis, qui ſe corrigit qua pœnam incurrit?
Reſp. Si ſtatim ſe corrigat, & ſtatur correctioni, nullam. *c.præterea eod. tit.& ibi num.4.*

11 Teſtis, ſubtrahens ſe à teſtimonio, quam pœnam incurrit?
Reſp. Præſumitur ſuſpectus, & Iudex poterit contra ipſum procedere. *Abb.c.1.de teſt.cogend.num.6.*

12 Priuilegiati poſſunt cogi ad dicendum teſtimonium?
Reſp. Si veritas per alios nõ priuilegiatos poteſt apparere, non ſunt cogendi: ſi verò aliter veritas non poſſit probari, niſi per priuilegiatos, ſunt cogendi. *Abb.c.1.de teſtib.cogend.num.4.*

13 Denuntiator, qui ex aliquo defectu non poteſt eſſe teſtis contra aliquem poteſt ne eandem perſonam denuntiare, vel accuſare?
Reſp. Non: quia nemo poteſt accuſare, eum contra quem non poteſt eſſe teſtis; quia ad omnia eſt impeditus. *Abb.in c.præterea.de.teſt.cogend.nu.9.*

14 Mediatores, ſeu proxenetę, qui in vendendis mercibus inter partes interueniunt, quando poſſunt compelli ad teſtificandum?
Reſp. Quando ambæ parte conſentiunt, vt ſint teſtes, tunc ſi noluerint, compelluntur: ſi verò vna pars ſola conſentiant, non ſed eorum dicta ſponte recipiuntur, & quando negotium aliter probari non poteſt. *gloſ.in auth.de teſtib.§.quoniam.vt refert. Abb.in c.dilectorum.nu.3.de teſtib.cogend.*

15 Tacere veritatem interrogatus, eſt ne peccatum mortale?
Reſp. Si Iudex iuridicè interroget de re, de qua poteſt cognoſcere, eſt peccatum mortale; ſi verò interroget de re, de qua non eſt Iudex, vel alius interroget, non eſt peccatum tacere veritatem; imò aliquãdo prudentie adſcribi ſolet. *Abb. in cap.1.de teſt. cog. num.2.& Tol.lib.4.c.21.§.ſecundum eſt.*

16 Si ſit coniuratio, qui teſtes poſſunt cogi?
℞. Omnes, & ſocij etiam iurati. *c.venerabilis.eod.tit.*

17 Quid eſt coniuratio, ſeu conſpiratio?
Reſp. Loquutio aliquorum cum iuramento, vel ſine illo facta in damnu alicuius hominis principalis, vel Reip.& ita neceſſe coniuratio eſt inter plures. *Abb.c. fin.eod.tit.nu.1.*

18 Accuſatus negando veritatem, peccat ne mortaliter?
Reſp. Affirmatiuè *Abb.c.1.de teſtib.cogend.num.3.*

CAPVT XXIV.

De Fide inſtrumentorum.

1 NOtarius, vel ſcriba qualis debet eſſe?
Reſp. Fidelis, legalis, vir bonus, ſui officij approbatus, perſona publica, cui Principes legalitate inſtrumentorum commiſerunt. *cap.1.& 2.de fide inſtrumen.*

2 Quis poteſt creare Notarios?
Reſp. Papa, Imperator, Reges, & qui ab eis poteſtatem habent. *Abb.cap. cum p.num.7. de fide inſtrumentorum.*

3 Quis dat fidem inſtrumentis, teſtamentis, & alijs ſcripturis?
Reſp. Notarius, vel ſcriba, qui authoritatem à Papa ve Imperatore, ſeù Regibus habet ad facienda talia inſtrumenta. *DD.in rubr.de fide inſtrum.*

4 Notarius à quibus debent eſſe rogatus, & quomodo?
Reſp. A partibus, vel ab vna parte, & publice, cum ſuum officium ſit publicum. *Abb. tit. de fide inſtrum. cap.1.numer.4.*

5 Notarius, vel ſcriba poteſt per alium ſcribere inſtrumentum?

Reſp. Po-

Reſp. Poteſt, dummodo ipſe lecto inſtrumento ſe ſubſcribat; ratio eſt, quia actus ſcribendi non innaret fidei Notarij, ſed actus ſubſcriptionis, in quo conſiſtit omnis legalitas. *Abb.c. inter dilecto, num.7. eod.tit.*

6 Quæ requiruntur, vt vnus Notarius publicet inſtrumentum, de quo alius Notarius fuit rogatus, vt illud faceret, & fecit?

Reſp. Quinque. Primò, vt id faciat ad petitionem eorum, quorum intereſt. Secundò, vt faciat publicationem auctoritate Ordinarijs. Tertiò, vt iſte, cui ſit commiſſio publicandi, ſit Notarius. Quartò, quòd publicatio fiat fideliter. Quintò, quòd redigat talem publicationem fideliter in publicam formam. *Ioan. Andr. in c.cum, de fide inſtrumentor. l.ſi quis ex argentarijs.§.2.& ſequ.ff.de edendo, vt refert Abb.c.1.n.4. eod. tit.noſtro.*

7 Princeps poteſt auctorizare, vel legalizare ſcriptum, ſeu inſtrumentum, quod factum eſt ſine ſolemnitatibus Iuris?

Reſp. De potentia ordinaria, non; de potentia verò plenaria, & abſoluta, poteſt; ratio eſt, quia ipſe dat auctoritatem notarijs, & ſic poteſt dare auctoritatē ſcripturis. *Abb.c.1.de fide inſtr.n.1.*

8 Quid ſignificat hoc nomen inſtrumentum?

Reſp. Sumitur latiſſimè, latè, & ſtrictè; latiſſimè, quando ſumitur pro omni inſtrumento, de quo ff.de fundo inſtructo; latè ſumitur pro omni probatione in iudicio deducta; ſtrictè, pro ſcriptura, quæ fit ad probationem alicuius rei, & hoc modo ſumitur in iſto titulo. *Ioan. Andr. in rubr. de fid.inſtrument.& ibi Abb.*

9 Quot ſunt genera inſtrumentorum?

Reſp. Tria. Primo, ſcriptura publica. Secundo, priuata. Tertio authentica. *Abb.c.1.eod.tit.n.2.*

10 Quæ eſt ſcriptura publica?

Reſp. Quæ confecta eſt à publica perſona, ſcilicet notario, vel tabellione cum ſolemnitatibus requiſitis *c.3.eod.tit.gl.in verſ.publicam manum.*

11 In quibus caſibus datur maior fides inſtrumentis, quam teſtibus?

Reſp. In pluribus caſibus, Primo, in antiquitate facti, vbi memoria teſtium non extat, neque ſunt teſtes oculati. Secundo, in libertate ſerui. Tertio, in cenſu, vel fideicommiſſo. Quarto, vbi allegatur priuilegium; tunc enim creditur magis ſcripturæ, quam teſtibus; & in his caſibus, & in alijs neceſſariò de Iure requiritur ſcriptura, vt in fundatione Eccleſiæ, & in iurepatronatus. *Abbas in c.ad audientiam, de præſcriptionibus numero 8.qui allegat pro ſe multa Iura.*

12 In quibus caſibus datur maior fides teſtibus, quàm ſcripturis.

Reſp. In omnibus caſibus, in quibus teſtes fuerunt præſentes, & poſſunt deponere præſentialiter ſe vidiſſe talem rem, & eſſe teſtes inſtrumentales illius ſcripturæ, & tunc maior fides datur teſtibus, quàm ſcripturæ; ratio eſt, quia inſtrumenta inuenta fuerunt propter fragilem memoriam hominem, & quia teſtes moriuntur; at vbi teſtes deponunt de aliquo facto, & quòd fuerunt inſtrumentales in tali ſcriptura, *c. Albericus, de teſtib. c. tertiò loco, de probat.& ibi gloſ.*

13 Si inſtrumentum ſit perditum ad probandum tale inſtrumentum fuiſſe, & continere talem rem; qui teſtes requiruntur?

Reſp. Non quilibet teſtis, licèt dicat ſe vidiſſe, & legiſſe tale inſtrumentum, ſed requiritur Notarius, qui fecit tale inſtrumentum, & teſtes inſtrumentale, qui ſint petiti, ita vt deponant totum inſtrumentum cū omnibus caſibus, & exceptionibus ratio eſt, quia alij teſtes, qui ſemel egerunt inſtrumentum, vel viderunt poſſunt facili negotio decipi, & non deponere totam ſeriem inſtrumenti, quod neceſſarum eſt ad iudicandum illud, quod continetur in inſtrumento. *tenet Abb.in c.Albericus, de teſtib.n.4.*

14 Inſcriptiones antiquæ in lapidibus, quæ ſunt in Eccleſijs, in tumulis defunctorum, in portis ciuitatis, in edificijs publicis, quam probationem faciunt?

Reſp. Magnam, & ſi contrarium non conſtet ex veris inſtrumentis, eis credendum eſt, præcipuè in rebus antiquis, in quibus homines, qui viuunt, non poſſunt contrarium ex ſcientia, aut viſu deponere; ratio eſt, quia illæ inſcriptiones ſunt notoriæ, & in parte publica ſitæ, atque ab omnibus creditæ. Secundò, quia tempore, quo poſitæ fuerunt illæ inſcriptiones, viuebant homines, qui factum ſcribant, & ſi non eſſent veræ, Iudices non finerent illas affigi. Tertiò. quia tales inſcriptiones faciunt publicam opinionem, & cum tales inſcriptiones ſemper ſint in materia honoris, vel nobilitatis, & non tollant Ius alienum, eis acquieſcendum eſt, cum maximam faciant probationem, vnde qui contra eas auſu temerario iudicaret, non eſſet tutus in conſcientia; *tenet Abb.in c.cum cauſa de probat. n.1.*

15 Quare iſtæ inſcriptiones ponuntur in ſepulchris, & in Eccleſijs, & in capellis?

Reſp. Iſte inſcriptiones permittuntur ab Eccleſia, & Republica. Primò, in memoriam illorum hominum, qui ſua bona Eccleſijs tradiderunt, & pauperibus vel ſuam vitam pro ſuo Rege periculis obiecerunt. Secundò, vt pro illis oretur. Tertiò, vt eorum ſucceſſores imitatione illorum, meliores euadant. Quartò, ſæpe ponuntur iſtæ inſcriptiones ob animi gratitudinem à ſucceſſoribus pro beneficijs acceptis à ſuis maioribus. Quinto, ponuntur ne, opera pia, quæ relinquuntur à fidelibus defunctis, obliuione pereant, & executioni non mandentur, & cum ſint ſcripta in illis lapidibus, ſunt notoria diuitibus, & pauperibus, & quilibet poteſt peti, vt adimpleatur.

16 Quæ eſt ſcriptura priuata?

Reſp. Illa, quæ fit ab homine priuato ſine ſolemnitate Notarij. *Abb.c.1.eod.tit.n.2.*

17 Quæ requiruntur ad hoc, vt ſcriptura originalis faciat fidem?

Reſp. Primò, debet apponi dies, menſis, & annus Domini. Secundò, nomen Papæ, Imperatoris, vel Regis illius Regni. Tertiò, locus, vbi fit contractus; videlicet in tali ciuitate tantum. Quarto, indictio. Quintò, ſeries, & narratio diſtincta negocij. Sextò, nomen, & cognomen teſtium, eorum quidem; qui noti ſunt Notario, vel alijs teſtibus, & teſtes debent eſſe ſecundùm numerum requiſitum à varijs ſcripturis, licèt non debeant ſe ſubſcribere propria manu, niſi in ſcripturis, quæ ſecundum ius poſtulant illam ſolemnitatem, ſicut teſtamenta clauſa. Vltimò, firmatur nomine, & ſigno Notarij, quo ſemper vti ſolet. *Specul. in rubr. de edict, inſtrument. quem citat Abb.in c.1.eod.tit.nu.3.*

18 Protocollum facit de ſe fidem?

Reſp. Affirmatiuè, quia habet omnia illa, quę habere debet inſtrumentum *cap. vt verum. diſt. 9. cap. ieiunium diſtinct. 76.*

19 Quæ eſt ſcriptura authentica?
Reſp. Illa, quæ per ſe ſolam fidem facit ſine aliquo adminiculo, quia confecta eſt cum teſtibus, & ſolemnitatibus a Notario, vel ſcriba, & habet ſignum notarij, vel ſigillum. *Abbas cap. 1. de fide inſtrum. numero 2.*

20 Tranſumptis inſtrumentorum datur ne fides?
Reſp. Si exemplar inſtrumenti non ſit ſolemniter ſumptum, non facit fidem, niſi appareat originale; ſi verò ſit ſolemniter ſumptum, facit fidem ſicut originale. *c. 1. eod. tit.*

21 Qui eſt exemplar?
Reſp. Eſt tranſumptare ſcripturam originalem tabellione factam ex ſuis regiſtris cum authoritate Iudicis ordinarij. *c. ſi inſtrumenta, de fide inſtrum.*

22 Si inſtrumentum in vno capite ſit falſum, reprobabitur ne in totum?
Reſp. *Ioan. Andr. & gloſ. cap. ſi ad ſcripturas ſacras. 9. diſt.* tenet, quòd ſolùm damnatur tale caput, ſi ſit diſtinctum ab alijs capitulis, *ſed Abb. Bart. in l. ſi ex falſis. C. de tranſact. num. 12.* tenent, quòd ſi tale damnum prouenit ex culpa notarij, totum inſtrumentum dãnatur, quia auctor damnatus eſt ex ſua falſitate, & & idem *tenet Abbas in capit. fraternitatis. de hæret. numero 4.*

23 In quibuscaſibus eſt faciendum exemplar alicuius ſcripturę?
Reſp. Quando originale eſt vetuſtate conſumptum, & difficile legitur, vel quando debet transferri in partem longinquam, & timetur, nè pereat, vel quoties propter aliquam vtilitatem intereſt partium tranſumptare tale originale. *c. ſi inſtrumenta, de fide inſtrumentorum.*

24 Confeſſio, pactum nudum, ſtipulatio, & cautio facta ſine ſcriptura valet ne?
Reſp. Non, cum ſint verba enuntiatiua, quę non litigant. *Abb. c. ſi cautio, de fide inſtrum. nu. 2.*

25 Quando eſt faciendum tale exemplar, & quæ ſolemnitates requiruntur, vt ſit validum?
Reſp. Pars volens tranſumptare ſcripturam originalem debet coram Iudice ordinario comparere, & ante eum petere exemplar, & præſentare originale, & Iudex debet illud recognoſcere, & dare fidẽ, quòd tale originale non eſt ruptum, neque caſſatum, neq; vitioſum in toto, neque in parte, & mandare, vt perſona publica, videlicet tabellio, vel Notarius faciant exemplar, debet tamen pars cõtraria, cui damnum imminet, citari, vt veniat ad recognoſcendum originale, videatq; illud corrigere, ſcribere, & legalizare. *c. ſi inſtrumenta, eod. tit.*

26 Si aliqua pars, quædamnum patitur, abſens ſit, & non citetur, quam fidem facit contra illam talis ſcriptura exemplata?
Reſp. Nullam, niſi ſit citatus, & contumax, vel niſi de nouo illi monſtretur originale, vt poſſit opponere, quod voluerit, & tunc valet ſcriptura. *Ioan. Andr. in c. ſi inſtrumenta, eod. tit.*

27 Quæ ſunt genera vitiorum, quæ poſſunt opponi contra inſtrumentum, quando tranſumptatur?
Reſp. Duo, ſcilicet intrinſeca, quæ ex ipſo inſtrumento conſtant, videlicet, quòd eſt caſſatum, raſum, vel ruptum; vel extrinſeca, ſcilicet quòd factum fuit à tabellione excomunicatio, vel ſeruo, quę non conſtant ex inſtrumento, ſe extra illud. *Abb. vbi ſup. n. 3.*

28 Tranſumptum factum coram Iudice cum partis citatione, & reliquis ſolemnitatibus quam fidem facit?
Reſp. Facit tantam fidem ſicut originale. *c. ſi inſtrumenta. eodem tit.*

29 Liber mercatorum quam fidem facit?
℞. Pro ſcribente nullam, ſed cum adminiculis inducit præſumptionem. *Abb. c. 2. eod. tit. num. 9.*

30 Liber rationum facit ne contra ſcribentem?
Reſp. Facit. *Bart. in l. quædam. §. nummularios. ff. de edẽdo. nu. 2. Abb. in c. 2. eod tit. num. 10.*

31 Si liber mercatoris dicat, Petrus poſuit in telonio meo centum, & idem Petrus accepit quadraginta, quam fidem facit?
Reſp. Contra ſcribente conſtituit eum debitorem, vt debentẽ cẽtum; Petrus verò poterit in ſui fauorem acceptare centum, & negare accepiſſe quadraginta. *Bart. l. Aurelius §. idem. ff. de liber. legata.*

32 Cancellatio, ſeù raſura tollit ne fidem in ſcriptura?
Reſp. Non, dummodo à Notario, vel ſcriba in fine ſit ſaluatum, & validatum propria manu, immò addit firmitatem, quia ex eo apparet Notarium, vel ſcribam recidiſſe talem ſcripturam, & accuratè occultaſſe, quia inde ſubſtulit errores, *c. ex litteris, de fide inſtrum. & ibi. Abb. nu. 1.*

33 Si ſit conſuetudo in aliquo loco, vel Prouincia, vt credatur inſtrumento facto ſine ſubſcritione teſtiũ, eſt ne ſeruanda?
Reſp. Affirmatiuè, cum conſuetudo legitimè introducta ad hoc habeat vim, vt tali inſtrumento credatur ſine ſubſcriptione teſtium. *Abb. cap. cum dilectus, eod. tit. nu. 6.*

34 Si teſtes obliti fuerint diei, menſis, & anni quibus fuit actus geſtus, vitiatur ne teſtimonium?
Reſp. Non, cum memoria ſit fragilis, & in hoc non conſiſtat veritas, ſed in ſubſtantia facti. *Abb. c. cum Ioannes, num. 4. de fide inſtrum.*

35 In inſtrumento publico requiritur ne, vt teſtes ſe ſubſcribant?
Reſp. Non requiritur, ſed ſufficit, vt manu Notarij ſubſcribantur nomina, & cognomina teſtium, & cognitio. *cap. cum Ioannes. eodem titul. & ibi Abbas numero 5.*

36 Si teſtes inſtrumentales directè, vel indirectè deponant contra inſtrumentum, quam fidem faciunt?
Reſp. Faciunt inſtrumentum vacillare. *Abb. vbi ſup. numero 14.*

37 Si inſtrumentum habeat ſigillum impreſſum, vel pendens, & perdatur, vel frangatur, ex hoc vitiatur ne tale inſtrumentum?
Reſp. Si ſit publicum, non vitiatur, quia inſtrumentum publicum, ſine talli ſigillo habent ſuam firmitatem neceſſariam, & ſigillum ſolum addidit maiorẽ legalitatẽ. *Abb. in cap. inter dilectos, eod. tit. numer. 3. de fide inſtrum.*

38 Qui defectus detrahunt fidem ſigilli, & faciunt ſigillum vacillare?
Reſp. Quatuor. Primus, cum non congruit ſigillum ſculptum cum dignitate ſigillantis. Secundus cum litteræ ſigilli non ſunt legibiles; neq; intelligibiles. Tertius, quando patitur tam enormem fracturam, quod ex reſiduo intelligi non poſſit, cuius ſit ſigillũ.

Quartus,

Quartus, quando papyrus eſt vetuſtiſſima, & cera ſigilli nouiſſima, vel recens; apparet enim de nouo poſita. *Abb.vbi ſup. num.4.c. inter dilectos, de fide inſtrumen.*

34 Cardinali aſſerenti ſe habere talem gratiam, vel commiſſionem à Papa viuæ vocis oraculo, quæ fides debet adhiberi?

Reſp. De ſtilo Curię omnimoda fides propter Cardinalitiam dignitatem; Cardinales enim maiores ſunt Epiſcopis in officio, quia ſunt de conſilio Sũmi Pontificis, & quotidie contingit in Curia Cardinales obtinere commiſſiones, & gratias à Papa viuę vocis oraculo. *Andr.in c. conſtitutus, de appell. tenet*, quòd in graui præiudicio alterius requiritur aliquid plus, quàm ſi commiſſio viuæ vocis oraculo, cum ius præſupponat nunquam Papam velle alicui facere iniuriam, vel tollere ius ſuum.*cap.quamquam.2.q.7.Abb. in cap.quod ſuper.num. vult.de fide inſtrumentorum.*

35 Quid eſt inſinuatio ſcripturæ?

Reſp. Quando in donationibus donatio, quinquaginta aureos excedit, illam inſinuari à iudice, vt illã ratam habeat, imò aliæ ſcripturę quotidie inſinuantur coram iudice, vt maiorem firmitatem habeant. *Abb.c.ſi inſtrumenta, eod.tit.num.1.*

36 Quid eſt publicatio ſcripturæ?

Reſp. Quando aliqua ſcriptura coram iudice,& omnibus ſolemniter publicatur. *Abb.vbi ſup.*

37 Quid eſt acceptatio ſcripturæ?

Reſp. Quando in donationibus, vel in legatis,vel inſtitutione hæredis ille, in cuius fauorem eſt facta talis ſcriptura acceptat talem donationem, vel inſtitutionem coram tabellione, & teſtibus.

38 Quando agitur de falſitate inſtrumenti, debet nè quis iurare de calumnia.

Reſp. Affirmatiuè, nam vltra alias probationes poteſt pars etiam adhibere calumniæ iuramẽtum. *Abb. c.accepimus,eod.tit.num.7.*

39 Litteræ impetratę præter, vel extra ſtilum Curiæ quam fidelitatem habent?

Reſp. Sunt de falſitate, vel ſurreptione ſuſpectæ, & ante earum executionem conſulendus eſt humiliter Summus Pontifex. *Abb.in capit.quod ſuper.eodem titu. numero 2.*

40 Qui in aliquo negotio vtitur bulla, ſeu ſcriptura originali, poteſt ne illam reaſſumere?

℞. Non, tenetur illam relinquere in actis Notarij, ſed tranſumptum ſolum ſcriptum, & collationatum cum citatione partis ad videndum tranſumptare, & colationare, hoc propter periculum, ne perdatur originale. *c. contingit.eod.tit.*

41 Si quis lacerat litteras contra ſe latas ad quid tenetur?

℞. Ad damnum partis,& punitur arbitrio Iudicis ſecundum quantitatem, & qualitatem delicti. *Abb.c. accepimus,eod tit.num.4.*

42 Raſura litterarum in quibus partibus facit ſuſpitionem?

Reſp. In data, nomine Iudicis, inſtitutione,vel ſubſtitutione, narratione facti, & in illo verbo, vel articulo, in quo conſiſtit differentia, quòd relinquitur arbitrio iudicis. *Abb.in capit.inter dilectos, eodem tit. num.12.*

43 Exhibitio vnius litteræ,vel mal[illegible]thographiæ,vel latinitatis, vitiat ne reſcriptum?

Reſp. Non, cum ex hoc non mutetur veritas,neque ſenſus orationis. *Abb.c.ex parte. eod.tit.nu.1.& 3.*

44 Si quis præſentat duas ſcripturas contrarias, quam fidem faciunt?

Reſp. Siue reus, ſiue actor illas præſentent, nulli earum datur fides. *Abb.c.imputari.eod.tit.nu.5.*

45 Si quis ſcriba, vel tabellio fecit abbreuiaturas, dicendo, ſe obligauit. &c. ad expenſas, &c. & poſtea moriatur,alius ſcriba poteritne prolongare hanc ſcripturam, & dare partibus?

Reſp. Non,quia talis ſcriptura eſt nulla,niſi per eundem Notarium extendatur, & legatur coram partibus, & ab eis acceptetur. *Abb.in cap.cum P. num. 5. eod.tit. de fide inſtrumentorum.*

CAPVT XXV.

De Pręſumptionibus.

1 Quid eſt præſumptio?

Reſp. Quædam ſuſpicio, quæ cauſatur in animo iudicis ex varijs coniecturis,vel indicijs,& creſcit, aut diminuitur, ſi inditia creſcant, aut diminuantur. *Abb.in c.quanto,de præſumpt.num.3.*

2 Quibus nominibus vocatur hoc nomen ſuſpitio in Iure?

Reſp. Pluribus,ſcilicet præſumptio,inditium,& coniectura, his nominibus vtitur ius ad declarandam præſumptionem, quam Iudex habet ex varijs coniecturis. *cap.forus, de verb. ſing.l. abſentem.ff. de pœnis. cap.1.q.1.cap.dixit.32.q.1. quæ citat* Abb. *in c.quanto, num.2.de præſumpt.*

3 Præſumptio quando debet allegari?

Reſp. Quando oritur ex facto alicuius, de cuius fauore agitur. *Abbas cap.afferte mihi gladium de præſumption.num.4.*

4 Quot ſunt genere præſumptionum?

Reſp. Plura. Primũ eſt pręſumptio Iuris. Secundum præſumptio hominis. Tertium præſumptio Iuris, vel de Iure. Quartum præſumptio probabilis. Quintum vehementiſſima. Sextum vehemens. Septimum violenta. Octauum temeraria. Nonum modica. Decimum fictio iuris.*c.litteras, de præſumptionibus.c.cum contumacia.de hæreticis in 6. &* Abb. *c. quanto, de præſumptionib. num.2.*

5 Si Iudex procedit ex præſumptionibus, quam ſententiam debet ferre?

Reſp. Moderatam, & rarò. *Abb.in c. ſi quiſquam, de cohabit. cler.& mulier.nu.4.*

6 Quæ eſt præſumptio iuris?

Reſp. Quando Ius præſumit aliquid,tamen ſuper illo non determinat, & contra hanc præſumptionem admittitur probatio in contrarium. *c.is,qui de ſponſalib. & cap.ferrum.diſt.50. &* Abb.*c.quanto, num.2.eod. tit. noſtro.*

7 Quæ eſt præſumptio hominis?

Reſp. Quando Iudex ex aliquibus coniecturis, & teſtimonijs ex vultu teſtium, vel ex trepidatione præſumit aliquid contra reum, uel pro eo, ubi ius ſpecificè aliquid non præſumit. *cap.afferte mihi gladium, de præſumptionibus.l.3.ff.de teſtibus. cap.ſi teſtes 4.quæſt.3. cap.in præſentia, de renuntiatione, vt refert* Abb.*in cap. quanto,*

quanto, num. 3. eod. tit. noſtro.

8 Quæ eſt præſumptio Iuris, vel de Iure?

Reſp. Quando ius præſumit aliquid incertum, vel occultum ex aliquibus coniecturis, & dat illud pro certo, ac ſi veriſſimum eſſet, & determinet quid in tali caſu faciendum ſit, contra quam non admittitur probatio in contrarium, vt ſi quis deſponſatus per verba de futuro cognouerit carnaliter ſponſam ſuã, præſumit ius, quod tunc voluit contrahere per verba de præſenti. *c. is, qui, de ſponſalib. & Abb. in c. 1. de conceſſ. præbendæ. nu. 5. & d. cap. quanto, num. 2. eod. tit noſtro.*

9 Quæ eſt preſumptio probabilis?

Reſp. Quaſi cauſata rectè, quia reddit factum veriſimile, non tamen ſufficit ad ſententiam; vt ſi quis vidit aliquem in ſecreto loquentẽ cum muliere formoſa, vel illam tangentem, vel cum illa nimiam familiaritatem habentem, præſumitur, quòd ſit eius concubina. *c. clericus, diſt. 81. c. inquiſitioni, de ſent. excommun. gloſſ. in c. inſinuatum, de ſimonia.*

10 Quæ eſt præſumptio vehementiſſima?

Reſp. Quando coniectura ſumpta eſt clarè, & vehementiſſimè, vt quis difficile poſſit negare delictum, vt ſi quis inueniatur cum enſe, & ſanguine in domo, & in eodem loco ſit mortuus, *c. præterea. de teſt. cap. ſciant. 2. q. 8. Ioan. Andr. in additionib. ad ſpeculatorem. tit. de probationibus. §. videndum, quem refert. Abb. in cap. quanto, num. 3. eod. tit.*

11 Quæ eſt præſumptio vehemens?

Reſp. Illa, quæ tantum vrget Iudicem ad ſuſpicandũ vehementer contra reum. *Abb. in c. quanto. de præſumptionibus, num. 3.*

12 Quæ eſt præſumptio violenta?

Reſp. Illa, quæ quaſi violenter Iudicem ad credulitatem trahit, & indicia ſunt tam violenta, vt ſufficiãt ad ſententiam, ſicuti ſi quis intra cubiculum cum ſocio concluſus fuerit, & inueniatur occiſus, neceſſariò dicendum eſt fuiſſe à ſocio peremptum, cum veriſimile non videatur, quòd ipſe ſe interfecerit. *Abb. in c. quanto, de præſum. num. 3.*

13 Quando valet ſententia per præſumptiones?

Reſp. Quando eſt violenta, & Iudex aduertit, quod conſtat in actis, quia ponitur ibi in loco probationis. *Abb. c. afferte mihi gladium. eod. tit. nu. 5.*

14 Violenta præſumptio ſufficit ne ad ſententiam diffinitiuam?

Reſp. Aliquando præſumptio violenta non probata, neque allegata ad ſententiam diffinitiuam ſufficit, ſicut fuit illa Salamonis; quando duæ mulieres petebant ad inuicem eundem filium viuum, præcipuè cum poſſit Iudex tutò ſententiare ex exemplis Principum. *cap. afferte mihi gladium, eodem tit. & Abbas. ibi. numero 3. & c. final. de presbyt. non baptizato numero 4.*

15 Quando Iudex dat ſententiam diffinitiuam ex ſola violenta præſumptione, qualis debet eſſe iſta ſententia?

Reſp. Mitiſſima, & non debet condemnare reum in pęna pecuniaria, nec corporali, ſicut fecit Salomon, qui mulierem, quæ petebat, vel furabatur filium alterius, non condemnauit aliqua pœna, ſed ſolum reſtituit filium verę matri. *Abb. vbi ſup. num. 6. in cap. afferte.*

16 Quæ eſt præſumptio temeraria?

Reſp. Quando indicia non ſunt ſufficientia ad præſumendum delictum; vt ſi quis vidit clericum ſimul cum muliere loquentem, temerè ex hoc præſumitur adulterium. *c. inquiſitioni. de ſent. excom.*

17 Quæ eſt fictio iuris?

Reſp. Quando ius diſponit aliquid ſtatuendo ſuper certo, quod in ſe neq; eſt verum, neque certum, vt ſi diſponat dotẽ eſſe reſtituendam tali mulieri, & talis mulier non habuit dotem, bene diſponit, ſi habuiſſet. *l. 1. C. de rei vxoriæ actione.*

18 Quæ eſt præſumptio non modica?

Reſp. Quando indicia non ſufficiunt ad ſententiam contra reum dandum, ſed ſolùm ad ſuſpicandum illũ tale delictum commiſiſſe. *vt in cap. ſuper eo, il 2. de teſtibus.*

19 In his pręſumptionibus poteſt ne dari certa regula, quæ præſumptio ſufficiat ad ſententiam, quæ ad ſemiplenam probationem; quæ ad torturam, quæ ad ſuſpenſionem officij?

Reſp. Non, ſed hoc relinquitur arbitrio iudicis prudentis; nam cum iſtæ omnes præſumptiones aliquãdo ex facto præſenti pendeant, aliquando ex futuro, aliquando ex vultu, ſeù trepidatione teſtium, omnia relinquuntur arbitrio iudicis prudentis. *vt in l. 3. ff. de teſt.* loquendo iudici, tu magis ſcire potes, quanta fides, teſtibus ſit adhibenda, & ideò plurimum oportet, ut teſtes in pręſentia iudicis examinentur. *Innoc. c. quoniam, de probat. nu. 5.*

20 Ex præteritis quid præſumitur?

Reſp. Ex præteritis, & antecedentibus, futurum. *c. mandata. de præſumptionibus.*

21 Ex facto de præſenti, quæ pręſũptiones oriuntur?

Reſp. Tres. Prima ſi quis de pręſenti eſt criminoſus, & accuſat alium, præſumitur, ex bono animo non accuſare. *c. qui crimen. 6. q. 1.* Secunda ſi mulier tranſijt ad ſecundas nuptias, & uidit ſuum maritum primum uiuere, præſumitur (ſi ſtatim à ſecundo non diſcedit primum uiuere, & cauſa incontinentię feciſſe ſecundas nuptias. *cap. cum per bellicam. 34. q. 1. & 2.* Tertia ſi quis eſt incõtinens hodie, præſumitur, quod erit poſtea. *c. ſi quis Diaconus. diſt. 50.*

22 Ex facto de pręterito, quæ pręſũptiones oriuntur?

Reſp. Tres. Prima, ſi aliqua mulier uixit luxurioſè, non præſumitur, quòd fuerit uxorata, quia uir non conſenſiſſet. *c. quia ſunt culpæ. viſi.* Secunda, ſi requiratur de fama præſenti, ſi uixit antea bene, de pręſenti credito etiam uiuere bene. *cap. monachus verò. diſt. 77.* Tertia præſumitur ex præterito circa futurum, ut qui antea neglexerit mandata ſuperioris, creditur in futurum neglecturum. *cap. ſcribam, de præſumptionibus.*

23 Violenta præſumptio ſufficit ne abſque alia probationem ad ſeparatione matrimonij, quoad mutuam communicationem?

Reſp. Sufficit ad ſeparationem abſq; alia informatione, ut ſi quis ducat teſtes, dicentes ſe uidiſſe illius uxorem, cum alio uiro, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentes, hæc probatio ſufficit ad ſeparationem thori, licèt ſit uiolenta. *c. litteris, eod. tit. & ibi gloſſa.*

24 Vna præſumptio repellitur ne per aliam?

Reſp. Si ſint duæ præſumptiones, una alteri contraria, Iudex ponderet, quæ ſit magis conſona, & per illam tollet aliam. *gl. in c. litteris. eod. tit.*

25 De eo, qui fuit continens in iuuentute, quid præſumitur in ſenectute?

Reſp. Quod ſit magis continens, præcipuè ſi ſit litteratus. c.

teratus. *c. cum in iuuentute, de præſumptionibus*.

26 Qui in aliquo feſto proponit libellum famoſum contra aliquem, qua pœna punitur?
Reſp. Pœna capitali, nec excuſatur ratione ludi, uel feſti, imò grauatur, quia maior publicatio eſt in ludo. *l. vnica. C. de famoſ. libellis. c. 1. 5. q. 5.*

27 Frater cum ſorore quam præſumptionem facit?
Reſp. Etiam ſi ſolus cum ſola inueniatur, non facit præſumptionem uitij, nec incontinentiæ propter naturale fœdus. *c. cum iuuentute, de præſumptionibus. & ibi gloſſa*.

28 De delicto hæreſis poteſt quis per uehementem præſumptionem condemnari?
Reſp. Non, neq; de alio delicto grauiſſimo; cum in criminalibus debeat eſſe præſumptiones luce clariores. *c. litteras. eod. tit. & ibi gloſſa*.

29 In male factis quid præſumitur?
Reſp. Malus animus, & dolus. *l. 1. C. ad legem. Corneliam de ſicarijs*.

30 Si duæ mulieres petant eundem filium, & ambæ ante probationem, & ſententiam moriantur, iſte filius cuius erit, & cuius hæreditatem habebit?
℞. Variæ ſunt DD. opiniones, ſed uerum eſt, quòd ſi aliqua poſſidebat filium, habebit eius hæreditatem, ſi neutra erat in poſſeſſione, iſte filius admittitur indiſtinctè ad probationem ſuæ matris, & ſi non probauerit, nullam harum mulierum habebit hæreditatem, quia habere hæreditatem utriuſq; impoſſibile eſt, cum quis non poſſit eſſe filius duarum. *Abb. in c. afferte mihi gladium. eod. tit. num. vlt.*

31 Bona, uel mala uita adoleſcentis, quam præſumptionem facit in ſenectute?
Reſp. Quod habet bonam, uel malam ſenectutem; licet hæc præſumptio non ſemper ſit certa, cum mores hominus mutentur, præcipuè cum in dignitatibus, & officijs conſtituuntur. *c. ex ſtudijs. eod. tit. & gloſſ. ibi.*

32 Quam præſumptionem generat contra ſe, qui ſuper fuit iudicium?
Reſp. Non habere iuſtitiam. *c. nullus dubitat. eod. tit.*

33 Fuga, & contumacia ſufficiuntne ad condemnationem?
Reſp. Sufficiunt, licet poſt condemnationem, ſi ultro ſe repræſentauerint intra annum in legibus Hiſpaniæ purgatis expenſis audiri debeant. *Abb. in c. nullus eod. tit. Bart. l. admonendi. ff. de iureiur.*

34 Si duo delicta opponantur reo, & ipſe neget unũ delictum, quid eſt preſupponendum de alio?
℞. Tacendo illud confiteri uidetur, & aliud quia tacens plus preſumitur conſentire, quàm contradicere, *c. nonne eod.*

35 Si quis præſente domino intrat poſſeſſionem ipſo tacente, videtur ne conſentire?
℞. Si talis habeat titulum ad accipiendam poſſeſſionem, & tacente domino accipit, illa taciturnitas reputatur pro conſenſu, ſicut ſi quis me preſente accipit librum meum, ſi taceo, uideor conſentire. *l. 2. C. de acquir. poſſ. & cap. nonne, de præſumptionibus, & ibi gloſsa*.

36 Si me abſente aliquis facit actum in re mea, & poſtea venit ad meam notitiam, & taceo, uideor ne conſentire, vel negare?
Reſp. Diſtinguendum, aut id, quod agitur, eſt in meum commodum, & ſi taceo, videor conſentire: aut eſt in meum damnum, & tunc ſi taceo, non videor conſentire: ſed rem diſtraho ad tempus opportunum. *Abb. in c. nonne, de præſumptionibus. numer. 4. Bar. in l. quæ dotis nomine ff. ſol. matri*.

37 Ratihabitio poteſt fieri abſente illo procuratore, qui actum geſſit pro me?
Reſp. Poteſt fieri præſente & abſente, cum non ſit dubium ratihabitionem mandato comparari, quod mandatum fit abſente, & preſente procuratore. *Abb. in c. nonne de præſumpt. nu. 5.*

38 Quando aliquid eſt notum in loco longinquiori, quid præſumitur de proximiori?
Reſp. Quod à fortiori erit magis notum in propinquiori loco. *c. quanto, de præſumptionib.*

39 Si quis minatus fuerit ſe percuſſurum aliquem, & iſte fuerit percuſſus, & non apparet, quis eum percuſſerit, hæc præſumptio erit ne ſufficiens ad condemnandum illum?
Reſp. Non, quia licèt ſit præſumptio contra reum, tamen in criminalibus probationes debent eſſe luce clariores: ſolùm enim ſufficiet ad incarcerationem, & vt ponatur in conſpectu tormentorum. *l. ſciant cuncti. C. de probat.*

40 Si quis permutet beneficium tenue cum pingue, quid eſt præſumendum contra eum?
Reſp. Quod talis permutatio ſit fraudulenta, vel ſimoniaca, cum non ſit veriſimile, quod quis det beneficium pingue pro tenui, niſi animo ditandi fratrẽ, vel nepotem, vel quia accepit ab alio pecuniam, quia mediante facit talem permutationem. *Abb. cap. quia veriſimile, de præſumptionibus. nu. 1. c. ſuper hoc, de renuntiatione*.

41 Matrimonium preteritum quibus præſumptionibus poteſt probari de Iure canonico?
Reſp. Per famam publicam, per cohabitionem ſimul, per inſtrumentum matrimoniale, per communem credulitatem vicinorum, hæ omnes ſimul præſumptiones faciunt præſumptionem iuris, vel de iure, contra quam non admittitur probatio, *c. illud quoque, de præſumptionibus*.

42 Quæ præſumptio ſufficit de iure ciuili ad probationem matrimonij?
Reſp. Sufficit ſola cohabitatio. *l. in liberæ, ff. de ritu nuptiar. Abbas in cap. illud quoque. num. 14. de præſumption.*

43 Si dominus conſtituat dotem, vel donationem propter nuptias, quæ præſumptio eſt pro ſerua?
Reſp. Iuris, vel de iure, ſcilicet quod ei donauit ſimul libertatem. *Abb. capit. illud quoque, de præſumptionibus, num. 11.*

CAPVT XXVI.

De Iureiurando.

1 QVid eſt iuramentum?
Reſp. Affirmatio, vel negatio rei ſacræ aſſertione, vel atteſtatione firmata. *Goffred. in ſum. tit. de iuramento*.

2 Ad iurandum licitè quid requiritur?
Reſp. Veritas, iuſtitia, & iudicium. *cap. & ſi Chriſtus, eodem tit.*

3 Iura-

3 Iuramentum eſt largi, vel ſtricti iuris?
Reſp. Stricti,& ſtrictè interpretandum propter periculum animæ. *Abb.in cap.Clericus.n.2. eod.tit.*

4 Poteſt quis petere relaxationem iuramenti, quādo illius adimpletio affert turpitudinem non iuranti, ſed tertiæ perſonæ?
Reſp. Affirmatiuè,quia cauſa petendi abſolutionem eſt iuſta. *c.1. de iureiur.*

5 Quotuplex eſt iuramentum?
℞. primò,aſſertorium;cum iuratur rem ſic eſſe, vel non eſſe. Secundò, promiſſorium, cum iuratur de futuro,aliquid promittendo. Tertiò, execratorium, vt cum iuratur, ſi hoc non fecero, hoc accidat filijs meis. Quartò, confirmatorium, vt quando quis affirmat iuramento hoc accidiſſe. *Hoſtienſ.in ſum.de iureiurando*. Quintò,iuramentum calumniæ, vt cum quis iurat ſe bona,& non mala fide agere. *c. fin. & c. Quintauallis, de iureiur.*

6 Chriſtianus peccat ne expetendo iuramentum ab infidelibus ſecundum eorum religionem?
Reſp. Non, quia aſtringit infidelem ad aliquid faciendum eo vinculo, quo poteſt eum aſtringere: ſed Chriſtianus non debet adhibere fidem eorum religioni. *Innoc.nu.2.& Abb. in c. & ſi Chriſtus,de iur.iurand. nu.14.*

7 Quotuplex eſt iuſiurandum, ſeù iuramentum?
℞. Primò, voluntarium, & conuentionale, quando partes voluntariè conueniunt. Secūdò, neceſſarium, vt quando quis iurat in lite de mādato Iudicis,quod res ſibi debetur. Tertiò, aſſertorium, quando iuratur rem ſic ſe habere,vel non habere. Quartò, promiſſorium: quandò iuratur promittendo rem de futuro. Quintò, execratorum, vt cum quis iurat, ſi hoc fecerim,hoc damnum accidat mihi, & iuramento teſtatur ſe non iterum commiſſurum, quod execratur. Sextò, confirmatorium, vt cum quis iurando confirmat ita vidiſſe. Septimò, iuramentum de calumnia, vt quis iurat ſe calumnioſè non tentare litem. Octauò,purgatorium, vt cum quis purgat iurando,ſe non commiſiſſe tale delictum. *Hoſt.in ſumma eod.tit.& ff. in rubr. de iur.iur.*

8 Iuramentum quando debet adimpleri?
Reſp. Semper, quando poteſt adimpleri ſine diſpēdio animæ,& niſi adimplendo quis peccet, vel faciat contra iuſtitiam. *c.Quintauallis,& cap.ſi verò,de iureiurando.*

9 Iuramentum eſt perſonale, vel reale?
Reſp. Perſonale,quia perſona obligatur. *c.venientes de iureiur. & ibi gloſ.*

10 Iuramentum cum ſit bonum, quare prohibetur, vt non fiat ſine cauſa?
Reſp. Propter periculum periurij. *cap.& ſi Chriſtus, eodem tit.*

11 Qui ſemel iurauit obedientiam Prælato, vel domino, tenetur ne iterum iurare ſucceſſori illius obedientiam?
Reſp. Non, quia in primo iuramento includitur fidelitas ſucceſſori ſeruanda. *c.veritatis, eod.tit.*

12 Iuramentum in præiudicium alterius eſt ne licitum?
Reſp. Non, neque tenetur quiſquam illud ſeruare, & peccat adimplendo. *c.venientes,de iureiur.*

13 Ciuitas poteſt ſtatuere aliquid in præiudicium præeminentiæ ſuperioris?
Reſp. Non, neque iuramentum ſupra hoc eſt adimplendum,quia eſt illicitum. *Abb.in c.venientes,de iur. num.1.*

14 Chriſtianus poteſt nè iurare per alienos Deos?
Reſp. Non,& peccat iurando. *Abb.in c.& ſi Chriſtus num.13. eod. tit.*

15 Iuramentum poteſt ne extendi ad aliquas res non expreſsè iuratas?
Reſp. Non, vt ſi quis iurauit ſtatuta edita,non tenetur ſeruare edenda, niſi nouo iuramento adſtringatur. *c. clericus. de iureiur.*

16 Quis poteſt abſoluere à iuramento?
Reſp. Papa,& Epiſcopus. *Abb.in c.quanto,eod.titulo num. 8.*

17 In abſolutione iuramenti,vel relaxatione quis eſt Iudex competens?
Reſp. Prælatus, cum iuramentum ſit res ſacra, & ad Eccleſiaſticum pertineat. *Abb.in c.2. eod.tit.nu.3.*

18 Quod eſt iuramentum,quod Papa, Epiſcopi,& in dignitate conſtituti faciunt?
Reſp. primò,quod erit fidelis Eccleſiæ, & pontifici. Secundò, quod ſeruabit ſecretum ſibi à papa cōmiſſum. Tertiò, quod defendet papam,& ſedem Apoſtolicam. Quartò,quod veniet ad ſynodum vocatus, ſi non habuerit legitimam cauſam. Quintò,quod legatum papæ honorabit, & adiuuabit. Sextò, quod limina Apoſtolorum viſitabit tertio quoque anno, & ſi Epiſcopus fuerit extra montes quinto quoque anno. *c.ego N.eod.tit.de iureiur.*

21 Si monachi iurant ſtare apud inimicos in obſides, & pignus, & poſſunt fugere à carcere, tenentur ne ſtare?
Reſp. Tenentur,& ſeruare iuramentum,& ſi fugiūt, ſunt periuri,quia iuramentum ſemper eſt ſeruandū, quotieſcumque ſine interitu ſalutis æternę poſſit ſeruari. *c.ex reſcripto, de iureiur.*

22 Monachus iurando obligatur naturaliter, vel ciuiliter?
Reſp. Naturaliter, & cum conſenſu ſui ſuperioris, ciuiliter,& naturaliter, ſicut ſæcularis. *c. ex reſcripto. eod.tit. Abb. ibi. num.1.*

23 Religioſi poſſunt ne iurare?
Reſp. Licitè,& ex cauſa poſſunt, vt in iudicio. *c.& ſi Chriſtus, de iureiur.*

24 prodigus obligatur ne iuramento?
Reſp. Licet à lege prodigus æquiparetur inſano, tamen obligatur iuramento;quia æquiparatio non eſt in iurando,ſed in bonorum dilapidatione. *Abb. in c. cum contingat, eod.tit. num.11.*

25 Qui frangit licitum iuramentum, qua pęna punitur?
Reſp. Eſt periurus, & eijcitur ab Eccleſia, qui non neceſſitate, ſed voluntate frangit, & fit infamis, & poteſt deponi à beneficio,& ordine. *c.querelam, eod. tit. & Abb.ibi. num.1.*

26 Si quis iurat licitè, vt defendere Eccleſiam, & poſtea appellat, prodeſt ne illi appellatio?
Reſp. Talis non adimplendo periurus eſt, & appellatio illi nihil prodeſt, cum ſit contra licitam rem. *c. breui, de iureiur.*

27 Si quis iurauit dare decem aureos pauperibus, & poſtea ædificet Eccleſiam, frangit ne iuramentum, ſi non dat decem aureos?
Reſp. Non frangit, quia in melius commutauit. *c. peruenit, de iureiur.*

28 Ad commutandum iuramentum in rem meliorē,

requiritur ne auctoritas Epiſcopi, vel Superioris?
Reſp. Si res iurata concernat honorem Dei, vel Eccleſiæ, tunc requiritur auctoritas ſuperioris, ne quis ſuo iudicio decipiatur: ſi verò concernat vtilitatem alicuius, tunc non requiritur ſuperioris licentia. *cap. Abbas in c.peruenit.il 2.eod.tit. num. 1.& 2.*

29 Si quis ſoluat pecuniam creditori creditoris ſui, liberatur ne à ſolutione, & iuramento?
Reſp. Si ſoluat ignorante ſuo creditore, vel volente, vel nolente ex mandato Iudicis, tunc liberatur à debito, dummodo eius creditor liberatus etiam exiſtat: ſi verò ſoluit ſua auctoritate, creditore ſuo contradicente, & tunc non liberatur à debito. *l.ſoluendo.ff. de negot.geſtis.*

30 Si quis fecit duo iuramenta inter ſe contraria, quod eſt ſeruandum?
Reſp. Illud, in quo eſt maior iuſtitia. *c.tua nos.eo.tit.*

31 Si iurem obedire meo ſuperiori, & præcipiat aliquid iniuſtum, vel contra iuramentum, quod per vim feci, teneor ne obedire?
Reſp. Non, quia non ſum obligatus ad iniuſtum. *c.veniens,de iureiur.*

32 Si quis iuret aliquid licitè, & poſtea iuret contrarium, quod etiam ſit licitum, quod iuramentum debet ſeruari?
Reſp. primum, quia fuit prima obligatio licita. *cap. veniens, eod. tit.*

33 Si quis iurat ſe ſoluturum decem Petro, & ſoluat Ioanni per errorem, liberatur ne à iuramento?
Reſp. Non, neque à debito, ſed tenetur iterum ſoluere vero creditori. *cap.ea te.eod.tit.*

34 Si quis iuret ſtare mandato alicuius, & ipſe præcipiat iniqua, vt filium exhæredet, & mulierem repellat, tenetur ne parere?
Reſp. Non, neque adimplere iuramentum, quia iniquum eſt mandatum, & iuramentum debet continere licitum, & poſſibile. *capite Quintauallis. de iureiurando.*

35 Qui iurauit ſe contrahere cum muliere, ſi poſt iuramentum mulier fornicetur cum alio, vel illi ſuperueniat aliqua magna deformitas, vt amiſſio naſi, tenetur ne adimplere iuramentum?
Reſp. Non, quia conditiones honeſtæ tacitè inſunt iuramento, licèt non exprimantur præcipuæ illę cõditiones, quæ ſi apparerent, ille homo non iuraret ſponſalia. *cap.quemadmodum.eod.tit.*

36 Deceptus vltra dimidiã ſi iuret, auditur ne poſtea?
Reſp. Abſolutionem petendo auditur. *Abb.in capit. cum contingat.eod. tit.nu.23.*

37 Si quis iuret ſe facturum aliquid, quod prohibitũ eſt per leges, & Canones, tenetur ne adimplere tale iuramentum?
℞. Diſtinguẽdo: ſi talis res prohibita eſt à lege, quia mala, iniqua, & nociua, vt interficere, non tenetur iuramentum adimplere; ſi verò talis res eſt prohibita à lege non vt mala, ſed vt aliquis particularis habeat vtilitatem, vt prohibitum eſt renuntiare alimẽtis, donationibus factis inter virum, & vxorem, inter filios, & Patrem, in iſto caſu *Bart. in l. ſi quis pro eo, ff. de fideiuſſoribus tenet*, quòd iuramentum valet, & firmat donationem, quæ abſque iuramento eſt inualida, ſed Butrius tenet iuramentum non valere, quia poteſt adimpleri ſine diſpendio animæ, ſed non confirmare donationem, quæ facta eſt contra legem. *Abb.c. cum contingat.num.30. de iureiur.*

38 Si quis iuret fidelitatem Principi, tenebitur ne conſentire contra ſe, contra vtilitatem, vel libertatem Eccleſiæ?
Reſp. Non obligatur, imò tenetur reſiſtere, quantum poterit, & non erit periurus. *cap.petitio veſtra de iureiurando.*

39 Si quis ſoluat vſuras, quia iurauit, prǫſumitur velle donare tales vſuras, cum obligatione reſtituendi?
Reſp. Non, niſi ipſe explicite dicat, dono tibi has vſuras. *Abb.c.debitores.eod.tit.num.1.*

40 Si clericus iurat Principi laico fidelitatem, & obedientiam, tale iuramentum tenet ne?
Reſp. In dependentibus à poteſtate laici, tenetur illud adimplere ſub pœna periurii. *Abb.cap.petitio,eod. tit. num. 1.*

41 Iuramentum metu factum obligat ne?
Reſp. Non, ſi metus ſit cadẽs in conſtantem virum, quia iuramentum de ſua natura debet eſſe liberum, & promiſſio libera, non vi extorta. *Abb. c. 2. eod.tit. num. 2.*

42 Iuramentum metu extortum eſt ne ſeruandum?
Reſp. Eſt, ſi ſeruari poteſt ſine interitu ſalutis ęternæ, tamen ad obuiandum inconueniens, Eccleſia cõſueuit dare relaxationem. *c.ſi verò,eod.tit.*

43 Si quis iurat per metum, & poſtea frangit iuramentum abſque Iudicis abſolutione, punitur ne pęna periurij?
Reſp. Non. *c.verum. eod. tit.* quia periurus non fit, cum iuramentum metu extortum, neque teneat, neque obliget.

44 Quis metus ſufficit, vt dicatur iuramentum metu extortum?
Reſp. Metus mortis, metus carceris, & amiſſionis rerum temporalium, & honoris. *Abb.cap.verum, vbi ſup. num.1.*

45 Si quis iuret ſe ſoluturum vſuras, tenetur ne adimplere?
Reſp. Affirmatiuè, quia ex tali iuramento naſcitur obligatio naturalis contra iurantem, & licèt vſurarius peccet recipiendo vſuras, ego non pecco ſoluendo. *Abb.in c.ex adminiſtrationis.nu.2.& c.debitores,de iureiur.num.1.*

46 Quod remedium poteſt quis ponere, quando iurauit ſoluere vſuras, vt eas non teneatur ſoluere?
℞. Primo, petere relaxationem à iuramento, vt Iudex compellat vſurarium ad vſuras non recipiẽdas, vel eas reſtituendas. *Abb.in c.eod.tit.nu.6.*

47 Si quis ſub iuramento obligauit ſe facturum aliquam rem ſub certa conditione, & pacto, ſi tale pactum non adimpleatur, tenebitur ne ipſe adimplere promiſſionem iuratam?
Reſp. Non tenetur, ratio eſt, quia iuramentum fuit conditionale, & non abſolutum, & dum conditio non adimpletur, iuramentum non obligat, neque habet vllam vim, vt habetur *in cap.peruenit,il 2.de iureiur.& ibi Abb.num.3.*

48 Obligatio, & promiſſio vſurarum, quando tenet?
℞. Quãdo ſcriptura, & obligatio eſt vallata iuramẽto, aliàs non tenet; ratio eſt, quia licèt percipere vſuras ſit peccatum mortale, ſoluere vſuras nullum peccatum eſt, cum quis de ſuis bonis diſponat, & iuramentum habet hanc vim, quod ſemper debet adimpleri, quotieſcumque poteſt adimpleri ſine diſpendio animæ iurantis, & talis homo non obligatur

ratio-

ratione ſcripturæ, ſed ratione iuramenti.

49 Iudex poteſt petere iuramentum ab vſurario, vt ſic manifeſtet veritatem, & condemnet eum ad reſtituendas vſuras, vel ad non recipiendas?

Reſp. In quocumque ſtatu litis, poterit Iudex Eccleſiaſticus petere iuramentum ab vſurario: quia vſura eſt magnum peccatum, agiturque de euitando peccato, & de ſaluanda anima vſurarij. *c. ex litteris, de iureiurando*.

50 Si quis cum ira iuret aliquid temerarium, vel illicitum, vel difficile, vt ſi dicat, ſi iterum luſero tecum, iuro me Hieruſalem, vel Romam nudis pedibus peregrinaturum, vel quid ſimile, obligatur ne tali iuramento?

Reſp. Non obligatur; æquè enim ſe habet, ac ſi non iuraſſet; ratio eſt, quia iuramentum, quod ex calore iracundiæ emanat, non obligat, & dicitur calor iracundiæ, quando quis incenſus ira iurat id, quod alias in quiete non iuraret, quod cognoſcitur in eo, quòd tranſacto illo impetu, & ira homo pœnitet, & reſipiſcit, *tenet Abbas in cap. ſicut ex litteris, iſto tit. numero 2.*

51 Si quis iuret ſe commiſſurum peccatum illicitum, & turpe, vel facturum rem nociuam alteri; tenetur ne ſeruare tale iuramentum?

Reſp. Si id iuret ſciens, quòd talis res eſt peccatum, & quod non tenetur adimplere iuramentum ſuper peccatum, tunc non tenetur adimplere, quod iurauit neque tenetur ſe abſoluere à iuramento; ratio eſt, quia iuramentum de ſe nullum fuit, & ſic non indiget abſolutione exteriori, ſed ſacramentali interiori; ſi verò ignoret, quod iuramentum de re illicita non obligat, imò exiſtimat obligare, ſicut de re licita, tūc tenetur ſe abſoluere à iuramento, & facere pœnitentiam, vt habetur in *c. quanto, de iureiur.*

52 Iuramentum temerarium debet nè ſeruari?

Reſp. Tale iuramentum reijcitur ab Eccleſia, & non eſt ſeruandum, & iurans eſt puniendus, vt ſi quis iuret ſe volaturum per aerē, ambulaturum ſuper mare, vel interfecturum centum mauros, vel quid ſimile, quod viribus naturalibus videtur impoſſibile; ratio eſt, quia ad impoſſibile nemo obligatur, vt habetur in *c. tua nos, de iureiur.*

53 Quis poterit reuocare alienationem ab Epiſcopo factam de rebus ſuæ dignitatis, & iuratam?

Reſp. Succeſſor eius, & rem tamquam ſuam occupare. *Abbas in c. intellecto, de iureiur. nu. 2.*

54 Iudex poteſt ex officio inquirere ſuper iuribus Eccleſiæ?

Reſp. Poteſt, & tenetur inquirere, & ea defendere. *Abb. in c. ad noſtram, il 2. num. 8. eod. tit.*

55 Si Epiſcopus alienet, & iuret alienationem, valebit ne iuramentum?

Reſp. Si alienatio fit ex ſuæ menſę, vel Eccleſiæ, aut dignitatis; iuramentum non valet, quia in ingreſſu dignitatis iurauit de non alienando; & primo iuramento ſtandum eſt, *c. intellecto, eod. tit.*

56 Iudex poteſt ex officio inquirere de iuribus particularium perſonarum?

Reſp. Non, niſi ſint pauperes. *Abb. in c. ad noſtram, il 2. de iureiurando, num. 9.*

57 In iuramento, quid debet Iudex conſiderare?

Reſp. Quantitatem cauſę, & dignitatem perſonę, vt non pro re leui fiat iuramentum. *c. iuramentum, eod. tit. §. ſane, & ibi gloſſa.*

CAPVT XXVII.

De Exceptionibus.

1 QVid eſt exceptio?

Reſp. Eſt rei defenſio, per quam ſe defendit ab actore. *Azor. in ſum. tit. de exceptionibus ſiue præſcription. num. 1.*

2 Quot ſunt genera exceptionum?

Reſp. Plura. primò, exceptio iuris. Secundò, facti. Tertiò, temporalis, & dilatoria. Quartò, perpetua, & peremptoria. Quintò, odioſa, vt Macedoniani. Sextò, fauorabilis, vt Velleiani. Septimò, in rem. Octauò, in perſonam. Nonò, anomala. Decimò, alia mixti. *leg. 1. & 2. ff. de exceptionibus. Speculator. eodē tit.*

3 In quo differunt defenſio, & exceptio?

Reſp. In eo, quod defenſio propriè dicitur illa, quæ ipſo iure tollit actionem contrarij, & dirimit, ſicut ſolutio extinguit debitum: exceptio verò eſt quædā defenſio, quæ competit reo contra actorem, & excludit intentionem actoris. *Inſtitut. quibus modis obligatio tollitur. §. item, vt refert Speculator. eod. tit. noſtro. numero 4.*

4 Quæ eſt exceptio iuris?

Reſp. Cum opponis mihi, vt ſoluam tibi debitum, ego verò excipio, aſſignando tempus, & ſi terminus ſoluendi non fuerit completus, non teneor. *l. 2. ff. de exceptionibus.*

5 Quæ eſt exceptio facti?

Reſp. Cum opponis, me feciſſe damnum in vineā tua, at ego nego factum, aſſerendo, me potius tibi vtile feciſſe, cum ſubſtulerim lapides, eamque meliùs coluerim. *l. 2. ff. eod tit.*

6 Quæ eſt exceptio temporalis, & dilatoria?

Reſp. Quæ cauſam differt, vt ſi dicam habeo impedimentum non reſpondendi per duos menſes. *Inſtit. de exception. §. appellantur. l. exceptiones, la 1. ff. de exceptionibus.*

7 Quæ eſt exceptio declinatoria fori?

Reſp. Si ſum clericus, & conuenio coram Iudice ſæculari, declino forum, & ſic differo iudicium, & litem ad multum tempus diſtraho. *l. exceptionem. C. de probationibus.*

8 Quæ eſt exceptio perpetua, & peremptoria?

Reſp. Illa, quæ perimit litem, vt petis decem, ſoluo decem, vel attendo pactum de non petendo. *Ioan. Andr. c. 1. de lite conteſtata. lib. 6. l. 3. ff. de exceptionibus, & inſt. de except. §. appellantur.*

9 Si excommunicatus impetret reſcriptum ſuper appellatione ab eo interpoſita, & non faciat mētionem excommunicationis, valet ne tale reſcriptum?

Reſp. Valet; ratio eſt, quia exiſtens in excommunicatione poteſt appellare, & proſequi appellationem *c. fin. de except.*

10 Quæ eſt exceptio anomala?

Reſp. Quæ non ſequitur nomen aliarum exceptionum, & poteſt opponi ante litem conteſtatam, & poſt, vt exceptio excommunicationis. *Specul. lib. 2. de except. num. 7.*

11 Iudex debet ne apponere terminum ad dilatorias exceptiones ?
Reſp. Debet. *cap.paſtoralis, de except.*

12 Exceptiones peremptoriæ,quando poſſunt opponi?
Reſp. De iure vſque ad concluſionem,& facto iuramento, quod de nouo venerunt ad ſuam notitiam, vſque ad definitiuam. *Abb.c. paſtoralis.num.9. de exceptionibus.*

13 Exceptio falſi quando poteſt opponi?
Reſp. poſt ſententiā, & vſque ad viginti annos,quia falſum facit corruere totum iudicium, ſicut falſum fundamentum totam domum. *Abb. in c.cum venerabilis,eod.tit. num.1.*

14 Contra teſtes poteſt ne opponi exceptio?
Reſp. poſſunt opponi diuerſæ exceptiones, videlicet,de infamia,de periurio,de excommunicatione,& conſanguinitate, in quocumque ſtatu litis poſt præſentationem. *cap. 1.de exception.& ibi gloſſa.*

15 Si quis dolo deſijt poſſidere,quam pęnā incurrit?
Reſp. Habetur pro poſſeſſore, & condemnatur, vt talis. *Abb.in c.aduerſario, de exceptionib.*

16 Quis debet probare dolum?
Reſp. Ille,qui allegat dolum. *Abb.in c.aduerſario,de except. num. 6.*

17 Si quis habet plura beneficia, poteſt ne opponere ſuo contrario, quod ipſe habet plura beneficia?
Reſp. Non, quia replicatio paris criminis repellit excipientem. *c.cum Eccleſiaſticæ, eod.tit.*

18 Exceptio de excommunicatione, vt quis repellatur ab agendo, debet eſſe de maiori, an de minori?
Reſp. De maiori,quia excommunicatus minori, nō eſt excluſus à Iure,vt agat, quia non eſt extra Eccleſiam. *c.à nobis,de exceptionib. & ibi gloſ.*

19 Exceptio excommunicationis priuat ne excommunicatum ab appellatione?
Reſp. Non,neque à ſua legitima defenſione,ſed ſolùm ab agendo,& reconueniendo. *c.cum inter priorē, & c ſignificauit.eod.tit.*

20 Si quis pro ſua Eccleſia ponat exceptionem excōmunicationis,& ipſe ſit excommunicatus,vel periurus, eſt ne audiendus?
Reſp. Exceptio debet admitti; quia cauſa non eſt opponentis habentis talem defectum, ſed Eccleſiæ, quæ non eſt,neque poteſt eſſe excommunicata. *cap. dilecti, de exceptionibus.*

21 Si quis opponat excommunicationem alteri, & non probet, quam pœnam incurrit?
Reſp. Condemnatur in expenſis. *capite, exceptionem eodem tit.*

CAPVT XXVIII.

De Pręſcriptionibus.

1 QVid eſt præſcriptio?
Reſp. Eſt quoddam Ius, & exceptio ex tempore ab auctoritate legum vim capiens, negligentibus pœnam,& finem litibus imponens. *Goffred.tit.de præſcriptionibus.*

2 Cenſus iure Eccleſię,fontes,prędia,ſubiugationes debentur ne per ſolam conſuetudinem?
Reſp. Affirmatiuè, quia cum Eccleſia ſit res pia, & adminiſtratores eius non ſuccedāt ordine ſanguinis, ſed electionis; & præterea cum illa durauerint tempore ſedis vacantis, congruum eſt, quod ſufficiat ad probationem ſola conſuetudo. *cap. ad audientiam, de præſcript.& ibi Abb.num.2.*

3 Quid requiritur ad præſcriptionem?
Reſp. Primò,titulus.Secundò,poſſeſſio.Tertiò,bona fides. Quarto, vt res pręſcribenda ſit præſcriptibilis. Quintè,perſona præſcribens. Sextò, perſona,contra quam pręſcribitur.

4 Conſuetudo tam longa, ita vt de eius initio non ſit memoria, quam vim habet?
Reſp. Vim tituli,& priuilegij,& ſufficit, ſi ſit centenaria ad pręſcribendum contra iura Imperatori debita. *Abb.in c.cum nobis,de præſcript.nu.4.*

5 Quę iura acquiruntur per pręſcriptionem?
Reſp. Ius vtile directum,& omnia neceſſaria ad poſſidendam rem tamquam ſuam propriam. *Abb.in c. ad aures.num. 4. de præſcript.*

6 Quot ſunt ſtatus pręſcriptionis?
Reſp. De iure: tres. Primò, aliquando pręſcriptio dormit,vt cum Eccleſia vacat. Secundò, aliquando interrumpitur, vt per litem,& poſſeſſionem contrariam. Tertiò, aliquando currit,vt cum quis poſſidet bona fide. *Abb.in cap.illud autem, de præſcriptionibus. num. 5.*

7 Pręſcriptio poteſt ne extendi de vna re ad aliam, ſimilem?
Reſp. Non,ſed tantum poſſeſſum,quantum pręſcriptum,neque extendi poteſt, ſiue ſit in iuribus incorporalibus,ſiue in rebus corporalibus. *Abb.in c.auditis,num.9.eodem tit.noſtro. & in c.cum inter, de ſententia,& re iudicata.num. 16.& c.accedentibus,num.7. de priuileg.*

8 Quod tempus requiritur ad pręſcriptionem inter pręſentes?
Reſp. Decem annorum. *Inſt.in rubr.de vſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus.*

9 Qui dicūtur pręſentes in materia pręſcriptionis?
Reſp. Qui ſunt in eadem ciuitate. *Abb. in c.de quarta, de præſcript.num.30.*

10 Quod tempus requiritur ad pręſcriptionem inter abſentes?
Reſp. Viginti annorum. *Inſt.de vſucapionibus,ſup.citata.*

11 Quod tempus requiritur ad pręſcriptionem longiſſimi temporis?
℞. Triginta,vel quadraginta annorum. *in l.vnica,& ibi gloſ. C. de vſucap. traſformanda,&c.*

12 Seruitutes quo tempore pręſcribuntur?
℞. Spatio quadraginta annorum, dummodo ſint res, quę à iure non prohibentur pręſcribi.

13 Contra Romanam Eccleſiam quę pręſcriptio requiritur?
Reſp. In iuribus eius centum annorum. *DD.in c. auditis. eod. tit.de præſcriptionib.*

14 Eccleſia per quod tempus pręſcribit rem alicuius hominis particularis?
℞. Cum titulo, & bona fide per ſpatium decem annorum: ſi ſine titulo, per ſpatium triginta, ſi habeat bonam fidem: quia poſſeſſor malę fidei nullo tempore pręſcribit. *Abb.c.ſanctorum.eod.tit.num.1.*

15 Contra

15 Contra Eccleſias per quot tempora currit præſcriptio?
Reſp. Per quadraginta annos. *auth. quas actiones. C. de ſacroſanct. Eccleſ.*

16 Contra Clericos per quot tempora præſcribitur?
Reſp. Per tempus, per quod præſcribitur contra ſæculares. *Abb. vbi ſup. n. 5. c. ſanctorum, iſto tit.*

17 Quomodo probatur mala fides?
Reſp. Per confeſſionem poſſidentis, per famam publicam, per denuntiationem, & reclamationem tempore contractus, vel poſt factam. *Abb. c. ſanctorum, de præſcription. num. 4.*

18 Per quot tempora præſcribitur cõtra Epiſcopum quarta funeralium, & decimarum?
Reſp. Per quadraginta annos, ceſſante ſolutione, *c. de quarta, de præſcrip.*

19 Per quod tempus præſcribitur contra prædia, & bona Eccleſiæ, vel contra legata pia, vel contra loca pia, vt Eremitarum, &c.
Reſp. Per tempus quadraginta annorum, quia reputantur vt ipſæ Eccleſiæ. *Abb. in c. de quarta, eod. tit. num. 7.*

20 Vt præſcribat vna Eccleſia contra alteram, decimas, vel iura ſpiritualia, quot temporis requiritur?
Reſp. Quadraginta annorum; quia melior eſt conditio poſſidentis. *c. ad aures. eod. tit.*

21 Cenſus debetur ne alicui ratione conſuetudinis, ſi non habeat ſcripturam, etiam ſi ſit perſona laicalis?
Reſp. Affirmatiuè; dummodo talis conſuetudo ſoluendi ſit legitimè introducta, & probentur ſolutiones continuatæ per tantum tempus, quantum de illius initio ſit memoria. *Abb. in c. ad audientiam, nu. 2. de præſcriptionibus.*

22 Mala fides interrumpit præſcriptionem?
Reſp. De Iure ciuili, & canonico bona fides in præſcriptione requiritur, & ipſa deficiente, præſcriptio corruit, quia detinere rem alienam, & eam poſſidere, eiuſque fructibus frui, eſt peccatum mortale, quod nulli dat ius, imò imponit & obligationem reſtituendi, & Papa poteſt tollere ius ciuile, & annullare conſtitutiones in pertinẽtibus ad peccatum mortale. *capite final. de præſcriptionibus. Abbas ibi numero* 58.

23 Si anteceſſor meus habuit malam fidem, & ego bonam, nocet ne mihi in præſcriptione mala fides anteceſſoris mei?
Reſp. Non, ſed non computabitur tempus in præſcriptione, niſi illud, in quo habuit bonam fidẽ. *Abb. in c. de quarta, de præſcript. nu. 9.*

24 Poſſeſſor malæ fidei quo tempore præſcribit?
Reſp. Nullo tempore; ratio eſt, quia longinquitas temporis non ſolùm minuit peccatum, neque dat aliquod ius, ſed auget malitiam peccati, vt habetur in *c. vigilanti, de præſcript.*

25 Quis dicitur poſſeſſor malæ fidei?
Reſp. Ille, qui ſcit rem eſſe alienam, vel ſcit non eſſe ſuam, quia nullum titulum in ea habet, & nihilominus eam poſſidet, & retinet, vel inuito domino, & petenti, vel non petenti; ratio eſt, quia ad hoc, vt quis ſit bonę fidei poſſeſſor, debet poſſidere rem cum aliquo titulo, vel cum ſecura conſcientia, vel ſaltem nõ debet habere ſcrupulum, neque conſcientiam contrariam, quia tunc tenetur facere diligentiam, vt res proprio domino reſtituatur. *tenet Abb. in cap. vigilanti, de præſcript. num. 1.*

26 Quomodo probatur mala fides.
℞. Pluribus modis. Primo, per confeſſionem poſſidentis, dicentis ſe inueniſſe talem rem, & confitentis non eſſe ſuam. Secundo, per famam publicam, quę erat in vicino oppido, vel in illo loco dicentem talẽ domum, vel talem agrum non eſſe illius hominis, quia tunc præſumitur, quòd talis fama peruenit ad aures poſſidentis. Tertio, per denunciationem factã ab aliquo ante Iudicem. Quarto, per reclamationẽ etiam extraiudicialem factam ab aliqua parte tempore contractus, vel poſt factum contractum dicẽtem illam rem eſſe ſuam, & non illius hominis, qui illam poſſidet. Quinto, per litis conteſtationem factam coram Iudice, vt tenet *Abb. in cap. ſanctorum, de præſcript. num. 4.*

27 Quæ res de iure præſcribi non poſſunt?
Reſp. Plurimæ. Primò, res furto ablatæ, quamquam à ſucceſſore latronis poſſideantur bona fide. Secundo, res vi extortæ à ſuo domino. Tertiò, res ſacræ, & religioſæ Deo ſacratæ, & bona Eccleſiarum. Quartò, ſeruus fugitiuus. Quintò, homo liber, licèt tamquam ſeruus poſt 20. annos poſſideatur, vt tenet *Syl. verb. præſcriptio, 2. num. 6. cum ſeqq.*

28 In quibus caſibus non præſcribitur, vel dormit præſcriptio?
℞. In viginti duobus. Primo, in præſtando obedientiam Prælato. Secundo, in ſoluenda procuratione, & ſubſtentatione viſitationis debita. Tertiò, in decimis à laicis poſſeſſis. Quartò, in matrimonio, & impedimento conſanguinitatis. Quinto, in tributis, ſiue publicis functionibus. Sexto, tempore vacationis Eccleſię. Septimo, tempore belli, vel peſtis. Octauo, neque contra diſciplinam Eccleſiaſticam. Nono in re, quæ de Iure communi poſſideri non poteſt, neque præſcribi. Decimo, in re ſpirituali iniuſto titulo acquiſita. Vndecimo, in limitibus, & terminis diœceſis. Duodecimo, neque in via publica. Decimotertio, neque contra Ius publicum. Decimoquarto, in re ſacra, & Iure fiſcali. Decimoquinto, in re præſidi data contra l. Iuliam. Decimoſexto, neque in re pupillari. Decimoſeptimo, item pupillo nõ currit præſcriptio. Decimo octauo, neque in fundo dotali. Decimonono, neque in re peculiari, item vxori non currit præſcriptio durante matrimonio. Vigeſimo, item in rebus, quæ ſub conditione debentur, durante conditione, non currit præſcriptio. Vigeſimo primo, neque tempore ſuſpenſionis Prælati. Vigeſimo ſecundo, neque filiofamilias, dum eſt in poteſtate patris. *Gloſ. in c. cùm non liceat, de præſcript. lit. C. verb. non obſtante.*

29 Collatio beneficiorum, & Ius excommunicandi poteſt ne concedi laicis?
Reſp. Per ſolum Papam poteſt, qui ſuprema poteſtate poteſt eos facere capaces, vel melius cum eis diſpenſare, vt obtineant iura iſta. *Abb. in c. cauſam, de præſcript. nu. 3.*

30 Quando agitur de agris, vel de menſura eorum, quæ ſolemnitates debent fieri?
Reſp. Iudex debet ponere agri menſores expertos, & ab eis petere iuramentum, & citare partes, vt eos informent, & debent menſuras ſuper agros extendere coram tabellione, vt depoſitiones eorum accipiat fideliter. *Abb. in c. quia indicante, de præſcript. n. 5. & 6.*

31 Qui ſunt, qui præſcribere non poſſunt?
℞. primò, præcario tenentes. Secundò, colonus.

Tertiò ille, qui nomine alieno poſſidet. Quartò, vſufructuarius. Quintò, creditor non præſcribit pignus. *Gl. in c. cum non liceat, eod. tit. lit. C. verbo, non obſtante, circa medium.*

32 Currit ne præſcriptio contra Eccleſiam vacantẽ, vel habentem Epiſcopum hæreticum, vel contra pupillum habentem tutorem, vel contra iura Imperij vacante Imperio, vel contra impeditum legitimè ad agendum?

Reſp. Non, quia cum præſcriptio ſit inuenta ad puniendos negligentes, cum non habeant perſonas habiles, non currit contra eos præſcriptio. *c. 1. eodem tit. & Abb. ibi num. 1. 2. 3. & 4.*

33 Quando dicitur quis rectè poſſidere?

Reſp. Quando in iudicio nihil ab eo petitur. *Abb. in c. ſanctorum, de præſcriptionib. num. 2.*

34 In rebus inuaſis vi, vel in bello currit ne præſcriptio?

Reſp. Non, quia non eſt in manu poſſidentis ea defendere. *c. nihil. de præſcript.*

35 Quando dicitur quis ſincerè poſſidere?

℞. Quando habet bonam fidem, ideſt quando exiſtimat rem eſſe ſuam, quia eam hæreditauit, emit, vel lucratus eſt, vel permutauit cum altera re, *tenet Abb. in c. ſanctorum. de præſcript. num. 2.*

36 Quid perrumpit præſcriptionem?

Reſp. Proclamatio ſynodalis, & alicuius particularis ante Iudicem, & conteſtatio litis. *c. ſanctorum, de præſcriptionibus. in gloſ.*

37 Quis error interrumpit præſcriptionem?

Reſp. Error iuris, ſed non facti, in quo homo culpam non habet. *Abb. in c. de quarta, eod. tit. num. 12.*

38 Tempore belli, vel peſtis currit ne præſcriptio?

Reſp. Non; quia in illo tempore cum agitur de cõmuni ſalute, quis non poteſt commode petere iuſtitiam, & ſic præſcriptio dormit. *c. ex tranſmiſſa, de præſcriptionib. Abb. ibi num. 7.*

39 Præſcriptio centum annorum, interrumpitur ne bello, vel ſchiſmate?

Reſp. Affirmatiuè, *cap. cum nobis, eodem titulo*; quia in bello agitur de communi periculo, in ſchiſmate quæritur de cognoſcendo verò Pontifice, & repellendo ſchiſmatico, & ſic præſcriptio tunc interrumpitur & dormit.

40 Interruptio, finito tempore præſcriptionis, nocet ne?

Reſp. Non; neque ſcientia, quòd res erat aliena, quia actus iam erat conſumatus, & præſcriptio completa. *Abb. c. auditis, eod. tit. num. 16.*

41 Præſcriptio rerum incorporalium quomodo interrumpitur?

Reſp. Eodem modo, ac ſi fuiſſent corporalia per litis conteſtationem per actus contrarios, per reclamationem. *Abb. c. auditis. num. 13.*

42 In rebus incorporalibus ad præſcribendum requiritur ne poſſeſſio, vel quaſi poſſeſſio?

Reſp. Nõ, ſed ſufficit ſcientia, & patientia aduerſarij. *Abb. 1. eod. tit. num. 6.*

43 Vſucapio circa quas res verſatur, & quod tempus requiritur?

Reſp. Circa res mobiles, & requiritur tempus trium annorum. *Abb. in c. de quarta, de præſcriptionib. nu. 13.*

44 Iura, quæ debentur legatis à Nuntijs Apoſtolicis, ſediſque Apoſtolicæ ſi per quadraginta annos, non ſoluantur, poſſunt ne præſcribi?

℞. Non, quia de iure non ſunt res præſcriptibiles: ratio eſt, quia his nuntijs vtitur ſedes Apoſtolica in neceſſitatibus Eccleſiæ, & ſi non ſe offerat, non ideò perdidit ius, cum ſemper ſedes Apoſtolica poſſideat habitu talem facultatem mittendi tales nuntios, & faciendi tales ſumptus. *c. accedentes, eod. tit.*

45 Papa, & Imperator, qui ſunt Domini in vniuerſo, poſſunt ne præſcribere bona ſubditorum?

Reſp. Non, quia non ſunt Domini quoad poſſeſſionem rerum ſuorum ſubditorum; quilibet enim poſſidet agrum, & domum ſuam, licèt ſupra ſe habeat Papam, & Imperatorem. *Abb. c. ſi diligenti, eod. tit. nu. 2.*

46 Poteſt Epiſcopus præſcribere in ſuis Eccleſijs inferioribus aliqua iura?

℞. Affirmatiuè, dummodo tempore præſcriptionis tollatur tempus vacantis Eccleſiæ. *c. auditis. eod. tit.*

47 Contra Epiſcopum poteſt ne alius Prælatus inferior iura Epiſcopalia præſcribere?

Reſp. Poteſt præſcribere iura decimarum & limitẽ diœceſis, & cognitionis matrimonij, ſed iura, quæ ſunt ordinis, non poteſt quis ea præſcribere, quia de iure ſunt impræſcriptibilia. *Abb. c. auditis. eod. tit. nu. 6.*

48 Subditus poteſt præſcribere non ſoluendo rationem procurationis, & viſitationis?

Reſp. Non poteſt ſubditus contra Epiſcopum, vel Vicarium, vel ſuperiorem hoc præſcribere, tamquam res ad gubernationem, & vtilitatem ſubditorũ multum neceſſaria; bene tamen poteſt vnus ſubditus præſcribere cõtra alium ſubditum æqualem hoc ius ſoluendi. *c. cum ex officij, eod. tit.*

49 Eccleſia, vel minor poteſt reſtitui à præſcriptione contra ipſos facta?

Reſp. Poteſt. *Abb. c. 1. de præſcript. num. 9.*

50 Reſtitutio aduerſus præſcriptionem datur ne maiori?

Reſp. Datur propter ignorantiam inculpabilem. *Abb. vbi ſup. num. 11.*

51 Intra quod tempus Eccleſia, & minor legitimè ignorantes poſſunt petere reſtitutionem?

Reſp. Intra quadriennium, quo finito non datur vlterius reſtitutio. *Abb. vbi ſup. num. 12.*

52 Probatio præſcriptionis debet eſſe in genere, vel in ſpecie?

℞. In ſpecie cum claritate, & ſcientia ſpecialis rei, & non debet eſſe in genere; quia non valet de vno caſu ad alterum. *Abb. in c. auditis, eod. tit. num. 25.*

53 Quæ probatio præſcriptionis eſt efficacior, per teſtes, vel inſtrumenta?

℞. De iure, æqualis probatio eſt per teſtes, ac per inſtrumenta. *l. in exercendis. C. de fide inſtrum.*

54 Si contra præſcriptionem opponatur interruptio, quis debet probare?

℞. Vterque; vnus præſcriptionem, alter interruptionem. *c. illud autem, eod. tit. de præſcription.*

55 Allegans interruptionem contra præſcribentem, fatetur ne præſcriptionem?

Reſp. Non: quia excipiens de iure nõ fatetur. *Abb. in c. illud autem, eod. tit. num. 3.*

56 Per libros poteſt ne probari præſcriptio?

℞. Poteſt, vnde libri antiqui probant diuiſionem diœceſum, ſi ſint authentici, & libri publici alicuius capituli, vel communitatis ſcripti per Notarium, vel perſonam publicam. *Abb. c. ad audientiam, eodem tit. num. 11.*

57 Præſcriptio centum annorũ quomodo probatur?

℞. Per

Reſp. Per antiquiſſimos teſtes, qui dicunt ſe vidiſſe poſſeſſionem ſua ætate, & audiuiſſe à ſuis maioribus dictam poſſeſſionem eorum ætate fuiſſe nominando perſonas maiorum ſuorum in primo, & ſecundo ordine, eodem modo dicentium; ad hoc additur probatio per antiquiſſima inſtrumenta, quæ excedant centum annos cum qualificatione ſcripturarum per alias ſcripturas, quæ illis publicè, & communiter dantur. *Abb.c.cum nobis, eod.tit.num.5.*

58 Si quis poſſideat rem bona fide toto tempore præſcriptionis, & finita præſcriptione certò ſciant rem non eſſe ſuam tenetur nè eam reſtituere?

Reſp. Non, neque in foro interiori, neq; exteriori, quia per titulum, & bonam fidem cōpleuit præſcriptionem, & præſcriptio dedit illi rem alienam iuſto titulo. *Abb. in cap. vigilanti, eod. tit. nu. 6. & in c. illud autem. num. 2.*

59 Laici poſſunt præſcribere ſpiritualia?

Reſp. Non, quia ſunt incapaces ea poſſidendi. *Abb. cap. cauſam, eod. tit. num. 1. & 3.*

60 Si quis grauetur à menſura facta per expertos, intra quod tempus debet querelam exponere?

Reſp. Intra annum, quo tranſacto menſura tranſit in rem iudicatam. *Abb. c. quia indicante, de præſcript. numero 5.*

61 Qui alieno nomine poſſidet, poteſt ne præſcribere?

Reſp. Non, neque qui habet pignus; quia ipſe non poſſidet, ſed alius, in cuius nomine ipſe poſſidet. *c. ſi diligenti, eod. tit.*

62 Si quis completa præſcriptione petat à Principe priuilegium talis rei, poterit ſe tueri præſcriptione?

Reſp. Non; imo videtur renuntiare præſcriptioni. *cap. veniens, eod. tit.*

63 Si quis dum currit tempus præſcriptionis, petat priuilegium a Principe, vt illud obtineat, iuuat nè præſcriptioni ab eo inceptæ?

Reſp. Ille talis per ſimilem petitionem conſtituitur in mala fide, & interrumpit ſuam præſcriptionem, & finito tempore eam non poterit allegare, quia præſcriptio, & priuilegium ſunt ſibi ad inuicem contraria, cum præſcriptio habeat firmitatem a iure mediante bona fide, & priuilegium habeat firmitatem à liberalitate Principis, a quo quis petit illud, quod exiſtimat non eſſe ſuum. *c. veniens. eod. tit.*

64 Seruitus prædiorum, & agrorum perditur nè per non vſum?

Reſp. Si tu habebas ſeruitutem diſcurrendi per agrū meum, & per multum tempus non adfuiſti, præſcripſi contra te talem ſeruitutem, quia ius tuum conſiſtebat in vſu. *Abb. in c. fin. nu. 8.*

65 Si aliquis debet centum, & ignorat ſe debere, & creditor non petat, præſcribitur nè tale debitum?

Reſp. Si debitor non petat per triginta annos, & ego neſcio me debere, legitimè præſcribo debitum, & non teneor amplius ad ſolutionem. *Abbas c. fin. nu. 9. eod. tit.*

66 Si quis in tempore, quo præſcribit habeat notitiam, quòd res non eſt ſua, interrumpit nè præſcriptionem?

Reſp. Si habet notitiam, quod res non eſt ſua, conſtituitur in mala fide, & illi non prodeſt totum tēpus anterius ſuæ præſcriptionis, ſed ſi poſtea ex certiori ſcientia ſciat rem eſſe ſuam, in hoc caſu totum tempus preſcriptionis illi eſt vtile. *Abb. c. ſi. eod. tit. n. 33.*

67 Dubitans, an res ſit ſua, præſcribit nè?

Reſp. Affirmatiuè, quia in dubio dicitur bonæ fidei poſſeſſor, cum in eius vtilitatem debeat res interpretari, ſed talis tenetur exhibere magnam diligentiam ad inueſtigandum, an ſit res aliena, & facta iſta diligentia, ſi res non dilucidetur, ſed remanet in dubitatione pro ipſo poſſidente eſt interpretandum. *Ab. ſup. num. 39.*

CAPVT XXIX.

De ſententia, & re iudicata.

1 HOc nomen ſententia, quas ſignificationes habet?

Reſp. Multas. Primò, ſententia dicitur cuiuſcunq; orationis deciſio. Secundò, cum pulchrum dictum continet in ſe aliquam ſubſtantiam. Tertiò, dicitur opinio aliquorum DD. Quartò, ſumitur pro excommunicatione, vel interdicto. Quintò, pro deportatione. Sextò, pro ſententia Iudicis lata in aliqua lite. Septimò, pro quocumq; Iudicis præcepto. *Azor. in ſumm. tit. quomodo, & quando Iudex, &c.*

2 Quotuplex eſt ſententia iudicialis?

Reſp. Vna eſt diffinitiua, alia interlocutoria, alia conuentionalis. *Azor. in ſum. eod. tit. vbi ſup.*

3 Quid eſt ſententia diffinitiua?

Reſp. Eſt diffinitio iudicialis controuerſiæ, continens finem, & imponens condemnationem, vel abſolutionem. *l. 1 ff. eod. tit. vt refert Azor. tit. quomodo, & quando, &c.*

4 Quæ eſt ſententia interlocutoria?

Reſp. Semiplena, quæ profertur à iudice inter principium, & finem cauſæ, vel eſt quodcumq; dictum Iudicis, quod profert interloquendo in cauſa, non imponens finem cauſæ. *Azor. in ſum. tit. de ſententijs, & interlocutionib. nu. 7.*

5 Quid eſt ſententia conuentionalis?

Reſp. Eſt amicabilis compoſitio; vt quando Iudex amicabiliter componit partes, *Goffred. in ſum. tit. de ſent. & re iudicata, Azor. tit. quomodo, & quando, &c.*

6 Quibus modis ſententia iniuſta dicitur?

Reſp. Tribus, Primò, ex cauſa. Secundò, ex animo. Tertiò, ex ordine non ſeruato, *gloſ. in cap. ſacro de ſent. exc. verbo, iuſta.*

7 Sententia lata contra leges, & canones, valet nè?

Reſp. Non, neq; opus eſt ab ea appellari. *c. 1. de ſent. & re iudic.*

8 Sententia iuſtè lata debet nè confirmari ſine petitione partis?

Reſp. Sententia iuſtè lata, ad petitionem partis confirmatur non ex officio Iudicis, cum pars patiatur dānum particulare, cui poteſt, ſi vult, renuntiare, & Iudex non tenetur ſuum officium, ſtudiumq; impertiri ad vtilitatem priuatam, ſi non poſtuletur. *c. ea quæ, de ſent. & re iud.*

9 Exequutio pœnæ criminalis poteſt fieri ſtatim, vel debet expectari terminus decem dierum?

Reſp. Si pœna ſit ſtatuta à lege, & exequutio fiat à iure, poteſt ſtatim exigi; ſi verò fiat ab homine, & in cauſis, in quibus de iure competit appellatio, debet expectari

expectari decem dies. *Bar. in l. qui vltimo ſupplicio. ff. de pœnis, nu.* 5.

10 Sententia per errorem lata poteſt ne reuocari?
Reſp. Probato errore, debet reuocari, etiam ſi ab ea non fuerit appellatum. *c. fraternitatis, de frigidis, & maleficiat. & ibi gloſ.*

11 Qui ſunt caſus, in quibus ſententia eſt nulla, licèt error non ſit expreſſus?
Reſp. Primò, ex defectu iuriſdictionis. Secundò, ex defectu iudicis, vt ſi Iudex notoriè ſit excommunicatus. Tertiò, ex defectu litigatorum, vt ſi ſit lata contra minorem ſine ſuo curatore. Quartò, ratione temporis; quia fuit lata die feriata, vel nocturno tempore. Quintò ratione loci, vt ſi fuit lata in Eccleſia, vel cœmeterio per Iudicem ſæcularem. *Abb. in cap. 1. de ſent. & re iud. num.* 5.

12 Sententia lata contra legem habentem plures ſenſus, eſt nè tota ſententia ipſo iure nulla?
Reſp. Si ſit lata ſecundum aliquem ſensū probabilem, & contra alium probabiliorem, non eſt ipſo iure nulla; quia licitum eſt opinionem probabilem ſequi relicta reliqua probabiliore. *Abb. vbi ſupr. nu.* 9.

13 Sentia lata contra conſuetudinem, eſt nè nulla?
Reſp. Non, niſi ſit notoria conſuetudo. *Abb. c. 1. eod. tit. numero* 17.

14 Quando agitur de nullitate ſententiæ, eſt nè ſeruādus ordo iudicialis?
Reſp. Affirmatiuè. *Abb. in c. inter cæteras, eodem titulo numero* 12.

15 Si ſententia fuit iniuſta, & ab ea non fuit appellatum, quid operatur?
℞. Si tranſit in rem iudicatam, facit Ius inter partes propter negligentiam non appellantis; idq; fit, vt litibus finis imponatur. *Abb. c. ea, quæ, eod. tit. nu.* 7. *de ſent. & re iudic. & c. conquerenti, de reſt. ſpol. nu.* 8.

16 Sententia lata in cauſa matrimoniali tranſit nè in rem iudicatam?
Reſp. Non, propter periculum animæ, & ſic ſemper ſi conſtiterit de veritate, reſcidenda eſt, *c. lator præſentium, eod. tit.*

17 Ad ſententiam ſeparationis matrimonij, ſufficit nè ſola confeſſio coniugum?
℞. Non, ſed requiruntur alij teſtes, & probationes; quia iſta confeſſio poteſt eſſe falſa propter inimicitia inter ipſos. *Abb. in c. lator. nu.* 4. *eod. tit.*

18 A ſententia lata, qui poteſt appellare?
Reſp. Reus, qui fuit condemnatus, & pars, quæ obtinuit victoriam, ſi de aliquo omiſſo grauatur, & tertius, cuius intereſt, & omnes audiendi ſunt à Iudice à quo. *c. cùm ſuper, eod. tit.*

19 Tempus datum à Iure ad appellandum quomodo currit?
Reſp. Legaliter de hora ad horam, de momento ad momentū, ſi poteſt haberi copia iudicis à quo, & iudicis ad quem; aliàs impedito nihil currit, ſed poteſt appellare extraiudicialiter coram teſtibus in cauſa, in qua copia iudicis non poſſit haberi. *Abb. in cap. quoad conſultationem, eod. tit. nu.* 3.

20 Qui terminus datur ad appellandum in criminalibus?
Reſp. Decem dierum. *Abb. c. 2. de ſententia, & re iudic. num.* 3.

21 Intra quod tempus debet quis proſequi appellationem?
Reſp. Intra annum. *c. cum ſuper, eod. tit. & ibi gloſ.*

22 Clauſula, remota appellatione, quid operatur?
℞. Vt non obſtante, talis ſententia exequatur, ſed non tollit remedium appellationis in ſententia notoriè iniuſta. *Abb. in c. inter cæteras. nu.* 5. *eod. tit.*

23 Si ſententia præcipiat aliquid faciendum ſub termino vnius menſis, tempus ad appellandum currit à die ſententiæ, vel finito menſe?
℞. Tempus decem dierum datum à lege appellandum currit a die prolationis ſententiæ etiam non finito menſe, ne prorogentur lites calumnijs. *c. quod. eod. tit.*

24 Sententia iniqua poteſt retractari per ſuperiorem, quando cauſa fuit commiſſa, amota appellatione?
℞. Poteſt, quia commiſſa, amota appellatione, nō intelligitur de ſententia iniqua, ſed de iuſta; id enim voluit Princeps. *c. inter cæteras, eod. tit.*

25 Si ſententia ſit contra ius, & ab ea non appelletur intra decem dies, valebit nè?
℞. Si ſit lata contra iuſtitiam, ſcilicet quòd in ea tollatur alicui prædium ſuum, & detur aduerſario ſuo, tranſit in rem iudicatam, & valet; ſi verò ſit contra Ius canonicum, vel leges, non valet, etiam ſi ab ea nō appelletur in termino; ſed tranſacto termino poteſt ab ea reclamari, & debet pars audiri. *cap. cum inter, eod. tit.*

26 Ab executione datur ne appellatio?
℞. Non; niſi in executione modus excedatur. *capit. quod. eod. tit. de ſent. & re iud.*

27 Sententia eſt nè ferenda verbo, vel ſcriptura?
℞. Scriptura, vt habeat maiorem firmitatem. *Abb. in cap. ſicut nobis, eod. tit. nu.* 24.

28 Iudex, qui protulit ſententiam nullam ipſo iure, poterit nè idem Iudex aliam ſententiam proferre, quæ ſit iuſta, & teneat?
℞. Si talis ſit ordinarius, poterit, quia eius iuriſdictio eſt perpetua: ſi verò Iudex ſit delegatus, non poterit; quia cum primus ſententiam tulit, functus eſt officio ſuo. *l. ſi præſes. C. quomodo, & quando, Iudex. & l. 4. C. de accuſ.*

29 Si ſint plures Iudices in vna cauſa, & quilibet habeat ſuam opinionem, ſententia lata erit nè valida?
℞. Vt valeat ſententia, omnes Iudex, vel maior pars debent eſſe concordes. *cap. non poteſt, de ſent. & re iudic. & ibi gloſ.*

30 Iudex merus exequutor ſententiæ, quas exceptiones poteſt admittere?
℞. Exceptiones fraudis, & nullitatis ſententiæ, ſed ſuper eas non poterit iudicare, ſed debet remittere iudici, à quo emanauit ſententia. *c. de cætero, eodem titulo.*

31 Sententia condemnatoria, poteſt nè proferi ſub conditione?
℞. Affirmatiuè, ita vt Iudex dicat: ſi Petrus non fecerit hoc, vel non demonſtrauerit talem ſcripturam intra tres dies, condemno eum decem aureis. *Abbas in c. quod ad conſultationem, eod. tit. nu.* 2.

32 Iudex in quibus caſibus tenetur exprimere rationem ſuæ ſententiæ?
Reſp. Primò, cum Iudex inferior ſententiat cauſam, & debet comparere ante ſuperiorem. Secundo, vbi abſoluitur reus propter ineptam petitionem actoris. Tertiò, cum abſoluitur reus ab inſtantia iudicis. Quartò, quando Iudex ſententiando recedit à Iure communi. Quinto, quando abſoluitur reus, quia non

non poſſidet rem. Sextò, in ſententia excommunicationis, quia procedit ex delicto, & contumacia. *Io. Andr. in c. ſicut nobis, eod. tit.*

33 Iudex tenetur ſequi conſilium viri prudentis?
Reſp. Si ipſe ſit doctor, non tenetur; ſi ſit ignarus, tenetur. *vt non erret. Abb. c. ſicut, eod. tit. nu. vult.*

34 Lites debent nè prorogari?
Reſp. Non, imò, celeriter terminari. *Abb. in c. 2. de ſent. & re iud. nu. 4.*

35 Conſuetudo magnæ auctoritatis, præiudicat nè legibus, vel decretis canonicis Summi Pontificis?
Reſp. Non quia conſuetudo eſt ius quoddam moribus introductum, quod obſeruatur pro lege, deficiēte lege, non verò contra legem. *cap. cum cauſa, eodem titulo.*

36 Si exprimatur cauſa in ſententia, & talis cauſa ſit falſa, talis ſententia tenebit nè?
Reſp. Probata falſitate non tenebit.

37 Si exprimatur duæ cauſæ, vna falſa, & altera vera, tenebit nè talis ſententia?
Reſp. Maximè, quia falſa cauſa non inficit veram. *Abb. in c. ſicut nobis, de ſent. & re iud.*

38 Conſuetudo laicorum ligat nè Clericos?
℞. Non, neque Eccleſias, quia laicis non ſunt ſubiecti. *Abb. in c. cum cauſa, eod tit. nu. 3.*

39 Si quis per ſententiam iudicis ex primo decreto cogatur poni in poſſeſſionem, & reus non det illi talem poſſeſſionem finito anno, iſte talis habebitur nè pro vero poſſeſſore?
Reſp. Licèt realiter nō poſſederit, habebitur pro vero poſſeſſore, quia per illum non ſtetit, & in iſto caſu fictio iuris facit factum verum, & veram validitatem. *c. contingint, de dolo, & contum.*

40 Iudex in ſententiando tenetur nè ſequi conſilium ſapientis?
Reſp. Si ipſe ſit doctor, vel Licentiatus, non tenetur; ſi verò ſit idiota, vel ignarus, vel non ſit graduatus in vniuerſitate approbata, tenetur, *vt non erret. Abbas in c. ſicut de ſent. & re iud. nu. vlt.*

41 Si vigore litterarum detur aliqua ſententia, & ante pronuntiationem emanent litteræ, in quibus omnia facta vigore primarum litterarum reuocantur, & tollitur iuriſdictio tali iudici valebit nè tunc talis ſententia?
Reſp. Si litteræ non fuerunt notificatæ iudici ante prolationem ſententiæ valebit talis ſententia, quaſi iuriſdictio non eſſet ablata; ratio eſt, quia in litteris, & reſcriptis, in quibus reuocatur iuriſdictio nō attēditur tempus datæ, ſed tempus notificationis, quia ille iudex in bona fide procedit vſq; ad eius notitiam iuridice veniat reuocatio. *tenet Abb. in cap. audita, de reſt. ſpol. nu. 2.*

42 Sententia poteſt pronuntiari, in ipſo die, in quo citantur partes ad audiendam ſententiam?
Reſp. Non neq; in die ſequenti, & ſi fiat, eſt nulla ſententia; ratio eſt, quia requiritur tempus competens inter citationem, & ſententiam, vt partes informent, vt prouideant iuri ſuo, alias citatio eſſet vana, & nullius momenti. *l. ſicut propouis, l. a prima, C. quomodo, & quando Iudex.*

43 Iudex, qui remittit negotium ad ſuperiorem, cui debet tradere copiam proceſſus, actori, vel reo?
Reſp. Poteſt tradere actori, & reo, & prefigere eis terminum ad comparendum coram ſuperiore, & habet locum citationis, cum qua ſuperior ad vlteriora procedit. *Abb. c. cum Bertold. eod. tit. nu. 2.*

44 Si quis impetrauit iudicem, poteſt vlterius illum recuſare?
Reſp. Non. *Abb. eod. tit. num. 3. c. inter monaſterium.*

45 Si lis ſit ſuper petitorio, & poſſeſſorio, poteſt nè Iudex vnum ſine altero ſententiare?
Reſp. Poterit ſententiare poſſeſſorium, & relinquere petitorium. *Abb. in c. ſuborta. eod. tit. nu. 7.*

46 Si duo Iudices ordinarij dent diuerſas ſententias, vno pro reo, & alter pro actore, quæ ſententia debet executioni mandari?
Reſp. Si Iudices ſint æqualis iuriſdictionis valet ſententia pro reo, cui ius fauet. *Abb. in c. fin. eod. tit. n. 1.*

47 Sententia habens plura capitula, ſi in vno ſit errata, corruit nè tota ſententia?
Reſp. Non, quia in cæteris capitulis eſt valida. *Abb. c. 1. eod. tit. nu.* 8. ratio eſt, quia videntur eſſe tot determinationes, quot ſunt capita, & vtile non vitiatur per non vtile, ſi ſit diſtinctum?

48 Papa tenetur nè ſeruare in ſententijs proferendis iuris ordinem, ſicut alij iudices inferiores?
Reſp. Non, propter ſupremam poteſtatem, quia ipſe eſt ſupra iùs, ſed hodie de facto ſeruat iuris ordinē melius, quam Iudices inferiores. *Abb. cap. ea quæ eod. tit. nu. 9. & in c. in cauſis, num. 1. eod. tit.*

49 Sententia Papæ, vel Principis lata in aliqua cauſa, facit nè ius, ita quòd in alijs ſimilibus cauſis idem ſit iudicandum?
Reſp. Si talis ſententia incorporetur in corpore iuris, tunc facit ius ſicut aliæ leges; ſi verò non incorporetur in corpore iuris, non facit ius; licèt faciat ſcientibus exemplum ad imitandum. *Abb. in c. in cauſis. eod. tit. nu. 1.*

50 Si Papa pronuntiauit ſententiam in fauorem alicuius, & poſtea conferat beneficium in fauorem ſui contrarij, erit nè valida talis collatio?
Reſp. Si in collatione non fiat mentio de pronuntiatione ſententiæ erit ſubreptitia, & non debet executioni mandari. *c. cum olim eod. tit.*

51 Si ſententia feratur in ſcriptis, & poſtea ſcriptum non appareat, poterit nè probari per teſtes idoneos?
℞. Maximè, licèt non reddant rationem de cauſis, quæ mouerunt animum Iudicis, quia ad hoc ipſi non tenentur, ſæpè Iudex non exprimit cauſam in ſententia. *c. ſicut eod. tit.*

52 Quando ſententia probatur per teſtes, tenentur nè deponere omnia verba à Iudice prolata, & ſeriem ſententiæ?
℞. Non ſed ſatis eſt, vt diſtinctè dicant ſubſtantiam ſententiæ, quia illud magis eſt actus memorię, quàm veritatis, & fidelitatis. *Abb. in c. ſicut nobis. eod. titulo numero* 5.

53 Sententia lata ſine expreſſione cauſa valet ne?
Reſp. Valet, immò cauti Iudices ſolent non exprimere cauſam ſuæ ſentētiæ, ne ex illa expreſſione pars condemnata appellet volens probare non eſſe veram cauſam. *Abb. in c. ſicut nobis. nu. 1. eod. tit.*

54 Sententia inter alios lata nocet ne tertio, ſi ipſe faciat talem cauſam tractari?
Reſp. Non nocet, etiam ſi habeat ſcientiā cauſę; quia ipſe poterit petere ſuam iuſtitiam, cum ſibi bene viſum fuerit; non enim eſt alligatus ad voluntatem, & commoditatem tertij, qui litigat. *Abb. in c. cum ſuper eod. tit. nu.* 5.

55 Si quis citetur ad ſententiam, & ex legitimo impedi-

pedi-

pedimento non compareat, ſententia tenet ne?
Reſp. Tenet ſed retractari debet probatio legitimo impedimento, & poni in primo ſtatu, & iterum pronunciari. *c.cum Bertold.eod.tit.*

56 Sententia, quæ dicit Titius non probauit, ſi verò probauit, ex hoc erit ne nulla?
Reſp. Non, ſi alias fuit iuſtificata, quia præſumitur iudicem in hoc erraſſe, & iuſtitia ex alia parte conſtabit. *Abb.in c.cum Bertold.eod.tit.nu.7.*

57 Secunda Sententia lata contra primam tenet ne in caſu, in quo prima fuit iuſta, & ſecunda reuocans primam, ſi ſit iniuſta?
Reſp. Si à ſecunda non appelletur in tempore, tenet, & executioni mandatur, quia ex negligentia non appellantis datur ius vnius partis alteri parti. *cap.inter monaſterium eod.tit.*

58 Conſpiratores ſunt ne admittendi in teſtes?
Reſp. Non, imò ſi admittantur, & Iudex ſequatur eorum dicta, ſententia ſic lata corruit, & debet reuocari. *c.cum canonici eodem.*

59 Si quis habeat pignus, & ſine ſua culpa perdatur, vel furetur, tenetur ne creditor ad damnum?
Reſp. Non, quia hoc eſt periculum debitoris, quia creditor non poteſt habere maiorem curam in re aliena, quàm in ſua. *Abb.in c.quamuis.de ſent.& re iudicata, nu.7.*

60 Sententia lata contra priuilegium tenet ne?
Reſp. Tenet, ſiue ſit priuilegium oſtenſum, ſiue nō ſi à tali ſententia non appellatur. *c.ſuborta.eod.tit.*

61 Contra priuilegium admittitur ne probatio?
Reſp. Maximè, & teſtes recipiuntur, & exceptiones admittuntur. *Abb.c. ſuborta eod.tit.nu.4.*

62 Reuocata ſententia ex aliquo defectu, quid eſt agendum in cauſa?
Reſp. Iterum de cauſa principali debet agi ſeruando ordinem iuris. *c. ad probandum.eod.tit.*

63 Si duo habeant Ius ad aliquam rem, & vnus litiget, & alter ſciat, & conſentiat, ſententia lata contra primum nocet ne ſecundo?
Reſp. Licèt res inter alios lata non noceat tertio; tamen in iſto caſu nocet ſecundo ſicut primo, cum ius ſit vnum. *c.quamuis.de ſent.& re iud.*

64 Si quis de delicto mortis condemnatus fuit iniuſtè, & punitus ſit, poſtea verus occiſor appareat, debet ne etiam condemnari?
Reſp. Debet tanquam ſi primus condemnatus non fuiſſet, & primo facienda eſt reſtitutio honoris, & ſuis hæredibus bonorum, propter iniuſtam mortem, quam paſſus eſt. *c.quamuis, eod. tit.de ſententia, & re iudicata.*

65 Si mulier habeat ſuper dote, & emptor ſuper re vendita ſententiam latam contra ſe, præiudicat ne marito, vel venditori?
Reſp. Si ſciant negotium tractari, in dubio eos præiudicat: ſi verò ignorent, non. *Abb. in c.quamuis.eod. tit.num. 12.*

66 Si venditor agat ſuper re vendita, & ſocer ſuper dote, præiudicat ne emptori, vel marito in ſententia?
Reſp. Non, quia dominium talis, rei non eſt penes venditorem, neq; ſocerum, ſed penes emptorem, & maritum, & ſic cum eis debet negotium agi. *Abb. in cap.quamuis, nu. 12.eod. tit.*

67 In quibus caſibus ius fauet actori, & non reo?
Reſp. In quatuor. Primò, in matrimonio. Secundò, in libertate. Tertiò, in dote. Quartò, in teſtamento. *c.fin.de ſent.& re iud.& ibi gloſ.*

CAPVT XXX.

De Appellationibus, &c.

1 Appellatio quo iure eſt introducta?
Reſp. Iure naturali, & gentium, & etiam de iure diuino, cum ſit defenſio, ſed forma poſita eſt de iure canonico, & ciuili.

2 Propter quid appellatur?
Reſp. Vt iniquitas, vel imperitia iudicantium corrigatur. *c.cum ſpeciali, de appellationibus, & ibi gl.*

3 Quid eſt appellatio?
Reſp. Eſt de minori Iudice ad maiorem prouocationem. *c.2.de conſuetudine in 6.gl.4.*

4 Quotuplex eſt appellatio?
Reſp. Duplex: iudicialis, & extraiudicialis.

5 Quæ eſt iudicialis?
Reſp. Quando quis appellat ante iudicem.

6 Quæ eſt extraiudicialis?
Reſp. Quando quis per metum, vel aliam iuſtā cauſam ſecretè appellat ante Notarium, & teſtes, *2. q.6. per totum, c. cum Romana, de appellationibus. §. ſi verò. in 6.*

7 Quotuplex eſt iudicialis?
Reſp. Duplex alia diffinitiua, alia interloquutoria.

8 Effectus appellationis quotuplex eſt?
Reſp. Duplex deuolutiuus, & ſuſpenſiuus.

9 Quid eſt appellatio ad effectum deuolutiuum?
Reſp. Illa quæ non retardat executionem, ſed deuoluit negotium principale ad Iudicem ſuperiorem, ſuper petitorio, vel poſſeſſorio.

10 Quæ eſt appellatio ad effectum ſuſpenſiuum?
Reſp. Illa, quæ retardat executionem, & deuoluit negotium ad Iudicem ſuperiorem, tàm in petitorio, quam in poſſeſſorio.

11 Facta poſt legitimam appellationem tenet ne?
Reſp. Non, imò debent reuocari, & omnia reduci ad priſtinum ſtatum. *c.ſignificauit, de appellationibus, & ibi gl.*

12 Quis poteſt appellare?
Reſp. Ille, cuius intereſt, & non alius. *Rota dec.796. p.2.in nouiſſimis.*

13 Appellans quid tenebitur probare?
Reſp. Se appellaſſe infra legitimum tempus, aliàs præſumitur ſe appellationi renuntiaſſe. *c.Romana.§.ſi verò, de appell.in 6.*

14 Appellationes, ſeu defeſiones ſunt ne auferendæ à Iudice?
Reſp. Negatiuè. *Abb.in c.cum contingat, nu.29.de foro comp.*

15 Appellatio quomodo poteſt admitti?
Reſp. In ſcriptis, & non aliter. *Quaranta in ſumm.bul. verb.Archiepiſcopi auctoritas.*

16 Appellans coram quo Iudice tenetur exprimere cauſas ſuæ appellationis?
Reſp. Tenetur coram Iudice à quo, ſed eam debet probare ante Iudicem ad quem. *c.vt debitus honor, de appellationibus.*

17 Si

17 Si Iudex à quo reſpuerit appellationem interpoſitam, quid debet agere pars grauata?
Reſp. Accurere ad Metropolitanum per viam querelæ. *gloſ.in c. ad reprimendum, verb. ſuſpenditur, in fin.de offic.Ordin.*

18 Terminus decem dierum poteſt ne prolongari, vel abbreuiari à Iudice?
Reſp. Non, quia eſt legalis, & præfixus à lege.

19 Si Iudex à quo poſt legitimam appellationem attentauerit aliquid, vel negauerit tradere acta, quid debet agere reus?
Reſp. Sumere teſtimonium, & appellare à mandato non tradendi acta, & Iudex ad quem debet compellere Iudicem, & Notarium, vt tradant acta, & reponere omnia facta per legitimam appellationem.

20 Cauſę omnes Eccleſiaſticę, tam ciuiles, quàm criminales coram quo Iudice debent terminari, & finiri in prima inſtantia?
Reſp. Coram Ordinario loci, & ab eo non poteſt appellari, niſi à ſententia difinitiua, vel a grauamine habente vim definitiuæ, & quòd ſit grauamen habens vim definitiuæ infra dicemus in hoc capite; ratio eſt, ne appellationibus iuſtitia defraudetur. *Trid. ſyn.ſeſſ.24.c.20.de reform.*

21 Appellatio à correctione, habilitatione, reprobatione, viſitatione, & criminali cauſa, quando poteſt admitti à Metropolitano, Legato, vel Nuncio Apoſtolico, vel Iudice ſuperiore?
Reſp. Poteſt ſententiam difinitiuam, & non ante; ratio eſt, ne iudicium Epiſcoporum appellationibus fiat illuſorium, & vt Epiſcopi poſſint ſuum gregem in vitæ, ac morum honeſtate facilius continere. *Trid. ſyn.ſeſſ.13.c.1. de reform.in fin.*

22 Cauſa correctionis qualis dicitur?
Reſp. Quando Epiſcopus ſine ſtrepitu iudiciali pro bono regimine aliquem Clericum corrigit, vel mittit in exilium, Etiamſi Epiſcopus fecerit proceſſum ſibi ſecretum ad ſui informationem, & in iſta cauſa procedit Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, & ab eius decreto non datur appellatio, nec ſi quis appellauerit etiam ad ſedem appoſtolicam ſuſpenditur exequutio talis correctionis factę ab Epiſcopo. *ita Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.10. de reform.*

23 Quæ dicitur cauſa inhabilitationis, & reprobationis.
℞. Plurimæ. Primò, quando quis vult ſuſcipere ordines maiores, vel minores, & reprobatur ab examinatoribus ſynodalibus, vel ab Epiſcopo. Secundò, quando quis vult audire confeſſiones, & poſt examen reprobatur ab Epiſcopo. Tertiò, quando, quis vult concionatorium munus publicè exercere, & reprobatur ab examinatoribus, vel ab Epiſcopo, ſiue ob defectum ſcientiæ, ſiue ob defectum morum. Quartò, quando quis vult legere in ſcholis publicis, & ad id minimè idoneus reputatur. Quintò, quando quis petit beneficium curatum, vel adminiſtrationem Sacramentorum, & reprobatur; in omnibus his caſibus ſiue reprobatio fiat ad defectum ſcientiæ, vel ob defectum morum, vel ob aliquam cauſam Epiſcopo ſoli cognitam, & alijs occultam, ſiue ad tollendum aliquod ſcandalum, quod ex alia probatione poteſt euenire, non datur appellatio, nec admittitur, nec appellatio ſuſpendit executionem talis reprobationis; ratio eſt, quia cum iſti ſint omnes oues Epiſcopi, & ſibi à Deo commiſſæ, ipſe poteſt ponere ſubſtitutos, qui ſuæ conſcientiæ ſatisfaciant, & Iudex ſuperior non poteſt, nec debet cogere Epiſcopum, vt contra ſuam conſcientiam, & voluntatem ponat ſubſtitutum in ijs officijs, quæ propriè, & principaliter pertinent ad ipſum Epiſcopum, & ad alios tanquam ad ſubſtitutos. *Trid.ſyn. ſeſſ.13.c.1. & ſeſs.14.c.10.de refor.*

24 Quæ ſunt cauſæ, quæ in viſitatione tractantur, de quibus non poteſt dari appellatio?
Reſp. De his dixi latè *lib.4.c.25.de Viſitatione.*

25 Quæ dicitur criminalis cauſa, in quo non poteſt appellari, niſi poſt ſententiam difinitiuam?
Reſp. Quotieſcumque iudicialiter, & criminaliter, ſiue ad inſtantiam partis, ſiue ad inſtantiã fiſci proceditut contra aliquem Clericum, vel ſæcularem criminaliter, & cum forma iudicij; tunc enim iſte talis reus ſolùm poteſt appellare a ſententia definitiua, vel a grauamine habente vim definitiuæ, & non antea. *Trid.ſyn.ſeſs.13.c.1.de reform.*

26 Si aliquis Clericus ſit incorrigibilis, vel ſcandaloſè ſe gerat, quam pœnam incurrit?
Reſp. Poſtquam Epiſcopum eũ ſuauiter admonuerit ſecundum legem Euangelicam, ſi non ſe emendauerit, atque incorrigibilis videbitur, Epiſcopus poterit eum priuare beneficijs, appellatione non obſtante, & appellatio non ſuſpendit effectũ priuationis. *Trid. ſyn.ſeſs.21.c.6.de refor.*

27 Legati, Nuntij, Patriarchæ, Metropolitani, Iudices ſuperiores in admittenda appellatione quid debent ſeruare?
Reſp. *Caput 1.ſeſſ.13.Concil.Trid.de refor. & cap.10. ſeſſ.24. & tex.in c. Romana, de appellationibus in 6. ſic illis præcipitur in capit.7. ſeſſion.22.de reformatione.*

28 Quid præcipitur dictis Superioribus in dicto *cap. Romana?*
Reſp. Duo. Primò, vt non admittant appellationẽ, niſi à definitiua, vel à grauamine habente vim definitiuę; Secundò, vt poſtquam ſententiauerint tale grauamen, remittant cauſam principalem Iudici à quo, & inferiori, vt in ſuo tribunali finiatur talis cauſa; ſic enim expreſsè iubetur in Conſtitutione Innoc.IV. quæ incipit, Romana, & nos infra in illo *cap. probabimus, num.72.*

29 Si Iudex dicat appellanti, do tibi terminum Iuris, quid intelligitur?
℞. Triginta dierum terminum dare, intra quos appellans tenetur adire Iudicem ſuperiorem.

30 Intra quod tempus debet quis proſequi appellationem?
Reſp. Intra annum, & ex cauſa intra biennium. *cap. præterea, de appellationibus, & ibi gloſs.*

31 Iudex poteſt limitare, & deſignare tempus magis breue ad proſequendam appellationem?
Reſp. Poteſt ſecundùm cauſę qualitatem. *c.cum ſit Romana, & c.ad aures, eod.tit.*

32 Quæ dicuntur fatalia?
Reſp. Biennium, quod datur ad proſequendam appellationem. *Azon.in ſum.Codicis, de temporibus, & reparationibus appell.nu.2.*

33 Fatalia poſſunt prorogari?
Reſp. Poſſunt ex legitima cauſa. *Azon.vbi ſup.n.3.*

34 Intra quod tempus poteſt appellari?
Reſp. Infra decem dies à lata ſententia. *c.Romana.lib. 6.de appell.c.Anteriorum, 2.q.6.*

35 Intra quod tempus debet notarius tradere proceſſum

ceſſum appellanti, & ſub qua pœna?

Reſp. Intra menſem, aliàs ſuſpenditur ab officio arbitrio Iudicis, & tenetur ſoluere duplum, & fructus penè diuiditur inter pauperes, & partem appellantem. *Trid.ſyn.ſeſs.24.c.20.de reform.*

36 Qui ſunt Apoſtoli?

Reſp. Litteræ, per quas Iudex admittit, vel denegat appellationem. *in auth.hodie* §. *Apoſtolos. C.de appellationib.& ibi gloſ.*

37 Quot ſunt genera Apoſtolorum?

Reſp. Tria, reuerentiale, teſtimoniale, & refutatorium. Speculator. §. 1.*nu.*1.*titulo, de Apoſtolis.nu.*1.

38 Qui dicuntur Apoſtoli reuerentiales?

℞. Quando Iudex à quo ob reuerentiam ſedis Apoſtolicæ, vel Iudicis ſuperioris, remittit cauſam ad Iudicem ſuperiorem. *Speculator in titul.de Apuſtolis, ſeu libell dimiſ.nu.*8.

39 Qui dicuntur Apoſtoli teſtimoniales?

Reſp. Quando poſt appellationem interpoſitam ab honeſtis, uiris petuntur. *Speculator, tit.de libellis dimiſſorijs, nu.*1.*&* 11.

40 Qui dicuntur Apoſtoli dimiſſorij?

Reſp. Quando Iudex à quo, ſcribit litteras dimiſſorias, cū quibus mittit appellationem Iudici ſuperiori. *Speculator, vbi ſup. nu.*1.

41 Qui ſunt Apoſtoli refutatorij?

℞. Quando Iudex a quo, ſcribit litteras ſuperiori ſignificantes ſe noluiſſe admittere appellationem. *Speculator loco allegato, nu.*6.

42 Apoſtoli quomodo debent peti?

℞. Inſtantiſſimè, & in ſcriptis. *Speculator, vbi ſupra num.*12.

43 Elapſo biennio poteſt quis iterum litigare?

Reſp. Si talis habuit cauſam legitimam non litigandi, competit illi reſtitutio integrum, *c.ex ratione, de appellationib.*

44 Intra quot dies debent Apoſtoli peti?

Reſp. Intra triginta dies, ſiue ſint refutatorij, ſiue dimiſorij, ſiue teſtimoniales, aut reuerentiales, aliter nō habebit locum appellatio. *Speculator in tit.de Apoſtolis, & c.nu.*13.

45 In extraiudiciali appellatione debent ne peti Apoſtoli?

Reſp. Affirmatiuè, ſub conditione videlicet ſi ſit Iudex, qui poſſit Apoſtolos concedere, & ſi non ſit Iudex, qui illos dare poſſit, pars appellans debet proteſtare ſe petere, & quòd iterum petet, cum fuerit illi data copia à Iudice, *gl.in c.vt ſemper de appellationib. in 6.littera C.verbo ille.*

46 Quando appellans præſentat appellationem coram iudice, & petit Apoſtolos, ſi iudex nunquam reſpondeat, quid agendum?

Reſp. Cenſetur conſenſiſſe appellationi, & talis iudex non poteſt amplius in tali cauſa ſe itrommittere. *tenet Card.in clem. quamuis de appell.*

47 Quando iudex ad quem facit actum dicens, admitto cauſam appellationis, tunc ſunt ne neceſſarij Apoſtoli, vel conceſſio Apoſtolorum expreſſa?

Reſp. Quod talis pronuntiatio eſt loco conceſſionis Apoſtolorum, & ſic tunc non ſunt neceſſarij, ſed pars gaudet termino Apoſtolorum. *Paulus de Caſtro. ff.de libellis dimiſſorijs in rubr.*

48 Quando neceſſariò debet appellari in ſcriptis?

Reſp. Quando appellatur ab interlocutoria, ſed quādò verè appellatur à definitiua ſententia, ſufficit appellare verbo coram teſtibus dicens appello. *c.*1.*de appellatiouibus, in* 6.*Archidiaconus in d.c.Butrius, de appellationibus, nu.*6.

49 Quæ differentia eſt inter appellationem à definitiua, & inter appellationem ab interlocutoria?

Reſp. Quod appellans ab interlocutoria neceſſariò tenetur appellare in ſcriptis cum expreſſione cauſæ; appellans à definitiua ſufficit appellare verbo coram teſtibus, & non tenetur exprimere cauſam coram Iudice à quo, qui protulit ſententiam; tamen neceſſariò illam debet exprimere coram Iudice ſuperiore ad quem appellat. *c.*1.*de appellationibus, in* 6.*Archidiac.ibi num.*12. *Decius in cap.conſuluit, il* 2.*numero octauo.*

50 Appellans à quocunq; grauamine in generali, vel ob elapſum biennium, quid tenetur agere?

Reſp. Admonito prius tenetur acta omnia ſui expēſis transferri ad Iudicem ſuperiorem, vt ipſe ante inhibitionem faciendam iudici inferiori iudicet an grauamen ſit tale, quòd per ſententiam definitiuam reparari non poſſit. *Triden.ſynod.ſeſſ.*24.*cap.*20.*de reformatione.*

51 Cur Appellans tenetur admonere Epiſcopum, vel eius Vicarium?

Reſp. Vt, ſi velit, poſſit informare Iudicem ſuperiorem, & vt Iudex ſuperior auditis partibus faciat iuſtitiam. *Trid.ſyn.ſeſs.*24.*c.*20.*de refor.*

52 A ſententia interlocutoria quando poteſt appellari?

Reſp. Quando continent grauamen, quod per definitiuam reprobari non poteſt. *gloſ.in l.ff.de recipiendis appellationibus. gloſ.in clem.*1. *de hæreticis, verbo, ipſo iure, capit. cum ſuper de ſententia, & re iudicata.*

53 Quando appellatur ab interlocutoria, quid debet facere appellans?

Reſp. Neceſſariò debet exprimere grauamen, à quo appellat referendo ſe ad acta, & præſentare ſe ante iudicem ſuperiorem, quæ omnia non ſunt neceſſaria, quando quis appellat à definitiua ſententia. *c.vt debitus honor, de appell.*

54 Quando articulus interlocutoriæ eſſet præiudicialis cauſæ principali, poterit ne ab eo appellari ante difinitiuam ſententiam?

Reſp. Legitimè poterit appellari, quia eſt præiudicium factum cauſæ principali; ſicuti eſſet, non admittere teſtes, denegare terminum, parti non ſcribere totam diſpoſitionem delinquentis, vel teſtis iiſdem verbis, quibus ipſe deponit, negare præſentationem ſcripturarum, vel negare defenſiones, veluti negare Aduocatum, vel Procuratorem, vel non facere publicationem teſtium, vel nō dare tranſumptum libelli, vel accuſationis ſuo tempore: hæc omnia, & his ſimilia faciunt tantum præiudicium cauſæ principali ad defenſionem reorum, vt per difinitiuam reparari non poſſint. *l.intra vtile.ff.de minoribus, Barthold. & Bal.in l.arbitrio.ff.qui ſatisdare cogantur. Felyn.in capit. cum cauſa, de ſententia, & re iudicata. numero ſexto.*

55 In cauſa Eccleſiaſtica, ſiue ciuili, ſiue criminali, à quo grauamine poteſt appellari?

Reſp. Solùm à ſententia definitiua, vel à grauamine habente vim definitiuæ. *Trid.ſynod.ſeſs.*24.*c.*20.*de reformat.*

56 Quod

56 Quod eſt grauamen, quod per definitiuam reparari non poteſt, à quo licitè appellari poſſet?

Reſp. Hæc regula ſemper obſeruanda eſt à iudicibus, quod omnis actus irretractabilis, qui ſi mādetur executioni, pars grauata non ſubleuaretur per appellationem, quia iam de præſenti accipit tale damnum, talis actus eſt grauamen habens vim definitiuæ, & ab illo licitè appellatur. *Francus dec. 139. Bar. in l. 2. ff. de appellat. recipiendis, num. 26.*

57 Quæ ſunt iſta grauamina in ciuilibus, & criminalibus?

℞. Indebita incarceratio, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum, tortura, expoliatio, vel ablatio poſſeſſionis, denegatio termini, & alia poſita ſupra nu. 45. & hoc voluit Concilium, quando dixit à grauamine habente vim definitiuę; quia iſta omnia tantum damnum afferunt parti, quantum affert ſententia definitiua; etenim per hanc ſententiam definitiuam tale damnum non reparatur, cum talis actus ſi ſit miſſus executioni, eſt irretractabilis, quia quod ſemel eſt factum, impoſſibile eſt, quod factum non ſit. *c. ſuper eo cap. cum ceſſante, de appellat. Bart. l. 2. ff. de appellationibus recipiendis. Nauar. conſ. 2. eod. tit. de appellat.*

58 Quando quis dicitur indebitè incarceratus, ita vt legitimè poſſit appellare ad ſuperiorem à grauamine incarcerationis indebitæ?

℞. Diſtinguendum eſt, in ciuilibus, quando pars eſt incarcerata pro aliquo debito, & offerat fideiuſſionem, vel pignus ſufficiens pro tali debito, & pro expenſis litis; tunc dicitur indebita incarceratio, & ab ea ante ſententiam diffinitiuam licitè poteſt appellari. *DD. ſuper c. 20. ſeſſ. 24.*

59 In criminalibus quando dicitur iniuſta incarceratio, vt ab illa iuſtè appelletur?

Reſp. Quotieſcumque delictum, pro quo quis eſt incarceratus, habet de iure pœnam pecuniariam, & reus offert fideiuſſionem, vel pignus, vel depoſitum pecuniæ, tunc dicitur iniuſtè incarceratus; quia carcer de iure antiquo eſt cuſtodia reorum, ne iudicium illudatur.

60 Quando delictum habet pœnam corporalem, & ſimul pęnam pecuniariam, tunc ſi quis offerat fideiuſſionem, poterit ne reus appellare ab iniuſta incarceratione?

Reſp. Non, neque talis appellatio admittenda eſt; quia non eſt incarceratus pro pœna pecuniaria, ſed pro pęna corporali, pro qua nullus poteſt fideiubere, quia anima, quæ peccauerit ipſa morietur, & ſicut pater non portat iniquitatem filij, neque contra, ita vnus non poteſt portare pœnam alterius.

61 Quando quis non poterit appellare ab iniuſta incarceratione, licèt delictum habeat pœnam pecuniariam, & offerat fideiuſſionem, vel depoſitum?

℞. Quando iudex iuſtè eum incarcerauit, & nōdum finiuit informationes, & depoſitiones contra eum faciendas; tunc enim licèt appellet, & offerat fideiuſſionem, debet detineri in carceribus, ne teſtes ſubuertantur.

62 Quando Iudex poterit aliquem licitè incarcerare, & detinere in carceribus, etiam ſi appellet ab iniuſta incarceratione?

℞. In ciuilibus quotieſcumq; per ſcripturam, vel per teſtes apparet, quod quis debet ſoluere aliquam quantitatem, vel facere aliud opus mechanicum: veluti aliquod ædificium, vel veſtem, tunc iuſtè Iudex poteſt eum incarcerare, quia nō adimplet, quod promiſit; in criminalibus verò quotieſcumque contra aliquem præceſſit accuſatio partis, vel fiſci, & vnus teſtis, vel legitima indicia, vel quis inuenitur in fraganti delicto, vel in ſuſpecto loco, tunc iuſtè Iudex poteſt eum incarcerare, ſiue tale delictum habeat pœnam corporalem, ſiue pecuniariam, & iuſtè poteſt eum detinere in carcere, vſquequo informationes finiantur, ac teſtes repetantur, & ipſemet ſuā depoſitionem faciat, idque fit, ne iudicium illudatur, & iuſtitia habeat ſuum locum. *DD. in cap. qualiter, & quando, il 2. de accuſationibus, & in capitul. omnipotens, eod. titulo.*

63 Quando quis pro debito ciuili non poterit incarcerari, & ſi incarceretur, iuſtè appellat ab indebita incarceratione?

℞. Primò, quando non eſt obligatus perſonaliter, ſed ſolùm in bonis. Secundò, quando etiam, ſi ſit obligatus perſonaliter poteſt fieri executio in bonis; ratio eſt, quia obligatio perſonalis eſt in ſubſidium; & ſic executio in perſona fieri non debet, ſicut neque excommunicatio; niſi in defectum, vel occultationē bonorum, vt iubetur in *Tridentina ſyn. ſeſſ. 25. cap. 3.* Tertiò, quando quis eſt nobilis, licèt ſit obligatus in perſona, pro debito ciuili non poteſt, neque debet incarcerari, imò ex priuilegio Gothorum, & Regum Hiſpaniæ debent illi reſtituere lectum, in quo dormit, Equum, & arma, quod priuilegium non poteſt renuntiari.

64 Incarceratio datur ne aliquando in pęnam delicti criminalis?

Reſp. Licèt carcer de Iure antiquo fuerit ſolùm cuſtodia reorum, ſed de iure nouo eſt pœna afflictiua corporis, & ideo multoties datur in pœnam delicti; ratio eſt, quia incarceratus amittit ſuam libertatem, conſumit pecunias, nec acquirit de nouo, & patitur plurima incommoda *Couar. practicar. quæſtionum, capit. 11.*

65 Quare priuilegium datum perſonis nobilibus renuntiari non poteſt, & renuntiatio de eo facta eſt nulla?

Reſp. Quia cum priuilegium ſit commune, à particulari renuntiari non poteſt, etiam in propria perſona, ne alijs ferat præiudicium. *Abb. in cap. Apoſtolicam, num. 10. de reg.*

66 Clericus in delictis, & pœna pecuniaria poſita pro delictis poterit nè incarcerari?

Reſp. Poterit incarcerari, quia ſi non poteſt in bonis, debet luere pœnam in corpore, carcere, vel exilio, & ſic appellatio ab eo interpoſita indebitę incarcerationis nulla eſt. *l. fin. ff. de ius vocando.*

67 Clericus pro delicto ciuili, ſi obligatus ſit de bonis, & de perſona, poterit nè incarcerari, ſi bona non ſufficiant ad ſolutionem?

Reſp. Licèt Clericus ſit miles cæleſtis, & nobilis, & gaudeat omnibus priuilegijs alijs nobilibus conceſſis, tamen hæc conſuetudo ſeruatur, quod ſi Clericus ex ſuo genere, & perſona ſit nobilis, non poterit incarcerari, quia gaudet priuilegio, ſicut cæteri nobiles, ſi vero Clericus ex ſuo genere, & perſona non ſit nobilis, poterit incarcerari pro quouis delicto ciuili, ſicut incarcerantur cæteri homines.

68 Si Iudex ſit recuſatus, & declaret ſe eſſe Iudicem competentem à tali pronunciatione, poterit ne legitimè appellari?

Reſp. poterit, quia eſt grauamen portans ſecũ præiudicium, quod per definitiuam reparari non poteſt, *gloſſa in authent. habita, C. ne filius pro patre. Abb. in c. ex parte, il 3. de reſcriptis, nu. 6.*

69 Qui Iudices debent cognoſcere de grauamine indebitæ incarcerationis, vel de alio grauamine, quod per definitiuam reparari non poteſt?

Reſp. Legati, & Nuncij Apoſtolici, Patriarchę, Primates, & Metropolitani. *Trident. ſynod. ſeſſ. 22. cap. 7. de reform.*

70 Tales Iudices ſuperiores, quando cognoſcunt de grauamine indebitæ incarcerationis, vel de alio ſimile, quem ordinem, & ritum debent ſeruare?

℞. In principio non debent inhibere in totum iudicem à quo, ſed debent dare ſuas litteras per tempus limitatum, & iubere, vt intra tale tempus pars appellans ſuis expenſis portet acta, & proceſſus in eo ſtatu, in quo fuit appellatum, & viſis actis, ac auditis partibus debent iudicare, an tale grauamen ſit reparabile per definitiuam, vel non exiſtente ſemper parte appellante incarcerata; & ſi inuenerint dictum grauamen non eſſe grauamen, vel caſu dato, quòd ſit grauamen, poſſe tamen reparari per definitiuam, in iſto caſu debent remittere proceſſum ad Iudicem, à quo fuit appellatum cum ſua declaratione, vt faciat iuſtitiam. *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 7. cap. Romana de appellat. in 6.*

71 Si dicti iudices ſuperiores iudicauerint appellationem ab indebita incarceratione eſſe iuſtam, quia talis non debebat eſſe incarceratus, vel quia probauit ſuam innocentiam, vel quia delictum, quod commiſit, eſt leue, & non habet pœnam corporalem, & tale grauamen, vel aliud oppoſitum non poſſe reparare per definitiuam, tales Iudices quid debent agere?

℞. Debẽt declarare incarcerationem eſſe iniuſtam, iubere, vt talis excarceretur, & tale grauamen, vel aliud oppoſitum irreparabile eſſe per definitiuam, & ſic appellationem fuiſſe iuſtam, *capit. Romana, de appellationibus, in 6. & capitul. 7. ſeſſion. 22. Conc. Trident.*

72 Si Metropolitani, & dicti Iudices ſuperiores iudicent, appellationem eſſe iuſtam, & grauamen illatum à Iudice à quo eſſe irreparabile per definitiuam, poterunt ne in iſto caſu retinere ſibi cauſam principalem, & eam auferre à Iudice ordinario à quo?

℞. Non poterũt retinere ſibi cauſam principalem. primò, quia in *Conc. Trident. ſeſſ. 22. c. 7.* expreſsè iubetur, vt dicti iudices obſeruent Conſtitutionem Innocentij IV. quæ incipit, Romana, & in dicta conſtitutione iubetur, vt dictus iudex declarato grauamine remittat cauſam principalem, ſuper quam nondum eſt ſententiatum ad Iudicem à quo, vt eam ſententiet. Secundo, quia ſi Metropolitanus, vel dictus Iudex ſuperior poſſet ſententiare grauamen, & retinere cauſam principalem, haberet duas inſtãtias, nempe ordinariam, & Metropolitani, quod in toto iure ſibi non eſt conceſſum, imò prohibitum in d. c. Romana. Tertiò, quia ſi ipſe haberet, & ſineret ſibi duas inſtantias, cùm ſit vna, eademque perſona, tolleret refugium appellationis. Quartò, quia hoc expreſsè eſt contra diſpoſitionem *Concilij Trid. ſynod. in cap. 20. ſeſſ. 24.* vbi diſponit, quòd cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in prima inſtantia terminentur coram Ordinarijs locorum dumtaxat. Quintò, quia Metropolitanus, & dicti iudices ſuperiores non ſunt iudices ordinarij locorum in diœceſibus ſuffraganeorum, ſed tantùm ſunt iudices in caſibus à iure expreſſis, ſcilicet in illo articulo interloquutorio, in quo ad illos legitimè fuit appellatum, & cum cauſa principalis nondum fuerit ſententiata, neceſſariò debet remitti ad Epiſcopum ordinarium, vt eam ſententiet. Sextò, quia Romanus Pontifex, & Rota Romana quotieſcumque ad eos appellatur de aliquo grauamine, vel articulo interloquutorio, numquam ſibi retinet cauſam principalem, ſed eam remittunt Ordinario locorum, obſeruando. *c. 20. ſeſſ. 24. & c. 7. ſeſſ. 22. & tex. in cap. Rom. de appell. in 6.*

73 Si Metropolitanus, vel Superior habeat conſuetudinem immemorabilem, ſtilum, vel priuilegium cognoſcendi de grauamine, & ſimul retinendi ſibi cauſam principalem, ſuffragatur ne eis?

℞. Non, quia talis conſuetudo immemórabilis ſublata eſt per *Trid. ſyn. ſeſſ. 22. c. 7.*

74 A Vicario Epiſcopi poteſt ne appellari ad Epiſcopum?

Reſp. Si Vicarius eſt generalis, appellandum eſt ad Metropolitanum, quia Vicarius generalis, & Epiſcopus vna, eademque perſona cenſetur, ſi verò appelletur à Vicario foraneo, poteſt ad Epiſcopum appellare. *Gloſſa in capit. Romana, de appellationibus, in 6.*

75 Quando appellans à ſententia definitiua tenetur exprimere cauſam ſuæ appellationis, & eam probare?

Reſp. Quando ſententia definitiua ita eſt iuſtificata, vt de iure debeat exequutioni mandari, non obſtante appellatione, vt eſt in delicto notorio, & in cõuicto, & confeſſo, in quibus de iure non admittitur appellatio, tunc appellans tenetur exprimere cauſam, & probare, quòd confeſſus eſt per timorem, vel in tormentis, vel quòd teſtes, cum quibus fuit conuictus, non ſunt idonei, *gloſ. in c. Romana, de appellationibus in 6.*

76 Iudex Metropolitanus, vel alij Iudices ſuperiores, ad quos appellatur, cum quibus perſonis acquirunt iuriſdictionem?

Reſp. Solùm acquirunt iuriſdictionem inter appellatum, & appellantem; nam reliquas perſonas debẽt relinquere in poteſtate ſuorum Ordinariorum; *gloſſa in c. Romana, de appell. in 6.*

77 Quis debet pronunciare appellationem deſertam Iudex à quo, vel Iudex ad quem?

℞. Si proceſſus fuit deductus ante Iudicem ad quẽ, & in tempore à Iure ſtatuto nõ fuit ſequutus à parte appellante, tunc ipſe Iudex ad quem ad petitionem partis appellatę pronunciat appellationem deſertam; ſi autem appellatum fuit coram Iudice à quo & nulla alia fuit facta diligentia, ipſe Iudex à quo pronunciat appellationem deſertam. *c. perſonas, cap. ſæpè contingit, de appell.*

78 Si appellans intra terminum ſibi præſcriptum iuris non ſequitur ſuam appellationem, quam pęnam incurrit?

℞. Debet parere ſententiæ, & ſoluere parti expenſas,

ſas,*c.perſonas, c.ſæpè contingit, c.reprehenſibilis, de appellationibus*.

79 Appellans ſi non ſequitur ſuam appellationem, quid de eo præſumitur?
Reſp. Quod ſententia prima fuit iuſta,& quòd non habuit iuſtam cauſam appellandi, & tunc iuſtè pronuntiatur ſententiam deſertionis. *tenet Abbas in cap. cum dilecti,de dolo,& contum.nu.3.*

80 Si quis appellat extraiudicialiter, tenetur ne aduerſarius eius comparere in iudicio?
Reſp. Non tenetur comparere, donec per citationem ſibi factam legitimè conſtet illi de ſua appellatione. *tenet Abbas in cap.cum dilecti,de dolo,& contumacia.num.11.*

81 Si quis non appellat,nec iudicialiter,neque extra iudicialiter, & poſt ſententiam latam abripit iter ad Papam,vel ad Metrop. vel iudicem ſuperiorem trāſacto termino decem dierum, videbitur nè conſenſiſſe ſententiæ?
Reſp. Non,imò videtur legitimè,& expreſsè appellaſse; ratio eſt,quia factum pro verbis reputatur, & in iſto caſu,ſi ſententia deſertionis feratur,nulla erit, ſi appellans ſe præſentauit in tempore habili,ſcilicet vnius anni coram Summo Pont. vel ſuperiori. *tenet Abb.in c.cum olim,de dolo, & contumacia.nu.6.*

82 Appellationes deſertæ reuocant nè attentata?
Reſp. Si geſta ſint ante deſertionem reuocant,ſi verò fiant poſt deſertionem, non reuocantur per appellationem deſertam.

83 Agens ad reuocationem attentatorum debet ne docere de bono iure?
Reſp. Non eſt neceſſarium.

84 Si quis appellet coram Iudice, & poſtea facit actum coram ipſo ſine proteſtatione,videtur ne recedere à ſua appellatione?
Reſp. Affirmatiuè. *cum veniſſet,de teſtibus.num.1.*

85 Ab appellatione deſerta poteſt quis in eadem cauſa iterum appellare?
Reſp. Poteſt, ſi grauetur. *Abb.c.directæ, de appellationibus, num. 1.*

86 Deſerta appellatione tenetur ne Iudex de nouo citare partes ad exequendam ſententiam?
Reſp. Non. *Abb.cap. directæ citato.de appellat. numero 7.*

87 Si quis non appellauit legitimè, ad quem remittitur negotium?
Reſp. Ad iudicem à quo, & condemnatur in expenſis. *Abb.in c.vt debitus honor,de appel.num.5.*

88 Si appellatus compareat, quid agendum de expenſis?
Reſp. Si vellit vti illo proceſſu,debet ſoluere medietatem appellanti. *Trid.ſynod.ſeſſion.24.c.20.de reformatione.*

89 Notarius tenetur ne dare acta originalia appellanti?
Reſp. In prima inſtantia non, niſi ſit in actis aliqua ſuſpicio falſitatis; & tunc viſis actis per iudicem ſuperiorem tranſmitti debent ad iudicem primæ inſtantiæ, vt in ſuo archiuio conſeruentur.

90 Archiepiſcopus in diœceſi ſuffraganei ſui poterit determinare cauſas ad ſe relatas per appellationem?
Reſp. Poterit tàm per ſe, quàm per Vicarium, & Delegatum, & ad id poterit deputare Nuncium, Fiſcum, & Notarium, omniaque neceſſaria ad iuriſdictionem exercendam. *capit.vt litigantes. in 6.de offic ordinarij.*

91 In cauſis viſitationis, aut correctionis datur ne appellatio?
Reſp. Solùm quòad effectum deuolutiuum,non autem ſuſpenſiuum. *Trid.ſyn.ſeſſ.24.c.20. de reformat. ſeſſ.13.c.1. de reform.*

92 Appellatio ab excommunicatione poſt ſententiā latam ſuſpendit ne effectum?
Reſp. Non, quia ſententia, niſi ſit conditionalis, portat executionem paratam.

93 Si quis appellauit ante notificationem ſententiæ excommunicationis, erit ne vitandus?
Reſp. Non,quia talis appellatio habet effectum ſuſpenſiuum,& non deuolutiuum,& talis non punitur, ſi celebret.*Decius,& Abb. in cap.ad præſentationem noſtram. de appellat.1.& 2.*

94 Talis appellatio habet ne effectum ſuſpenſiuum?
Reſp. Habet,quia legitimè appellauit, & talis non erit euitandus?

95 A ſententia, & mandato de reſidendo, poteſt ne appellari?
Reſp. Non, obſtante quacumque inhibitione, vel appellatione debet exequi tale mandatum. *Trid.ſyn. ſeſſ.23.c.1.de reform.*

96 Appellatio in cauſa reſidentiæ regularibus interpoſità, debet ne admitti?
Reſp. Talis cauſa,remota omni appellatione terminatur. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.13.de regul.*

97 In crimine concubinatus appellatio debet nè admitti?
Reſp. Ordinarius procedere poteſt appellatione nō obſtante. *Trid.ſyn.ſeſſ.25.c.14.de refor.*

98 Religioſus à correctione Prælatorum poteſt ne appellare?
Reſp. Si correctio fiat ſecundum ſtatuta regulæ, nòn;ſi verò excedat,benè poterit. *c.ad noſtram,de appel.c. quia nos.c.eod.tit.*

99 A iudice arbitro poteſt ne appellari?
Reſp. Non, quia arbiter inuentus eſt ad tollendas lites,& ſic ab arbitris nō datur appellatio, imò ſemper in ſcriptura ponitur pœna appellanti. *l.1.C.de arbitris.*

100 In notorio delicto poteſt ne appellari?
Reſp. Non,quia notorietas eſt loco probationis, *c. conſuluit, il 1.de appellat.*

101 A Papa, Rege, vel Senatu poteſt ne appellari?
Reſp. Non,propter excellentiam perſonæ,& ſupremam poteſtatem. *l.1.ff.à quibus appellare non licet.*

102 Si partes paciſcantur, quòd à ſententia alicuius Iudicis non debeant appellare,poſtea poſſunt appellare?
Reſp. Non. ff. à quibus appellare non licet.

103 Si quis eſt contumax in ſoluendo, poterit ne appellare?
Reſp. Poterit,quia præſumitur non habere. *l. creditor.§.miſſus ff. de appell.*

104 A futuro grauamine poteſt ne generaliter appellare?
Reſp. Affirmatiuè;quia de grauamine facto,& non faciendo appellandum eſt,quia forte non fiet, & ceſſante cauſa ceſſat effectus,ſi fortè fiat grauamen,benè appellatum fuit,licet etiam poſtea ſit,iterum appellandum. *Abb.& Innoc.in c.conſuluit.il 2.n.4.de appel.cum ceſſante, eod.tit.*

105 Appellatio iudicialis, vel extraiudicialis poteſt annullari per pactum?
Reſp. Poterit, quia quilibet agit de ſuo damno.

106 A ſententia deſertionis poteſt nè appellari?
Reſp. Poteſt. *Bar.l.2.C.de Epiſcopali audientia.*

107 Intra quot dies tenetur appellans comparere ante Iudicem?
Reſp. Intra triginta,aliàs appellatio eſt nulla. *Trid. ſyn.ſeſſ.13.c.3.de reform.*

108 Si iudex admittat articulos iniuſtos, vel iuſtos,& non admittat ad probationem faciendam, poterit ne appellari?
Reſp. Poterit. *Francus in c.interpoſitas.nu.4.de appellation.Maſcar.de prob.conſ.131.nu.5.*

109 Si iudex deneget copiam actorum,poterit ne appellari?
Reſp. Poterit.*l. 2.C.vt lite pendente. Azeued.lib.3. titul. 18. lib.4.* quia negatur arma neceſſaria ad ſuam defenſionem.

110 Per appellationem vnius articuli ſuſpenditur ne iuriſdictio in reliquis articulis?
Reſp. Affirmatiuè,& in tota cauſa.*c.meminimus.cap. conſuluit, il 1.de appellat.*

CAPVT XXXI.

De Confirmatione vtili, vel inutili.

1 QVid eſt confirmatio?
Reſp. Eſt iuris priùs habiti corroboratio, ſicut fuit,quando poſt legitimam appellationem prima ſententia per ſecundam confirmatur,*c.inter dilectos,de fide inſtrumentorum,& Hoſt.in ſum.tit.de confir. vtil.vel inutil.*

2 Si quis regularis petat à Papa reſcriptum adminiſtrandi iuſtitiam in temporalibus,& criminalibus, valebit ne?
Reſp. Si non expreſſit ſe eſſe regularem,non valebit tale reſcriptum: ſi verò expreſſit,poteſt contra illud opponi eſſe ſubreptitium, quia Papa non conſueuit hoc concedere; quod ſi certè conſtat de voluntate Papæ,tunc valebit,& debet executioni mandari. *cap. ad noſtram de confirmatione vtili, vel inutili.*

3 Quotuplex eſt confirmatio?
Reſp. Duplex,vna in forma communi,alia ex certa ſcientia. *Abb.c. venerabilis. eod.tit.num.3.*

4 Confirmatio in forma communi, quid operatur?
Reſp. Dat aliquam habilitatem maiorem contractui, ſed non ſupplet defectus, nec dat maius partibus,quam illud, quod habent iure abſque confirmatione. *Abb. c.venerabilis,eod.tit.num.1.*

5 Confirmatio ex certa ſcientia, quid operatur?
Reſp. Summam firmitatem, quia talis contractus firmatus ex certa ſcientia tenet,& valet, etiã ſi aliàs aliqua de cauſa non haberet. *dicto capit. venerabilis.*

6 Quando in aliqua ſcriptura,tranſactione,vel contractu inter Epiſcopum,& canonicos, vel inter alios ponitur,vt debeat à Summo Pontifice confirmari,de qua confirmatione intelligitur?
Reſp. De confirmatione ex certa ſcientia,& non de confirmatione in forma communi, quia illa ſupplet omnes defectus. *Abb.in dicto cap.venerabilis.nu.3.iſto titulo.*

7 Sententia arbitrorum lata contra formam iuris, vel contra, vel extra formam mandati, valet ne?
Reſp. Non, etiam ſi fuerit confirmata à Summo Pontifice in forma communi, quia fines mandati diligenter ſeruandi ſunt;& confirmatio Papę in forma communi nihil operatur, cum non præſumatur Papam velle facere aliquid contra Ius, niſi in forma ſpecialiter illud exprimat. *Abb. in c. examinata. eod. tit. num. 2.*

8 Si Papa confirmauerit aliquam ſententiam, vel ius, Iudex inferior poterit de ea cognoſcere?
Reſp. Non, niſi confirmatio fuerit inutilis, & cum lite pendente, non faciendo mentionem de lite,cum per priuilegium impetratum, vel confirmationem numquam præſumitur,quod Papa,vel Princeps velit alicui tollere ſuum ius, ſed iuſtitiam æqualiter omnibus abſque exceptione perſonę ſeruare. *cap.1. eod. titulo.*

9 Si quis petat confirmationem alicuius ſententiæ, & taceat appellationem erit ne vtilis, & bona confirmatio, vel non?
Reſp. Erit inutilis cõfirmatio, quia tacuit rem maximè neceſſariam,& ſic erit confirmatio ſubreptitia. *Abb.in c.bona, eod.tit.num.1.*

10 Confirmatio alicuius rei,puta,poſſeſſionis, vel legitimationis, poteſt peti à poſſidente nullo inſtigãte, neque petente, neque moleſtante?
Reſp. Non, quia inducit ſuſpicionem, & malam fidem, & ideò ſolent aduocati vti petitione iactantiæ dicentes, Petrus ſe iactat meum agrum eſſe ſuum, volo de hac re cum eo contendere.*Abb.cap.1.eod.tit. num.13.*

11 Innouatio priuilegij dat ne nouum ius?
Reſp. Non, neque diminuit,ſed conſeruat ius,quod prius illi competebat. *c.cum dilecta, eod.tit.*

12 Priuilegium,quod legi non poteſt, debet ne renouari?
Reſp. Non,ſi legi non poteſt;debet renouari,ſi legi poteſt cum difficultate, quia in tranſumptione requiritur ſumma veritas,& vniformitas, & ſi non poteſt legi originale,non poteſt renouari.*Abb.vbi ſup. num.16.*

13 Vbi plures lecturæ, & interpretationes colligi poſſunt ex vno textu, quæ eſt amplectenda?
Reſp. Illa, quę magis conuenit rubricę, vel titulo. *Abb.c.bona,eod. tit.num.5.*

14 Legatus à latere poteſt confirmare aliquid in præiudicium diœceſani?
Reſp. Non, neque facere Eccleſiam ſæcularem, religioſam,nec vnire duas Eccleſias,neque vnam alteri concedere,nec alienare rem acceptatam ad Romanum Pontificem,neque diuidere vnum Epiſcopatum in duos. *Abbas capit. final. eodem titulo, numero quarto, quinto, & ſexto.*

CAPVT

CAPVT XXXII.

De Recuſationibus.

1 QVid eſt recuſatio?
Reſp. Eſt proponere,& habere aliquam cauſam ſufficientem, propter quam Iudex ſit ſuſpectus parti. *Speculator, in rub. de recuſatione.*

2 Qui Iudices poſſunt recuſari?
Reſp. Omnes tàm ordinarij,quàm delegati. *cap.ad hæc,il 1.de appellationib.c.ſi quis, de foro comp.*

3 Quę ſunt cauſę recuſationis?
Reſp. A iure non ſunt expreſſę,ſed relinquuntur arbitrio Iudicis:tamen DD.aliquas ponunt; nempè, ſi Iudex eſt conſanguineus, vel fuit aduocatus partis, vel fecit aliquam iniuriam parti,vel accepit ab eo,ſi ſit aliqua cauſa,ob quam quis poſſit reputari inimicus partis, ſi declarauit ſuum votum, ſi fauet vni parti,& non alteri.*c.poſtremò.de appell. & Abb.c.cum ſpeciali.eod.tit. num.7.*

4 Cauſę recuſationis coram quo Iudice debent proponi?
Reſp. Coram Iudice recuſato, ſed probari coram arbitris,vel Iudice ſuperiori,ſicut fit in Conſilijs Hiſpanię; ratio eſt,quia iudex recuſatus non poteſt cognoſcere,de ſua propria cauſa. *c.ſecundo requiris.cap. cum ſpeciali.de appellat.Abb.in c.inter monaſterium,de ſent. & re iud.*

5 Quis debet eligere hos arbitros, vt iudicent cauſam recuſationis?
Reſp. Ipſe partes,& Iudex. *cap.ſecundo requiris.§.3. eod.tit.de appell.& ibi gl.verbo coram.*

6 Quis debet cōpellere partes, vel eligant arbitros, & conueniant in eos?
Reſp. Iudex, & ſi intra legitimum tempus id non fecerint,Iudex procedit. *Abb.in c.2.requiris,de appellationibus.*

7 Si quis proponat plures exceptiones contra Iudicem, & recuſatur, tenetur ne omnes probare?
Reſp. Non, ſed ſufficit probare vnam. *c.ſignificauit, eod.tit. de appel. & ibi gl.*

8 Si quis recuſauit Iudicem in vna cauſa, manet ne recuſatus in alia cauſa diſtincta?
Reſp. Manet, quia eadem ratio eſt. *cap.ſignificauit, de appellat.*

9 Quis debet ſoluere expenſas in negotio recuſationis?
Reſp. Pars recuſans, & debet eas depoſitare.

10 Si Iudex habeat cauſam ſimilem cum aliquo ante alium Iudicem, ex hoc poterit ne recuſari?
Reſp. Poterit, & debet dari alius Iudex; ratio eſt, quia præſumitur, quòd erit fauorabilis nimis tali parti, & etiam ſi prius fuit aduocatus, & poſtulauit pro ſimili caſu, poterit recuſari, quia pręſumitur, quòd non ſententiabit contra ſuam opinionem, & allegationem, ſed rarò inueniuntur duę lites, quę in omnibus habeant identitatem,& ſimilitudinem. *cap. cauſamque, il 2. de iudicijs.*

11 Si iudex recipit teſtes ante litis conteſtationem, poterit nè recuſari?
Reſp. Poterit, & etiam ſi cognoſcat de exceptionibus peremptorijs ſimul cum cauſa principali. *c.exhibita, de iudicijs.*

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS CONTINENS MATERIAS LIBRI TERTII DECRETALIVM,

De quibus hactenus non eſt Tractatum.

CAPVT PRIMVM.

De Prębendis, & Dignitatibus.

1 VNde dicitur præbenda? Reſp. A præbeo, quia præbet, & dat canonico habenti præbendam, victum, veſtitum, & congruam ſubſtentationem ſibi, ſuis famulis, & ſuis conſanguineis, ſi non ſint diuites.

2 Quotupliciter ſumitur hoc nomen, præbenda? Reſp. Dupliciter. Primò, largo modo, pro quacumque portione, vel vtilitate, quam quis ratione paupertatis, vel iuris patronatus recipit de bonis Eccleſiæ. Secundo, ſumitur pro portione, quæ debetur canonicis ratione ſui canonicatus, & ideò vocantur canonici præbendati, & iſto modo ſumitur in hoc titulo, *vt in cap. cum M. Ferrarienſis, de conſtit. in gl. ver. receperunt.*

3 Quid eſt præbenda? Reſp. Eſt quoddam ius, quod competit alicui canonico, percipiendi fructus in aliqua Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, tamquam vni de collegio, vt habetur *in c. relatum, de præbendis, & dignit.*

4 Præbenda, & Canonicatus in quibus rebus conſiſtunt? Reſp. In tribus, in groſſa, in diſtributionibus quotidianis, & in manualibus.

5 Quæ dicitur groſſa præbendę? Reſp. Sunt omnes fructus, introitus, & prouentus, ſiue in pecunia numerata, ſiue in tritico, vino, & oleo & fructibus terrę, qui prouentus, ſeu groſſa datur canonicis ſingulis annis, ſimul in vna, vel pluribus ſolutionibus, & ſic tota groſſa, veluti mille aureorum, quæ pertinent ad vnum canonicum in toto illo anno vocatur maſſa, groſſa, ſeu præbenda.

6 Canonici quanto tempore lucrantur groſſam, ſeu maſſam ſuæ præbendę? Reſp. De hoc non poteſt generaliter certa regula aſſignari; quia hoc conſtat ex conſuetudine, vel ſtatuto cuiuſcumque Eccleſię; nam in aliquibus Eccleſijs canonici lucrantur dictam maſſam, & groſſam in reſidentia vnius diei, veluti in die ſancti Michaelis, & eius vigilia incipiendo à ſonu cāpanæ, ſeu ad Veſperas dictæ Vigilię, ita quod ſi aliquis canonicus moriatur poſt dictum ſonum Veſperarum lucratur totam maſſam, & præbendam anni venturi, in alijs Eccleſijs canonici lucrantur dictam groſſam per reſidentiam continuatam, vel diſtinctam trium menſiū, vel quatuor menſium, & ideò quando conſuetudo Eccleſiarum eſt varia, ſecundum eorum ſtatuta illa eſt obſeruanda.

7 Hæc groſſa præbendæ, quomodo ſolet vocari? Reſp. In aliquibus Eccleſijs in Hiſpania vocatur veſtuarium, quia datur hæc groſſa ad hoc, vt canonici ſe induant veſtibus, & emant ſupellectilem cōgruam ſecundum ſuam dignitatem.

8 Vnde ſumitur hæc prębenda, ſeu groſſa, maſſa, vel veſtuarium, & quomodo diuiditur? Reſp. Sumitur ex omnibus fructibus, redditibus, & bonis, & prouētibus illius Eccleſię, & poſtquam ſunt locati, vel beneficiati, per œconomos Eccleſię in vnam maſſam, & corpus colliguntur, & poſtea ęqualiter diuiduntur inter omnes canonicos, ita quod non detur maior pars, neque minor vni, quàm alteri, ſed omnes æqualem partem recipiant in quantitate, & qualitate, & ratio eſt, quia omnes æqualiter ſeruierunt, & ideò ęqualem portionem debent percipere, cum omnes ſint ęquales, & in aliquibus Eccleſijs eſt conſuetudo, vt fiant tot ſchedulę, quot ſunt canonici, & ſorte quiſque percipiat, quod ſuum eſt. *Abbas capitul. extirpanda, de præbendis, & dignitat. numero 1.*

9 Quare fructus, & redditus Eccleſię dantur, & diſtribuuntur in ſubſtentationem canonicorum? Reſp. Quia bona Eccleſię ſunt communia ad ſubſtentationem, & reparationem ipſarum Eccleſiarum & ad ſubſtentationem Epiſcoporum, canonicorum, miniſtrorum, & pauperum, & ſic de bonis Eccleſiæ, nemo debet vti tamquam de re propria, & hereditaria, ſed tamquam de ſanguine Ieſu Chriſti, de quibus latè diximus, *libro quinto, capitul. de bonis Clericorum, & eſt text. in capitul. ratio nulla, de præbendis.*

10 Diſtributiones quotidianę quid ſunt, & vnde ſumuntur? ℞. Eſt quędam pecunia taxata in certa quantitate pro ſingulis horis, veluti in prima diſtribuitur inter reſidentes vnum aureum, & ſic in ſingulis horis, &

Cano-

Canonici lucrantur has diſtributiones reſidēdo perſonaliter in qualibet hora, ita quòd ſi vnus Canonicus non aſſiſtit, alter lucratur partem illius, qui perdidit, ſicut latè diximus *lib. 4.c.42.de deſtributionibus quotidianis, & habetur in Conc. Trid. ſeſs. 24.c.12. & ſeſſ.25.c.3.de refor.*

11 Manualia, quæ vocantur?
Reſp. Manualia ſunt diſtributiones incertæ, quę dātur Canonicis pro aſſiſtentia, & reſidentia in aliquibus officijs, & miſſis relictis à fidelibus defunctis, & dicuntur manualia, quia ſæpè dantur ibi ad manum, vel ſingulis menſibus, vel hæbdomadis ſecundum conſuetudinem cuiuſcumq; Eccleſiæ.

12 Manualia in qua differentia ſunt?
Reſp. In dupplici differentia, aliqua ſunt certa, aliqua incerta, & quæ ex aliquo accidenti proueniūt, vt eſt ſepelire defunctum, recitare officium defunctorum pro vna vice; alia manualia ſunt certa ſingulis annis, ſicut cum aliquis fidelis relinquit agrum, vel cenſus, vt illi dicantur ſingulis annis tot officia defunctorum.

13 Quis Canonicus lucratur iſta manualia?
Reſp. Canonicus præſens, & abſens ea amittit, & debet videre inſtitutiones, & teſtamenta, quæ ea reliquerunt, quia in aliquibus teſtamentis dicitur, quòd non poſſint ea lucrari infirmi, neq; abſentes etiam pro negotijs Eccleſiæ, & tunc ſeruanda eſt ad vnguem inſtitutio, & vltima voluntas teſtatoris?

14 Quæ differentia eſt inter groſſam, ſeù veſtuarium, & diſtributiones quotidianas, & manuales?
Reſp. Primò, quia de groſſa omnes percipiunt æqualem quantitatem, de diſtributionibus quotidianis, & de manualibus non omnes precipiunt æqualiter, ſed quilibet ſecùndum tempus ſuæ reſidentiæ. Secundò. groſſa, ſeu veſtuarium lucratur à canonicis in vno die, vel in tempore paruo, vel limitato trium, vel quatuor menſium; diſtributiones vero quotidianas, & manualia lucrantur per totum annum.

15 Præbenda poteſt ne reuocari, vel reſignari?
Reſp. Præbenda, vt dicit Canonicatum, & dignitatē poteſt permutari, & reſignari, ſicut cætera beneficia, non auctoritate propria, ſed auctoritate ſuperioris, & propter cauſam legitimā, vt habetur in *cap. maioribus, de præb. & dignit.*

16 Quis poteſt augere in Eccleſia Cathedrali prębēdas, & fructus Canonicorum, & dignitatum?
℟. Si præbendæ ſint tenues, & Eccleſiæ Cathedrales inſignes, Epiſcopus tanquam ſedis Apoſtolicæ Delegatus poteſt augere dictas præbendas, vniendo eis beneficia ſimplicia, & capellanias, ſed debet relinquere, qui ſatisfaciant miſſis, adimpleantq; onera poſita in ſua fundatione, ne ſuffragijs defraudetur. *c.expoſuiſti, de præb. & dign. & Conc. Trid. ſeſs.24.c.15.de refor.*

17 Epiſcopus poteſt minuere numerum Canonicorum, vt cæteri ditiores fiant, vel vt applicetur præbenda illius Canonici fabricę Eccleſiæ.
Reſp. Si præbendæ ſint tenues, poterit minuere numerum Canononicorum, vel applicare aliquam portionem fabricæ, ſi ſit pauper, ſed debet facere certiorem Summum Pont. vt confirmet talem ſuppreſſionem, & eam debet facere de conſenſu capituli. *Conc.Trid.ſeſs.24.capit.15.citat.*

18 Si vna prębēda ſit groſſa, poterit ne diuidi in duas?
Reſp. Poterit, cum vacauerit, diuidi in duas Epiſcopo, ſi ſit ſufficiens ad ſubſtentationem duorum; ratio eſt, quia Eccleſia meliùs ſeruitur per duos miniſtros, quam per vnum, & debet fieri certior Summus Pont. c.vacante, de præb. licèt regulariter præbenda diuidi non debeat, cum in maiori præbenda homo maioris auctoritatis, & ſcientiæ reſideāt, qui dat eleemoſinas, & prodeſt Eccleſiæ, vt habetur *in c.maioribus, de præb. & dign.*

19 Quid debet Epiſcopus conſiderare in facienda diuiſione præbendæ?
Reſp. Primò, quòd præbenda ſit nimis pinguis. Secundò, quòd per vnum non bene ſeruiatur. Tertiò, quòd cuique detur congrua ſubſtentatio, & nihilominus raro, vel nunquam debet fieri talis diuiſio; ratio eſt, quia in Eccleſia Dei ſunt neceſſariæ prębendæ pingues, vt homines magnę auctoritatis in genere, ſanguine, & litteris congruè ſubſtententur, & defendant fidem Catholicam ab hereticis, & Eccleſiam Dei, ſicut in bello quæruntur milites nobili genere nati, qui libentiùs ſe periculis obijciunt pro ſuo Regē, ſic in Eccleſia Dei homines ſcientijs imbuti, & ex nobili genere nati libentiùs pro fide fundunt ſanguinem *capit. vacante de præbendis, & de diuiſione beneficiorum diximus libro quarto, capit. 50. numer. 33.34. & 36.*

20 Si præbenda iniuſtè diuidatur, quid debet fieri ad eius integrationem?
Reſp. Debet iuridicè ante ſuperiorem peti damnum ab Epiſcopo diuidēte, quo probato tenetur illam reintegrare, ſicut prius erat, *vt tenet Abb. in c.cum cauſam, de præb. & dig. nu.5.*

21 Dignitas Eccleſiaſtica quid ſignificat?
Reſp. Eſt quędam excellentia, quam aliqua perſona eccleſiaſtica habet ſuper aliquos clericos, quæ ſæpè ſępius vocatur in iure perſonatus, & ſemper datur cum aliquo particulari officio, tanquam perſonæ maioris confidentiæ, vt habetur *in c.adminiſtratoris, 23.quæſt.5.*

22 Hoc nomen, dignitas, quas ſignificationes habet?
Reſp. Plures. Primò ſignificat præeminentiam, & excellentiā ſecularem, quam habent Imperatores, Reges, & Principes. Secundò, ſignificat dignitatem cuiuſcumque Iudicis. Tertiò, quamdam præeminentiam Eccleſiæ militantis. Quartò, prærogatiuum officium, & perſonatum alicuius perſonæ Eccleſiaſticę in dignitate conſtitutę, velùti cum nominatur Decanus, vel Archidiaconus, *cap.adminiſtratores, 23. quæſt.5.*

23 Dignitas, perſonatus, & officium, in quo differunt?
Reſp. Iſta in iure ſunt ſynonyma, & idem ſignificant; nam quælibet dignitas habet prærogatiuam, & perſonatum magis dignum, quam alia dignitas, & habet aliquod officium diſtinctum in Eccleſia, ad quod fuit ſpecialiter inſtituta talis dignitas. *c.cum acceſſiſsent, de conſtitutionibus, & Abb. cap. de multa, iſto tit.nu.21.*

24 Quælibet dignitas eccleſiaſtica, in quo cognoſcitur, & diſcernitur ab alijs dignitatibus?
Reſp. Aliquando in officio particulari, quod tali dignitati ſoli incumbit, vt Decano competit congregare capitulum, aliquando in præcedentia in choro, & capitulo, vt Archipresbyter, qui præcedit omnes Canonicos, & presbyteros, aliquando in adminiſtratione alicuius officij, vel fructus Eccleſiæ,

& hæc

& hæc adminiſtratio eſt quædam præeminentia, & dignitas. *tenet Archidiac. in cap. 1. de conſuetudine, libro 6.*

25 Quare in Eccleſia Dei inſtitutæ ſunt dignitates ſuperiores, & inferiores?
Reſp. Vt Eccleſia militans imitetur triumphantem, in qua diſtincti ſunt Angelorum chori, & etiam, vt adiuuent Epiſcopum in regimine, & adminiſtratione Sacramentorum. *Trident. ſyn. ſeſſion. 23. cap. 17. & canon. 6.*

26 Dignitas extinguitur ne aliquando morte obtinentis?
℞. Non, ſed eſt perpetua, & tranſit in alium ſucceſſorem legitime intrantem. *tenet Archid. in c. 1. de conſuetudine, lib. 6.*

27 In dignitatibus, canonicatibus, & beneficijs ſucceditur ne Iure ſanguinis?
Reſp. Non, ſed Iure virtutis, & litterarum; nam in ſpiritualibus nō habent locum hæreditarium ſucceſſionis, & ſic ſemper quærimus ſucceſſorem Petri piſcatoris, & non Cæſaris Imperatoris, *c. 1. c. venerabilis, de præb. & dign.*

28 Legata relicta alicui dignitati pereunt nè cum perſona obtinente dignitatem?
Reſp. Non, ſed tranſeunt ad ſucceſſorem ſicut ipſa dignitas, ſi relicta ſint nomine dignitatis, & non nomine Petri. *Abb. in c. ſignificauit de reſcrip. nu. 4.*

29 Dignitates in quo Iure debent eſſe docti, & vnde debent alere ſe, & famulos ſuos?
Reſp. Regulariter debent eſſe docti in ſacra Theologia, & in Iure canonico ſecundum qualitatem perſonæ, & de fructibus ſui beneficij debent alere ſe, ſuos famulos, & ſuos conſanguineos ſecundum qualitatem perſonarum; dignus enim eſt operarius mercede ſua, & in Eccleſia Dei omnes ſunt æquales. *tenet Abbas in capit. extirpandę, de prębend. & dignit. numero 3. & 4.*

30 Poteſt ne quis habere duas dignitates, vel duas Eccleſias?
Reſp. Non ſine diſpenſatione Apoſtolica. *c. quia in tantum, c. præterea, de pręb. & dign.*

31 Per additionem ſecundę dignitatis, vel beneficij, vacant ne prima dignitas, vel beneficium?
Reſp. Non, niſi per poſſeſſionem pacificam; ratio eſt, quia non eſt iuſtum, vt quis relinquat dignitatem, vel beneficium, de quo pacificè alitur donec obtineat poſſeſſionem pacificam alterius beneficij pinguioris, aliàs eſſet relinquere certum, & accipere incertum. *tenet Abb. in c. de multa, de præbend. & dignit. nu. 6.*

32 Dignitates, canonicatus, & beneficia, quæ obtinet Epiſcopus, quando vacant?
Reſp. Non poſt electionem, & confirmationem, ſed poſt conſecrationem, & adeptam pacificam poſſeſſionem, vel poſt quatuor menſes ad ſe conſecrandū, à *Conc. Trid. datos. tenet Abb. in c. de multa, num. 12. de præb. & dign.*

33 Dignitas, ſi habeat beneficium curatum annexū, in quo loco tenetur reſidere, in Eccleſia Cathedrali, vel ſeruire beneficio?
Reſp. Talis dignitas poterit reſidere in Eccleſia Cathedrali, & ſeruire beneficio curato per ſubſtitutum; ratio eſt, quia annexum ſequitur naturam principalioris. *tenet Abb. in cap. extirpandæ, de prebendis, §. qui verò, n. 5. & 13. & 28.*

34 Appellatione beneficij intelligitur ne dignitas rectoria, vel curatum?
Reſp. Non, quia dignitas, canonicatus, vel rectoria habent nomina propria maioris excellentiæ, & ita ſolùm intelligitur beneficium ſimplex; *vt tenet Abb. in c. vltimo, de præb. & dign. n. 1.*

35 Dignitate vacante, vel beneficio, quis poterit imponere onus, & quale?
Reſp. De iure antiquo Prælatus, & Capitulum in dignitatibus, præbendis, & canonicatibus, & Epiſcopus ſolus in beneficijs ſimplicibus, & curatis poterat imponere onus ſpirituale, veluti celebrare Miſſam, ſed non temporale, vt ſoluant talem penſionem, ſed poſt Conc. Trid. ſolus Papa poterit imponere beneficijs, canonicatibus, & dignitatibus penſionem, vel onus, quod voluerit; ratio eſt, quia eſt dominus beneficorum. *capit. ſignificatum, de prebendis, & dignitat.*

36 Laicus poteſt ne habere dignitatem, & præbendam?
℞. De priuilegio Papę poterit habere fructus præbendæ, ſed non poterit eſſe Canonicus Eccleſiaſticus; ratio eſt, quia repugnat, quòd laicus habeat canonicatum, qui debetur ſolis Clericis, in Hiſpania in Eccleſ. Cathed. Legionenſi ex vetuſtiſſima conſuetudine, Rex Hiſpaniarum, Marchion de Aſtorga ſunt Canonici dictæ Eccleſiæ, & quando aſſiſtunt in dicta Eccleſia, ſedent in choro inter alios Canonicos, & datur illis portio, & ſtipendium ſicut, & alijs Canonicis, & dicta Eccleſia obſeruat dictam conſuetudinem in magnum Eccleſię honorem.

37 Regulares poſſunt habere dignitates, vel beneficia in Eccleſia ſæculari, vel quibus modis Eccleſia ſæcularis poteſt ſpectare ad Regulares?
Reſp. Aliquis Regularis ex diſpenſatione Papæ poteſt obtinere canonicatum, dignitatem vel beneficiū in Eccleſia ſæculari, & etiam Eccleſia ſæcularis quinque modis poteſt ſpectare ad Regulares in communi. Primo, quòad iuſpatronatus dumtaxat, vt ſi quis fundet aliquam Eccleſiam, & relinquat iuſpatronatus alicui monaſterio, vel Abbati. Secundò, quòad collationem, ſeu inſtitutionem tituli alicuius beneficij, vt ſi quis fundet beneficium, & relinquat inſtitutionem alicui monaſterio. Tertiò, quòad inſtitutionem auctorizabilem, vt ſi quis fundet beneficium, & relinquat inſtitutionem, & nominationem, vel præſentationem ſuis parentibus tali conditione, vt talis inſtitutus approbetur à ſuperiore alicuius monaſterij. Quartò, quòad temporalia tantùm, quando aliquod monaſterium habet reſeruatos, & aſſignatos ad ſuam ſubſtentationem fructus alicuius Eccleſiæ. Quintò, quòad temporalia, & ſpiritualia, ſcilicet, quando aliquod monaſterium habet Eccleſiam parochialem ſibi vnitam, & cura animarum exercetur per monachos, & recipiunt fructus, & obuentiones Parochorum; *tenet Abbas in capit. de monachis, de præbendis, & dignitatibus, numero 5.*

38 Si iſti monachi habeant ius præſentandi in ſuis Eccleſijs Clericos in adminiſtranda Sacramenta, quid debet Epiſcopus facere?
Reſp. Non debet inſtituere talem præſentatum, niſi prius à Monachis aſſignetur illi congrua portio, de qua aſſignatione Epiſcopus debet eſſe certus ante inſtitutionem, ne poſtea talis cogatur mendicare.

cap. de

capit.de monachis iſto titulo.

39 Ob quam cauſam datur alicui præbenda, vel fructus præbendæ?
Reſp. Ratione inſtitutionis, ſeruitij, laboris, & præſentiæ, *capit. cum Ferrarienſis, de conſtitutionibus in gloſſa*.

40 Dignitas, & præbenda quibus modis obtinetur?
Reſp. Duobus modis. Primò, in titulum per collationem factam à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo. Secundo modo, in commendam, quando datur alicui perſonæ aliqua dignitas, & fructus dignitatis in commendam, qui non tenetur reſidere, neq; habere curam animarum ſed solùm percipit honores, & fructus illius dignitatis abſque aliquo onore, vel grauamine. *Abbas cap. de monachis, iſto titulo numero* 3.

41 Iſti commendatarij, qui habent Abbatias, & dignitates in commendam, ad quid tenetur?
Reſp. Ad Eccleſias conſtruendas, & reparandas, ad alendum numerum ſufficientem clericorum, vel monachorum, qui ſeruiunt Eccleſijs, & adminiſtrent ſacramenta, & fructus, qui ſuperſunt, poſſunt ipſi percipere; ratio eſt, quia quamuis non habeant onera ſuper ſuas perſonas, habent dicta onera ſupra redditus illius Eccleſię, *tenet Abb. in c.de monachis, num. 3. de præbendis, & dignitatibus*.

42 Poteſt aliquis Canonicus eſſe Canonicus, & habere Canonicatum, & non habere Præbendam?
Reſp. Quando aliqui canonicus committit aliquod delictum, & per ſententiam priuatur fructibus ſui Canonicatus, tunc habet Canonicatum, & honorem Canonici in actu, & præbendam, & perceptionem fructuum impeditam, & in potentia; nam ſublato illo impedimento habebit Canonicatum, & prębendam ſimul, ſicut alij de collegio Canonicorum. *tenet Abb. in c.relatum, de præbendis, num*.5.

43 Quis dicitur Canonicus ſupernumerarius?
Reſp. Ille, qui prouidetur à Papa in Canonicum alicuius Eccleſię ſupra numerum aliorum Canonicorũ, & de pręſenti non habet præbendam, neque fructus, ſed debetur illi prebenda primò vacatura. *c.relatum, iſto tit.in gl.*

44 Si quis receptus ſit in Canonicum de conſenſu capituli, debetur ne illi prima præbenda, quæ vacauerit?
Reſp. Affirmatiuè; ratio eſt, quia prima receptio dat illi Ius, vt habetur in *c.relatum, de præbendis, & dignit.c.cum ſuper, de conceſſione præbendæ*.

45 Si Papa prouideat aliquem de beneficio, vel Canonicatu, vel præbenda primò vacatura, & poſt notificationem bullarum capitulum cõferat alteri prębendam vacantem, quæ prouiſio tenet, prouiſio Papæ, an prouiſio capituli?
Reſp. Amouendus eſt à poſſeſſione prouiſus per capitulum, & ponendus in poſſeſſione prouiſus à Papa: ratio eſt, quia per notificationem bullarum factam capitulo, ſublata fuit facultas prouidendi dicto capitulo, cum Papa poſſit tollere capitulo facultatem prouidendi. *tenet Abb. in cap. propoſuit, de conceſſione præbendæ, num.*10. *& in cap. relatum, num.* 7. *& in c. inter cætera, nu.7. eod. tit.*

46 Qua pœna punitur capitulum, ſi præbendam primo vacaturam det alteri, & non prouiſo à Papa in primo vacatura?
℟. Tenetur de ſuo dare fructus ſuæ præbendę prouiſo à Papa, donec vacet alia prębenda, vt mandatum Papæ ſortiatur plenarium effectum. *c. dilectus filius, de præb. & dignit.*

47 Si quis impetrauit primam dignitatem, vel Canonicatum vacaturum à Papa, & alius impetret poſtea certam dignitatem, ſi vacet illa certa dignitas, cui debetur?
Reſp. Primo impetranti. *c.ex parte, de officio iudicis delegati, il.* 1.

48 Si mandetur à Papa, vt alicui detur primum beneficium vacaturum, de quo beneficio debet intelligi, & quam quantitatem debet valere tale beneficium?
Reſp. Iſta gratia intelligitur de ſimplici beneficio; ratio eſt, quia ad curatum certę qualitates maiores requirũtur, quę exprimi debet in reſcripto, & ſemper attendenda eſt intentio mandantis; præterea ſiue beneficium ſit paruum, vel magnum, illud debet cõferri, cum quantitas non ſit expreſſa, *c.fin. de præbendis, in gloſ.*

49 Si quis impetret à Papa gratiam, vt ſibi ab Epiſcopo de beneficio certo, vel incerto prouideatur, & non manifeſtet beneficium, quod ipſe obtinet in bulla tenebitur ne Epiſcopus obedire reſcripto Papæ?
Reſp. Non tenetur, quia tales litteræ ſunt ſubreptitiæ, imò tenetur facere certiorem Papam de taciturnitate; ratio eſt, quia præſumitur, quod ſi Papa ſciret illum habere beneficium congruum, non dare litteras ad aliud beneficium, præcipuè cum pluralitas beneficiorum reprobata ſit in iure, & debeat à Papa diſpenſari, *capit. cum teneamus, de præbend. & dignit.*

50 Si duo prouideantur de aliqua dignitate, & ſit lis, & illam compromittãt in Iudices arbitros, quid poſſunt Iudices facere?
Reſp. Poterunt vni dari prębendam, & alteri aliquã penſionem, & hoc debet à Papa cõfirmari, & hęc expeditio eſt ordinaria in Romana Curia, cum ſit ad tollendas lites, & ad ſtatuendam pacem, *c.niſi eſſent, de prębend. & dignitatib.*

CAPVT II.

De Inſtitutionibus.

1 QVid eſt inſtitutio?
Reſp. Eſt perſonarum, vel Prælatorum collatio in beneficio. *Goffred. tit. de inſt.*

2 Quotuplex eſt inſtitutio?
Reſp. Duplex, alia ſecundum legem, & eſt primus gradus omnium inſtitutorum; alia ſecundum Canones, & eſt collatio Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtici beneficij, in eum, qui ius habet. *l. 1. C.de liberis præteritis, l. 1 ff. de vulgari ſubſtitut.*

3 Qui dicuntur ſubſtituti in iure ciuili?
Reſp. Illi, qui in locum primorum inſtitutorum ſubſtituuntur, & vocantur ad illam hæreditatem, ideſt poſt mortem primorum inſtitutorum, vt in rubrica. *ff. de vulgari ſubſtit. l.* 1.

4 Inueſtitura quid eſt in iure Canonico?
Reſp. Traditio, vel quaſi traditio rei, quod fit per anulum, biretum, vel librum, cum quo ſignificatur, quòd

quòd talis homo mittitur per ſuperiorem in poſſeſſionem corporalem talis rei.

5 Inſtitutio beneficiorum de iure ad quem ſpectat? Reſp. Ad Epiſcopum, vel eius officiales, quia eſt res pertinens ad eius iuriſdictionem, *cap. ex ſequentibus de inſtit.*

6 Cuſtodia beneficiorum vacantium ad quem pertinet? Reſp. De iure communi ad Epiſcopum loci. *Abb. c. cum veniſſent, num. 2. eod. tit. de inſtitutionibus.*

7 Poteſt inſtitutio beneficij pertinere ad non Epiſcopum? Reſp. Poteſt, ſi hoc cautum ſit à fundatore in prima beneficij fundatione. *c. cum veniſſent, eod. tit. vt dixi c. de iure patronatus.*

8 Aliquis Prælatus inferior Epiſcopo poteſt habere inſtitutionem, & nominationem dignitatum, & Canonicatum in aliqua Eccleſia Cathedrali? Reſp. De iure Papali poterit habere, ſed non de iure communi, *Abb. cap. fin. de inſtitutionib. nu. 3.*

9 Si quis poſſit inſtituere, vel nominare in aliqua dignitate alium, poterit nominare, & inſtituere ſe ipſum? Reſp. Non, quia debet eſſe differentia inter nominantem, & accipientem, niſi hoc in fundatione conceſſum ſit. *c. vltimo, de inſtit. & Abb. ibi nu. 1.*

10 Si quis habet poteſtatem inſtituendi, vel nominandi in aliquo beneficio, poterit nominare filium ſuum? Reſp. Poterit, & parentem, & fratrem, & etiam famulos. *Abb. c. fin. eod. tit. num. 4.*

11 Si velit ſe ipſum nominare, quid debet facere? Reſp. Petere nominationem à Summo Pontifice in ſuam perſonam. *Abb. c. fin. num. 6. eod. tit.*

12 Quis numerus Canonicorum debet iuſtitui, creari, & nominari in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis? Reſp. Ille numerus, qui commodè, & honorificè poſſit ſuſtentari de redditibus Eccleſiæ, aduertendo, quod non ſint pauperes. *c. 1. de inſtitut.*

13 Si Canonici ſint numerati, & inſtituti, & poſt multum tempus creſcant redditus Eccleſię, debet ne augeri numerus Canonicorum? Reſp. Si creſcant in magna, & notabili quantitate redditus Eccleſiæ, & tale augmentum non ſit ex aliquo accidēte, ſed perpetuum, & fixum, poterit Summus Pontifex augere numerum Canonicorum; ſi verò augmentum ſit mediocre, vel incertum, tunc non eſt amplificandum numerus Canonicorum. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 1. de inſtitution.*

14 Si ſit certus numerus Canonicorum, debet ne minui, ſi redditus Eccleſiæ minuatur? Reſp. Non, ſed adimpleri, niſi forte ita minuantur, vt ſuſtentari nequeant, tunc de licentia Summi Pont. facta relatione, & informatione ab Epiſcopo poſſunt minui, *c. in Eccleſia, de inſtit.*

15 Laicus poteſt eſſe Canonicus? Reſp. Repugnat ius Canonicatus in laicum, cum inſtitutus ſit ad ſeruitium alteris, & Eccleſię, & laicus ſit incapax talis ſeruitij. *c. in Eccleſia, eod tit.*

16 Si aliquis obtineat beneficium ſine inſtitutione Canonica Epiſcopi, vel Papæ, vel ſi obtineat cum inſtitutione alicuius, qui eam non poteſt dare, quam pœnam incurrit? Reſp. Excommunicatur per ſententiam. *Abb. c. ex frequentibus, de inſtitutionib. nu. 5. c. beneficium, de reg. iur. in 6.*

17 Si Clericus obtineat beneficium ſine legitimo titulo, vel inſtitutione, tenetur ne ad reſtitutionem? Reſp. Cum diſtinctione; ſi fuit iuſto errore ductus, non tenetur; ſi verò id fuit malitioſè, & cum fraude, vel cum craſſa ignorantia, tenetur ad reſtitutionem fructuum. *Abbas capit. ex frequentibus, num. 11. eodem titu.*

18 Succeſſio hæreditaria debet ne eſſe in Eccleſia? Reſp. Non, ſed inſtitui debent, qui ſint plus idonei non habita ratione originis, neq; loci, niſi ex priuilegio vel fundatione ſint vacati natiui alicuius ciuitatis, vel originis, & alibi excluſi. *capit. ad decorem, eodem titu.*

19 Si quis ſit natiuus alicuius loci, & petat beneficiū, & alius extraneus etiam petat, & ſint pares, & idonei, cui conferendum eſt tale beneficium? Reſp. Si ſint pares in ſcientia, moribus, & idoneitate, conferendum eſt natiuo, & naturali illius loci, adiuuat eum patria, & natura. *Abb. cap. ad decorem. nu. 4. eod. tit.*

CAPVT III.

De Conceſsione præbendæ.

1 QVid eſt conceſſio? Reſp. Aliqua gratuita datio alicuius rei quę reſpicit meritum, & perſonam illius, cui conceditur, & non rem ipſam. *Abb. c. cum venerabilis, de exceptionibus, num. 11.*

2 Conceſſio alicuius rei gratuita, peruenit ne ad ſucceſſores illius, cui conceditur? Reſp. Non, niſi in illa conceſſione declaretur, quòd datur illi, & ſucceſſoribus. *Abb. vbi ſup. num. 11.*

3 Quid eſt præbenda? Reſp. Eſt ius percipiendi fructus, & prouentus in Eccleſia Cathedrali, vel collegiata competens alicui tanquam vni de collegio, vel de Canonicis. *capit. relatum, de præbend. vt late dixi capit. 1. de præbend. & dignitat.*

4 Quis dicitur intruſus? Reſp. Ille, qui fuit prouiſus à non habente facultatē prouidendi, vel ille, qui poſſidet ſine titulo. *Abbas in capit. quia diuerſitatem, num. 2. de conceſſione præbendæ.*

5 Electio, & confirmatio poteſt fieri vnico actu? Reſp. Aliquando poteſt, licèt communiter ſint duo actus diſtincti. *Abb. c. dilectus, de conceſſione præbend. num. 3.*

6 Quibus perſonis poteſt competere collatio beneficiorum? Reſp. Soli Epiſcopo, & poteſt competere ſoli capitulo, & vtrique ſimul, quia iſti omnes ſunt capaces de Iure ad conferendum. *Abb. cap. poſtulaſtis, eodem tit. num. 2.*

7 Vnus poteſt ne gerere vices plurium perſonarū? Reſp. Poteſt, quia hoc non repugnat. *Abb. vbi ſupra. nu. 4. in c. poſtulaſtis, de conceſſione præbendę.*

8 In Eccleſijs (vbi collatio præbendarum pertinet ad Epi-

ad Epiſcopum, & capitulum coniunctim,) ex aliqua cauſa, ſi per ſex menſes non fiat collatio, ad quem deuoluitur?

Reſp. Ad ſuperiorem, & non ad Epiſcopum, neque Capitulum, quia in iſto caſu non eſt ſuperior, ſed ſicut vnus ex Canonicis. *cap. poſtulaſtis, eodem tit.*

9 Epiſcopus poteſt conferre beneficium viuentis?

Reſp. Non, niſi ſolus Papa, & ipſe non conſueuit facere, niſi quis per ſuum delictum, illud amiſſerit. *Abb.c.1.eodem tit.nu.2.*

10 Beneficia vacantia, intra quot menſes debent conferri?

Reſp. Intra ſex menſes ab eius obitu, & ſcientia: vt ſi ſint ad prouiſionem capituli ipſis ſex mẽſibus elapſis, deuoluitur collatio ad Epiſcopum: ſi verò ſint ad prouiſionem Epiſcopi, deuoluitur collatio ad Sũmum Pontificem; quia per negligentiam collatores perdunt ſuum Ius, vt Eccleſiæ de miniſtris, & paſtoribus prouideantur. *c.nulla,eod. tit.*

11 Si quis habeat facultatem conferendi, poterit eã ſubdelegare?

Reſp. Poterit, quia eſt quid iuriſdictionis. *c.conſtitutus, eod.tit.de conceſſione præbendæ.*

12 Si Epiſcopus ſit impeditus ſuſpenſione, vel alio impedimento, & in ſpatio ſex menſium non faciat prouiſionem beneficij, deuoluitur ne collatio ad ſuperiorem?

Reſp. Non, quia legitimè impedito non currit pœna, ſicut ſuſpenſo,& excommunicato, infirmo ignorante, & ideo ſex menſes currunt à die notitiæ. *cap. quia de conceſſione præbend.*

13 Epiſcopatus vacans,intra quod tempus debet prouideri?

Reſp. Non habet tempus limitatum;quia in Lateranenſi Concil.(vt beneficia intra ſex menſes conferantur,) non intelligitur Epiſcopatus.*cap.dilectus de conceſs.præbend.*

14 Qui reponitur in beneficium alterius adhuc viuẽtis, qua pœna punitur?

Reſp. Si ſcienter conſentiat ſe reponi, excommunicatur per ſententiam, quia committit magnum delictum contra viuentem. *capit. 1. eodem titul. de conceſſionæ præbendæ.*

15 Beneficia non vacantia debent ne alicui conferri, licèt poſſeſſor ſit deſperatus à medicis?

Reſp. Non,neque promitti,detur occaſio alicui captandi mortem. *Abb.c.nulla,eod.tit.num.4.*

16 Licet ne promittere beneficium alicui,cum facultas ſe obtulerit?

Reſp. Licet, ſed non permittere tale beneficium cũ primò vacauerit, quia datur occaſio capitandi mortem in particulari. *c.accedens,eod.tit.*

17 Ius patronatus poteſt ne eſſe apud ſæculares?

Reſp. Poteſt, & etiam pœnes fœminam nobilem, vel ignobilem. *Abb.c.fin.eod.tit.num.2.*

18 Patronus poterit ne dare alicui facultatem præſentandi, antequam vacet beneficium aliquod tert ium?

Reſp. Non,ſicut non poteſt prommittere alicui beneficium, antequam vacet, ſic neque poteſt dare alicui mandatum, & poteſtatem, vt præſentet ante vacationem, ſed poteſtatem *capit.final.eod.tit.*

19 Patronus poterit ne dare generalem poteſtatem alicui præſentandi omnia beneficia ſui patronatus, antequam vacent?

Reſp. Poterit illam dare cui vult, quia in generalitate non continetur vitium, ſicut in beneficio ſpeciali. *Abb.c.fin.eod. tit.num.4.*

20 Quis præferendus erit præſentatus à pupillo, vel præſentatus à tutore?

Reſp. præſentatus à pupillo, qui eſt Dominus præſentationis, & excluditur præſentatus à tutore. *Abb. c.fin.num.9.eod.tit.*

21 Papa poteſt ne conferre omnia beneficia mundi?

Reſp. Poteſt, & concurrere cum omnibus collatoribus licèt ex benignitate nunquã conſueuit auferre ordinarij poteſtatem conferendi. *Abb.c. quia diuerſitatem,eod.tit.nu.5.*

22 Legitimè diſpenſatus ad omnes dignitates, cenſetur ne diſpenſatus ad Epiſcopatum?

Reſp. Non, quia cum requirãtur maiores qualitates ad Epiſcopatum,quam ad cæteras dignitates,requiritur expreſſa mentio. *Abb.capit.dilectus, num. 2.eodem tit.*

23 Si quis impetret beneficium, & non faciat relationem, quòd alius titulo colorato, vel nullo titulo illud poſſidet, erit ne bona impetratio?

Reſp. Non, ſed ſubreptia, quia tacet rem eſſentialem. *Abb.c.cum noſtris, cod.tit.num.5.*

CAPVT IV.

Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferãtur.

1 QVid eſt diminutio?

Reſp. Eſt pars illa, quæ à toto oblata, ſiue ſit parua, ſiue magna, minuit ſummam principalem, ideò hic agitur, vt beneficia, ſiue parui, ſiue magni laboris integre, & ſine diminutione conferantur, vt in rubrica, vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.

2 Conferre beneficium cum penſione, eſt ne diminuere beneficium?

Reſp. Affirmatiuè, quia durante vita penſionarij, proprietarius,ad quem collatum fuit beneficium, cũ diminutione illud percipit.

3 Quis poteſt imponere penſionem ſine collatione beneficiorum?

Reſp. Solus Papa,qui non tenetur lege à ſe condita, neque legibus ſuorum anteceſſorum, quam ipſe poterit derogare, vel confirmare, vel augere. *Abb.cap. vnico,eod.tit.noſtro.*

4 Conferens beneficium poteſt facere pactum de lucrando aliquid?

Reſp. Non; quia committitur ſimonia, ſed debet illud integrum conferre. *Abb.capit.vnico, eodem titul. numero 14.*

5 Poteſt Epiſcopus applicare alicui fructus beneficij vacantis?

Reſp. Si non ſit conſuetudo, vt eos percipiat ſucceſſor in beneficio,ſicut contingit in beneficijs ſimplicibus, poterit Epiſcopus eos applicare fabricæ Eccleſiæ, operæ piæ, vel redimendis captiuis, vel alicui

vſui

vſui laudabili. *Abb. vbi ſup. nu.* 15.

6 Fructus beneficij vacantis poſſunt ne deputari in ſoluendis debitis Eccleſiæ?

Reſp. Epiſcopus cum conſilio capituli poterit eos adiudicare ad ſoluenda debita Eccleſię. *Abb. vbi ſup. num.* 20.

7 Epiſcopus poteſt emere rem Eccleſiæ ſuæ, ſi vendatur cum ſolemnitatibus?

Reſp. Poteſt, ſi publicè emat, & omnes ſolemnitates iuris ſeruentur in venditione, vel poterit ponere perſonam, quæ emat, dummodo fraus non ſit, & his conditionibus tutor poterit emere rem pupilli ſui, quia cum venditio ſit publica, ceſſat omnis ſuſpitio. *l. pupillus. ff. de auctorit. tutorum. Abb. c. vnico. vbi ſupra, vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.*

CAPVT V.

De Precarijs.

1 VNde dicitur precarium?

Reſp. A precor precaris. *Azor. in ſum. tit. de precario, & Saluiano interdicto.*

2 Quid eſt precarium?

Reſp. Id, quod precibus alicui conceditur: vt contatur vt creditor, ſi habet pignus, & concedit debitori, vt vtatur. *Azor. vbi ſupra nu.* 1. *l.* 1. *ff. de precario.*

3 Quotuplex eſt precarim?

Reſp. Duplex. Primò, neutrius generis. Secundò, fœminini generis. Tertiò, precariè, quod conceſſum, vel venditum, vel alienatum fuit. *Abb. cap.* 1. *de precarijs, num.* 1.

4 Si quis precarius poſſidet aliquam rem, quando debet renouare contractum ad ea poſſidendam?

Reſp. De iure Canonico quolibet quinquēnio, vt recognoſcat, ſe eam prece poſſidere, & non eſſe ſuam. *cap.* 1. *eod. tit. noſtro.*

5 In precario, quod dominium transfertur?

Reſp. In recipiente transfertur dominium vtile, tandiù, quandiù durat voluntas dantis. *Abb. c. fin. de precarijs. nu.* 7. *&* 8.

6 In quo differunt precarium fœminini generis, neutrius generis, & precariè conceſſum?

Reſp. In eo, quòd precarium fœminini generis datur ad certum tempus, & ſtante illo tempore reuocari non poteſt; precariū verò neutrius generis datur ſine limitatione temporis pro volūtate donātis; precariè, quod conceſſum eſt, quando aliquid venditur precibus alicuius. *Abb. c.* 1. *eod. tit. nu.* 1.

7 Quanto tempore durat precarium, vel vſus illius rei, quæ præcibus conſequuta eſt, vt quis ea vti licitè poſſit?

Reſp. Durat toto tempore, quod durat voluntas concedentis expreſſa, vel tacita. *Goffred. in ſum. tit. de precarijs. l. quæſitum. ff. eod. tit.*

8 Quando extinguitur, & ſoluitur precarium?

Reſp. Primò, voluntate dantis. Secundò, voluntate heredis, & morte dantis. Tertiò, ſi quis alienauit rē, quam precibus obtinuit, vt ipſa vtatur. *capit. final. de precarijs.*

9 Si aliquis precariè dedit aliquam rem, vel agrum alicui ſucceſſor, vel hæres eius poterit reuocare, & reſumere ſibi talem rem?

Reſp. Poterit, quia ſucceſſit in voluntate primi dantis, ſicut in hæreditate, *Abb. c.* 2. *eod. tit. num.* 1. *&* 2.

10 Si quis precariè, vendit aliquam rem, poterit, ne illam reuocare ipſe, vel eius ſucceſſor?

Reſp. Non, quia iſte contractus licèt precibus fuerit factus, eſt contractus venditionis, & accidentaliter fuit precariè factus, & precarium ibi tranſibit in naturam alterius contractus. *Abb. c. fin. eod. tit. nu.* 5.

11 Si Petrus poſſideat agrum precariè, & Petrus moriatur, reuocatur ne precarium?

Reſp. Non: ſed tranſit ad eius hæredes, quia non reuocatur morte accipientis, ſed ſolum morte dantis. *Abb. c. fin. nu.* 6. *tit. noſtro.*

12 Præcarium fœmininum datum ad certum tempus, poterit non finito tempore reuocari à Domino?

Reſp. Poterit reuocari; quia ex eo, quod quis concedit per vnum annum vti precario, non obligatur aliquo contractu ex vtroque obligatorio cum nihil aliud interueniat in contractu precario, niſi voluntas dantis. *Abb. vbi ſup. nu.* 11.

13 Si quis præcariè per duos annos conceſſit gratuitò agrum Petro, & Petrus ſeminat ante perceptum fructum, & poterit ne reuocari talis conceſſio precaria?

Reſp. Si reuocetur actione doli, Petrus poterit repetere expenſas fructuum, & damnum ſibi illatum. *Ab. vbi ſup. num.* 13.

14 Si prædeceſſor fecit contractum malè geſtum, obligatur ne ſucceſſor?

Reſp. Non; imo tenetur illum reuocare. *Abb. capit.* 2. *eod. tit. num.* 2.

15 In quo differunt precarium, & commodatum?

Reſp. in eo, quòd commodatum non poteſt auferri toto illo tempore, in quo eſt commodatum conceſſum; precariū verò aufertur quotieſcumq; ceſſauerit voluntas eius, qui precibus rem conceſſit, niſi ſignet tempus, quo alter illo vti debet, & tunc precarium conuertitur in commodatum. *Azor. in ſum. eod. titul. numero* 1.

16 Si quis tenet rem precariam, & eam non bene gerat, & conſeruet quam pœnam incurit?

Reſp. Tenetur de lata culpa *l. quæſitum. §. illud. ff. eod. tit. de precarijs.*

17 Si quis habeat rem commodatam, & eam nō ſeruet, qua pœna punitur?

Reſp. Tenetur iſte de leuiſſima culpa eam reſtituere. *l. quæſitum. ff. eod. tit. de precarijs.*

18 Quæ eſt ratio differentiæ, quare precarius tenetur reſtituere rem de lata culpa, & qui habet rem cōmodatam, tenetur de leuiſſima culpa?

Reſp. Quia precarium pendet ex mera liberalitate dantis, & ſemper a dante poteſt reuocari; qui verò habet rem commodatam, ab eo non poteſt auferri; niſi finito temporis commodati, ideo ſi per culpam leuiſſimam res diminuatur, aufertur ab eo, & debet eam reſtituere, ne malè vtatur liberalitate alterius. *l. quæſitum. §. illud. ff. eod. tit. Abb. cap. final. numer.* 14. *tit. de precarijs.*

CAPVT

CAPVT V.

De Commodato.

1 QVid eſt commodatum?
Reſp. Res illa aliena, quæ alicui datur, vt per aliquod tempus illa vtatur, licèt non ſit ſua. *Ioann. Andr. in c. vnico, de commodato.*

2 Quid eſt commodatum?
Reſp. Illud, quod ad vtilitatem alicuius ſit, vel datur. *Azor. in ſumma de commodato. num. 1.*

3 Quis dicitur commodatarius?
Reſp. Ille, cui datur aliqua res, vt ea vtatur in ſui vtilitatem. *Azor. vbi ſupra num. 1. & 2.*

4 Quotuplex eſt actio commodati?
Reſp. Triplex. Prima directa. Secunda vtilis. Tertia contraria. *l. in commodato. §. 1. ff. eod. titul. & Azor. vbi ſup. num. 7. & 8.*

5 Quæ eſt actio directa commodati?
Reſp. Illa, quam habet, qui commodauit rem aduerſus eum, cui accommodauit, vt ille ſibi reſtituat. *l. in commodato. §. vlt. ff. eod. tit. de commodato.*

6 Quæ eſt actio vtilis commodati?
Reſp. Illa, quam habet, qui recipit rem commodatam toto illo tempore, quo datur ad vtendum. *l. ſi is qui. §. ſi libero. ff. eod. tit. & Bart. ibi.*

7 Actio commodati vtilis, competit ne, vbi non eſt verum commodatum?
Reſp. Competit, vt ſi quis vtatur aliqua re ſui amici ipſo ignorante, fultus ea ratione, quod ſi ipſe ſciret daret, & gauderet, vel vtatur aliqua re ſui amici, quã accepit ipſo vidente, & tacente, *l. ſi is qui. §. vlt. ff. eod. tit. de commodato.*

8 Quæ eſt actio contraria commodati?
Reſp. Illa, quæ competit ei, qui accepit rem commodatam aduerſus proprium Dominum ad petendas expenſas, & meliorationes, quas fecit in re commodata. *l. in rebus. ff. commodati.*

9 Commodatum in quibus rebus inuenitur?
Reſp. Propriè in rebus mobilibus, vt in veſtimentis, equis, & alijs, quia in immobilibus propriè dicitur precarium. *l. 1. ff. commodati. & Azor. vbi ſup. num. 3.*

10 Commodatum poteſt ne reuocari ad omnem voluntatem commodantis?
Reſp. Non; niſi completo tempore, pro quo illud commodauit; ratio eſt, quia quod à principio liberum fuit, poſt factum ſit neceſſarium. *Azor. vbi ſup. num. 2.*

11 Si qui accepit rem à commodante, non potuit vti illa tempore ſibi præfixo, tranſacto tempore, poterit ne cogi ad iterum commodandam rem illam?
Reſp. Non, quia finito tempore finitur actio vendi; in libertate enim commodantis eſt iterum dandi, vel non, imò tranſacto tempore, ſi illa commodatarius vtatur, vel deprauetur ipſo vſu, tenetur de damno, cum vtatur re aliena extra voluntatem domini. *Abb. in c. 1. num. 7. de commodato.*

12 Si res commodata pereat, tenetur ne eam ſoluere ille, cui commodata fuit?
Reſp. Si ſua culpa graui res pereat, tenetur eam reſtituere, ſi verò ſua culpa leuiſſima pereat, non tenetur. *c. vnico, eod. tit.*

13 In quibus caſibus tenebitur ille, qui vtitur re cõmodata, ſoluere rem, ſi pereat ſua culpa leuiſſima?
Reſp. In tribus. Primo, ſi rem non reſtituat, & fuerit in mora, præfixo tempore. Secundo, ſi ſua culpa pereat talis res. Tertio, ſi fuit in pacto non perdendi rem. *gloſ. in c. 1. de commodato.*

14 Furtum quando numeratur inter caſus fortuitos?
Reſp. Quando violenter à te ſublata eſt res; ſi verò res occultè à te ſublata fuit, adhuc diſtinguendum eſt; ſi poſuiſti tantam diligentiam in re aliena, quantam in tua propria, non teneris reſtituere. *Abb. in c. 1. de commodato. num. 16.*

15 Si aliqua res commodata caſu fortuito pereat, commodatarius tenetur ne reſtituere eam?
Reſp. Non, ſed Dominus perdidit rem illam, tamquam ſi eſſet in ſua poteſtate; quia caſus fortuiti non ſunt in manu hominis. *Abb. in c. 1. eod. tit. nu. 17.*

16 Qui ſunt caſus fortuiti?
Reſp. Inopinati rei euentus, qui præueniri à ſapiẽte non poſſunt, vt tempeſtas, ruina, & maris fluctus, alia ſimilia. *Abb. capit. 1. vt ſupra, de commodato, numero 15.*

CAPVT VII.

De Depoſito.

1 QVid eſt depoſitum?
Reſp. Aliquid alicui datum ad cuſtodiendum. *Hoſtienſ. in ſum. tit. de depoſito. num. 1.*

2 Quid eſt depoſitarius?
Reſp. Perſona fidelis, apud quem deponitur res aliqua cuſtodienda. *in authent. ſed iam. Cod. depoſiti.*

3 Actio depoſiti quotuplex eſt?
Reſp. Duplex; vna directa, quæ competit illi, qui rẽ depoſitauit, vt illam repetat; & alia contraria, quæ competit illi, apud quem eſt res depoſitata, vt petat expenſas. *l. 1. ff. depoſiti. §. ait Prætor. & Azor. in ſum. num. 20. 21. & 42. tit. de depoſito.*

4 Contra quem contrahitur obligatio in depoſito?
Reſp. Contra depoſitarium, vt illud cuſtodiat, & ſeruet, & tradat ſuo tempore. *inſtit. quib. modis re contrahitur obligatio. §. penult.*

5 Quid eſt contractus depoſiti?
Reſp. Contractus bonæ fidei, quia confido de fide depoſitarij. *c. 2. de depoſito, & ibi gloſ.*

6 Quis retinet dominium rei depoſitatæ?
Reſp. Non depoſitarius, ſed ille, qui depoſitauit. *l. rei commodatæ. ff. commodati.*

7 In quo differunt pono, & depono?
Reſp. Pono eſt ſimpliciter ad meam voluntatẽ aliquid ponere, depono eſt ſeorſim ad cuſtodiendum in poteſtate alterius deponere. *leg. prima, ff. depoſiti.*

8 In quo differt depoſitum à ſequeſtro?
℞. In eo, quòd depoſitarius tenetur rem tradere illi, qui rem depoſuit, ſed qui tenet ſequeſtrum, non tenetur reſtituere certæ perſonæ, ſed ſolum illi, qui vicerit litem. *l. 1. ff. eod. tit. & Azor. in ſum. eod. tit. n. 8.*

9 Quando poteſt repeti depoſitum?
℞. Quando voluerit ille, qui depoſitauit rem, quia illi competit actio repetendi. *c.2.eod.tit.in gloſſ.*

10 In qua differentia ſunt depoſitarij?
Reſp. In duplici. Primò,ſunt depoſitarij,qui aliquid recipiunt pro cuſtodia,& iſti tenentur dolo,& culpa. Secundò,ſunt alij depoſitarij, qui nihil recipiunt pro depoſito, & iſti tales tenentur de dolo, non de culpa leui, nec leuiſſima. *c.2.de depoſito.in gl.*

11 Depoſitarius tenetur ne de caſu fortuito?
Reſp. Non, neque qui recipit aliquid pro cuſtodia. *c.2. vbi ſupra.*

12 Si culpa,vel mora præceſſerit caſum fortuitum,vt ſi potuit merces ante pluuiam ſeruare, tenebitur ne?
Reſp. Tenebitur,quia mora,& culpa quaſi æquiparantur dolo. *c.2.eod.til.in gloſ.*

13 Depoſitarius poteſt compenſare debitum, quod illi iuſtè debetur cum depoſito ſibi tradito?
Reſp. Non,quia hoc non fert fides Depoſitarij;nam ſemper debet habere in manu depoſitum, cum non poſſit poſcente domino vlla ex cauſa, nec actione, depoſitum apud ſe retinere.*cap.2.de depoſito.l.1.& 2. C. eod. tit.*

CAPVT VIII.

De emptione,& venditione.

1 QVid eſt emptio?
Reſp. Eſt contractus emendi rem pretio conuento. *Inſtit. de empt.§.1.*

2 Quæ requiruntur ad emptionem perfectam?
Reſp. Conſenſus emptoris, & venditoris, & quod ambo conueniant de pretio. *l.2 ff.de contrahenda emption.& vendit.& l.1.§.vlt.eod.tit.& l.emptio.ff.de reſcindenda venditione.*

3 Quis dicitur emptor bonæ fidei?
Reſp. Ille, qui emit rem, & exiſtimat eſſe illius, à quo emit, vel habere legitimam facultatem eam vendidit. *l.nec vllam, §. quid ſi quis,ff. de petitione hæreditatis.*

4 Quis dicitur emptor malæ fidei?
Reſp. Ille,qui emit à latrone, vel à perſona, quam ſcit non poſſe vendere talem rem. *Azor.in ſum.tit.de agricolis,& cenſitis colonis.num.8.*

5 Si quis vendat rem,in quibus caſibus non tenetur de euictione?
Reſp. In tribus. Primò,ſi emptor non moneat venditorem de lite.Secundò,ſi emptor abſuit contumaciter tempore litis, & ſententiæ, ita vt per ſuam abſentiam lis pereat. Tertiò, ſi per iniuriam,& iniuſtitiam Iudicis ſententia lata fuit contra emptorem. *c.fin. eod.tit.*

6 Si in contractu non explicetur, quòd venditor teneatur de euictione, tenetur ne?
Reſp. Affirmatiuè,quia euictio ineſt intrinſecè contractui venditionis, & ſic vt non teneatur, debet in contractu dici, quòd emptor nõ teneatur de euictione. *Abb.in c.vlt.eodem tit.num.10.*

7 Emptor moleſtatus de re empta, quando debet denuntiare debitori, vt poſſit petere euictionem?
Reſp. In principio litis, vel antequam iudicium finiatur, alias perdit actionem euictionis ſua culpa. *Abb.c.fin.eod.tit.num.2.*

8 Vẽditor tenetur ne de euictione,ſi emptor extraiudicialiter perdit, vel dat rem de ſua auctoritate?
Reſp. Non,quia ſolùm tenetur,quando iudicialiter aufertur ab illo res,vbi præſumitur iuſtitia. *Abb.in c.fin.eod.tit.num.7.*

9 Venditor tenetur ad omnes expenſas factas per ipſum ad defenſionem rei venditæ?
Reſp. Tenetur, ſicut ad ipſam rem. *Abbas vbi ſup. num.final.*

10 Eccleſia tenetur ne de euictione in rebus, quas vendit, vel locat?
Reſp. Affirmatiuè, cum ſit actio iuſta. *Abbas vbi ſup.num. 4.*

11 Clericus,qui vendit rem laico, tenebitur ne illam defendere requiſitus ab emptore in foro ſæculari?
Reſp. Affirmatiuè;quia ſequi forum, vbi talis emptor moleſtatur,licitum eſt, ſed debet petere licẽtiam à ſuo Prælato. *Abb.vbi ſupra capit.finali, iſto titulo numero 8.*

12 Poteſt ne quis pluris vendere itinerantibus,quàm illic cohabitantibus?
Reſp. Non, quia eſt ſpecies doli,& vſuræ,& ideò de hoc cognoſcit Epiſcopus. *c.1.eod.tit.noſtro.*

13 Poteſt quis vendere res pluris, quam valent?
Reſp. Non,quia eſt dolus,& peccatum. *Abb.cap.1. eod.tit.num.3.*

14 Quando ſterilis eſt annona, tenetur ne quis vendere triticum, vinum, vel carnes?
Reſp. Tenetur quolibet tempore neceſſitatis, vel famis. *Abb.c.1.eod.tit.nu.6.*

15 Pretium rei qua ratione ſumendum eſt?
Reſp. Ex eo,quòd communiter vendi poteſt, nã ex pecuniaria rei, & tẽporis neceſſitate pretium maius ſumi poteſt; nam ſi communiter apud omnes, vel plures aliqua res venditur decem argenteis,illa eadẽ mutato tempore venditur viginti argenteis, tempus enim,vel penuria iuſtificauerunt pretium. *Abb.c.1. de emptione, & venditione.num.3.*

16 Si quis exponat ad vẽdendum triticum iuſto pretio, poteſt pro ſua libertate ponere, & conſtituere pretium?
Reſp. Non,ſed cogitur à iudicibus, quorum intereſt,vt vendat communi,& iuſto pretio. *Abb.vbi ſup. num.4.*

17 Fraudans menſuras, qua pœna punitur?
Reſp. Pœna ſtatuta in qualibet ciuitate,& debet cõpelli eas ſine fraude habere. *Abb.in c.vt menſuræ.eod. tit. num.3.*

18 Si res vendatur in dimidio iuſti pretij, quæ actio competit venditori?
Reſp. Poteſt petere læſionem,& reſtitutionem medietatis pretij,vel ipſam rem,ſi ſibi placuerit. *Abb.in c.3.eod.tit.num.2.*

19 Si ſtante matrimonio vir de conſenſu vxoris alienet bona dotis,ſoluto matrimonio,tenet ne illa alienatio?
Reſp. Affirmatiuè, quia fuit facta ad ſubſtentanda onera matrimonij de conſenſu vtriuſque. *c.peruenit, eodem tit.*

20 Si maritus habeat propria bona,quib.poſſit ſubſtinere onera matrimonij, ſi vendiderit bona mulieris, emptor

emptor (ſoluto matrimonio) poterit ne moleſtari? Reſp. Non, quia bona viri, & mulieris durante matrimonio reputantur, ac ſi eſſent viri. *Abb. in c. perueniſt eodem tit. num.* 1.

21 Si in venditione ponatur pactum de retrouendendo, erit ne contractus venditionis verus, vel non? Reſp. Talis contractus magis præſupponitur pignoratiuus, quam venditionis; quia ſoluto pretio retrocedit res ad proprium Dominum. *c. ad noſtram, eod. tit.*

22 Donator quando tenetur de euictione? Reſp. Quando id promiſit in contractu, vel quando dolo donauit. *Abb. in cap. fin. de emptione, & venditione, num.* 10.

CAPVT IX.

De Locato, & conducto.

1 Quid eſt locatio? Reſp. Rei, vel perſonæ ad vſum tantùm conceſſio, cum pacto de tanta (pro labore) pecunia ſoluenda. *Azor. de locato, & conducto. num.* 1.

2 Conductor quis dicitur? Reſp. Ille, qui rem aliquam, vel domum ab aliquo data mercede, vel promiſſa accipit vtendam.

3 Quando dicitur ſtatim, & celeriter purgata mora? Reſp. Hoc relinquitur arbitrio iudicis. *Abb. in capit. potuit, de locato, & conducto, num.* 6.

4 Locatus, & conductus, in quo differunt? Reſp. Sunt ſynonyma, & idem ſignificant. *Azor. in ſum. eod. tit. num.* 2.

5 Si emphyteota Eccleſiæ per biennium, quis non ſoluerit, qua pœna punitur? Reſp. perdit rem, & Eccleſia bona recuperat. *capit. potuit, de locato, & conducto.*

6 Super conductione domorum, vel rerum poſſunt ne ferri leges, vel ſtatuta? Reſp. poſſunt, & debent obſeruari ad vnguem, quia latę ſunt ad bonam gubernationem, & propter eximium prętium, quod petunt illi, qui conducunt domos. *c.* 1. *de locato, & conducto.*

7 Si Eccleſia, vel Dominus rei non monet per duos annos emphyteotam, vt ſoluat, talis non ſoluens cadit ne in commiſſum? Reſp. Affirmatiuè, quia tempus ſolutionis interpellat pro homine. *c. potuit, de locato, & conducto.*

8 Cui competit actio conducti? Reſp. Locatario cõtra illum, à quo locauit, vt liceat ſibi vti domo, vel à locato, & ad petendas expenſas neceſſarias factas in re conducta. *Azor. in ſum. tit. eod. num.* 29.

9 prædia, domus, & aliæ res Eccleſiæ poſſunt ne relocari? Reſp. poſſunt, ſi Eccleſia accipiat vtilitatem, & per triennium, ne perpetuentur, & alienentur. *c.* 2. *eodem tit.*

10 Quod dicitur longum tempus? Reſp. Decem annorum, & non minus, & ideò prohibitum fuit Eccleſijs, vt non locarent ad lõgum tempus, ſed ſolum ad triennium. *Abb. in c. propter, de locato, & conducto, num.* 17.

11 Si clericus per triennium locet fructus ſui beneficij, vel prędia, tenetur ne petere licentiam à ſuo Epiſcopo? ℞. Non; quia quando aliquid licitè poteſt fieri, nõ tenetur conſenſus alterius adhiberi ad illam rem faciendam. *Abb. cap. veſtra, de locato, & conducto, numero* 4.

12 Succeſſor in beneficio tenetur ſtare pro locatione facta à prædeceſſore? Reſp. Si locatio fuit facta ſine fraude, & cum debita ſolemnitate, & ad modicum tempus, tenetur ſtare; ſi verò fuit facta cum fraude, vel ad vltra triennium, non tenetur ſtare. *Abb. in c. querelam, nu.* 5. *ne prælati vices ſuas.*

13 Locans domum, vel agrum, in quo caſu non finito tempore poteſt à re locata expelli? Reſp. Si tempore ſtatuto penſionem non ſoluat, vel ſi rem dilapidet, diminuat, vel peiorem faciat. *Abb. in c. propter, eod. tit. num.* 2.

14 Propter quas cauſas poteſt petere ille, cui locata ſunt prædia Eccleſiæ, vt remittantur ſibi fructus, quos illo anno debebat ſoluere, vel aliquæ partes fructuum? Reſp. Propter ſterilitatem, vel incendium agrorum, ſeu alium caſum fortuitum, & talis debet ſe obligare, quòd ſequenti anno, ſi multum abundauerit, reſtituet Eccleſiæ, quod ab illa accepit, quæ abundantia debet eſſe maxima. *capit. propter, de locato, & conducto.*

15 Si quis locauit domum, vel agrum, propter quas cauſas poteſt de ſua auctoritate illam, vel illum dimittere, & non ſoluere penſionem? Reſp. Propter peſtem ſuperuenientem, incendium, & ruinam notabilem, licèt teneatur, ſi ſine periculo fieri poteſt, monere Dominum. *Abb. in c. propter. eod. tit. num.* 8.

16 Emphyteota, ſi vult vẽdere alicui dominium vtile, quid tenetur facere? Reſp. Quærere Dominum directi dominij, ſi velit rem pro eadem quantitate, & vt accipiat ius ſibi debitum ex venditione, alias cadit in commiſſum. *capit. potuit, eod. tit.*

17 Emphyteota poteſt ſine ſcientia Domini rem ſibi datam in Emphyteuſim alteri donare? Reſp. Maximè, quia donatio eſt contractus liberalis, & non interuenit pecunia, ſed mera voluntas donantis; & in ea non habet ius aliquod dominus rei, & idem eſt in hærede legitimo emphyteota. *Abb. capit. potuit, eod. tit. nu.* 8.

17 Emphyteota liberatur ne à ſolutione Canonis propter ſterilitatem? Reſp. Non, quia ea non ſemper eſt res parua, & emphyteota eſt Dominus vtilis dominij, & abundantia, & ſterilitas ſuccedunt in fauorem, vel damnum Domini vtilis dominij. *Abb. in c. potuit, eod. tit. nu.* 17.

18 Emphyteota propter bellum poteſt ne ceſſare à ſolutione penſionis? Reſp. Non, niſi in caſu, in quo omnis ſpes agrum recuperandi ceſſauerit; quia tunc, & Dominus perdit directum, & emphyteota vtile. *Abb. in c. potuit, eod. tit. num.* 18.

19 Emphyteota habet ne dominium directum, & vtile?

Reſp. Non, ſed ſolum vtile; nam directum ſemper eſt pænes dominum rei. *Azor. in ſumma de iure emphyteota, num. 13.*

10 Si emphyteota per triennium non ſoluat, & antequam ante Iudicem petatur in commiſſum celeriter purgat moram, & ſoluat, perdet ne rem?
Reſp. Non, quia ante iudicium purgauit moram, ſecus verò ſi in introitu iudicij pecuniam depoſitet. *Abb. in cap. potuit, num. 5. de locato, & conducto.*

CAPVT X.

De rerum permutatione.

1 QVid eſt permutatio?
Reſp. Eſt vnius rei pro alia ſubalternata datio, vel præſtatio; vt ſi habeo rem mihi non vtilem, & tibi neceſſariam, & tu habes rem mihi vtilem, vnã rem pro alia permuto. *Azor. in ſum. tit. de rer. permut. num. 1.*

2 Contractus permutationis, qui contractus eſt?
Reſp. Innominatus, do, vt des. *l. quoniam C. de rerum permutat.*

3 Permutatio facta ſine debita ſolemnitate, à quo poteſt reuocari?
Reſp. A ſucceſſore in dignitate, vel adminiſtratione Eccleſiæ. *c. Vt cum mutationes, eod. tit.*

4 Poteſt Epiſcopus facere commutationem præbendarum, & perſonarum?
Reſp. Ex legitima cauſa poterit mutare perſonas de vno loco ad alterum, ſcilicet propter inimicitias, vel conſuetudinem turpem cum aliqua muliere etiã putatiua, vel propter aliquod ſcandalum. *c. quæſitum, eod. tit.*

5 Princeps poteſt ne rem immobilem permutare pro re immobili Eccleſiæ, & ſic eam acquirere?
Reſp. Affirmatiuè, ſi res, quæ datur Eccleſiæ, ſit melior, vel ſaltem æqualis, ita tamen quod Eccleſia non lædatur. *c. 1. eod. tit.*

6 Si Prælatus contradicit permutationi inter Principem, & Eccleſiam factæ de re æquali, erit ne contractus validus?
Reſp. Affirmatiuè, immo Prælatus poteſt cogi ad conſentiendũ; quia in re æquali eſt fauor conceſſus à iure Principi; Principes enim non æquali menſura mentiuntur cum alijs inferioribus, & ideò inferior in permutatione debet dare Eccleſiæ rem meliorẽ; Princeps verò ſufficit, vt æqualem det. *Abb. in cap. 1. eod. tit. num. 1.*

7 Vna Eccleſia poteſt ne cum alia permutare iura, & poſſeſſiones, & ſupplere defectum pretij?
Reſp. Poteſt ob maiorem Eccleſiæ vtilitatem cum licentia Epiſcopi facta, in re neceſſaria, inquiſitione, ita quod nulla Eccleſia damnum recipiat. *c. ad quæſt. de rerum permutat.*

8 Qui dicitur Princeps propriè?
Reſp. Imperator, Reges, Domini, ſuperiorem in temporalibus non habentes. *Abb. in cap. fin. de rerum permutat. num. 2.*

9 Inter duas Eccleſias, valet ne permutatio æqualis?
Reſp. Affirmatiuè, quia cedit in priuilegium Eccleſiæ. *Abb. c. 1. num. 5. eodem tit.*

10 Serui Eccleſiæ poſſunt ne permutari?
Reſp. Non, niſi ſint fugitiui, quia non debent in profanos vſus conuerti. *c. emancipia, c. iniuſtum, eod. tit.*

11 Præbendæ poſſunt ne permutari?
Reſp. Cum licentia Papæ, poſſunt, & nullo pacto illicito præcedente.

12 Quam pœnam incurrit Clericus, qui propria voluntate, & auctoritate permutat ſuum beneficium?
Reſp. Perdit illud, & Epiſcopus poterit alteri conferre. *c. cum olim. eod. tit.*

13 Si permutatio ex vna parte compleatur, & ex altera non, ille, qui adimpleuit, perdit ne ſuum beneficium?
Reſp. Non, ſed recuperat ſuum beneficium, quia iura ſubueniunt deceptis, non verò decipientibus. *c. cum vniuerſorum. eod. tit.*

14 poteſt ne permutari temporale pro ſpirituali?
Reſp. Non; quia eſt ſimonia. *c. fin. eod. tit.*

CAPVT XI.

De Feudis.

1 VNde dicitur feudum, vel feudatarius?
Reſp. A fide ſeruanda, quia tenetur iurare ſe ſeruaturum fidem Domino ſuo. *Hoſtienſis in ſum. tit. de feudis. num. 2.*

2 Quid eſt feudum?
Reſp. Donatio alicuius rei interueniente inueſtitura. *Hoſt. in ſum. num. 2.*

3 Quid eſt homagium?
Reſp. Idem quod fidelitas. *Specul. eod. tit. in lib. de feudis, & Hoſtienſ. vbi ſup. num. 10.*

4 In feudo directum dominium apud quem manet?
Reſp. Apud concedentem, & vtile apud illum, cui feudum conceditur. *Abb. in c. ad audientiam, nu. 14. de præſcription.*

5 Qui recuſat iurare fidelitatem, debet ne ei dari feudum?
Reſp. Non, quia de intrinſeca ratione feudi eſt, vt recipiens feudum iuret, & obſeruet fidelitatem ei, qui conceſſit feudum. *c. ex diligenti, de ſimonia.*

6 In quibus caſibus feudum reuertitur ad Eccleſiam?
Reſp. Primò, ſi vaſſallus alienat ſine licentia Domini. Secundò, ſi per mortem, vt ſi ſine ſucceſſione legitima virili moriatur. Tertiò, ſi non ſoluat per duos annos recognitionem feudi, & directi dominij. *cap. fi. de feudis.*

7 Si vaſſallus alienat partem aliquam feudi, perdit ne totum feudum?
Reſp. Non, ſed ſolam partem, quam alienauit, quia ius accreſcendi non habet locum in feudi, neque in emphyteuſim, cum ſit odioſum, & pœnale. *Abb. c. fin. de feudis. nu. 7. & 8.*

8 Propter delictum patris perdit ne filius feudum?
℞. Cum diſtinctione: ſi pater fuit primus, qui acquiſiuit, perdit filius feudum; ſi auus, vel anteceſſor acquiſiuit, non perdit filius, quia per delictum patris non debet perdere ipſe, quod pater non acquiſiuit, & ſic

& ſic ſufficit perdere, quod ipſe acquiſiuit. *Abb. in c. fin. eod. tit. nu. 9. citans pro ſe Bart. in l. cum, ff. de interdictis, & relegatione, l. iuris iurandi, §. ſi liberi, ff. de opera libert.*

9 Clericus excluditur ne à ſucceſſione feudorum, vel maioratuum?
Reſp. Non, quia ſtatutum (quod agnati excludant fœminas) habet locum, ſi Clericus ſit agnatus. *Abb. in capitul. primo, de noui operis nunciatione, numero octauo.*

10 Si vaſſallus alienet, irrequiſito domino, ſed cum clauſula (ſaluo iure dominij) quam pœnam incurrit?
Reſp. Perdit feudum; quia clauſula eum non releuat, nam per eam dominus non poteſt venire in cognitionem venditionis, & petere laudemium. *Abb. c. fin. de feud. nu.* 10.

11 Si feudatarius dedit feudũ in pignus domino ſuo propter aliquam pecuniam, tunc debent ne computari fructus in ſortem principalem?
Reſp. Non, quia tunc feudatarius nullum laborem ponit in feudo, neque illum beneficat, & ſic fructus non computantur in ſortem principalem. *capit.* 1. *de feudis.*

12 Emphyteuta, & vaſſallus poſſunt ne relinquere, & renunciare feudum, vt ſe liberent à ſeruitio domini?
Reſp. Non ſine licentia domini feudi. *Abb. cap.* 1. *de feud. num.* 4.

13 Iuramentum de non infeudando, & non alienando res Eccleſiæ, præſtitum ab Epiſcopo, quid comprehendit?
Reſp. Omnes illas res, in quibus Eccleſia habet vtile, & directum dominium; & non illas, in quibus habet ſolùm directum dominium, licèt non poſſit directum dominium alienare. *Abb. capit. fin. eodem. tit. numero* 3.

14 Iuramentum, quod faciunt Prælati, & dignitates de non feudando, ad quid extenditur?
Reſp. Ad feuda, quæ de nouo debent dari, non ad antiqua feuda, quæ iam data ſunt antiquitus, ſi ad Eccleſiam fortè reuertantur. *capit. ex parte tua de feudis.*

15 Epiſcopus poterit ne dare conſanguineo obtinenti tale feudum?
Reſp. Poterit, ſeu alteri, ita vt proſpiciat maiori vtilitati Eccleſiæ. *c. fin. de feud.*

16 Si quis habeat feudum, & reuertatur ad Eccleſiam, poterit ne Epiſcopus illud de nouo alteri infeudare?
Reſp. Poterit. *cap. fin. de feudis.*

CAPVT XII.

De pignoribus, & alijs cautionibus.

1 QVid eſt pignus?
Reſp. Res mobilis à debitore tradita creditori ad præſtandam ſecuritatem de ſoluẽdo debito, vel adimplendo promiſſum. *Azor. in ſum. tit. de pign. num.* 1.

2 Vnde dicitur pignus?
Reſp. Quia manu, vel pugno traditur à debitore creditori, & eſt quaſi hypotheca. *Azor. in ſum. eod. tit. num.* 1.

3 Quid eſt cautio?
Reſp. Eſt in aliquo negocio cauere, & dicitur à caueo, hoc eſt in tali negocio cautione reddo me magis ſecurum, vt probatur ex *leg.* 1. *Cod. de procuratoribus.*

4 Quotuplex eſt pignus?
Reſp. Duplex: prætorium, vel iudiciale. Prætorium eſt, quando actor mittitur in poſſeſſionem rei petitę propter contumaciam rei non comparentis: Iudiciale eſt, quando actor poſt ſententiam mittitur in poſſeſſionem rei alicuius, quæ auctoritate Iudicis fuit depoſita in pignus, & ſecuritatem talis debiti, & non ſolutionem pecuniæ, mittitur actor in poſſeſſionem talis rei. *leg. ſi decreto. C. qui potiores in pignore habentur.*

5 Quid eſt pignoratitia actio?
Reſp. Actio, quę datur creditori non ſolùm aduerſus pignus, ſed directè aduerſus perſonam debitoris ad hoc, vt conſtringatur ad ſolum debitum eadem actio pignoratitia debitori aduerſus creditorem, vt teneatur diligenter cuſtodire rem in pignus acceptam. *Inſtitut. quibus modis contrahitur obligatio. §. final.*

6 Quid eſt in pignus committi?
Reſp. Eſt quando rem ſub conditione pignoraui, & tempore debito non ſolui; tunc propriè dicitur in pignus committi, id eſt quòd pignus amittitur ob non ſolutionem.

7 Quibus modis alicui traditur aliqua res in pignus?
Reſp. Primo modo, ſimpliciter, vt, cum dico, do tibi pallium meum, vel vas argenteum in pignus, & ſecuritatem, donec reddam tibi viginti aureos, quos mihi gratuitò accommodas. Secundo, ſub conditione, vt cum dico, tu mihi accommoda decem aureos, & do tibi in pignus vas argenteum, quod valet viginti aureos, & ſi intra duos menſes decem aureos tibi non reddidero, ego perdam vas argenteum, tuque illud acquiras. Tertio, ſub alia conditione, nempe commoda mihi centum aureos, & do tibi in pignus meum equum, vel meam hæreditatem, ea conditione, vt ego vtar tuis pecunijs, & tu vtaris in tuam vtilitatem meo equo, vel meo agro; & cum ego reſtituam tibi centum aureos, & tu reſtitues mihi meum agrum in eo ſtatu, in quo tibi illum tradidi.

8 Qui habet in pignus agrum, vel domum, & ex illorum vſu, vel locatione, vel meo labore recipio tantam pecuniam, iſta pecunia debet computari in ſortem principalem?
Reſp. Affirmatiuè; quia fructus pignoris computantur in ſortem principalem, alias eſſet vſura manifeſta. *cap. cum contra de pignorib. & alijs cautionibus, & ibi gloſſa.*

9 Pignus alienum in qua quantitate poſſum illud pignorare?
Reſp. Solùm in ea quantitate, vel minori, in qua ego illud habeo; ſed non in maiori. *Abb. c. cum contra, eod. tit. num.* 4. 5. & 7.

10 Si aliquis emat rem cum pacto reſtituendi, & reſtituta maiori pecunia retrouendat, erit ne vſura?
Reſp. Affirmatiuè, & etiam ſi ex tali re, vel ex prouentu talis rei recipiat aliquid vltra ſortem principalem, talis contractus eſt vſurarius. *capit. illo vos, eodem titulo.*

11 Quę probatio requiritur ad probandam vſuram?
Reſp. Sufficiunt coniecturæ, & nudæ præſumptiones, quia eſt delictum occultum. *Abbas cap. illo vos, eod. tit. num.* 4.

12 Si quis pignoret rem cum pacto commiſſorio; ſcilicet quòd, ſi intra annum non reſtituat pecuniam, amittat pignus, tale pactum valet ne?
Reſp. Non, ſed finito anno poterit ſoluere pecuniã, & reſtituere ſuum pignus, quia iniquum eſt ex parua quantitate, vt quis perdat magnum pignus. *capit. ſignificante, eod. tit.* ſed ſi pignus nõ valeat plus, quam pecunia, erit bonus contractus.

13 Ad quem Iudicem ſpectat facere, vt quis computet fructus pignoris in ſortem principalem?
Reſp. Ad Iudicem Eccleſiaſticum, quia eſt quæſtio de vſura. *Abb. c. ſignificante, eod. tit. num.* 2.

14 Vſufructuarius quomodo poteſt vti rebus ſibi in vſumfructum datis, vel commodatis?
Reſp. Tenetur vti ſalua rerũ ſubſtantia, aliàs tenetur reddere æſtimationem, & valorem talis rei arbitrio boni viri, & ad hoc debet dare cautionem. *Abb. c. fin, de pignorib. num.* 1.

15 Si quis iuramento renuntiet forum, & priuilegiũ, cap. Odoardus, vel ceſſionem bonorum, valet ne talis renuntiatio?
Reſp. Non, quia hoc eſſet renuntiare ſuam libertatem, & homo nõ eſt Dominus membrorum ſuorum, nec ſuæ libertatis. *Abb. c. lator, eod. tit. num.* 2.

16 Si quis iuret, quod finito anno amplius non petet ſuum pignus, valebit ne tale iuramentum?
Reſp. Tale iuramentum non firmat contractũ, quia factum eſt contra legem, ſed iurans tenetur adimplere; ratio eſt, quia quoties iuramentum eſt contra diſpoſitionem alicuius legis, vel Canonis, quę diſponit aliquid in fauorem iurantis, & in damnum, vel pœnam alterius, iurans tenetur adimplere, quia poteſt renuntiare fauori ſuo; nam iuramentum ſemper eſt adimplendum, quoties poteſt ſine peccato adimpleri. *Abb. capitul. ſignificante, de pignoribus, numero* 4.

17 Rector Eccleſiæ ſi pignorat rem Eccleſiæ in ſuum commodum, ad quid tenetur hæres eius?
Reſp. Ad ſoluendum debitum, & clericus, ſi exiſtat, punitur pęna graui, quia facit, quod Epiſcopus non poteſt facere. *c. ex præſentium. eod. tit.*

18 Hæres tenetur ſoluere debitum eius, qui reliquit hæreditatem?
Reſp. Tenetur actione reali, ſi fecit inuentarium, quo ad vires hæreditarias, ſed non tenetur actione perſonali; non enim poterit incarcerari. *capit. ex præſentium. eod. tit.*

19 Succeſſor in beneficio tenetur ſoluere debitum ſui anteceſſoris?
℞. Cum diſtinctione: ſi contraxit debitũ pro neceſſitate Eccleſiæ, tenetur; ſi verò pro ſua non tenetur, niſi beneficium fuiſſet tam tenue, quòd non poſſet ſubſtentari anteceſſor, & tale debitum fuit contractum ad ſubſtentationem, & firmitatem anteceſſoris, dum ſeruiebat Eccleſiæ, tunc etiam tenebitur ſucceſſor. *Abb. cap. ex præſentium, eodem tit. num.* 5.

20 Bona clericorum patrimonialia gaudent ne priuilegio Eccleſiaſtico?
Reſp. Gaudent, ſicut bona Eccleſiæ, quia acceſſoriũ ſequitur ſuum principale. *Abb. cap. ex litteris, eodem tit. num.* 12.

21 Si res in pignus data furetur in poteſtate creditoris, tenetur ne creditor eam reſtituere?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi adhibuit exactam diligẽtiam, ſcilicet illam, quam in ſuis rebus adhibet, non tenetur illam reſtituere, & nihilominus poteſt repetere ſuum debitum; ſi verò ſua culpa pereat, vel furetur, tenetur ſoluere pignus. *inſtit. quibus modis re contrahitur obligatio.* §. *fin.*

22 Si quis mittit rem commodatam per nuntium, vel famulum, & talis fugiat, quis tenetur ſoluere talem rem?
Reſp. Ille, qui miſit famulum non fidelem. *Abb. cap. ſignificante, de pignorib. num.* 8.

23 Pignus ſi deterioretur, quis tenetur ſoluere deteriorationem?
Reſp. Creditor, quia habet in ſua poteſtate pignus, ſicut locator tenetur de damno rei locatæ, vel commodatæ. *Abbas c. cum contra, eod. tit. nu.* 11.

24 Si finito tempore pecunia non reſtituatur creditori, quid poteſt facere talis creditor de pignore?
Reſp. Comparere ante Iudicem, citare debitorem, & ſi non ſoluerit, publicè vendere pignus cum auctoritate Iudicis, & accipere ſuam pecuniam cũ expenſis, & quod ſupereſt, reddere Domino pignoris, vel depoſitare. *DD. c. ſignificante, de pignoribus.*

25 In caſu, quod pignus vendatur, creditor poterit ne emere illud?
Reſp. Si publicè vendatur, & cum auctoritate Iudicis, emendo nemini facit fraudem. *DD. cap. ſignificante, eod. tit.*

26 Homo liber poteſt pignorari?
Reſp. Non, ſed poteſt obligari ex bonis, & perſona. *c. lator, de pignoribus.*

27 Si homo liber ſit in carcere, & velit cedere bonis, debet ne retineri incarceratus?
Reſp. Non, quia quamdiù eſt in carcere, licèt detineatur eius perſona, non detinetur ratione perſonæ, ſed ratione ſuorum bonorũ, quibus ceſſit creditoribus, debet è carcere liberari; homo enim liber non poteſt renuntiare priuilegio libertatis. *l.* 1. *C. qui bonis cedere poſſunt.*

28 Si aliquis debitor ſit ſuſpectus de fuga, poteſt ne capi ante diem ſolutionis?
Reſp. Poteſt, donec det fideiuſſionem. *Abb. c. lator, de pignoribus, num.* 4.

29 Si aliquis pignoret rem alienam, proprius Dominus poteſt ne illam vendicare?
Reſp. Poteſt etiam non ſatisfacto creditore. *Abb. c. ex præſentium. eod. tit. num.* 7.

30 Eccleſiæ quando, & quibus debent impignorari?
℞. Quando vrget neceſſitas, & clericis, ſi fieri poteſt: his deficientibus laicis. *c.* 1. *de pignoribus.*

31 In quibus caſibus res Eccleſiæ poſſunt vendi, & conſumari, & impignorari?
Reſp. In redimendis captiuis, ædificandis Eccleſijs, ſubſtentandis pauperibus tempore famis, tunc Eccleſia tenetur ſubuenire in quantum poſſunt ſuæ facultates. *Abb. c.* 1. *de pignor. nu.* 5.

32 Qui nam habent bona obligata ad malã adminiſtratio-

ſtrationem tacita hypotheca, etiam ſi per ſcripturã non ſint obligati?
Reſp. Epiſcopus, tutor, conditor vectigalium, Iudices, gubernatores tacitè ſine vlla ſpeciali hipotheca habent ſua bona obligata, & conſtituta quaſi in pignus ad ſoluendam malam adminiſtrationem ſua culpa factam in bonis Eccleſiæ, minoris, Regis, Reipub. *Abb. cap. ex litteris, eod. tit. nu.* 10.

33 Pignus mihi obligatum, poſſum ne ego alis obligare?
Reſp. Affirmatiuè, licèt ego tenear ad conſeruationem, & reſtitutionem. *cap. cum contra, eod. tit.*

CAPVT XIII.

De Dote.

1 QVid eſt dos?
Reſp. Eſt omne illud, quod datur à muliere marito ab ſubſtentanda onera matrimonij, vel datur à Patre, vel extraneo ad eleemoſinam, vel ad opera pia. *Azor. in ſum. C. de iure dotium. nu.* 1.

2 Quare datur dos marito?
Reſp. Propter onera matrimonij ad ſubſtentationẽ mulieris, & liberorum. *Bald. in l.* 1. *C. de priuileg. dotium. l. pro oneribus. C. de iure dotium.*

3 Dotis promiſſio quomodo fit?
Reſp. Per ſtipulationem. *Azor. vbi ſup. nu.* 7.

4 Cauſa dotis eſt ne fauorabilior cauſa alimentorũ?
Reſp. Affirmatiuè; ratio eſt, quia dos includit in ſe alimenta, & vinculum matrimonij, vſque ad mortẽ. *Bald. in l. legatum. C. de condit. inſer. & Abb. c. peruenit, de arbitris, nu.* 1.

5 Fructus dotis ad quem pertinent?
Reſp. Ad maritum ſubſtinentem onera matrimonij. *l. pro oneribus. C. de iure dotium.*

6 Per quod tempus poteſt maritus retinere dotem?
Reſp. Per tempus, quo durat matrimonium, ſed ſoluto matrimonio dos debet redire ad vxorem, vel eius hęredes, *l. penul. C. de pactis conuentis ſuper dotem. cap.* 1. *&* 2. *de don. inter vir. & vxor.*

7 Maritus ad recipiendam dotem tenetur nè dare fideiuſſionem?
Reſp. Non, duabus rationibus. Prima, quia cui traditur in poteſtate mulier, benè poteſt tradi dos, cum ſit minus. Secunda, quia cum ſit vna caro, & perſona cũ muliere, dos efficitur res propria, & de re propria nullus dat fideiuſſionem. *l.* 1. *per tot. C. de iure dotium.*

8 In quo tempore debet reſtitui dos?
Reſp. Si bona ſint mobilia ſtatim, ac ſoluitur matrimonium, immobilia verò vſque ad annum non tenetur reſtituere & tunc tenetur reſtituere hæredibus vxoris medietatem bonorum acquiſitorum durante matrimonio. *Abb. in c. prudentiam. nu.* 5. *de donat. inter vir. & vxor.*

9 Si maritus diſſipet dotem, vel veniat ad inopiam, poteſt nè peti ab eo, vt det fideiuſſionem de dote?
Reſp. Poteſt, vel tolli ab eo adminiſtratio. *l.* 1. *vbi ſup. C. de iure dot.*

10 Si maritus veniat ad inopiam, mulier poterit nè vendicare donationem dotalem?
Reſp. Poterit, ſicut ſi eſſet vidua. *l. donationem. C. de iure dotium.*

11 Si vir diſſipet dotem, vel ſua culpa veniat ad inopiam, & non poteſt dare cautionem dotis, quid agendum?
Reſp. Dos debet poni apud mercatorẽ, vt ex fructibus, & lucris honeſtis ſubſtententur vir, & vxor. *cap. per veſtras, de donat. inter vir. & vxor.*

12 Si vir ad paupertatem peruenit, & non poteſt pręſtare fideiuſſionem, ad quid tenetur?
Reſp. Ad præſtandam iuratoriam cautionem, quia in re impoſſibili ponitur remedium poſſibile. *Abb. in cap. per veſtras, nu.* 5. *de donationibus inter virum, & vxorem.*

13 Quibus modis acquirunt vir, & mulier?
Reſp. Per contractus, per donationes factas vtriuſq; per conſeruationem, & augmentationem bonorum, & ſoluto matrimonio vir tenetur ſoluere medietatẽ mulieri. *Abb. in cap.* 2. *eod. tit. num.* 3. *capit.* 1. *&* 2. *eod. titulo.*

14 Mulier pro dote, contra quem poteſt agere?
Reſp. Contra Eccleſiam, & contra quemlibet detinentem bona mariti, quia cauſa dotis eſt priuilegiata. *c. ex litteris, de pignoribus.*

15 Si filia nubat ſine conſenſu patris, vel contraria eius voluntatem, vel eo contradicente, tenebitur nè eam dotare?
Reſp. De iure antiquo ciuili non tenetur eam dotare, ſiue nubat cum æquali, vel cum inferiori, ratio eſt, quia de iure ciuili antiquo conſenſus patris requirebatur, de ſubſtantia matrimonij, *vt tenet Ioannes Enotymus lib.* 4. *de actionibus*, *§. fuerat, fol.* 4. de Iure vero Canonico aliter dicendum eſt, nempè patrem teneri dotare filiam, etiam ſi nubet contra eius voluntatem; ratio eſt, quia cõſenſum patris non requiritur de neceſſitate matrimonij, ſed ſolùm de honeſtate, vt habetur, *in cap. ſufficiat.* 27. *q.* 2. *c. honorantur,* 32. *q.* 2. *gloſſ. in c. hoc Sanctum.* 32. *q.* 2. *Panor. in cap. cum cauſam, de raptoribus, nu.* 5.

16 Si filia nubet contra voluntatem patris viro indigno contra honeſtatem familiæ, veluti mulier nobilis, nubet cum infami, vel cum viro diſcendit ex ſanguine Iudæorum, tunc tenebitur nè pater dotare talem filiam?
Reſp. Tunc non tenebitur eam dotare; ratio eſt, quia ſicut ingratus propter ingratitudinem perdit donationem, ſic iſta filia reputatur, vt ingrata, quia dat dedecorem, & infamiam familiæ ſuę. *teſtet. Abb. in c.* 1. *nu.* 6. *de deſponſatione impuberum, & cap. accedens de procur. num.* 6.

17 Si filia nubet contra voluntatem patris viro nobili, vel ignobili, tenebitur nè pater eam dotare?
Reſp. Non, immò ſi eam dotet, promiſſio erit nulla ratio eſt, quia dos non debet conſtitui in fraudem creditoris. Secundò, quia ad impoſſibile nemo obligatur, cum non entis nullæ ſint qualitates, & dos debet promitti rebus poſſibilibus. *l. ait prætor, & l. fin. ff. quæ in fraudem creditorum, & l. quæro, & l. cum poſt. ff. de iure dotium.*

18 Si filia ſit ingrata patri, veluti faciendo ei aliquã grauem iniuriam, vel non adiuuando illum in ſua neceſſitate, vel accuſando illum de aliquo crimine, vel inferrendo in illum manus violentas, cum percutiendo, vel intentando illum occidere, veneno, vel gla-

gladio tenebitur ne pater dotare talem filiam?
Reſp. Non tenebitur eam dotare; ratio eſt, quia ingratitudo tollit debitum naturæ, ita vt propter eam filius poſſit exhæredari, inſtituta; de exhæredatione liberorum. *Panorm. in c.fin.de don.nu.1.& 5.*

19 Si filia iam ſit dotata, poterit ex cauſa ingratitudinis repeti dos?
Reſp. Licèt ingratitudo ſit ventus vrens, & ſiccans fontem miſericordiæ, rorem pietatis, & fructum gratię, tamen ſi dos fuit iam recepta, propter ingratitudinem non reuocatur; ratio, eſt, quia donatio dotis fuit libera abſque aliqua conditione, & ſit recepta, repeti non poteſt; & ingratitudo tollit recipienda de futuro, nō recepta de præterito. *tenet Ioannes Enotomus lib. 4. de action.§.fuerat, tit. 4. verb. qui dotare tenetur.*

20 Quando filia eſt diues, & habet bona aduentitia, tenetur nè pater illam dotare?
Reſp. Non tenetur eam dotare; ratio eſt, quia licèt pater teneatur alere filios, quos genuit, tamen ſi filij ſint diuites, & habeant bona aduentitia, vel habeant officia ex quibus laborādo poſſunt ſe alere, pater nō tenetur eos alere, & ſic multò minùs tenebitur dotare filiam diuitem ex bonis aduentitijs, vt elegāter *tenet Bal. in l. ſi pater. nu. 1. C. de dotis promiſſione l. ſi quis à liberis, ff. de liberi agnoſcend.*

21 Quæ dicuntur bona aduentitia?
Reſp. Illa bona, quæ non ex hæreditate neceſſaria, ſed aliunde arte, labore, vel caſu adueniunt hominibus veluti ex donationibus factis ab extraneis, ex mercatura, vel ex bello, vel ex labore ſuo, vel arte, & dicuntur aduentitia, quia non neceſſariò veniunt, ſed ex voluntate alterius, vel ex induſtria, vel bona fortuna proprij hominis, vel mulieris.

22 Quæ dicuntur bona profectitia?
Reſp. Illa bona, quæ veniunt hominibus ex neceſſaria hæreditate abſq; aliqua ſua induſtria, vt hæreditas patris vel aui, & dicuntur profectitia, quaſi proficiſcantur ex fontę neceſſario abſq; aliquo labore.

23 Filia, in qua ætate debet nubere?
Reſp. Pater debet curare, vt ante vigeſimumquintū annum nubat, quia eſt magnum periculum amittendi caſtitatem, & quantò citiùs nubit, eò ſecuriùs. *Abb. in c. ex litteris de diuortijs, nu. 8.*

24 Si filia ſit meretrix tenebitur nè pater eam dotare?
Reſp. Cum diſtinctione, ſi pater diſtulit filiæ nuptias, vltra vigeſimumquintum annum, vel ſi mulier meretrix, conuertatur, & agat pœnitentiam; tunc pater tenetur eam dotare; ratio eſt, quia patria poteſtas debet imitari Dei clementiam, ſed interroganti Petro, ſi frater meus peccauerit in me quoties parcā ei ſepties? Reſpondit Chriſtus dominus ſeptuagies ſepties, vbi ponitur numerus infinitus pro infinito, & ſic licèt fuerit meretrix, dum conuertitur, pater multò fortiùs tenetur eam dotare; ſi verò mulier ante vigeſimumquintum annum fuerit meretrix, & non conuertitur à ſuo peccato, tunc pater non tenetur eam dotare, immò poteſt illam exhæredare, quia abutitur corpore ſuo, & amittit ſuam pudicitiam, & dat infamiam ſibi, & patri, & parentibus, *vt tenet Campeggius in tractatu dotis in prima parte quæſt. 13. num. 3. l. ſi filiam. C. de inofficioſo teſtamento Authentica ſed ſi poſt, Cod. de inofficioſo teſtamento, & ibi Paulus de Caſtro, Speculator, in tit. qui filij ſint legitimi, numero 16. Abbas vbi ſupra.*

25 Si filia ſit hæretica, vel Iudæa pater catholicus tenebitur eam dotare?
Reſp. Non, tenetur eam dotare, licèt ſit virgo honeſta moribus, & virtutibus moralibus; ratio eſt, quia deficit in fide, quæ fides eſt fundamentum virtutum, & bonorum operum, ſine qua quis non poteſt ſaluari, vt habetur in gloſſa ſingularis *in l. ſi verò, ff. de in rem verſo. l. cognouimus. C. de hæreticis.*

26 Pater naturalis tenetur nè dotare filiam naturalem?
Reſp. Cum diſtinctione, ſi filia naturalis habeat bona, & ſit diues pater naturalis, non tenetur eam dotare, ratio eſt, quia non obligatur tantum, quantum pater legitimus; ſed filia ſit pauper, tenetur eam dotare, ſicut compellitur præſtare ei alimenta; vt ſubſtentetur, vel ſi eam non vult dotare, debet eam perpetuò alimentare, quia hoc poſitum eſt in voluntate patris. *Campeggius 1. parte tractatu de dote. queſt. 15. Bar. in l. vxorem, §. pater naturalis. ff. de legatis. 3. Bal. l. ſi. C. de dotis promiſſione.*

27 Mater poteſt compelli ad dotandam filiam?
Reſp. Mater non tenetur dotare filiam; ratio eſt, quia hoc eſt officium paternum, ſicut alere filios. *l. neq; mater. C. de iure dotium.*

28 Quibus in caſibus mater tenetur dotare filiam, & filios alere?
Reſp. Mater tenetur dotare filiam, & filios alere. Primò, quando pater eſt pauper, & mater diues, tunc ſuccedit in officium patris. *l. ſi quis a liberis, §. ergo, & matrem, ff. de liberis agnoſcendis.* Secundò, ſi mater ſit Iudæa, vel hæretica, tunc cogitur filiam Chriſtianam dotare. *gloſſa in l. neque mater, ſupra allegata. l. cognouimus. C. de hæreticis.*

29 Filius tenetur nè dotare matrem viduam?
Reſp. Tenetur, ſi mater ſit inops, & non habet vnde ſe dotet: ratio eſt, quia filius tenetur alere matrem, & patrem pauperes. *l. 1. C. de alendis libris ex vinculo naturali.*

30 Si pater in teſtamento aſſignauit agrum, vnde dotari debeat eius filia, in iſto caſu ad quid tenetur frater talis mulieris?
Reſp. Frater non ſolum tenetur dotare ſuam ſororē in iſto caſu, ſed etiam tenetur dotare illam in illo particulari fundo, & dum non conſtituit, & tradidit dotem, non debent illi numerari alimenta, ſed gratis tenetur eam alere. *vt tenet Bar. in l. qui filium, ff. vbi pupi. educari debeant, gloſſa in l. tam dementis ſuper verbo, nobiliores; C. de Epiſcopali audientia.*

31 Actio dotis contra quem datur?
Reſp. Primò, contra vxorem, quæ dotem promiſit pro ſe marito. *l. ſi extraneus. ff. de iure dotium.* Secundò, contra patrem vxoris, & contra ſocerum. *ex dicta l. ſi extraneus.* Tertiò, contra hæredes ſoceri, vel patris. *ex l. ſi pro te. C. de dote promiſſa.* Quartò, contra extraneum, qui promiſit dotem, *l. ſi extraneus, & tandem datur contra opera pia, & contra omnes qui promiſſerunt dotem, l. promittendo. ff. de iure dot.*

32 Si vxor non habeat vnde viuat, à quo debet alimentari?
Reſp. Ab hæredibus mariti, donec dos integra reſtituatur. *Abb. in c. de prudentia, nu. 5. eod. tit.*

33 Si quis committit delictum, ex quo perdit omnia ſua bona, dos mulieris includitur nè tali pena?
Reſp. Non, ſed ſemper debet eſſe ſalua, & intacta

etiam

etiam contraria fiſcum. *Abb.in c.ex litteris, num.2.de pignor.alijs cautionibus.*

34 Quotuplex eſt dos?
Reſp. Duplex; vna profectitia, alia audientia. *l. profectitia,ff.de iure dot.*

35 Quæ eſt dos profectitia?
Reſp. Illa, quæ procedit à patre, auo, vel neceſſariò hærede. *l.profectitia,ff.eod.tit.*

36 Si gener alienet agrum, quod datum eſt ſibi in dotem talis alienatio valet?
Reſp. Si ager non fuit æſtimatus, talis alienatio non valet, etiam ſi facta ſit conſtante matrimonio, quia eo ſoluto debet reſtitui patre ſine filijs; ſi verò ager eſtimatus fuit pecunia, debet reſtitui ager, vel eius æſtimatio, & valebit alienatio facta, cum non ſit in damnum patris. *l.rem quam.C.de iure dotium.*

37 Quæ eſt dos aduentitia?
Reſp. Illa, quæ ab extraneo, peruenit, vt ab opera pia, *l.filiæ dotem.C.de coll.*

38 Si quis promittit agrum in dotem filiæ ſue tenetur nè de euictione?
Reſp. Si poſt traditionem tollatur marito per litem tale fundum, poteſt petere à patre mulieris actionē euictionis, vt certum faciāt agrum vel pretium eius, quia dos debet eſſe certa. *l.1.C.de iure dot.*

39 Si res dotalis auferatur, quis tenetur petere eam, qui dedit, vel maritus?
Reſp. Maritus, qui habet ius directum, & vtile. *l. de ijs,quæ.C.de iure dot.*

40 Dos quomodo probatur?
Reſp. Per inſtrumenta, & ſi amittat, per teſtes, & legitimas præſumptiones *l.cum citra fidem.Cod.de iure dot.*

41 Si quis det proprietatem in dotem retēto vſufructu, poterit nè eam vendere in præiudicium proprietarij?
Reſp. Non, quia dos eſt priuilegiata. *l.res quas.Cod. de iure dot.*

42 Si ſit lis inter dotem mulieris, & fiſcum, quis eſt præferendus?
Reſp. Paria ſunt iura, & ideo attendenda eſt data ſcripturæ, & anterior in data prefertur. *l.dotis tuæ. C.de iure dot.*

43 Pater poteſt dotare filiam ex bonis, vel dote vxoris ſuæ?
Reſp. Non; niſi conſentiente vxore, quia talia bona ſunt propria vxoris, dum viuit. *l. neq; mater pro filia.C.de iure dotium.*

44 Si ſoror habeat bona indiuiſa cum fratribus, poteſt nè partem ſuam in dotem dare?
Reſp. Affirmatiuè, etiam fratribus ignorantibus, vel inuitis, quia diſponit de bonis ſuis in ſuam utilitatem. *l.ante diuiſionem. C. de iure dot.*

45 Vxor poteſt nè uendere prædium dotale?
Reſp. Non, marito non conſentiente; quia illa non habet liberam adminiſtrationem dotis, ſed ſimul cū marito, qui eſt caput mulieris. *leg.ſi prædium. Codic.eod.*

46 Si culpa mulieris dos perdatur, vel minuatur, debet nè reuerti (ſoluto matrimonio) ad eum, qui dedit dotem?
Reſp. Non, *l.ſi dotem. C.eodem de iure dotium, niſi id expreſſè fuerit ſtipulatum.*

47 Pater poteſt ne ſtipulare dotem filiæ ſuæ, ut ſoluto matrimonio, extraneo reddatur?
Reſp. Non, *l.ſi genero.C.eod.*

48 Si mulier ſit minor quomodo poterit conſtituere dotem?
Reſp. Auctoritate tutoris, & curatoris ſui. *l.vbi adhuc.C.eod.*

49 Seruus dotalis poterit nè per uirum manumitti?
Reſp. Non, licèt poſſit uendi, & locari. *l. & ſi dotis, C.de iure dot.*

50 Si dos mulieris ſit data in hypothecam creditoribus mariti, mulier petens dotem, quem locū habet?
Reſp. Primum, quia agit in re propria. *l.in rebus dotalibus.C.de iure dot.*

51 Fructus decimarum poſſunt nè in dotem concedi?
Reſp. Non, licèt poſſint uendi, & locari. *Abb.in cap. peruenit, de arbitris.nu.2.*

52 Mulier poteſt nè dare in dotem bona futura ſibi pertinentia?
Reſp. Si expreſsè ſcriptura dicat, quòd dat in dotem talem fundum, & omnia bona futura ad ipſa pertinentia, tunc poterit dare futura; ſi uerò non dicat expreſsè in uniuerſali clauſula, futura bona non intelliguntur. *l.nulla.C.de iur.dot.*

53 Si in dotem detur marito fundus ęſtimatus, tenetur nè mulier, uel pater eius ad conſeruationem talis fundi, & pretij?
Reſp. Non, ſed augmentum pretij fundi, & diminutiones fructuum cedunt in utilitatem, uel damnum mariti, quia mulier, uel pater eius ſolùm tenetur nō facere fraudem tempore traditionis fundi. *l.cum dotem æſtimatam. C.de iure dot.*

54 Si ex numerata pecunia ematur ager à marito, erit nè res dotalis?
Reſp. Non, & ſi mulier petat reſtitutionem, debet petere pecuniam, & non agrum; ratio eſt quia maritus nō tenetur, niſi ad illud, quod accepit, & emptiones, & uenditiones ſunt cum periculo, & commodo mariti. *l.ex pecunia dotali.C.de iur.dot.*

55 Cum ager æſtimatur, & in dotem datur, quid datur in dotem, ager, an æſtimatio?
Reſp. Ager tamen tempore reſtitutionis, ſi deterioretur culpa uiri debet reſtitui iuxta extimationem. *l. ſi inter virum.C.eod.tit.de iure dot.*

56 Mater poteſt nè dare dotem filiæ ſuæ de ſubſtantia aliorum filiorum?
Reſp. Non, quia hæc bona ſunt aliena, & de alienis quis dotare nō poteſt. *l.ſi à matre veſtra.C.eo.tit.de iure dotium.*

57 Donatio propter nuptias excedens legitimam quantitatem, indiget nè inſinuatione?
Reſp. Affirmatiuè, quia inſinuatio reſpicit utilitatē dantis, nè liberalitate fiat deterioris conditionis, nō uerò recipientis. *l.cum quidam.C.eod. titulo de iure dotium.*

58 Si pater uſurarius dederit dotem filiæ ſuæ, poteſt nè dos repeti à creditoribus ipſius uſurarij?
Reſp. Diſtinguendum, ſi dos data ſit in pecunia numerata, non poteſt repeti, ratio eſt, quia pecunia nō habet ſignum, ſi uerò detur fundus extortus ex uſuris, poteſt repeti, quia cognoſcitur, ut res uſuraria, & aliena. *Ang.in leg.Lutius,ff.quibus modis pignus, vel hypoth.*

59 Si maritus mittatur in exilium, mulier poterit nè repetere dotem à marito?
Reſp. Poterit; quia, qui exulatur, æquiparatur mortuo. *Abb.in c.ex litteris,de pignor.nu.6.*

60 Fra-

60 Frater Clericus tenetur nè dotare ſororem pauperem?

℞. Tenetur, & ſi non habeat aliunde, de decimis ſui beneficij. *Abb. in c. peruenit. nu. 1. de arbitris. & c. 1. de cohab. Cler. & mulier.*

61 Quo caſu perdit dotem mulier?

℞. Si ſit adultera; & propter adulterium à uiro ſeparatur. *c. plerumque, de donat. inter vir. & vxor.*

62 Si maritus propria auctoritate expellat mulierē, lucratur nè dotem?

℞. Si adulterium eſt publicum propria auctoritate expulſa muliere lucratur; ſi uerò non ſit publicum, lucratur poſt ſententiam Iudicis. *Abb. in c. plerunque, nu. 4. eod. tit.*

63 Maritus poteſt nè reppellere uxorem, ſi dos promiſſa non ſoluatur illi?

℞. Affirmatiuè; quia in hoc caſu ſit iniuria, & frauſ marito, dando illi uxorem, & non dotem, de qua uiuat, quia non ſoluta dote non tenetur maritus ad onera matrimonij, cum dos inſtituta fuerit ad ea ſupportanda. *Abb. in c. per veſtras. num. 4. 5. & 6. eod. tit. de don. inter vir. & vxor.*

64 Repetitio dotis ad quem iudicem pertinet?

℞. Incidenter ad Iudicem Eccleſiaſticum.

65 Delegatus in cauſa matrimoniali, ſi pronunciet diuortiū poteſt nè pronūtiare ſuper reſtitutione dotis?

℞. Affirmatiuè: quia hæc ſunt annexa, & unum ſequitur ex alio. *c. de prudentia veſtra. de donat. inter virum, & vxorem.*

66 Si delegatus in cauſa matrimoniali det ſententiā ſuper matrimonio, eſt nè functus officio ſuo?

℞. Non donec pronuntiet ſuper dote; quia licet cōmiſſio de dote nihil loquatur intelligitur tanquam quid acceſſorium ad matrimonium. *Abb. in c. de prudentia, eodem titulo, numero 4. de donation. inter vir. & vxor.*

CAPVT XIV.

De Fideiuſſoribus.

1 QVis eſt fideiuſſor?

℞. Ille qui alienam obligationem ſuam propriam facit, & pro alio promittit ſe ſolutionem, & ex iſta promiſſione efficitur debitor, ſicut pars principalis. *inſt. de fideiuſſoribus. in principio. & leg. 1. & 2. ff. eod. tit. & Azor. in ſum. tit. de fideiuſſorib.*

2 Quotuplex eſt fideiuſſor?

℞. Duplex; in re aliena, vt ſupra eſt definitum, & in re propria, vt cum quis fideiubet ſuo procuratori ſe ſoluturum, iudicatur à Iudice, & quod damnum non patietur. *vt l. ſi defunctus, ff. de procur.*

3 Fideiuſſio fit nè verbo, vel ſcripto?

℞. Vtroque modo; & verbo quis promittit, & ſcripto ſe ſoluere pro altero corā teſtibus, qui faciant fidem. *Azor. in ſum. tit. de fideiuſſoribus. nu. 5.*

4 Quibus prohibitum eſt fideiubere?

℞. Clericis: ratio eſt, ne ſummittant ſe in poteſtate alterius, & minoribus, & omnibus, qui ſunt in alieno dominio. *c. 1. eod. tit. noſtro.*

5 Clericus poteſt fideiubere pro laico paupere de iudicio tertij?

℞. Non; quia Iudex ſæcularis eſt incapax cognoſcendi de Clerico. *Abb. in c. 1. de fideiuſſoribus. num. 3.*

6 Quod periculum currit ille, qui fideiubet per alios?

℞. Salomon in prouerb. c. 6. dicit fili ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum animam tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus, fac ergo, quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manus proximi tui, diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormittēt palpebræ tuę, eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.

7 Si monaſterium expendat pecunias mutuatas ſuo religioſos in pompas, vel res ſuperfluas, tenetur nè monaſterium, vel Ab. ſucceſſor ad ſoluendum?

℞. Affirmatiuè, quia quod benè, vel malè, vel ſuperfluè expendatur, non eſt in culpa illius, qui dedit pecunias, nec illius, qui accepit mutuo, ſed Abbatis, qui fecit expēſas. *Ab. in c. quod quibuſdā, de fideiuſſ. n. 9.*

8 Clericus poteſt nè fideiubere pro alio Clerico?

℞. Poteſt, cum ſint ambo eiuſdem iuriſdictionis, & fideiubere ſit bonum, quia eſt alium adiuuare. *Abb. in c. peruenit, de fideiuſſ. nu. 1.*

9 Quo caſu poteſt Clericus fideiubere pro paupere?

℞. In caſu charitatis. *Abb. c. 1. nu. 3. eod. tit.*

10 Si quis ſe obligat dare fideiuſſorem, liberatur nè ab obligatione dando Clericum?

℞. Non; quia obligatio talis intelligitur de perſona habili.

11 Si Clericus fideiubeat, debet nè ſatisfacere de redditibus ſui beneficij, vel patrimonij?

℞. Primum de patrimonio, & ſi non habeat, de redditibus beneficij ſui, ſed non poteſt poſt mortem relinquere beneficium obligatum creditoribus. *Abb. c. 1. eod. tit. nu. 2.*

12 Si religioſus fideiubeat, tenet nè ad ſolutionem, vel recipiat mutuò?

℞. Non niſi fideiuſſio conuerſa ſit in vtilitatem Eccleſiæ, vel conuentus, vel ſi talis religioſus habeat ſpeciale mandatum ad recipiendum mutuum à mercatoribus, & tunc monaſterium tenetur. *c. quod quibuſdam, eod. tit.*

13 Quis tenetur probare talem pecuniam conuerſā eſſe in vtilitatem Eccleſiarum, vel monaſterij?

℞. Ille, qui petit mutuum, vel religioſus, qui accepit, & non monaſterium, neq; Eccleſia. *Abb. in c. quod quibuſdam, de fideiuſſor. nu. 4.*

14 Abbas, qui ſuccedit in monaſterio, vel quælibet alia dignitas tenetur nè ad debita ſui prædeceſſoris?

℞. Non; niſi probentur cōtracta, & expenſæ in vtilitatem Eccleſię. *Abb. in c. quod quibuſdam, eo. tit. n. 7.*

15 Si quis fideiubeat pro Clerico, ad quid tenetur Clericus?

℞. Ad ſeruandum illum, vt non ſit læſus etiam cum bonis ſui beneficij. *c. peruenit. eod. tit.*

16 Fideiuſſor ſi ſoluat pro principali, contra quem habet actionem?

℞. Contra principalem, pro quo ſoluit debitum, & habet iuſtiſſimam actionem in via executiua, tam pro principali, quàm pro expenſis. *Abb. in c. peruenit, nu. 2. eod. tit.*

17 Si ſint plures fideiuſſores pro vno debito inſolidū, & vnus ſoluat, ille contra quos habet actionem?

Reſp. Con-

Reſp. Contra principalem debitorem, & contra ſuos ſocios, qui omnes debent ſoluere partem ſuam ratam pro quantitate facta diuiſione inter eos, & eſt in poteſtate illius, qui ſoluit, petere à principali debitore, vel ab alijs ſuis socijs, vel ab vno ſocio; ratio eſt, quia ille, qui ſoluit, ſuccedit in ius creditoris, & ſicut creditor poteſt petere ab vno, & ab omnibus, ſic ille, qui ſoluit pro alijs, quia in ſuam vtilitatem ceduntur actiones à creditores. *Abb. in c. peruenit, num. eod. tit.*

18 Fideiuſſor cogitur ne ſoluere non facta diſcuſſione cum principali, pro quo fideiuſſit?

Reſp. Non niſi forte ſcriptura renunciauit beneficiū. *authent. præſente. C. de fideiuſſoribus. Abb. in c. peruenit. eod. tit. nu. 6.*

19 Fideiuſſor quando poteſt petere à principali, vt liberet illum à fideiuſſione?

Reſp. Primò, finito tempore ſolutionis, & ſolutione facta, vel non facta. Secundò, ſi moleſtetur à creditore ipſe fideiuſſor ante ſolutionem, poteſt petere à principali debitore, vt ipſum liberet. Tertiò, ſi debitor bona diſſipare incipiat. Quartò poſt ſolutionem ab ipſo factam recuperata ceſſione actionum, & in his caſibus Iudex debet omni remedio compellere principalem, vt liberet fideiuſſorem à moleſtijs. *c. fin. eod. tit. de fideiuſſ.*

20 Si principalis debitor obtineat prorogationem à ſuo creditore, poteſt ne iſta prorogatione fideiuſſor petere à principali debitore, vt eum liberet à fideiuſſione?

Reſp. Poterit; quia ipſe fideiuſſit ad certum tempus quo tranſacto licitè petere poteſt, vt liberetur à periculo, & in illo tempore poteſt principalis fieri deterioris conditionis, quòd ſi accedat, periculum eſt pro creditore, qui in dilatione data ſe præiudicauit. *Abb. in c. conſtitutus, nu. 11. de fideiuſſ.*

21 Creditor cum recuperat ſuum debitum à fideiuſſore, tenetur ne cedere actione tali fideiuſſori?

Reſp. Tenetur, & Iudex debet eum compellere. *Abb. in c. peruenit. eod. tit. num. vult.*

22 Si creditor non petat debitum finito tempore, ſcripturæ, vel ſi differat ſolutionem, fideiuſſor liberatur ne finito tempore conſtituto ad ſolutionem?

Reſp. Si fideiuſſio fuit generaliter facta, fideiuſſor non liberatur a ſolutione finito tempore conſtituto in ſcriptura; ratio eſt; quia tempus ſolutionis interpellat pro creditore, & ſic ex eo, quòd creditor facit beneficium debitori expectando, vel tacendo, nō debet fieri peioris conditionis; ſed ſi forſan fideiuſſor cautè in ſcriptura ſtipulauit, quod tale debitum debeat peti tali tempore, quo tranſacto, ipſe liberetur ab obligatione, tunc talis cōditio ſeruanda eſt; ratio eſt, quia nemo tenetur vltra id, quod promiſit. *Abb. c. fin. de fideiuſſor. nu. 1.*

CAPVT XV.

De Solutionibus.

1 QVid eſt ſolutio?

Reſp. Rei, quæ debetur, redditio, & obligationis liberatio. *Goffr. in ſum. tit. de ſolut.*

2 Quibus modis fit ſolutio?

Reſp. Quinque modis. Primò per innouationem. Secundò, per delegationem, ſeu ceſſionem. Tertiò, per acceptilationem. Quartò per compenſationem. Quinto, per realem ſolutionem. *tenet Goffred. in ſum. tit. de ſolut.*

3 Quæ eſt ſolutio per innouationem?

Reſp. Quando aliquis debet Petro viginti ſoluendos in die S. Ioannis, & ex conſenſu vtriuſque partis iſta ſcriptura innouatur, quòd debitor ſoluat triginta in anno ſequenti, tunc iſta innouatio ſcripturæ facit ſolutionem viginti argenteos, & irritat illam ſcripturam. *Goffred. vbi ſup.*

4 Quæ eſt ſolutio per compenſationem?

Reſp. Quando tu dediſti mihi decem argenteos, & ego dedi tibi enſem, & vnum debitum computatur cum alio, quia æſtimatur enſis in decem argenteos, tunc dicitur ſolutio per compēſationem. *Goff. vbi ſup.*

5 Si res ſit diuerſi generis, poteſt compenſare vnum debitum cum alio?

Reſp. Benè poteſt, veluti, ſi dediſti mihi decem modios tritici, ego dedi tibi decē menſuras olei, iſta duo debita benè inter ſe compenſantur, licèt ſint diuerſi generis, imò quando ſunt eiuſdem generis, propriè non dicitur compenſatio, ſed ſolutio, vt ſi dediſti mihi decem menſuras olei, ego dedi tibi ſex menſuras olei, reſto tibi debitor in quatuor menſuras, quia ſolui ſex.

6 Si aliquis accommodauit alicui pecunias, & ille fodit vineam alterius, vel fecit ei veſtem, poterit ne compenſari labor perſonalis cum pecunijs accommodatis?

Reſp. Etiam ſi nullum pactum interueniat inter ipſos, bene poteſt compēſari labor perſonalis cum pecunijs accommodatis, ratio eſt, quia labor perſonalis pretio eſt æſtimabilis.

7 Iudex quid debet facere, vt faciat compenſationem cum altera re, ſi ſint diuerſi generis?

Reſp. Vocare peritos illius artis, & facta taxatione, deducere rem, & pretium pecuniarium, & ſic facere compenſationem inter partes, & hæc electio peritorum debet fieri partibus conſentientibus, & ſi non conſenſerint, eſt facienda electio peritorum ex officio liberali Iudicis.

8 Quæ eſt ſolutio per delegationem, ſeu ceſſionem debiti?

Reſp. Quando Petrus debet Ioanni decem aureos, & Ioannes cedit hoc debitum Titio, tunc Petrus ſoluit Ioanni per illam ceſſionem, & Ioannes non poteſt amplius petere illud debitum, ſed reſtat debitor Titio, cui tenetur ſuo tempore ſoluere. *Goffred. vbi ſupra.*

9 Quæ eſt acceptilatio, & quomodo quis ſoluit per acceptilationem?

Reſp. Acceptilatio eſt ſolemnium verborum liberatio, & ſolutio per acceptilationem fit quando Petrus debet Titio decem aureos, & Titius dicit coram teſtibus, acceptum, & ratum habeo, vt non ſoluas mihi illos decem aureos, tunc dicitur in Iure ſolutio per acceptilationem, ſed Petrus tenetur probare legitimis teſtibus, vel ſcripturis talem acceptilationem. *l. 1. Cod. de acceptilationibus, & gloſ. ibi cum leg. ſequenti.*

10 Quæ eſt realis ſolutio, & quomodo fit?

Rx. Re-

Reſp. Realis ſolutio eſt ſoluere realitèr, & cum effectu, & coram teſtibus, & certę parti illam pecuniã, vel illud triticum; quod realiter debetur, & præſente tabellione, qui det fidem dictę ſolutioni. *tenet. Goffr. vbi ſupra.*

11 Quotuplex eſt obligatio?
Reſp. Duplex alia ciuilis; alia naturalis, ſeu gratuita *tenet Goffred. vbi ſup.*

12 Solutione illius, quod debetur, à qua obligatione quis liberatur?
Reſp. Si ſit homo nobilis ſolum liberatur ab obligatione ciuili: non verò à naturali, vel gratuita, quia ſemper reſtat debitor illius beneficij, cum grato noua beneficia debeantur; ſi vero ſit homo infamis ſolutione eius, quod debetur, liberatur ab obligatione ciuili, & gratuita. *tenet Goffr. in ſum. tit. de ſolution.*

13 Obligatio quibus modis contrahitur, & quotuplex eſt?
Reſp. Tribus modis, ſcriptura, verbis, & re, & eſt duplex vel corporalis, vel realis. *Goffr. vbi ſup.*

14 Quomodo fit obligatio per ſcripturam?
Reſp. Quando quis ante tabellionem, vel notarium, & teſtes obligat ſe, & ſua bona, & ſuam perſonam ſoluere Titio decem aureos propter talem cauſam tali tempore, & hæc obligatio eſt ſolemnis. *Goffred. vbi ſupra.*

15 Quomodo quis obligatur verbis?
Reſp. Quando Titius coram teſtibus obligat ſe ſoluturum Ioanni decem aureos abſque aliqua ſcriptura.

16 Quomodo quis obligatur re?
Reſp. Quando ego do ſutori veſtem, & nullum facio pactum, vel porto operarios in vineam meã abſque vlla conuentione; tunc enim ex vno ſeruitio facto in vtilitatem meam ſum obligatus re, & teneor ſoluere. *Goffr. vbi ſup.*

17 Quę differentia eſt inter has tres obligationes?
Reſp. Magna quia obligatio per ſcripturam portat executionem paratam contra debitorem abſque alia ſolemnitate; at verò obligatio verborum, vel re non portat executionem paratam donec coram Iudice teſtes examinentur, & probetur talem eſſe obligatum, & tunc per ſententiam Iudicis tenetur quis ſoluere; ratio eſt, quia creditori aſſerenti, quòd ſibi debentur decem, non creditur ſine teſtibus; ſcripturę verò datur integra fides propter auctoritatem tabellionis. *Goffr. vbi ſup.*

18 Qui obligatur ſolùm in bonis, poteſt nè capi de perſona, & incarcerari?
Reſp. Non, Niſi expreſsè ſit obligatus in perſona, & tunc debet incarcerari deficientibus bonis: ratio eſt; quia obligatio perſonæ ſemper eſt in ſubſidium, cum homo ſit liber, & libertas ſit res fauorabilis. *l. ob æs alienum, C. de obligationib. & actionib.*

19 Quam pœnam incurrit, qui incarcerat, & detinet hominem, quando non eſt obligatus de perſona, ſed ſolum de bonis?
Reſp. Perdit, & amittit debitum, & non habet actionem amplius petendi. Secundo, tenetur ſoluere tali homini damnum, & intereſſe, & expenſas, quas fecit, & illud, quod ipſe poterat lucrari, ſi eſſet liber: ratio eſt, quia libertas hominis magis æſtimatur, quam bona hominis, & prętio emi non poteſt. *l. ob æs alienum, C. de obligationib. & action.*

20 Debitor quando debet luere in corpore, ſi non ſoluat in bonis?
Reſp. Quando vixit luxurioſè, & diſſipauit malitioſè bona ſua, ea intentione, vt non ſolueret creditoribus, tunc propter ingratitudinem, & malitiam debet luere in corpore illud, quod non ſoluit in bonis. *tenet Abb. in c. Oduardus. nu. 5. de ſolut.*

21 Succeſſor in beneficio quando tenetur ſoluere pro anteceſſore?
Reſp. Quando debitum contractum fuit pro neceſſitate Eccleſiæ; ratio eſt, quia neceſſitas habet tractum ſucceſſiuum; tam aduerſus præſẽtem quam aduerſus ſuccedentem. *c. 1. de ſolut.*

22 Prælatus poteſt nè obligare Eccleſiam pro propria ſubſtentatione?
Reſp. Si Prælatus indigeat, poterit obligare redditus Eccleſiæ pro congrua ſui ſubſtentatione; ratio eſt, quia inter prælatũ, & Eccleſiam eſt vinculum, & pactum, ſicut inter ſponſum, & ſponſam, ſcilicèt quòd prælatus tenetur regere, & defendere Eccleſiam, & pro ea mori, ſi neceſſe fuerit, & Eccleſia tenetur eum alere, ſicut ſe ipſam. *tenet Abb. in c. ſi quorundam de ſolution. nu. 2.*

23 Quam pœnam incurrit Prælatus, qui obligat ſuã Eccleſiam pro alienis debitis, vel proprijs?
Reſp. Talis obligatio nulla eſt, & Eccleſia non tenetur ad ſolutionem, & Prælatus in pœna ſuſpenditur ab adminiſtratione temporali bonorum, quia punitur in eo, in quo deliquit. *c. ſi quorundam, de ſolutionibus.*

24 Filius quando tenetur ſoluere debitum Patris?
Reſp. Quando eſt obligatus ex contractu, vel quando eſt hæres patris in quantitate debiti. *c. 1. de ſolutionib. in gloſ. verb. Filius.*

25 Hæres, qui non fecit inuentarium, & acceptauit hæreditatem ſine beneficio inuentarij, ad quid tenetur?
Reſp. In foro exteriori ad omnia debita defuncti, in foro interiori non tenetur vltra vires hæreditarias. *Abb. in c. 4. eod. tit. nu. 4.*

26 Filius qui non fecit inuentarium, tenetur nè ſatiſfacere creditor de ſua legitima?
Reſp. Non, quia legitima illi debetur, etiam ſi inuentarium non fiat, etiam ſi pater moriatur ab inteſtato. *Abb. vbi ſup. nu. 5.*

27 Eccleſię hæres, ſi non confecit inuentarium, tenetur vltra vires hæreditarias ſoluere in foro exteriori?
Reſp. Non, per particulare priuilegium. *Abbas vbi ſupr. num. 6.*

28 Clericus, qui non habet, vnde ſoluat, debet nè excommunicari?
Reſp. Non, neque incarcerari, quia gaudet beneficio. *c. Oduardus de ſolutionibus, licet teneatur facere iuramentum, quod ſoluet, quando habuerit.*

29 Si quis ſoluat pecuniam alicui per errorem exiſtimans ſe illi debere, cum nihil debeat, cui incumbit onus probandi?
Reſp. Illi, qui ſoluit, incumbit probare indebitè ſoluiſſe, vt reſtituatur illa pecunia. *Abb. in cap. fin. de ſolution. num. 1.*

30 Soluens ſcienter debitum poteſt nè illud repetere?
Reſp. Non, quia videtur illud donaſſe. *Abbas vbi ſupra num. 15.*

31 Clericus pauper tenetur nè ſatiſfacere creditoribus

bus non reſeruata ſibi congrua ſubſtentatione?
Reſp. Non, immo prius debet illi dari congrua ſubſtentatio ſecundum ſuam qualitatem, & de reliquis eſt creditoribus ſatisfaciendum, & ſi nihil ſuperfuerit, nihil eſt dandum creditoribus. *Abb. Andr. & Anch. in c. veniens de tranſact.*

CAPVT XVI.

De Donationibus.

1 VNde dicitur donatio?
Reſp. Dicitur quaſi gratis contractu datio. *l. Senatus. ff. de donationibus cauſa mortis. §. donatio.*

2 Quid eſt donatio?
Reſp. Rei licitæ nullo iure cogente mera liberalite facta collatio. *Azor. in ſum. tit. de donationibus. lege donari. ff. eod. tit.*

3 In donationibus eſt ne ſeruanda æquitas, & vnde ſumitur?
Reſp. Affirmatiuè, & æquitas ſumitur ex quantitate, & qualitate donantis, & eius, cui donatur, & ex ratione, propter quam donatur. *cap. Apoſtolicæ, de donat. in gloſ.*

4 In donationibus, quæ interpretatio eſt facienda?
℞. Eſt regula generalis, quod in contractibus, plena; in Teſtamentis, plenior, in beneficialibus, & donationibus pleniſſima. *c. cum dilecti, de donat.*

5 Quæ conditiones requiruntur in donatione?
Reſp. Primò, vt qui donat, ſit capax ad donandum. Secundò, vt donet liberè, & non coactè. Tertiò, vt donet rem ſuam. Quartò, vt inſinuet donationem, ſi excedat quantitatem à lege poſitam, &, vt ille, cui donatur, acceptet donationem. *Azor. in ſum. eod. tit. de donat.*

6 Si quis donet vni plures donationes paucas, & minimas, ſed ſimul cumulatæ faciant magnam quantitatem, requiritur ne in iſtis donationibus inſinuatio?
Reſp. Si omnes iunctæ excedant ſummam, quæ donari non poteſt ſine inſinuatione, requiritur inſinuatio, alias non valent, tamquam factæ in fraudem legis. *Abb. in c. Apoſtolicæ, eod. tit. num. 5.*

7 Donator poteſt nè vnam rem donatam vni, alteri donare?
Reſp. Non, quia prima donatio valet. *l. poſſeſſionem, C. de reuoc. donat.*

8 Si inſtrumenta ſint combuſta, valet ne donatio?
Reſp. Si per teſtes probari poteſt, valet; quia donatio eſt ampliſſimè interpretanda, & defendenda. *l. ſi apud prouinciæ. C. de reuoc. donat.*

9 Quot ſunt ſpecies donationis?
℞. Quindecim. Prima, eſt donatio licita. Secunda, illicita. Tertia, ſimplex. Quarta, perfecta, & pura. Quinta, conditionalis, & imperfecta. Sexta, irreuocabilis. Septima, reuocabilis ad voluntatem donantis. Octaua, inter viuos. Nona, cauſa mortis. Decima, ſponſalia. Vndecima, propter nuptias. Duodecima, inter virum, & vxorem. Decimatertia, inter parentes, filios, & cognatos. Decimaquarta, ad ſuſcipiendos ordines. Decimaquinta, cauſa gratitudinis. *Azor. in ſumma iſto titulo, & ff. eodem titulo de donation. per totum.*

10 Quæ eſt donatio licita?
Reſp. Quando quis donat rem propriam. *l. donari. ff. eodem tit. de donat.*

11 Quæ eſt donatio illicita?
Reſp. Quando quis donat rem alienam, vel quando donat aliquid, quod non poteſt donare, quia non eſt ſui iuris, vt minor, ſeruus, vel Monachus. *Azor. in tit. de donat. num. 4. & 5.*

12 Quæ eſt donatio ſimplex?
Reſp. Illa, quæ nullam cauſam donandi habet, & tamen donans non vult ad ſe redire, quod donat. *l. 1. ff. eod. tit. & Azor. vbi ſup. nu. 2.*

13 Quæ eſt donatio mera?
Reſp. Eſt, eadem cum ſimplici, ſi quando inter viuos donatio fit. *Azor. in ſum. eod. tit.*

14 Quæ eſt donatio ex pura liberalitate?
Reſp. Quando nulla eſt cauſa donandi anterior; nam ſi ſit aliquod beneficium, vel cauſa, magis dicitur remuneratio, quam donatio. *Azor. vbi ſup. in annotationibus.*

15 Quæ eſt donatio perpetua, & pura?
Reſp. Quædam ſpecies donationis ſimplicis, quando purè, & perfectè res ſtatim traditur. *l. 1. ff. de donat.*

16 Quæ eſt donatio imperfecta, & conditionalis?
Reſp. Eſt ſpecies ſimplicis donationis, ſed data cum aliqua conditione, & modo, vel in aliquem diem, vt dono tibi domum meam, ſi feceris hoc. *l. 1. C. de donationibus, quæ ſiunt ſub modo, & conditione.*

17 Quæ eſt donatio irreuocabilis?
℞. Illa, quæ fit inter viuos cum aliqua iuſta cauſa, & in ea exprimitur, quod ſit irreuocabilis. *Azor. in ſumma tit. de donat.*

18 Quæ eſt donatio reuocabilis?
℞. Donatio ſimplex procedens à ſola voluntate donantis, quæ ſine aliqua iuſta cauſa ſit. *DD. in l. 1. ff. eod. tit.*

19 Quæ eſt donatio inter viuos?
℞. Quando ego volo alterum habere bona mea magis, quam ipſummet. *l. 1. ff. eod. tit.*

20 Quæ eſt donatio cauſa mortis?
℞. Timore mortis imminentis, vel futuræ alicuius rei prouidè, & liberaliter facta collatio. *Hoſtienſis in ſum. tit. de donation. §. 1. & Azor. in ſumma eodem titul. num. 3.*

21 Quot ſunt ſpecies donationis cauſa mortis?
℞. Très. Prima, cum quis donat mortis futuræ metu, licèt ſit ſanus. Secũda, cum quis donat metu mortis ſtatim futuræ, quia non habet ſpem conualeſcentiæ. Tertia, cum quis donat ideò, quia vult magis habere talia bona donatarium, quàm ſe ipſum. *l. Senatus. §. mortis. l. 1. & 2. ff. de donat. cauſa mortis.*

22 Quæ eſt donatio ſponſalitia?
℞. Illa, quæ à ſponſo ſponſæ fit, vel è contra. *Azor. in ſum. C. de donat. ante nuptias. nu. 1. l. ſi à ſponſo. C. eod. tit. de don. ante nuptias.*

23 Quis eſt promptior ad donandum ſponſus, vel ſponſa?
℞. Sponſus, quia fœmininum genus auariſſimum eſt ad donandum. *l. ſed ſi ego. in fin. ff. ad Velleianum. in gl. in ver. don.*

24 Quæ eſt donatio propter nuptias?
℞. Illa, quam fecit ſponſus ſponſæ, vel alius, ſiue affi-

nis, ſiue extraneus, & eſt fortiſſima in Iure donatio; quia eſt ad ſubſtentationẽ oneris matrimonij. *Azor. in ſum. C. de donat. ante nuptias, num.* 1.

25 Si quis donet propter nuptias, & poſtea matrimonium non ſequatur, valebit ne talis donatio?
Reſp. Non, quia ſicut dos aſſignata eſt nulla, non ſequuto matrimonio, ita donatio eſt nulla. *l. fin. C. de donationibus*.

26 Si quis donat aliquid, vt Maria Petro nubat, & poſtea nubit Ioanni, talis donatio erit ne valida?
Reſp. Attendenda ſunt verba donationis; ſi abſolutè dicat, dono centum, vt Maria nubat, tunc non attenditur perſona: ſi dicat, vt nubat Petro, & nubit Ioanni, tunc nulla erit donatio, quia talis donatio reſtricta eſt ad talem perſonam. *DD. in l. fin. C. de donationibus*.

27 Quæ eſt donatio inter virum, & vxorem?
Reſp. Illa, quæ fit conſtante matrimonio, quæ pluribus rationibus ſecundum leges eſt prohibita. *l. 1. C. de donat. inter vir. & vxor.*

28 Quæ eſt donatio inter parentes, & liberos?
Reſp. Eſt ſimilis donationi inter virum, & vxorem, & ſic omnia, quæ dicuntur, & prohibentur in donationibus inter virum, & vxorem, ſunt prohibita inter parentes, & liberos. *Azor. in ſum. C. de donationibus inter virum, & vxorem. n. 4. & 27.*

29 Quæ donationes valent inter patres, & filios?
Reſp. De alimẽtis, de aliquo vſufructu, de pecunijs, vt quis vadat in caſtra, vel ad vniuerſitates ſtudiorum cauſa, vel vt nubat, & ſubſtentet onera matrimonij, vel ad doctoratus gradum. *l. prima, C. de inofficioſa donatione, & ibi DD.*

30 Quæ eſt donatio ad ſuſcipiendos ordines?
Reſp. Illa, quæ fit à patre, vel à parente, vel alio, vt aliquis habeat patrimonium, & congruam ſubſtentationem ad ſuſcipiendos ordines, de qua ſatis dictum eſt. *lib. 1. de patrimonio, ad cuius titulum quis ordinatur*.

31 Quæ eſt donatio ob gratitudinem?
Reſp. Illa, quæ fit ad remuneranda aliqua beneficia & hæc donatio magis dici poteſt remuneratio, vel ſolutio beneficij accepti, quam donatio. *Azor. in ſum. tit. de donat. num.* 1.

32 Prælatus poteſt ne donare fructus ſui beneficij?
Reſp. Partem ſuam poteſt liberè donare ſine licentia Capituli, licèt debeat aduertere in donatione, quòd non ſit prodigus. *Abb. in cap. cæterum, num. fin. de donationibus*.

33 Prælatus, & Abbas poſſunt ne donare aliquid de rebus Eccleſiæ?
Reſp. Poſſunt ob liberam adminiſtrationem, quam habent in rebus Eccleſiæ; Eccleſia enim non eſt miſera, & ſic poterit in moderata quantitate donare ſeruientibus Eccleſiæ. *Abb. vbi ſup. nu. 2. in d. c. cæterũ, de donation.*

34 Quid debet conſiderari in donationibus factis ab Epiſcopo, vt poſſint eo mortuo reuocari, ſi ſint exceſſiuæ, & in damnum Eccleſiæ?
Reſp. Quantitas rei donatę, & conſuetudo loci arbitrio ſucceſſoris, quia maior, vel minor quantitas faciunt donationem licitam, vel illicitam. *Abb. vbi ſup. c. cæterum, de donationibus, nu.* 1.

35 Donatio facta à Prę̨lato alicui amico, vel conſanguineo, vel famulo valet ne?
Reſp. Si ſit conſuetudo, quòd poſſit donare, valet; tales enim non ſunt peioris conditionis. *Abb. vbi ſup. num.* 3.

36 In quo caſu Prælatus, & Abbas poſſunt donare aliquid ſine conſenſu Capituli?
Reſp. In caſu, quo res ſit parui valoris; quia in re magni momenti (licèt ſit conſuetudo) non poterit donare. *Abb. vbi ſup. num.* 4.

37 Donatio facta a Prælato in damnum Eccleſiæ, vel ſine conſenſu Capituli, valet ne?
Reſp. Non, quia Prælatus eſt procurator ad meliorandam Eccleſiam, & non dominus ad deteriorandã. *c. fraternitatem, eod. tit. noſtro.*

38 Quis poteſt reſtituere rem Eccleſiæ à prædeceſſore malè donatam?
Reſp. Succeſſor eſt Iudex competens, & poteſt propria auctoritate eam reuocare. *Abb. in c. fraternitatem. eod. tit. num.* 3.

CAPVT XVII.

De reuocatione donationis.

1 Donatio perfecta poteſt ne reſcindi?
Reſp. Non, *l. ſi donationem. C. de reuocand. donation.*

2 Donatarius ex quibus cauſis poterit reuocare donationem?
Reſp. Ex pluribus. Prima, ob ingratitudinem. Secunda, ſi donatarius iniecit manus in ſuum donantem. Tertia, ſi dixit illi atroces iniurias. Quarta, ſi parauit illi periculum mortis. Quinta, ſi exceſſit modum in donando. *l. fin. C. de donat. reuoc. c. propter, eod. tit. de donat.*

3 Cauſæ ingratitudinis à quo debent probari?
Reſp. A reuocante donationem. *l. fin. C. de reuocand. donat.*

4 Succeſſor donantis poterit ne reuocare donationem ob dictas cauſas?
Reſp. Non, quia præſumitur, quòd ſuus anteceſſor dictas cauſas renuntiauit, dum non reuocauit donationem à ſe factam, & hæc actio datur iniuriato, & non ſucceſſori. *c. propter, de donat.*

5 Donatio remuneratoria reuocatur ne ingratitudinis cauſa?
Reſp. Non, quia habet plus de ſolutione, & compẽſatione, quam de donatione. *Abb. in c. propter, de donat. num.* 11.

6 Libertus, ſi ſit ingratus, quid perdit?
Reſp. Res ſibi donatas; ſecus ſi hæres liberti ſit ingratus, quia onus gratitudinis non tranſit ad hæredes. *l. 1. C. de reuoc. donation.*

7 Ad reuocandam donationem poteſt quis allegare ſe illam per fraudem feciſſe, & non intentione adimplendi?
℞. Non admittitur fraus propria, ſed aliena. *l. cum profitearis, C. eod. tit.*

8 Donatio facta monaſterio, vel Eccleſiæ, poteſt ne reuocari propter ingratitudinem Epiſcopi, Abbatis, vel Monachorum?
℞. Non, quia illis non eſt donatum, ſed Eccleſię, ſed tales repellẽdi ſunt à monaſterio propter delictum.

Abb.

Abb. in c. propter, de donat. num. 12.

9 Filius ingratus tenetur nè ſuccurrere parentibus vltra vires ſuas?
Reſp. Non, quia ad impoſſibile nemo tenetur.

10 Mater poterit nè reuocare donationem factam filio ingrato?
Reſp. Poterit. *l. his ſolis. C. de reuoc. don.*

11 Quibus in caſibus mater non poterit reuocare donationem factam filio ingrato?
Reſp. Si mater viuat luxurioſè, vel tranſeat ad ſecundas nuptias. *l. his ſolis. C. eod. tit.*

12 Si quis ſit ſine liberis, & faciat donationem liberto ſuo, & poſt eius mortem naſcatur poſthumus, reuocatur nè talis donatio per ſuperuenientem poſthumum?
Reſp. Affirmatiuè, quia præſumitur, quòd ſi habuiſſet liberos, non donaret bona ſua alijs, & ſic cū poſthumus ſit filius; licèt natus poſt humationem patris, reuocatur talis donatio. *l. ſi vnquam. C. de reuo. don.*

13 Collator beneficiorum poteſt nè reuocare donationem propter ingratitudinem?
Reſp. Non, quia ipſe non donat ſuum, ſed confert illud, quod eſt Eccleſiæ, tamquam miniſter. *Abb. in c. propter, de don. num.* 9.

CAPVT XVIII.

De teſtamentis, & vltimis voluntatibus.

1 QVid eſt Teſtamentum?
Reſp. Voluntatis noſtræ declaratio iuxta ſententiam, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, vel eſt teſtatio, & declaratio mentis. *l. 1. ff. de teſtamen.*

2 Quare dicitur Teſtamentum?
Reſp. Quia non videtur, neque habet vim, niſi poſt mortem teſtatoris. *Iſidor. lib. 1. æthimolog. c.* 24.

3 In qua lingua poteſt quis teſtari?
Reſp. In quacumque. *l. hoc inter liberos. §. fin. C. de teſt.*

4 Filius, qui eſt in poteſtate patris, poteſt teſtari cum licentia patris?
Reſp. Non, neque facere codicillum, etiam ſi habeat quinquaginta annos ætatis, poterit tamen de licentia expreſſa patris facere donationem cauſa mortis. *l. filiusfamilias. ff. de donat. §. patri. l. qui in poteſtate. ff. de teſtamentis.*

5 Filiusfamilias de quibus bonis poteſt teſtari ſine licentia patris?
Reſp. De bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus. *l. Macedoniani, C. ad Macedoniam*, quia talia bona acquiſita ſunt proprio ſanguine in bello.

6 Impubes non habens patrem, nec matrem cum licentia tutoris poterit nè teſtari?
Reſp. Non, propter delictum iudicij, & diſcretionis, quia vltima voluntas non debet dependere ex alieno arbitrio, & tutor datur, vt conſulat pupillo viuenti, & non morienti, quia præſumitur, quod impubes nō habet vllam voluntatem propter defectum iudicij. *l. ſi frater. C. qui teſtamenta facere poſſunt. inſt. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. §. præterea.*

7 In qua ætate poteſt quis facere Teſtamentum, ſi non habeat patrem, ſed matrem?
Reſp. Si ſit vir, in ætate quatuordecim annorum completorum, ſi verò ſit fœmina, in ætate duodecim annorum, licèt vltimus dies anni inceptus habeatur, vt completus, quia eſt fauorabilis. *l. qua ætate. ff. de teſtam. l. ſi frater. C. eod. tit.*

8 Pater, vel mater poſſunt grauare filium in ſua legitima in ſuo Teſtamento?
Reſp. Non, neque auus, quia filij iure naturæ habēt actionem in talibus bonis. *c. Raynutius, de teſtam.*

9 Teſtator poterit imponere pœnam hæredi?
Reſp. Poterit, & exequenda eſt ſemper. *c. Raynaldus. eod. tit. de teſtamentis.*

10 Teſtamentum factum inter viuos, poteſt nè reuocari per ſecundum teſtamentum?
Reſp. Poteſt, ſi ſecundum ſit ſolemne, & in eo teſtator dicat ſe velle reuocare primum coram ſeptem teſtibus. *l. hoc inter liberos. C. de teſtamentis.*

11 In quo caſu teſtamentum ſecundum imperfectum annullat, & tollit primum teſtamentum perfectum?
Reſp. Quando concurrunt tria; ſcilicet, quod in primo fuerunt extranei inſtituti, & in ſecundo fuerunt inſtituti venientes ab inteſtato; & quando in ſecundo fuerunt quinque teſtes; & tamen non valet teſtamētum, ſed vt voluntas ab inteſtato. *l. hoc inter liberos. §. ſi quis. C. de teſtam.*

12 Ambiguitas verborum, vel tranſpoſitio ordinis vitiat nè teſtamentum?
Reſp. Non, *l. ambiguitas. C. de teſtam.*

13 Teſtamentum ſecundum tollit nè primum, ſi de eo nulla ſit mentio?
Reſp. Affirmatiuè, niſi in primo cautum ſit, quod non poſſit reuocari, niſi de eo non fiat mentio, vel tale ſignum. *Paulus de Caſtro. l. ſancimus. C. de teſtam.*

CAPVT XIX.

De generibus Teſtamentorum.

1 QVot ſunt genera teſtamentorum, & quomodo nominantur in iure?
Reſp. Quatuordecim. Primò, teſtamentum in pace. Secundò, teſtamentum procintum. Tertiò, per æs, & libram. Quartò, de iure ciuili. Quintò, de iure prętorio. Sextò, holographum. Septimò, nuncupatiuum. Octauò, ſcriptum. Nonò, non ſcriptum. Decimò, militis. Vndecimò, per ſigna. Duodecimò, irritum. Decimotertiò, ſubreptitium. Decimoquartò, inofficioſum. *Goffr. in tit. de teſtamentis.*

2 Quod eſt teſtamentum in pace?
Reſp. Appellabatur antiquitus calatis comitijs à nomine græco calos, id eſt bonus, & comicus, pax calatis comitijs, quia fiebat in pace. *Inſtitution. de teſtament. §.* 1.

3 Quod eſt teſtamentum procintum?
Reſp. Teſtamentum bellicum, quod fiebat tempore præliorum in procintu. *inſt. de teſt. §. ſed vt nihil antiquitatis.*

4 Quod eſt Teſtamentum per æs, & libram?
Reſp. Quod fiebat per quandam imaginariam venditionem, & requirebantur quinque teſtes, & præſentia æſtimatoris bonorum. *Inſtitut. de teſtamento §. ſed illa.*

5 Quod eſt Teſtamentum de iure ciuili?
Reſp. Ad exprimendas morientium voluntates, & in eo requiruntur ſeptem teſtes. *Inſt. de teſt. §. fin.*

6 Quod eſt Teſtamentum de iure prætorio?
Reſp. Quod prætor inſtituit, & in eo requiruntur ſeptem teſtes, & ſigilla teſtium. *Inſtit. vbi ſup. §. fin.*

7 Quod eſt holographum?
Reſp. Teſtamentum, quod totum ſcriptum eſt manu Teſtatoris. *Iſidor. lib. 5. æthimolog. c. 24.*

8 Quod eſt teſtamentum nuncupatiuum?
Reſp. Quod conſiſtit in ſola nominatione Teſtatoris, & non in ſolemnitate ſcripturæ, & in eo requiruntur ſeptem teſtes, & nominatio hæredis. *inſtit. de teſtam. §. fin. l. hoc inter liberos. §. per nuncupationem. C. eo. tit. de teſtamentis.*

9 In Teſtamento nuncupatiuo eſt nè neceſſe, vt teſtator dicat teſtibus ob quam cauſam ſunt vocati?
Reſp. Non, ſed ſufficit, quòd coram eis declaret ſuam voluntatem, bene tamen eſt neceſſarium in teſtamento cæci, vbi maior cautela requiritur. *Paulus de Caſtro l. in teſtamentis, Cod. eodem titulo de teſtamentis.*

10 Quod eſt teſtamentum non ſcriptum?
Reſp. Quod in voce fit coram tabellione, & teſtibus, & eſt quaſi nuncupatiuum. *l. hac conſultiſſima. C. eod. §. non ſcriptum.*

11 Quod eſt teſtamentum ſcriptum, & quotuplex?
Reſp. Quando quis exprimit in ſcriptis ſuam voluntatem, vel alienam, & ſi fuerit aliena debet ſe ipſum ſubſcribere; & eſt duplex, apertum, & clauſum, in clauſo requiruntur ſeptem teſtes, qui ſimul vna die, & hora ſe ſcribant, cum tabellione, & quòd Teſtator coram illis dicat ſic eſſe vltimam voluntatem; & vltimum teſtamentum. *l. hac conſultiſſima. Co. eodem titulo.*

12 Quod eſt Teſtamentum per ſigna?
Reſp. Quod fit ſigno intelligibili coram tabellione, & teſtibus, qui certificent illum velle talem inſtituere hæredem, vt contingit in muto, vel in eo, qui grauitate infirmitatis loquelam perdit. *l. hac conſultiſſima. C. eod. tit. & Azor. in ſum. C. qui teſtamen. facere poſſunt, num. 7. & 8.*

13 Quod eſt Teſtamentum militis?
Reſp. Quod fit à milite emptore belli, vel dum eſt in caſtris, vel dum eſt in domo, dummodo fiat tempore, quo ipſe militat, dicitur teſtamentum militis, quod eſt priuilegiatum. *l. milites. la ſeconda C. de militari teſtamento.*

14 Si quis ſcribat ſuum teſtamentum manu propria, vel aliena, & præſentet illud ante tabellionem, & dicat illam eſſe ſuam vltimam voluntatem, quam fidē faciet tale teſtamentum?
Reſp. Integram in fauorem teſtantium, & vltimarū voluntatum, quia in ijs ſcripturis non requiritur aliud pro ſubſtantia niſi libera Teſtatoris voluntas. *Abb. in c. ſi inſtrumenta. de fid. inſtru. num. 10.*

15 Si quis coram tabellione dicat, quod ea omnia, quæ inuenta fuerunt in tali memoriali ſcripta manu propria, vel aliena, valeat, hæc ſcriptura poſt mortem illius quam idem faciet?
Reſp. In iſto caſu tabellio debet propria manu ſignare tale memoriale, numerare folia, & rubricare, & ea omnia, quæ fuerunt ſcripta poſt mortem talis perſonæ habebunt fidem ſicut ipſum Teſtamentum. *Abb. c. ſi inſtrumenta. cod. nu. 10. de fide inſtrumentorum.*

16 Si quis coram teſtibus dicat ſuam voluntatem eſſe Petrum inſtituere hæredem, vel facere tale legatum, & moriatur ſine Teſtamento ſcripto, quid agēdum?
Reſp. Tunc illi Teſtes ante Iudicem debent deponere vltimam voluntatem illius defuncti, & iſtæ depoſitiones ſupplebunt vicem Teſtamenti; ſed ſi ante depoſitionem iſti Teſtes moriantur, hoc genus teſtamenti corruit, quia per auditum nō probatur in hoc caſu vltima voluntas illius, qui deceſſerit ſine Teſtamento. *Abb. in c. vlt. cod. tit. num. 10. de fide inſtr.*

17 Quod eſt Teſtamentum irritum?
Reſp. Quando ex defectu perſonæ, vel ex defectu ſolemnitatis non valet, & irritatur, vt ſi teſtator ſit capite diminutus, vt captiuus, vel ſi fiat contra leges. *Iſidor. lib. 5. æthimolog. c. 24.*

18 Quod eſt Teſtamentum ſurreptitium?
Reſp. Quod in fraudem hęredum, liberorum, vel legatorum occultatur, & non palam prolatum eſt. *Iſidor. vbi ſup.*

19 Quod eſt Teſtamentum inofficioſum?
Reſp. Quando quis ſine officio naturalis pietatis relictis filijs inſtituit hæredes extraneos. *Iſidor. vbi ſup.*

20 Teſtamentum factum coram Parocho, & duobus Teſtibus tenet?
℟. Tenet de iure can. ſecus de iure ciuili. *cap. cum eſſes, de Teſtam.*

CAPVT XX.

De ſolemnitatibus teſtamētorum.

1 QVæ differentia eſt inter publicare, & aperire teſtamentum?
Reſp. Aperitio Teſtamenti debet fieri ſecundum forum, vbi fit aperitio, & Teſtes vocari debent, vt ſint coram Iudice, ſi haberi poſſunt, ſi autem nō poſſunt, totidem vocentur viri honeſtæ famæ, coram quibus aperiatur. *vt in l. 2. C. quemadmodum teſtamenta aperiantur*; cum verò Teſtamenta publicantur, omnes Teſtes debent citari, & partes, quarum intereſt, & dicta eorum debent redigi in publica inſtrumēta cum auctoritate Iudicis, & tunc publicatur Teſtamētum. *Bar. in l. publicati, de teſtam. num. 1.*

2 Intra quot menſes Teſtamētum clauſum inſinuari debet a Iudice?
Reſp. Intra quatuor menſes, & Teſtator non poteſt tollere hoc ſtatutum, cum poſitum ſit ad tollendas falſitates.

3 In Teſtamento in ſcriptis clauſo, quæ ſolemnitates requiruntur?
℟. Vt ſint ſimul eodem die, & tempore ſeptē teſtes, & coram ipſis, & tabellione, dicat teſtator illam eſſe vltimam ſuā volūtatem, & quod omnes teſtes ſe ſubſcri-

ſcribant ſimul, & tabellio, & teſtator. *l. hac conſultiſſima. C. de teſtam.*

4 Si Teſtamentum fiat in ſcriptis cum omnibus ſolemnitatibus, & poſtea reuocetur per ſecundum teſtamentum, quod non fuit factum in ſcriptis, & in eo fuit Princeps inſtitutus hæres, valeret nè talis reuocatio?

Reſp. Non, quia Teſtamentum magis ſolemne non reuocatur per minus ſolemne. *l. nolumus. C. de teſtam.*

5 Teſtamẽtum imperfectum clauſum, vel apertum ratione ſolemnitatis inter quas perſonas valet?

Reſp. Solùm inter liberos, quibus ſolis à iure hoc datur priuilegium, & inter eos ſufficiunt duos teſtes. *l. hac conſultiſſima. §. ex imperfecto. C. de teſtam.*

6 Teſtamentum, coram quo Iudice debet aperiri, exequi, & inſinuari?

Reſp. De iure ciuili coram Iudice ſæculari. *l. hac conſultiſſima. C. de teſtam.*

7 In quibus caſibus poteſt Iudex Eccleſiaſticus intromittere ſe in executione Teſtamenti?

Reſp. Cum in Teſtamento agitur de peccato purgãdo, vt ſi erat vſurarius. *c. quamquam de vſuris. lib. 6.* vel cum agitur, quòd inſtitutus hæres erat filius inceſtuoſus, & in legatis pijs, & in miſſis dicendis.

8 Cauſa Teſtamenti ad quem pertinet?

Reſp. In legatis Eccleſiæ, vel pijs cauſis, ad Eccleſiaſticum, qui ſecundum canones, & non leges debet iudicare; in alijs verò ad ſæcularem. *c. relatum, il 1. eod. tit. de teſt. & ibi gl.*

9 Si teſtator expreſsè dicat, quòd non vult quòd Epiſcopus habeat aliquam iuriſdictionem in executione ſui Teſtamenti, quid agendum?

Reſp. Talis diſpoſitio nulla erit, quia eſt contra ius, & nihilominus Epiſcopus poterit executores ad pia legata compellere. *c. Raynutius, de teſt.*

10 Si teſtator fecit teſtamentum clauſum, & poſtea rumpat ſigilla, vel filium, quo clauſum eſt, valebit nè tale teſtamentum?

Reſp. Non, quia tota fides teſtamenti pendet ex ſigillo. *Paul. de Caſtr. l. noſtram prouiſionem. C. de teſt.*

11 Quando ius canonicum contradicit iuri legali, cui ſtandum eſt?

Reſp. Iuri canonico. *c. cum eſſes, eod. tit. de teſtamentis, & ibi gloſ.*

12 Generalis conſuetudo, quam vim habet in teſtamentis?

Reſp. Legis. *c. cum eſſes, de teſt. iuncta gl.*

CAPVT XXI.

De Teſtibus in teſtamento neceſſarijs.

1 QVot teſtes requiruntur in teſtamento de iure ciuili?

Reſp. Septem. *l. hac conſultiſſima. C. de teſt. & Inſtit. de teſtam. ordinandis, §. fin.*

2 Si deficiat vnus ex ſeptem teſtib. quid agendum?

Reſp. Notarius poteſt ſe mittere tamquam teſtem. *Bar. in l. hac conſultiſſima. C. de teſtam.*

3 Si omnes teſtes neſciant ſcribere, nec facilè reperiantur, qui ſciant, quid agendum?

Reſp. Ille, qui ſcit ſcribere, ſcribat pro alijs. *l. & ab antiquis. C. de teſtam.*

4 Si quis moriatur in agro, & non reperiantur ſeptem teſtes, ſed ſolum quinque, valebit nè teſtamentum?

Reſp. Credo, quòd valebit, quia hoc priuilegiũ datum eſt ruſticis, dum in villis moriuntur, & ſimiliter debet dari alijs hominibus, qui moriuntur in agris, vel tempore neceſſitatis, vel tempore peſtis, cum eadem ſit ratio. *leg. final. Cod. de Teſtament. & Paulus de Caſtro ibi.*

5 Teſtis excommunicatus valet nè in teſtamento?

Reſp. Si tempore, quo miſſus fuit in Teſtamento, reputabatur excommunicatus, non valet. *Bart. l. 1. C. de Teſt. nec ſeruus, nec infamis. §. teſtes autem. inſtitut. de Teſtament.*

6 Teſtes debent eſſe in conſpectu teſtatoris, vel ſufficit, vt ſit aliqua cortina in medio, & quod audiant Teſtamentum, licèt teſtator eos non videat?

Reſp. Debent eſſe in conſpectu Teſtatoris, ita quod Teſtator eos poſſit videre, niſi ſit aliqua conſuetudo Prouinciæ, vel Ciuitatis, tunc enim eſt obſeruanda. *Bar. in l. ſi non ſpeciale, C. de Teſtam.*

7 Teſtamentum factum coram Principe, vel coram Iudice ordinario, quo numero teſtium poteſt approbari?

Reſp. Duorum Teſtium, quia auctoritas Principis, vel Iudicis ſupplet alias ſolemnitates. *l. omnium. Cod. de Teſtam. militis.*

8 In Teſtamento clauſo Teſtes quam ætatem debet habere?

℞. Debent eſſe maiores quatuordecim annis, & ciues illius ciuitatis. *l. hac conſultiſſima. C. de teſtam.*

9 In Teſtamento militis quot Teſtes requiruntur?

℞. Si miles ſit in ingreſſu prælij, nullus Teſtis, nulla ſolemnitas requiritur; ſi ſit in caſtris, ad minus requiruntur duo teſtes; ſi ſit domi, omnes requiruntur ſolemnitates, vt in alio homine. *l. milites. C. de teſtam.*

10 Quot teſtes requiruntur in Teſtamento nuncupatiuo?

Reſp. Septem, & nominatio hæredis. *Inſtitut. de Teſtam. §. fin.*

11 Quod eſt Teſtamentum nuncupatiuum?

Reſp. Quod conſiſtit in ſola nominatione, & nuncupatione Teſtatoris, & non in alia ſolemnitate ſcripturæ. *Inſtit. de teſt. §. fin.*

12 De iure canonico quot Teſtes requiruntur in Teſtamento relicto ad pias cauſas?

Reſp. Duo Teſtes. *c. relatum. il 1. de teſt.*

13 Legatarij, & fideicommiſſarij, & horum coniuncti, & qui ſunt in eorum poteſtate, poſſunt nè eſſe Teſtes in Teſtamento, in quo requiruntur teſtes executores?

Reſp. Poſſunt, quia non ſunt ſucceſſores à lege. *§. legatarij in l. de Teſtamentis.*

14 Si ſeruus fuerit Teſtis in aliquo Teſtamento exiſtimatus ab omnibus, vt libertus, vitiabit nè Teſtamentum?

℞. Non, quia communis error ius facit. *§. ſed cum inſtit. eod. tit. de Teſtamentis.*

15 Teſtes deponentes in validitate Teſtamenti, vel reuocatione, coram quo debent examinari?

Reſp. Coram Iudice teſtatoris. *leg. hoc inter liberos. §. ſi*

§. *ſi quis autem. Cod. eodem titulo.*

16 Poſſunt nè relinqui legata dictatori, vel teſtibus Teſtamenti?

Reſp. Poſſunt. *l. dictantibus. C. eod. tit.*

17 In Teſtamento ad pias cauſas, vel inter liberos, quot teſtes requiruntur?

Reſp. Sufficiens duo. *cap. relatum. il 1. de Teſtamentis, & ibi DD.*

18 Statutum, quòd fiat Teſtamentum coram duobus, vel tribus teſtibus, valebit nè?

Reſp. Non. *l. & ab antiquis. C. de Teſt.*

CAPVT XXII.

De Tabellione, & executore Teſtamenti.

1 SI deficiat notarius, & ſcriba, quid agendum in Teſtamento?

Reſp. Ponantur octo teſtes, & vnus faciat officium ſcribæ, & erit validum Teſtamentum. *l. hac conſultiſſima, C. de Teſtam.*

2 Scribe, vel tabellioni, qui ſcribit teſtamentum, poteſt relinqui legatum, vel inſtitui hæres?

Reſp. Non, immò haberent pœnam falſarij, licèt, qui ſcribit, eſſet perſona particularis. *l. 2. C. de his, qui ſibi aſcribunt in Teſtam. Iaſon l. dictantibus, C. de Teſtamento.*

3 Religioſus poteſt eſſe executor Teſtamenti?

Reſp. Poteſt de licentia ſui ſuperioris. *c. religioſus. de Teſtamen. in 6. ſed non poteſt inſtitui tutor. c. Cyprianus. 21. quæſt. 3.*

4 Si plures executores relinquantur in Teſtamento, vel longè abſint, vel repudiant officium, & vnus remaneat, quid agendum?

Reſp. Ille ſolus ſupplere vices omnium poteſt, niſi à Teſtatore aliud cautum ſit. *c. religioſus. de Teſtam. in 6.*

5 Monachus, vel Clericus poſſunt in Teſtamento inſtitui tutores?

Reſp. *De iur. can. non c. Cyprianus. 21. q. 3.*

6 Si Teſtamentarius fuit impeditus, & intra annum non potuit exequi Teſtamentum, ad quem deuoluitur poteſtas exequendi?

℞. Ad Epiſcopum, ne dilatetur impleri voluntas defuncti, & patiatur eius anima in purgatorio. *Abb. in capit. quia. nu. 3. de conceſſ. præbendæ.*

CAPVT XXIII.

De his, qui non poſſunt condere Teſtamentum.

1 QVi non poſſunt de iure Teſtari?

℞. Filius familias, niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, furioſus, & mentecaptus, prodigus, mutus, & ſurdus, ſi ſciant ſcribere, poſſunt ſcribere Teſtamentum, qui dubitat, an ſit liber, vel ſeruus, pro crimine famoſo damnatus, vt pro crimine contra naturam, Monachus, canonicus regularis, hæreticus, & qui commiſit crimen læſæ maieſtatis. *Inſtituta quibus permiſſum facere Teſtamentum. §. 1. & ſeqq.*

2 Epiſcopus poteſt nè condere Teſtamentum?

℞. De bonis acquiſitis ante conſecrationē poteſt; de acquiſitis verò poſt conſecrationem non poteſt. *c. 1. de Teſtam.*

3 De quibus bonis poteſt filius familias teſtari?

℞. De peculio caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi; ratio eſt, quia ſunt bona acquiſita ſuo labore, & non procedunt de ſubſtantia patris, nec de bonis eius. *l. 1. C. de caſtrenſi peculio lib. 12.*

4 Quod eſt peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe, & quam poteſtatem habet pater in bonis filij familias in vita, & in morte?

℞. Dixi latè *lib. 10. c. 4. de patria poteſtate nu. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20.* vbi poſui differentiam peculiorum, & in quibus bonis filius familias poſſit viuo patre condere Teſtamentum.

5 Monialis, vel Monachus poſſunt teſtari de re, quā habent communiter cum alijs?

℞. Monialis, vel Monachus non poſſunt teſtari, neque de re communi, neque de re propria; ratio eſt, quia in re communi ſolùm habent vſufructum, dum viuunt cum licentia ſuperioris, & ſic teſtarentur de re aliena, & de re propria etiam non poſſunt teſtari: ratio eſt, quia Monachus, qui habet proprium, eſt excommunicatus, & in loco ſacro ſepeliri non poteſt. *l. 1. C. qui teſtamenta facere poſſunt, gloſſa in c. quia de teſtamentis.*

6 Monachus poteſt teſtari de actionibus, & ſucceſſionibus, quæ poſt mortem ſuorum parentum poſſunt illi venire?

Reſp. Non poteſt teſtari de ſucceſſionibus ſibi pertinentibus, niſi ante factam profeſſionem; ratio eſt, quia per profeſſionem Monachus habetur, vt mortuus, & in eius locum ſuccedit monaſterium, etiam ſi Monachus non fecerit teſtamentum ante ſuam profeſſionem, & monaſterium per ſolam profeſſionem acquirit ius, & ſuccedit, & ſubrogatur in locum, & in omnibus iuribus talis loci.

7 Furioſus poteſt teſtari?

℞. Dum eſt in furia non poteſt Teſtari, quia non eſt ſui iuris, neque habet mentem, neque libertatem neceſſariam ad teſtandum; at verò dum non eſt in furia, benè poterit teſtari; ratio eſt, quia ſublato impedimento tollitur iuriſdictio. *Inſtituta, quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum. §. furioſi, & per totum tit. de iis, qui non poſſunt condere teſtamentum, ibi DD. communiter.*

8 Si furioſus faciat teſtamentum, dum non eſt in furia, quas ſolemnitates debet habere, vt ſit validū?

Reſp. Tabellio, vel ſcriba Teſtamenti, & teſtes debent facere fidem, quòd talis homo licet aliquando ſit furioſus tempore, quo condit Teſtamentum, non eſt in furia, ſed in ſana mente, & vt id cautiùs fiat, eſſet meliùs facere informationem ante Iudicem cum medicis, & peritis, & de licentia Iudicis condere tale Teſtamentum; Iudex enim ſua auctoritate ſupplet omnem ſuſpicionem. *ſic tenet, & conſulunt DD. loco allegato.*

9 Mulier

9 Mulier poteſt teſtari viuente marito?
℞. Poterit; ratio eſt, quia mulier per matrimoniũ non perdit libertatem teſtandi, & diſponendi de ſuis bonis, cum hoc in iure illi non ſit prohibitum, neque obſtat, quòd viuente marito ipſa non poteſt diſponere de bonis ſuis ſine conſenſu mariti: ratio eſt, quia in Teſtamento diſponit de ſuis bonis poſt eius mortem, quando ſolutum eſt iam matrimonium, *vt habetur in gloſſa c. indicante, de teſtam.*

10 Poteſt quis facere Teſtamentum per commiſſionem datam alteri?
Reſp. Poterit, ſi conſtet de mandato, & talis non dicitur deceſſiſſe inteſtatus de benignitate canonica, quia, quod quis poteſt facere per ſe ipſum, poterit facere per procuratorem. *capite, cum tibi, de teſtamentis.*

11 Condemnatus capitali pœna poteſt teſtari?
Reſp. Non, poſtquam conſenſit ſententiæ, ſed bona eius ad heredem ab inteſtato pertinent, quia talis eſt ſeruus pœnæ, & ſicut ſeruus non poteſt teſtari, quia non eſt ſui iuris, ſic neque condemnatus. *Abb. cap. accendens, de procurato. num. 3.*

12 Clerici poſſunt condere teſtamentum?
Reſp. Licet ex iure antiquo ex bonis acquiſitis ab Eccleſia non poterant; de conſuetudine in omnibus regnis Hiſpaniæ poſſunt, ſicut ſæculares, & in vnaquaque Prouincia circa hoc ſeruatur conſuetudo. *c. cum in officijs, eodem tit. de teſtamen. cap. quia, il ſecondo, eodem tit.*

13 Seruus poteſt condere Teſtamentum?
Reſp. Non, *cap. illud. 13. q. 2.*

14 Qui habent rem in diuiſam communem cum alijs poſſunt de illa re facere Teſtamentum?
Reſp. Poſſunt quantum ad diſpoſitionem partis ſuæ. *Bartolus in lege prima, Cod. qui Teſtamenta facere poſſunt.*

15 Si quis ſe interficit deſperatione aliqua ductus, Teſtamentum, quod antea condiderat, valet ne?
Reſp. Valet, niſi illud fecerit metu, & dolo futuræ pœnæ. *l. 2. C. qui teſtam. f. c. poſſ. ibi Bart.*

16 Cæcus poteſt condere Teſtamentum?
Reſp. Poteſt, ſi ſeruentur ſolemnitates iuris, ſcilicet quòd cæcus dicat nomina, cognomina, ſigna heredis coram tabellione, & teſtibus voce intelligibili; ratio eſt, quia vbi eſt maius periculum, debet eſſe maius conſilium, & omnes teſtes, & tabellarius debent ſe ſubſcribere, & ſi non inueniatur tabellarius, ponatur octauus teſtis. *Bart. l. hac conſultiſſima. C. de teſtament.*

17 Cæcus, qui teſtatur inter liberos, tenetur ne ſeruare ſolemnitates, in l. hac conſultiſſima?
Reſp. Non, ſed ſufficiunt duo teſtes, quia ceſſat timor falſitatis, cum filij alias ab inteſtato ſuccedant, ſed ſi cæcus faciat Teſtamentum ad cauſas pias non ſufficiunt duos teſtes. *in l. hac conſultiſſima. Iaſ. ibi, & c. cum eſſe eod. tit.*

18 Surdus, & mutus poſſunt condere teſtamentum?
Reſp. Naturaliter non poſſunt, ſi ſint à natiuitate, ſecus autem ſi accidentaliter, ſi ſciant ſcribere, quia poſſunt exprimere ſuam voluntatem. *Inſtitut. quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum, §. item Surdus, ſed Surdus tantùm poteſt facere Teſtamentum.*

19 Epiſcopus de quibus bonis poteſt condere teſtamentum?
Reſp. Dixi latè de hoc, & de inuentario faciendo ab Epiſcopo, & de bonis Epiſcoporum, & clericorum, & quibus perſonis poſſint relinquere. *lib. 5. cap. 3. de peculio Epiſcoporum.*

CAPVT XXIV.

De inſtitutione, & ſubſtitutione hæredis.

1 Quid eſt inſtitutio?
Reſp. In primo gradu aliquem inſtituere. *l. 1. C. de liberi. præterit. ſed de iure canonico, eſt collatio alicuius Eccleſiæ, vel beneficij.*

2 Quæ eſt inſtitutio vulgaris, & quotuplex?
Reſp. Quæ à vulgo, & à quolibet fieri poteſt, dum tamen teſtator teſtari, & inſtitutus recipere poſſit: & eſt duplex expreſſa, & tacita, vt ſi quis dicat, Titius, & ſui ſucceſſores ſint hæredes in meis bonis, ſi Titius repudiabit meam hæreditatem, eius ſucceſſores tacitè ſunt inſtituti in mea hæreditate.

3 Quando quis inſtituit aliquem ſub conditione, nõ impleta conditione, valebit ne talis inſtitutio?
℞. Diſtinguendo, aut conditio eſt impoſſibilis, vel non eſt in poteſtate inſtituti; plures enim ſunt conditiones, ſcilicet, impoſſibilis, vel turpis, & hæc habetur pro non appoſita, & eſt conditio caſualis, quæ pendet à caſu, & fato, & eſt conditio, quæ pendet ex voluntate alterius, & facta ſufficienti diligentia, & ſi non adimpleatur, hæreditas non vitiatur; aut pendet ex ſola voluntate hæredis, & tunc adimpleri debet: aut eſt mixta, quæ pendet ex voluntate hæredis, & alterius, & tunc facta diligentia ſi per alium ſteterit, non vitiat, neque tollit hæreditatem. *l. 1. C. de Inſtitutio. & Paulo de Caſtro ibi.*

4 Si quis dicat inſtituo mulierem meam hæredem, dum vitam vidualem fecerit; & poſt eius mortem ſubſtituat Franciſcum, & poſtea nubat mulier; quæro, an Franciſcus habeat hæreditatem ſtatim, vel poſt eius mortem?
Reſp. Statim, quia ex intentione teſtatoris ſunt verba æquipollentia, & idem ſignificant facere vitam vidualem, & non nubere, & à contrario ſenſu nubere & non facere vitam vidualem, & ideò cum primum nubit, debet Franciſcus ſecundus ſubſtitutus adire hæreditatem. *Paul. de Caſtr. l. ſi mater. C. de inſtitut. & ſubſtitut. num. 3.*

5 Pater poteſt ne inſtituere heredem filium ſub cõditione, quòd non ſit ſub eius poteſtate, vel ſub conditione caſuali, vel mixta?
Reſp. Non, ſed filius poterit tunc adire hæreditatem, vt ab inteſtato. *l. ſi pater. C. de inſtit. & ſubſtit. & ibi Paul. de Caſtro.*

6 Si quis inſtituit aliquem hæredem ea conditione, vt intret monaſterium, & ipſe intrauit, & non fecit profeſſionem, & poſtea exiuit, debet ne habere hæreditatem?
Reſp. Non, *Paulus de Caſtro in l. ſi quis hæredem. C. de inſtit. & ſubſtit. num. 3.*

7 Si quis dicat in ſuo teſtamẽto; quòd vult inſtituere talem hæredem ſub certis cõditionibus, & poſtea non

non apponat conditiones, vitiabit ne teſtamentum?
Reſp. Non; quia accidentia, & deficientia non vitiant Teſtamentum. *l. ſi teſtamentum. C. eod. tit. de inſti. & ſubſtit.*

8 In inſtitutione, & ſubſtitutione, exhæredatione, & ſucceſſione, eſt ne in Iure aliqua differentia inter filios, & filias?
Reſp. Antiquitus erat, quia filius non poterat exhæredari, niſi nominaretur nomine proprio; filia verò ſub vocabulo communi; & ſi fiebat Teſtamentum, plus debebat relinqui maſculis; hodie verò fœminæ, & nepotes in ſucceſſione parentum non ſunt deterioris conditionis, ſed eodem gaudent priuilegio, & ſtatuta in contrarium non valent. *Paul. de Caſtro leg. maximum, Cod. de liberis præteritis, vel hæreditatis numero 2.*

9 Quid eſt ſubſtitutio?
Reſp. Secunda inſtitutio cum aliqua conditione. *gloſſ. in l. qui liberis, ff. de vulg. & pupill.*

10 Quot ſunt ſubſtitutiones?
Reſp. Plures; ſubſtitutio obliqua, directa, vulgaris, expreſſa, tacita, pupillaris, compendioſa, breuiloqua, ſeu reciproca, ſiue exemplaris, obliqua, ſiue non directa.

11 Quæ eſt ſubſtitutio obliqua?
Reſp. Quando, quis mediante aliquo hæreditatem capit. *leg. reſtituta. ff. ad Senatuſconſult. ad Trebellianum.*

12 Quæ eſt ſubſtitutio directa?
Reſp. Quando quis capit hæreditatem, ſua propria auctoritate.

13 Quæ eſt ſubſtitutio pupillaris, & quotuplex?
Reſp. Illa, quæ ſoli pupillo, & impuberi fit, & eſt duplex, tacita, & expreſſa; tacita eſt, quando non exprimit perſonam, ſed omnia ſubintelliguntur, vt ſi dicas, ſi filius meus impubes non ſit hæres, ſit Titius: expreſſa eſt, quæ expreſſis verbis fit, vt ſi dicas, filius meus impubes ſit hæres.

14 Quæ eſt ſubſtitutio compendioſa?
Reſp. Quæ fit ſub verborum compendio, vt ſi dicas, fili mi hæres eſto, quandocumque ſucceſſeris, Titius hæres erit. *leg. precibus. Cod. de impuber. & alijs ſubſtitution.*

15 Quæ eſt ſubſtitutio breuiloqua, ſiue reciproca?
Reſp. Quæ continet duas vulgares, & duas pupillares ſubſtitutiones, vt ſi dicas, Seium, & Titium filios meos hæredes inſtituo.

16 Quæ eſt ſubſtitutio exemplaris?
Reſp. Illa, quæ fit ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, vt ſi dicas, ſubſtituto filium meum furioſum, quia ſicut pater prouidet filio impuberi, ad eius exemplum prouidet filio furioſo.

17 Hæres in Teſtamento quomodo debet inſtitui?
Reſp. Debet inſcribi manu propria Teſtatoris, vel nominari à Teſtatore voce intelligibili, ita vt teſtes intelligant, quis ſit nominatus hæres, alias nulla eſt inſtitutio. *l. iubemus, C. de teſtam.*

18 Si hæres negligens fuerit in adimplendo voluntatem Teſtatoris, quid agendum?
Reſp. Epiſcopus tamquam vniuerſalis executor debet compellere hæredem, & interdicere res cum fructibus, donec hęres fecerit conditum à teſtatore. *Abb. in cap. in litteris, de raptoribus, num. 1.*

19 Error in proprio nomine vitiat ne inſtitutionem hæredis?
Reſp. Si talis error non ponat difficultatem in eligendo hęredem, non vitiat: ſi autem ponat difficultatem, quia plures ſunt, qui vocantur eo nomine, & deficiat probatio, quis eorum fuerit inſtitutus, tunc vitiat Teſtamentum. *leg. ſi in nomine. C. de teſtam. l. duo ſunt Titij. ff. de teſtamentaria tutela.*

20 Intra quod tempus debet hęres adimplere legata pia?
Reſp. Intra annum à die monitionis, aliàs Epiſcopus, vt generalis executor Teſtamentorum à Iure, poteſt adimplere. *c. nos quidem, de teſtam.*

21 Si quis inſtituat Petrum filium ſuum hęredem, & probetur Petrum non eſſe filium ſuum, valet ne talis inſtitutio?
Reſp. Non, quia deficit in illo qualitas, propter quam inſtitutus fuit hæres. *l. neque profeſſio. Cod. de teſtamentis.*

22 Si quis in Teſtamento inſtituat hęredem ſub conditione impoſſibili, vel ſub conditione, quæ pendet ab altera voluntate, vt dicens, inſtituo Petrum meum hęredem, ſi ducat vxorem Mariam filiam talis ducis, non impleta conditione, valebit ne talis inſtitutio?
Reſp. Si conditio habetur pro impoſſibili, habetur pro non oppoſita; ſi verò conditio pendet ab altera voluntate, facta ſufficienti diligentia inſtitutio valet. *L. obtinuit. ff. de condit. & demonſtr. inſtit. de hæred. inſtit. § impoſſibilis.*

23 Si quis acceptat hęreditatem, tenebitur ne ad omnia legata, & ſoluenda debita Teſtatoris?
Reſp. Affirmatiuè, *leg. non dubium. C. de Teſtam.* ſed in Regnis Hiſpaniæ cautum eſt, quòd quis poſſit acceptare cum beneficio inuentarij; tunc enim non tenebitur ad debita, & legata vltra quantitatem hæreditatis.

24 Hæres quando tenetur vltra vires hæreditarias?
Reſp. Quando non facit inuentarium, vel illud facit fraudulenter occultando bona; ratio eſt, quia nemo ex malitia debet accipere commodum, *tenet Abb. c. ex litteris, de raptorib. nu. 3.*

25 Si quis eſt in exilio, poteſt ne inſtitui hæres?
℞. Non, quia eſt perſona incapax, & habetur pro mortuo. *l. 1. C. de hæred. inſtit. & hæreditas non pertinet, niſi ad parentes teſtatoris.*

26 Bannitus, ſi inſtituatur hæres, valebit ne inſtitutio.
Reſp. Diſtinguendum: ſi Teſtamentum fiat ſecundùm Ius municipale illius ciuitatis, inſtitutio nulla erit; ſi verò fiat Teſtamentum ſecundum ius commune, non amittit hæreditatem, quia bannitus gaudet priuilegijs illius ciuitatis, tamquam hoſtis. *Iaſon. C. de hæred. inſtit. l. 1.*

27 Si quis inſtituat filium ſpurium in tertia parte bonorum ſuorum, & in reſiduo hæreditatis ſuæ inſtituat Petrum amicum ſuum, habebit ne Petrus totam hæreditatem, quia filius ſpurius non eſt capax hæreditatis?
℞. Affirmatiuè, quia in reſiduo totum continetur. *leg. Pater tuus. Cod. de hæredib. inſtituen. & ibi Paulus de Caſtro.*

28 Si quis inſtituat hæredem ſeruum, valebit ne inſtitutio?
℞. Si exiſtimat eſſe liberum, non valebit; ſi verò exiſtimat eſſe ſeruum, valebit inſtitutio, quia videtur tacitè illi donare libertatem. *Paulus Caſtrenſ. leg.*
cum

cum proponas, *C. eod. tit. de hæred. inſtituend.*

29 Dominus ſerui poteſt acquirere hæreditatem datam ſeruo, abſque eo, quòd ſeruus habeat hæreditatem, & eam poſſideat?

Reſp. Non quia ſeruus poterit permittere ſpoliari, & occidi, & non adire hanc hæreditatem: ratio eſt, quia hæreditas, & bona non ſunt Domini, niſi prius in ſerui poteſtate ſint *Paulus de Caſtro l. cum proponas. C. de hæred. inſtit.*

30 Poterit monaſterium acquirere hæreditatem monachi abſq; eo, quòd illam habeat, & poſſideat monachus?

Reſp. Poterit; & ratio differentię eſt, quia ſubiectio monachi non eſt ſeruitus, neq; monachus comparatur ſeruo, ſed filio familias, & ſeruire Deo regnare eſt. *Paul. de Caſtr. in l. cum proponas, & ſicut Pater poteſt adire hæreditatem abſq; filij voluntate, ideò monaſterium abſque voluntate monachi.*

31 Si quis inſtituat aliquem hęredem fratrem, filium vel vxorem, & poſtea appareat, quòd non ſit frater, filius, vel vxor valebit ne hereditas?

Reſp. Non, quia error in affinitate tollit hæreditatem ſed talis diſcedit ab inteſtato, *Paul. de Caſtr. in l. ſi pater tuus. C. de hæred. inſtitu.*

32 Si teſtator debitor ſit alicui mille ducatorum, & inſtituat illum hæredem in dimidia parte bonorum ſuorum animo compenſandi debitum, poterit ne ille adire hæreditatem, & petere debitum?

Reſp. Si teſtator dicat, quòd animo compenſandi totum debitum illum inſtituit, non poterit petere, ſi autem dicat ſolùm, quòd animo compenſandi, poterit adire hæreditatem, & petere reſiduum debiti ab alio hærede, ſi maior ſit, quam hæreditas; ſi verò inſtituat hæredem vniuerſalem, & ipſe acceptet hæreditatem, non poterit petere, neq; debitum, neque reſiduum. *Paul. de Caſt. l. ſi compenſandi. C. de hæred. inſtit.*

33 Si quis ſit incapax alicuius hæreditatis, quia eſt ſpurius, & ſeruus eius inſtituatur hæres, poterit ne capere illam hereditatem?

Reſp. Non, quia ille qui eſt incapax per ſe, etiam eſt incapax per alium, *Paul. de Caſt. l. neque per ſe C. de hæred. inſtit.*

34 Incognitus, & extraneus poſſunt ne inſtitui?

Reſp. Poſſunt. *l. extraneum. C. de hær. inſtit.*

35 Ciuitates, & communitates, poſſunt ne inſtitui hæredes?

Reſp. Poſſunt, & capere ſibi legata *l. hæreditatis. C. de hæred. inſtit.*

36 Si quis erret in ſuo nomine proprio, vt cum vocetur Ioannes, dicat filius Petri hæres eſto, valebit ne talis inſtitutio?

Reſp. Non, quia nemo videtur errare ſuum propriũ nomen. *l. cum in liberis. C. de hæred. inſtitu.*

37 Si Pater, vel mater inſtituat filium mẽte captum, & illi ſubſtituant Titium, ſi filius acquirat ſanitatẽ, & mentem bonam, & talis diſcedat, ſubſtitutio valebit ne?

Reſp. Non, ſed qui accepit ſanam mentem, poterit relinquere ſua bona, ſicut ſi non haberet ſubſtitutũ, ratio eſt, quia ſubſtitutio fuit facta mente capto, ſed non filio ſano. *l. humanitatis. Cod. de impub. & alijs ſubſtit.*

38 Si quis dicat, inſtituo duos filios impuberes hæredes; & ſi vterque diſceſſerit in pupillari inſtituo Titium, & vnus diſceſſit, quid agendum?

Reſp. Quod Titius ſubſtitutus non habebit illam partem, ſed cohæredes illam habebunt; ratio eſt, quia non eſt impleta omnimoda conditio. *l. cum quidam. C. de neceſſ. ſeruis hæred. inſtit.*

39 Si quis dicat, patrem, & filium, & Titium hæredes inſtituo, pater, & filius habebunt ne vnam portionem, vel duas?

Reſp. Vnam, quia pater, & filius cenſentur pro vna perſona, *l. fin. C. de impub. & alijs ſubſtit.*

40 Si quis habet plura debita, quam bona, poterit ne inſtituere ſeruum ſuum in hæredem neceſſarium, vt ille liber remaneat in fraudem creditorum?

Reſp. Si ſeruus non ſit obligatus ſpecialiter creditoribus poterit, quia licèt creditores in vno incommodum recipiant, in alio recipiunt commodum quia habent hæredem, à quo petant debita ſua, & ſeruus tenebitur acceptare. *l. 1. C. de neceſſarijs ſeruis inſtituẽdis.*

41 Si quis in teſtamento dicat, Titium libertum meũ inſtituo, & Titius ſeruus eius ſit acquirit ne libertatem?

Reſp. Affirmatiuè in fauorem teſtamenti. *l. cum ſerui C. de neceſſar. ſeru. hæred. inſtitu.*

42 Si tale legatum fecerit aliquis miles, valebit ne talis libertas?

Reſp. Affirmatiuè, in fauorem militis. *l. ex ijs verbis. C. de teſtam. militis.*

43 Si quis in legato dicat, Titio liberto meo lego decem, & Titius non ſit libertus, ſed ſeruus eius, acquirit ne libertatem?

Reſp. Non, quia verba denuntiatiua fauorabilia ſunt in teſtamento, in quo inducunt diſpoſitionem, & iſte eſt error in ſubſtantiali. *ſup. l. cum ſerui. C. de neceſſarijs ſeruis hæredib. inſtituendis.*

44 Tutor poteſt ne inſtituere hæredem neceſſarium ſeruum pupilli ſui, & talis ſeruus manebit ne liber?

Reſp. Non, neque habebit hæreditatem *l. ſi tutor. C. de neceſſ. ſeru. hæred. inſtitut.* ratio eſt, quia tutor non potuit dare libertatem ſeruo alieno: & etiam non habebit hæreditatem, quia teſtator exiſtimauit talis remanere liber, & non ſeruus.

45 Si quis inſtituat ſeruum ſuum hæredem, vel conſtituat tutorem filiorum ſuorum non facta mentione de libertate, ſed poſtea in codicillo faciat legatum, & donet ſeruum alicui, iſte talis manebit ne liber, vel ſeruus?

Reſp. Manebit liber, & hæres, vel tutor, quia maiorem vim habet teſtamentum, quam legatum. *l. quidam. C. de neceſſ. ſeruis inſtit.*

46 Si quis neſciat Titium eſſe monachum, & Titium hæredem inſtituit, valebit ne talis inſtitutio?

Reſp. Valebit, & eam conſequetur in fauorem Eccleſię cũ cõditio religionis non ſit peior, ſed melior, *Paulus de Caſtr. in leg. ſi tutor. Cod. de neceſſar. ſeru. inſtitue.*

47 Si quis dicat filium meum hæredem inſtituo, & ſi hæres non erit, ſubſtituo Titium, quæro ſi filius eius habuit hæreditatem, & deceſſit, ad quem pertinebit talis hæreditas, ad Titium, vel ad hæredes legitimos filij?

Reſp. Ad hæredes legitimos talis filij, quia ſubſtitutio fuit vulgari ſub cõditione, ſi hæres non fuerit, aliter iudicandum erit, ſi ſubſtitutio fuiſſet pupillaris, & teſtator diceret, ſi filius meus hæres fuerit, vel non fuerit ſubſtituo, *Titium. l. precibus. C. de impuber. & alijs ſubſt.*

48 Si

48 Si teſtator inſtituat filium ſuum hæredem ſub aliqua conditione, non impleta conditione, erit ne hæres?
Reſp. Si conditio ſit proteſtatiua, non impleta conditione, non erit hæres; ſi verò ſit caſualis, vt ſi nauis venerit ex Hiſpania, debet expectari euentus, qui ſi fuerit impoſſibilis habetur pro non appoſita, & erit liber, & hæres. *C. de hæred. inſti. l. fin.*

49 Si quis inſtituat tres hæredes vnum in decē, alium in vinginti, tertium in quadraginta, & dicat vos ad inuicem ſubſtituo; ſi forſan ille, qui habuit quadraginta repudiet hereditatem; quæro duo primi ſubſtituti habebunt ne quadraginta pro partibus æqualibus?
Reſp. Non; ſed quilibet habebit ſecundum rationē partis, ſicut qui fuit in decem, habebit, minus, quam ille, qui fuit in viginti; ratio eſt, quia quod declaratum fuit in inſtitutione, videtur neceſſario adiectum, & expreſſum in ſubſtitutione. *l. 1. C. de impub. & alijs ſubſtitu.*

CAPVT XXV.

De Teſtamento rupto.

1 TEſtamentum cōtra tenorem legum valebit ne?
℞. Non, quia licèt quiſque in ſuo teſtamento poſſit diſponere ſicut vult, hoc intelligendum eſt de pecunia, & re propria, non ideò habet teſtator facultatem mutandi leges, vel tranſgrediendi formam iuris. *l. ſi quando. C. de inoficioſ. teſtam. l. teſtadi. C. de teſtam.*

2 Reſcriptum Regis, vel Principis poteſt reſcindere teſtamentum iure factum?
Reſp. Non, *l. ſi teſtamentum. C. de teſtam.*

3 Si teſtamentum, in aliqua parte raſum ſit, vel interlineatum, & infra non fuerit ſaluatum, vitiabit nè totum teſtamentum, vel ſolam illam partem?
Reſp. Diſtinguendo; ſi raſura ſit in parte ſubſtantiali, vt in annis Domini vel inſtitutione, vel in nomine, vel ſubſcriptione teſtatoris, tunc vitiabit totum teſtamentum. *vt in l. ſi vnus. C. de teſtam.* ſi verò raſura ſit in loco ordinario, & communi, vt in vno legato, de quo non dependet totum teſtamentum, tunc non vitabit alias partes teſtamenti. *l. ſi ex falſis. C. de tranſactionib.*

4 Si quis legauit in teſtamento rem alienā ad quid tenetur hæres?
Reſp. Ad ſoluendam æſtimationem de bonis defuncti legatario; ratio eſt; quia licèt teſtator non habeat facultatem ſupra rem alienam in indiuiduo, habet facultatem ſupra valorem talis rei ſolutum de ſuis proprijs bonis ne legatarius defraudetur a beneficio teſtatoris. *capit. filius noſter, de teſtamentis, iuncta gloſſa.*

5 Teſtamentum ſcriptum in tabulis, vel in lapidibus valebit ne?
Reſp. In teſtamento non inſpicitur materia, in qua ſcriptum eſt, ſed ſolum ſolemnitates, & ita valebit, *l. 1. ff. de tabul. exhibendis.*

6 Si quis fecit donationem inter viuos in fauorem alicuius, & poſtea in ſuo teſtamento ſe nihil donaſſe, talis enuntiatio quid operatur contra donatariū?
Reſp. Nihil præiudicat, quia eum teſtator grauare non poteſt, quia iam acquiſiuit ius per donationem, ſecus autem dicendum, ſi teſtator poteſt grauare donatarium. *l. verba. C. de teſtam.*

7 Error ſcribentis in re ſubſtantiali, vitiat ne teſtamentum?
Reſp. Non. *l. ſi librarius ff. de reg. iur. l. errore. C. de teſtament.*

8 Hic error quomodo probabitur?
Reſp. Per duos teſtes. *l. errore. C. de teſtam.*

9 Si quis furetur teſtamentum, tale furtum vitiabit ne illud?
Reſp. Non, quia hoc accidentale, & extrinſecum eſt teſtamento. *l. non idcirco. C. de teſtam.*

10 Ratione poſthumorum rumpitur ne teſtametum?
Reſp. Affirmatiuè, ſed ſi moriatur viuo teſtatore, conualeſcit teſtamentum. *l. poſthumus. ff. de iniuſto rupto, & irrito facto teſtamento.*

11 Teſtamentum imperfectum ratione voluntatis, puta cum quis cæpit condere teſtamentum, & ante ſubſcriptionem ſuperuenit furor, valebit ne inter liberos?
Reſp. Non, quia defecit voluntas, quod eſt ſubſtantiale. *l. hac conſultiſſima. §. ex imperfecto, C. de teſtam.*

12 Si quis faciat teſtamentum, & pretermittat aliquem filium ſuum, valebit ne teſtamentum?
Reſp. Non, quia prætermiſſio rumpit teſtamentū. *l. inter cætera. ff. de liberis, & poſthumis.*

13 Si nepos in teſtamento reperiatur præteritus, talis rumpet teſtamentum?
Reſp. Affirmatiuè, quia habet ſuitatem cum patre ſuo. *l. ſi. auus. C. de liberis præteritis.*

14 Si quis faciat teſtamentum, & in eo cum cauſa, vel ſine cauſa exhæredat filium ſuum, valebit ne teſtamentum?
Reſp. Valebit, quia non deficit in ſolemnitate, licèt hæredatio ſine cauſa nulla fiat. *§. cauſas autem, authen. vt cum de appell. cognoſc.*

15 Si quis dicat, volo filium meum eſſe alienū à mea ſubſtantia, talis erit exhæredatus, an præteritus?
Reſp. Exhæredatus; quia interpretatio debet fieri ad ſenſū, & nō ad verba. *l. ſi quis. C. de liberis præteritis.*

CAPVT XXVI.

De cauſis Exheredationis.

1 EX quibus cauſis poteſt pater exheredare filium ſuum?
Reſp. Ex cauſis ingratitudinis, & hæc ſunt quatuordecim. Prima, ſi in patre manus intulerit. Secunda, ſi grauamen, & iniuriam ei fecerit. Tertia ſi eum accuſauit in criminali cauſa. Quarta, ſi cum maliſicis hominibus, vt maleficus verſaretur. Quinta, ſi per venenum tentauerit occidere parentes. Sexta, ſi per ſe miſcuerit nouercę, aut concubinæ patris. Septima, ſi delator contra parentes extiterit. Octaua, ſi pater ſit incluſus in carcere, & filius noluerit eſſe fideiuſſor pro perſona, aut pro debito, & hæc ſolùm cōprehendit maſculos. Nona, ſi quis prohibuerit parentes

tes facere teſtamentum. Decima, ſi filius præter voluntatem parentum inter arenarios commoretur (qui hodie vocantur comici) niſi parentes eiuſdem fuerint profeſſionis. Vndecima, ſi fęmina magis elegerit ſcortum fieri, & luxurioſè viuere, quàm accipere dotem, & maritum à patre datum; hæc verò deficit; ſi pater diſtulerit vſque ad viginti quinque annos filiam marito copulare. Decimaſecunda, ſi filius neglexerit curare patrem furioſum, & poſtea factus ſanæ mentis, poterit inſtituere extraneos. Decimatertia, ſi pater fuerit captus, & filius eum poſſit redimere, & non redimit. Decimaquarta, ſi filius ſit hæreticus. *authen. vt cum de appellatione cognoſcitur, §. aliud quoque, & §. ſiue igitur. c. Quintauallis, de iureiur. & Abb. ibi.*

2 In quibus caſibus poteſt pater negare alimenta filio?

Reſp. In omnibus, in quibus poteſt eum exhęredare. *Abb. vbi ſup. num. 5.*

3 Filia ſi luxurioſè viuat poteſt ne petere alimenta à patre?

Reſp. Si pęnituit, debet ali à patre propter fragilitatem humanæ naturæ. *Abb. vbi ſup. num. 6.*

4 Propter quas cauſas poteſt filius exhæredare ſuos parentes?

Reſp. Propter eaſdem cauſas, propter quas parentes poſſunt exhæredare filium, *authent. vt cum de appellatione cognoſcitur ſupra alleg.*

5 Ad quem pertinet probare dictas cauſas?

Reſp. Ad hæredem, & etiam ad hæredem ab inteſtato, *Paul. de Caſtro. l. non licet. C. de liberis præteritis, & l. ex cauſa, C. eodem.*

6 Si cauſa non exprimatur in Teſtamento, & poſtea probetur contra aliquem, filius manebit ne exhæredatus?

Reſp. Non, quia cauſa debet expreſsè exprimi in teſtamento, & ſimiliter exhæredatio, alias videtur filium feciſſe ſatisfactionem, & patrem condemnaſſe iniuriam. *l. non licet. C. de liberis præterit.*

CAPVT XXVII.

De Legatis pijs.

1 Legatum pium quid eſt?

Reſp. Eſt aliqua diſpoſitio facta à teſtatore in Teſtamento, codicillo, vel coram parocho, & duobus teſtibus ad pias cauſas, ſiue de nouo fundandas, ſiue fundatas augendas, vt quando relinquitur aliquid in bonum propriæ animæ ad dicenda ſuffragia pro ſe, aut pro alijs fidelibus defunctis, vel quando relinquitur eleemoſyna pauperibus etiam conſanguineis, Eccleſię, monaſterio, aut in redemptionem captiuorum, aut orphanas, aut in augmentum diuini cultus. *DD. in cap. relatum, il primo, cap. cum eſſes, de teſtament.*

2 Diſpoſitio ad pias cauſas quotupliciter fit?

Reſp. Dupliciter. Primò, quando in teſtamento, vel codicillo pia cauſa inſtituitur hæres, vel loco hæredis. Secundò, quando alius inſtituitur hæres, & in dicto Teſtamento fit aliquod legatum Eccleſiæ, vel operæ piæ. *DD. in c. relatum, il primo de teſt. Emmanuel de Coſta p. 1. verb. in ſuo teſtamento, num. 8.*

3 Diſpoſitiones ad pias cauſas in quanam ſunt differentia?

Reſp. Tam Teſtamentum, quàm codicillum, quàm diſpoſitio coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, vel alia diſpoſitio manu propria ſcripta ſunt in duplici differentia, aut ſunt diſpoſitiones, & Teſtamẽta perfecta, aut imperfecta. *Molin. tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 134. §. verum.*

4 Quæ ſunt diſpoſitiones perfectæ?

Reſp. Teſtamentum clauſum, vel apertum, codicillum, donationes factę cum teſtibus, & ſolemnitatibus à Iure ciuili, vel canonico poſitis, nempe de iure ciuili requiruntur ſeptem teſtes, *vt l. hac conſultiſſima, §. ex imperfecto. C. de teſtam.* ſed inter liberos ſufficiunt duo teſtes; de Iure verò canonico ſufficit Scriba, vel Notarius, & duo teſtes, & in fauorem operæ piæ ſufficit Parochus cum duobus teſtibus, coram quibus poterit facere diſpoſitionem per verba de pręſenti.

5 Quæ ſunt diſpoſitiones imperfectæ?

Reſp. Primò, quando ex aliquo accidenti deficit aliqua ſolemnitas, vt ſi deficerent teſtes, vel ſi teſtator incepiſſet Teſtamentum, aut codicillum verbo, aut ſcripto, & aliqua diſpoſuiſſet, & morte præuentus non potuerit illud ſubſcribere, neque abſoluere. Secundò, quando teſtator animum habere diſponendi de ſuis bonis ad pias cauſas, & id declararet coram vno, duobus, vel tribus teſtibus, vel haberet inſtructionem propria manu ſcriptam, & vocaret tabellionem, & morte præuentus fuit; tunc enim iſta diſpoſitio dicitur imperfecta, *vt tenet Iulius Clarus, q. 54. §. teſtamentum, & alibi.*

6 Teſtamentum factum in fauorem cauſæ piæ, ſi ſit imperfectum ſecundo modo, erit ne validum?

Reſp. Ex opinione omnium DD. tale teſtamentum etiam in fauorem cauſę pię non eſt validum, ſed ſuccedunt hęredes ab inteſtato ex pluribus rationibus. Prima, quia talis diſpoſitio non eſt Teſtamentum, immo potiùs eſt pręparatio ad Teſtamentum. Secũda, quia verba enunciatiua ſunt in triplici differentia, vel ſunt de præterito, vt ſi quis dicat, meam domum dedi Eccleſiæ, vel de præſenti, vt ſi quis dicat coram Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus, vel coram tabellione, meam domum do Eccleſiæ, & iſta dicitur perfecta diſpoſitio; aut ſunt de futuro, vt ſi quis coram teſtibus dicat, domum meam volo relinquere Eccleſiæ, vel volo inſtituere Petrum hæredem, vt ipſe ex meis bonis ædificet Eccleſiam, tunc talis diſpoſitio nulla eſt, nec inducit aliquam obligationem, quia verbum, volo, iunctum infinito, nullam inducit obligationem, cum volo vouere, non eſt vouere, nec volo dare, eſt dare, ſed eſt quædam diſpoſitio, & pręparatio ad id faciendum, *vt tenent omnes DD. in l. ſi quis ſtipulatus, ff. de verb. oblig. Menoch. lib. 4. præſumpt. 100.*

7 Diſpoſitio imperfecta primo modo (ſcilicet quãdo quis cœpit facere Teſtamentum, & tabellio cœpit ſcribere, & mandauit aliqua legata pia, & moriatur) valebit ne in fauorem operæ piæ?

℞. In iſto caſu ſunt varię DD. opiniones; partem affirmatiuam tenet *Molin. de iuſtit. & iur. diſp. 104. §. verum, tom. 1. cum Couarr. c. relatum. num. 10. Bartol. & Panorm.* ab eo relatis, & fultus ratione, quia de

Iure

iure naturali nullæ ſolemnitates requirebantur ad validitatem teſtamenti, ſed ſola expreſſa voluntas teſtatoris, & hic ſatis exprimitur, & hoc ſufficit in fauorem operæ piæ, vt talis diſpoſitio ſit perfecta; ſed partem negatiuam *tenet Iul. Clar.q.7.§. teſtamentum.Gomez ad l.33.Tauri. num.* 18. pluribus rationibus, Prima, quia talis actus fuit imperfectus, & talis diſpoſitio, neq; eſt recepta de iure Canonico,neq; de iure ciuili, cum in eo deficiant omnes ſolemnitates. Secunda, quia ille teſtator potuit mutare ſuam voluntatem, antequam finiret teſtamentum, & ſic relinqui debet in ſuo libero arbitrio vſque ad finem mortis, & vſque ad perfectionem teſtamenti. Tertia, quia ſolemnitates teſtamentorum inſtitutæ ſunt ad euitandas plures fraudes, quæ in tali caſu poſſunt ſuccedere. Quarta, quia licèt de iur. natu. nullæ ſolemnitates requirentur in teſtamento, tamen de iure poſitiuo iuſtis de cauſis, poſitæ ſunt certæ ſolẽnitates ad validitatem teſtamenti,& iſtæ ſemper ſunt ſeruandæ, cum pertineant ad bonam reipublicę gubernationem. Quinta, quia in fauorem operæ piæ à iure poſitiuo, & Canonico iam eſt datum priuilegiũ, vt coram parocho, & duobus teſtibus valeat teſtamentum, quod non valet in fauorem perſonæ ſæcularis, & in nullo text. neq; Canonico expreſsè inuenitur,quòd dicta diſpoſitio imperfecta valeat ad verũm teſtamentum in fauorem operæ piæ. Sexta, quia incępiſſe diſponere nõ eſt finiſſe diſpoſitionem; & quis non obligatur, niſi per diſpoſitionem perfectam. Vltima, ne de facili tollatur ius hæredibus ab inteſtato, quod neceſſarium eſt ad conſeruationem Reipublicæ.

8 Si infirmus amittat vocem, & per ſigna faciat teſtamentum ad pias cauſas, erit ne validum?

℟. Erit,ſi ſint duo teſtes,& parochus,& omnes concordent ante Iudicem ſignis voluiſſe talem teſtatorem inſtituere Eccleſiam hæredem, & dare legatum pium pauperibus, ſed non valebit deficiente vno teſte, vel parocho; ratio eſt quia voluntas teſtatoris, & prædictæ ſolemnitates faciunt verum teſtamentum, *vt tenet Iulius Clarus in practica criminal. quæſtione 6.§.teſtamentum, & cap. relatum, il primo, de teſtam.*

9 Poteſt quis teſtari per procuratorem ad pias cauſas?

Reſp. Poteſt, licèt in mandato, vel procura detur ei facultas abſoluta, vel limitata, vt poſt eius mortem de futuro faciat ſuum teſtamentum *Iul.Clar.quæſt.6. §.teſtamentum*.

10 Si quis habeat facultatem ab alio ſolùm ad teſtandum ad pias cauſas, & excedens facultatem aliqua legata non ad pias cauſas relinquat, tale teſtamentum erit ne validum?

Reſp. Diſtinguendo quo ad pias cauſas erit validum ſed quo ad non pias cauſas non erit validum, non ex defectu teſtamẽti,ſed ex defectu facultatis,quia fines mandati tranſgredi non debent, *vt tenet Iulius Clar. vbi ſup.*

11 Talia legata ad non pias cauſas in iſto caſu accreſcent ne operæ piæ, an hæredi ab inteſtato?

Reſp. Cum diſtinctione, ſi mandatum dicat, quòd omnia ſua bona relinquantur pauperibus,vel pro ſua anima, tunc legata non pia accreſcent legatis pijs libra pro ſoldo, vel rata pro quantitate; ſi verò mandatum fuit limitatum in mille aureos, tunc accreſcẽt hæredi ab inteſtato,quia opera pia non habet ius accreſcendi, ſed debet contineri intra terminos limitatos. *Molin.de inſt.& iur.tom.1.tract.2.diſp.134.§. quãdo, in fin.*

12 In teſtamento ad pias cauſas requiritur neceſſariò inſtitutio hæredis?

Reſp. Non, quia hoc eſt priuilegium ſpeciale in fauorem cauſæ piæ, cum alijs pluribus priuilegij. *Molin. vbi ſup.*

13 Si quis dicat in teſtamento, relinquo animam meam hæredem, vel Ieſum Chriſtum, vel Beatam Virginem, vel pauperes, tunc quid erit agendum?

Reſp. Tale teſtamentum erit validum, & executor erit Ordinarius, & in eius defectu diſponet illa bona ad cauſas pias magis neceſſarias,& vtiles, *vt tenet Mol. vbi ſup.*

14 Teſtes in teſtamento ad pias cauſas quales debent eſſe?

℟. Sufficit,vt ſint ſerui, fœminæ,domeſtici, vel coniuncti, dummodo ſint capaces, & non patiantur aliquem defectum poſitum à Iure, quem debet probare ille, qui intelligit non eſſe legitimum teſtamentũ, quia de Iure imponenti incumbit probatio. *Molin.vbi ſupra.*

15 Quarta falcidia vnde dicitur, & quare introducta ſit?

Reſp. Dicitur à falce,quia reſecat legata, vel ſecundũ Bartol. ſuper inſtit.tit.de lege Falcid. à Caio Falcidio Tribuno plebis, qui eam inſtituit, & introducta fuit ea ratione, quia ſecundum legem 12. tabularum cuilibet licitum erat omnia ſua bonam legata pia, vel non pia diſtribuere, vnde accidebat, vt multi decederent ſine hærede, quia hæredes nolebant hæreditatem acceptare, cum haberent paucum, vel nullum lucrũ, ideo lex Falcidia iuſſit, vt nullus poſſit teſtari in legatis vltra dodrantem, ideſt vltra nouem partes ſuorum bonorum, quia neceſſariò debebant hæredi relinquere quartam partem ſuorum bonorum. *ita Bartol. in inſtit de lege Falcidia.*

16 Quando quis diſponit in ſuo teſtamento vltra dodrantem, ideſt vltra nouem partes ſuorum bonorũ, quomodo ſumitur quarta falcidia, & in qua quantitate?

Reſp. Æs diuiditur in duodecim partes, ad cuius ſimilitudinem hæreditas diſtribuitur in duodecim partes no licet teſtatori diſtribuere in legata vltra partes nouem; quòd ſi contrarium fecerit in ea quantitate, vel parua, vel magna, in qua non reliquerit quartam partem integram hæredi, legata debent eã ſupplere rata pro quantitate, vel ſoldo pro libra, ita quòd ſi hæres habuerit ſolùm duas partes, omnia legata debent ei dare aliam partem, vt habeat quartam partem integram hæreditatis §.1. *& final. inſtit.de l.falcid.*

17 Si hæres non faciat inuentarium intra tempus à lege conſtitutum, vel illud faciat fraudolenter, vel ſua culpa diminutum, poterit ne petere quartam falcidiam?

Reſp. Non, quia ſua culpa perdidit eam actionem. *gloſ.fin.inſtit.de leg.falcid.Bart.in authen. ſed cum teſtator, in 8.C.ad l.falcid.*

18 Quarta falcidia quomodo deducitur ab hæreditate?

℟. Si

Reſp. Si hæres inſtitutus non habeat quartam partem totius hęreditatis, tunc ſublato ære alieno, & funerali, legata debent ſupplere illam partem, quæ deficit hæredi ad conſequendam pro ſuo labore quartã falcidiam; ratio eſt, quia æs alienum non ſunt bona defuncti, & funerale eſt neceſſarium defuncto ſecundum qualitatem perſonæ; quia eſt vltimus honor huius vitæ. *Inſt. de lege quarta falcidia, & ibi gloſ.*

19 Quarta falcidia debet ne tolli à legatis pijs?

Reſp. Non tollitur à legatis pijs, nec in teſtamento militis habet locũ quarta falcidia; ratio eſt, quia militia celeſtis, terrena eſt nimis in iure priuilegiata, neq; tollitur à legitima, nec à dote mulieris, quando maritus legat vxori ſuam dotem: ratio eſt, quia legitima, & dos mulieris non computantur, ſicut bona teſtatoris, etiam non tollitur à libertate ſeruorũ; cum ſeruitus introducta ſit de iure gentium, & ius fauet nimium libertati, quia ſeruitus eſt nimium nociua, cum ſit contra ius naturale. *Inſt. de quarta falcidia in gloſſ. vlt. l. teſtamento gloſ. 2. C. ad legem Falcid. & auth. de hæredibus, & falcidia, §. hinc nobis collat.* 1.

20 Si quis inſtituat Titium, & Seium, hæredes in partes æquales, & Titiũ legatis paucis grauet ita, quòd apud Titium remaneat quarta falcidia integra reſpectu totius hæreditatis, tàm ſuæ partis, quàm partis Seij; Seium verò ita grauet in legatis in ſua medietate, vt non remaneat apud eum quarta falcidia, nec reſpectu totius hæreditatis, nec reſpectu ſuæ medietatis, in iſto caſu poterit nè Seius petere quartam falcidiam, ſicut habuit Titius?

Reſp. Seius poterit deducere quartam falcidiã à legatis ſibi commiſſis ſecundum medietatem hæreditatis, in qua fuit inſtitutus; ratio eſt, quia licèt hæc hæreditas ſit vna reſpectu teſtatoris, reputantur vt duæ hæreditates diſtinctę reſpectu duorum hæredũ; & quælibet ex his duabus hæreditatibus diuiditur in duodecim partes, & licèt Titius habuerit ſeptem partes ex duodecim, hoc non obſtat, quin Seius debeat habere quartam partem reſpectu medietatis in qua fuit inſtitutus hæres, quia tot ſunt hæreditates, quot ſunt hæredes, & idem dicendum eſt, ſi fuerint quatuor, vel plures hæredes, quilibet hæres in ea quantitate, in qua fuit hæres, debet diuidere hæreditatem ſuam in duodecim partes, & retinere ſibi à ſuis legatis quartam falcidiam reſpectu ſuæ hæreditatis, non obſtante, quòd alij hæredes habuerint quartam falcidiã reſpectu totius hæreditatis ratio fundamentalis eſt, quia tot reputantur hæreditates diſtinctæ; quot ſunt hæredes ad deducendam quartam falcidiam, *Inſtitut. de lege Falcid.* §. *& cum quæſitum.*

21 Teſtamentum factum à parocho presbytero coram duobus, vel tribus teſtibus, valebit ne etiam, ſi non adſint ſolemnitates legales?

Reſp. Valebit ſolum quò ad pias cauſas, & in legatis relictis pauperibus, & Eccleſijs, ſed non in inſtitutione hæredis, neque in legatis relictis ſuis parentibus; ratio eſt, quia in fauorem piæ cauſæ iudicatur teſtamentum ſecundum ius Canonicum, & non ſecundum ius ciuile.

22 Legatum pium, in quo Miſſę relinquuntur, poteſt acceptari à quacumque Eccleſia, vel Clerico ſine licentia ſui Epiſcopi?

Reſp. Si legatum pium relictum fuerit Clerico ſęculari, vel Eccleſiæ ſęculari ante acceptionem, debet pręcedere licentia Epiſcopi in ſcriptis; ſi verò relictũ fuerit regularibus, vel Eccleſiæ regularium, debet præcedere licentia ſui Generalis, vel Prouincialis ex decreto nouiſſimè edito Vrbani VIII. 21. die Iunij 1625. de celebratione Miſſarum.

23 Epiſcopus, vel eius Vicarius, vel Generalis, vel Prouincialis, quas diligentias debet facere ad dandã cum ſecura conſcientia licentiam acceptandi legata Miſſarum?

℞. Debent inquirere diligenter, an tales Sacerdotes poſſint ſatisfacere oneri de nouo ſibi imponendo, & inquirere, an ſatisfaciant oneribus ſibi ante impoſitis calculando, & computando numerum Miſſarum, quas debent dicere, eſſe dies liberos ad dicendas nouas Miſſas, vel numerum ſacerdotum illius Eccleſiæ, vel numerum Miſſarum, quas Eccleſia tenetur ſingulis annis dicere, & etiam debet conſiderare, an legatum ſit pingue ad tales Miſſas dicendas, aduertendo, quòd ſufficiant ad ſubſtentationem congruã ſacerdotis pauperis iuxta conſtitutiones ſynodales illius Prouinciæ, ita quòd Eccleſia, vel ſacerdotes non accipiant ſupra ſe onus, quod non poſſint commodè portare, vt habetur in dicto decreto Vrbani VIII.

24 Sacerdos, qui accipit eleemoſinam pro celebranda Miſſa poterit ne aliqua parte ſibi retenta de dicta eleemoſina committere alteri ſacerdoti, vt Miſſam pro illo celebret?

Reſp. Non, ratio eſt, vt omne damnabile lucrum ab Eccleſia remoueatur, & ita prohibitum eſt per decretum Vrbani VIII. Summi Pontificis editum 21. Iunij 1625.

25 Si quis habeat beneficium curatum, vel ſimplex cum onere, vt dicat decem, vel octo Miſſas, & tale beneficium ſit pingue, & infirmitate, vel alio impedimento non poſſit ipſe celebrare, tenebitur ne dare Clerico celebranti pro illo totam illam portionem, quæ rata pro quantitate competit tali Miſſæ virtute, & vigore dicti decreti?

Reſp. Dictum decretum expreſsè loquitur de eleemoſynis receptis a Sacerdote, non de beneficijs, & capellanijs pinguibus, & de iure extendi non debet ad res non contẽtas in dicto decreto, & ſi talis capellanus, vel Parochus, qui per ſe celebrare non poterit, videtur, quòd ſatisfaciat dando eleemoſinam pinguem ſecundum conſuetudinem illius terrę taxatam per ſynodum Clerico pro ſe celebranti, & ratio eſt, quia beneficium, & capellania non ſolum inſtituta eſt pro celebratione Miſſarum, ſed pro ſubſtentatione, & honore talis capellani, vel beneficiati, & ſemper habent aliena onera, & officia præter Miſſas.

26 Si teſtator dedit alicui, vel ſuo confeſſori aurum, vt poſt eius mortem dare pauperibus, vel ſibi ſumeret, & non eſſent duo teſtes præſentes, & moriatur ſine teſtamento, illud non explicet in teſtamento quid agendum?

Reſp. Diſtinguendo: in foro exteriori talis obligatur à quocumque Iudice reſtituere tale donum hęredi vel hæredibus ab inteſtato; ſed in foro cõſciẽtiæ ſunt variæ opiniones. *Molin. diſputatione* 144. §. quinto, tenet licitè poſſe retinere tale donũ, & diſponere de tali re, ſicut teſtator iuſſit fultus ea ratione,

quod de iure naturæ non requiruntur ſolemnitates in teſtamento introductæ à iur.ciu. & can. aliqui verò DD. tenent, quòd etiam in foro conſcientiæ debet reſtituere tale donum hæredibus: ratio eſt, quia in c. relatum, il primo, de teſta. data eſt forma teſtaměti etiam, quo ad pias cauſas, ſcilicet præſentia parochi, & duorum teſtium, & deficiente tali forma, omnia veniunt in fauorem hæredis ab inteſtato, tam in foro exteriori, quàm in foro conſcientiæ.

27 Si in teſtamento minus ſolemni, ſed valido relinquatur pium onus in hæredem, & legatum alicui amico, erit ne validum in fauorem amici?

℞. Erit, quia videtur acceſſorium ſequi naturã principalioris, vt tenet *Emanuel de Coſta, vbi ſup.*

28 Quando in aliquo teſtamento hæres ſæcularis, & relinquuntur legata pia, ante quem Iudicem debent peti?

℞. Poſſunt peti ante Iudicem ſæcularem, vel Eccleſiaſticum; ratio eſt, quia hæres eſt ſęcularis, & legatũ ſpirituale, & ſic cauſa eſt mixti fori, vt tenetur *DD. in c. relatum, il 1. de teſtam. & Molin. vbi ſup.*

CAPVT XXVIII.

De aliquibus dubijs in materia Teſtamentorum.

1 SI quis legat vina, videtur ne legare vaſa, in quo condita ſunt?

Reſp. Affirmatiuè, quia ſine illis conſeruari nõ poſſunt. *l. nam quod liquidæ. ff. de pen. legata.*

2 Si annus, & menſis teſtamenti à Tabellione ſcribantur in cifra, & abbreuiatura, valebit ne teſtamětum?

Reſp. Non, ſed ſunt aliqui caſus, in quibus valet, nēpè in milite, & in teſtamento ad pias cauſas. *Bart. l. quod ſine. C. de teſtam. gloſſ. in l. ſed cum patrono, §. fin. ff. de bonor. poſſeſſionibus.*

3 Si quis fecit teſtamentum tempore paupertatis, & inſtituit Titium hæredem, & poſt quadraginta annos ſit ditiſſimus, & moriatur abſq; alio teſtamento, hæres habebit ne illam magnam hęreditatem?

Reſp. Affirmatiuè, quia teſtamentum diſcurſu, & longitudine teſtatoris non infirmatur, neque cenſetur voluntas immutata. *Paul. de Caſtr. l. ſancimus. C. de teſtam. num. 2.*

4 Si iſte ditiſſimus tempore ſuæ mortis habeat magnas inimicitias cum illo hærede, & incipiat facere aliud teſtamentum cum intentione tollendi hęredě, & non perficiat, ſed moriatur, hæres vigore primi teſtamenti, habebit ne hæreditatem?

Reſp. Affirmatiuè, quia valet primum teſtamentum, & non rumpitur per teſtamentum inceptum, & non finitum. *Paulus de Caſtro l. cùm antiquitas. Cod. de teſtam. num. 1.*

5 Si quis dicat volo nominare tres hæredes, & nominato primo, abſque nominatione ſecundi, & tertij moriatur, valebit ne teſtamentum, & hæreditas adiudicatur ne hæredi nominato ſaltem pro tertia parte?

Reſp. Non valebit teſtamentum, neque tertia pars adiudicatur hęredi nominato; quia teſtator defecit in parte ſubſtantiali ſuæ voluntatis, & non perfecit Teſtamentum; ſi verò nominato primo hęrede abſque nominatione aliorum perfecit teſtamentum, & illud ſubſcripſit, tunc talě teſtamentum non vitiatur quo ad hæredem ſcriptum, ſed ſolum quò ad hæredes nõ ſcriptos. *Paulus de Caſtro in l. iubemus. C. de teſtament. num. 3.*

6 Si teſtator in Teſtamento aperto delineat aliqua verba, vel legatum, irritabitur ne totũ teſtamentum?

Reſp. Non, ſed ſolum quoad partem delineatam, *l. noſtram. C. de teſtam.*

7 Si teſtator fecit teſtamentum coram Notario publico, & ipſe poſuit illud in ſuo protocollo, & dedit teſtatori tranſumptum, & teſtator rupit tale tranſumptum, & cancellauit, ſed non cancellauit protocollum, ſi talis moriatur abſque alio teſtamento, valebit ne protocollum illud?

℞. *Cum Bart. & Paul. de Caſtr.* quòd non valebit; quia talis ruptio teſtamenti fuit ruptio, & cancellatio talis protocolli, cum vtrumque pendeat ex voluntate teſtatoris. *l. noſtram. C. de teſtament.*

8 Quare in teſtamento requiritur maior ſolemnitas, quam in alijs contractibus inter viuos?

Reſp. Quia ſępè fiunt ab infirmis, quibus vires mentis, & corporis deficiunt, & ſic vt fraudes tollantur, maior ſolemnitas ponitur à lege. *Paul. de Caſtr. l. iubemus. C. de teſtam. num. 2.*

9 Si mercator dicat in ſuo libro, Titius debebat mihi centum, & ab eo accipio pro reſiduo decem, & poſtea dictus mercator, vel hæres petat à Titio nonaginta, & Titius non poſſit probare ſolutionem nonagintorum, quid agendum?

Reſp. Titius liberabitur; quia in verbo illo, reſiduo, nonaginta continentur. *l. ex pluribus. ff. de ſolutionib.*

CAPVT XXIX.

De Succeſsionibus abinteſtato.

1 QVid eſt ſucceſſio ab inteſtato?

Reſp. Quando quis claudit vltimum diem ſine teſtamento, vel cum teſtamento rupto, vel inualido. *Hoſtienſ. in ſum. tit. de ſucceſſionibus ab inteſtato, & gl. in c. 1. eod.*

2 Clericus poteſt ne teſtari?

Reſp. Poteſt, tàm de bonis proprijs patrimonialibus, quam acquiſitis intuitu ſui beneficij, & poterit inſtituere hæredes, ſicut laicus. *c. 1. eod. tit.*

3 Si Clericus diſcedat inteſtatus, quis ſuccedit in bonis eius?

Reſp. Hæredes legitimi, & his deficientibus, cõſanguinei, & ſi non ſint Eccleſia, in qua eſt beneficiatus, vel cui eſt adſcriptus. *cap. 1. eod. tit. de ſucceſſionibus ab inteſtato.*

4 Clericus tenetur ne proprijs bonis aliquid relinquere Eccleſiæ, cui ſeruit?

Reſp. Non, ſed bonũ eſſet ei aliquid relinquere; quia habetur

habetur loco matris. *Abb.in c. cum dilectus, eod.tit.n. 2.de ſucceſs. ab inteſtato.*

5 Bona patrimonialia Clerici, ſi diſcedat ſine teſtamento, ad quem pertinent?
Reſp. Ad Eccleſiam, cui ſeruiebat tempore mortis. *Abb.c.1.eod.tit.n.1.*

6 Si talis non ſeruiat alicui Eccleſiæ tempore mortis, & diſcedat inteſtatus, ad quem pertinent bona illius?
Reſp. Ad Epiſcopum, non vt ipſe his bonis fruatur, vel conuertat in ſuos vſus, ſed vt det pauperibus, & operibus pijs. *Abb. vbi ſup.*

7 Subſtantia Clerici morientis ab inteſtato, quomodo diuiditur?
Reſp. Debet diuidi ab Epiſcopo in quatuor partes, Prima Epiſcopo, Secunda Eccleſiæ. Tertia pauperibus. Quarta parentibus idoneis *c.ſancto, eod.tit.& ibi gloſſa.*

8 Sufficit vnus teſtis ad probandam validitatem teſtamenti?
Reſp. In fauorem Eccleſiæ, vel operæ piæ vnus teſtis cum alijs adminiculis vehementibus ſufficit, ſed in fauorem ſæcularium non ſufficit. *cap.cum dilectus, de ſucceſſionibus ab inteſtato, & ibi gloſſ.*

9 Si parentes Clerici morientes ſint hęretici, poteſt aliquid illis donare, vel hæredes eos inſtituere?
Reſp. Non, quia delictum hæreſis priuat eos omni commodo, & tales ſunt excommunicati à iure. *gloſ.in c.ſancto, eod.tit.*

10 Si Clericus de facto inſtituat hęreticum hęredem, quid agendum?
Reſp. Talis reputatur quaſi deceſſiſſet ab inteſtato, licet ille ignorauerit talem eſſe hæreticum. *c.ſancto, eod.tit. & Abb. ibi.*

11 Teſtamentum factum per verba enunciatiua valet ne?
Reſp. Valet quo ad pias cauſas, & in fauorem Eccleſiæ. *c.cum dilectus.eod.tit.*

12 Quæ ſunt verba enunciatiua?
Reſp. Illa, quæ exprimunt voluntatem per verba de præterito, vel de præſenti, non autem de futuro; vt ſi quis dicat bona mea donaui monaſterio, vel de præſenti dono, & non dicat donabo, vel volo donare. *cap. cum dilectus, eod. tit.*

13 Si quis alieno ore, & non ſuo, voluntatem ſuam in Teſtamento enuntiet, valebit ne tale teſtamentum?
Reſp. Ad pias cauſas, & in fauorem Eccleſię valebit. *Abb.in c.cum dilectus, eod.tit.vt ſup.nu.1.*

14 Verba enunciatiua per alium prolata, habent ne vim teſtamenti?
Reſp. Solùm ad pias cauſas; & in teſtamento militis hoc à iure conceſſum eſt in fauorem militiæ, vbi notarij non ſunt. *Abb.in capit.cum dilectus. eodem tit. numero 14.*

15 In teſtamento poteſt ne quis facere contractum, vel debitum confiteri?
Reſp. Affirmatiuè; quia habet libertatem ſicut in alijs contractibus. *Abb.vbi ſup.num.4.*

16 Si quis confiteatur in ſuo teſtamento ſe habuiſſe bona aliena, & quod reſtituantur, ſi poſtea conualeſcat, poterit ne compelli ad reſtituendum?
Reſp. Diſtinguendo; ſi pars fuit præſens, vel notarius, vel talis confeſſio fuit iurata, poterit compelli: ſi verò nihil harum rerum fuit, non poterit, ſed requiritur alia probatio. *Abb.vbi ſup.nu.19. in c.cũ dilectus.*

17 Si furioſus ſit ſemel furioſus, & faciat ſuum teſtamentum in ſana mente, quis debet probare ſanitatem illius?
Reſp. Ille, quem inſtituit hæredem; quia ſemel furioſus de iure ſemper pręſumitur furioſus, cũ ſit infirmitas difficilis curæ. *Abb. vbi ſup. in capit. cum dilectus, num. 20.*

CAPVT XXX.

De Sepulturis.

1 QVid eſt ſepultura Eccleſiaſtica?
Reſp. Eſt locus, vel ſepulchrum in loco ſacro, vel cæmeterio, vbi corpora defunctorum requieſcũt, vſque in diem iudicij. *Vgolin. de offici. & poteſta. Epiſc. tract.1.c.16.*

2 Sepultura, vel ius habendi, & ponendi in tali loco ſedilia, poteſt ne vendi?
Reſp. Non, neque de illa re transferri dominium directum, ita vt emptor Dominus fiat, quia locus ſacer eſt, & alienari nequit. *l.inter ſtipulantem.§.ſacram. ff.de verb.oblig.l.in tantum. §.ſacræ.ff. de rerum diuiſione;* neque auctoritate Epiſcopi hæc alienari poſſunt. *Abb.in c.abolendæ, de ſepulturis, nu. 1.*

3 Facultas ſepeliendi aliquem, & ponendi ſellam, vel ſcamnum in certo loco poteſt ne dari, & à quo?
Reſp. poteſt, & à quocumque parocho, ita quod nullum ius transferatur, & poſſit hæc facultas ab ipſo parocho adimi ad arbitrium ſuum; non enim pręſcribi poteſt locus in Eccleſia. *Abb. vbi ſup. num. 5. & Nauar. conſ.1. eod.tit. noſtro.*

4 Quis debet ſepelire mortuos, & facere officium presbyteri in proceſſione defuncti?
Reſp. Parochus proprius illius defuncti, vel alter Clericus de licentia parochi. *Clement. dudum, de ſepultur. & c.ex parte, il 1. eod.tit.*

5 Quæ priuilegia excipiuntur ab hac reuocatione generali facta à *Trid.ſyn.ſeſſ.25.de refor. cap. 13.ſup. quartam funeralem?*
Reſp. Excipiuntur monaſteria illa, quæ habent priuilegium per quadraginta annos ante publicationẽ Concilij accipiendi quartam funeralium.

6 poteſt parochus petere, vel accipere aliquid pro ſepeliendis mortuis?
Reſp. Non, niſi ſit conſuetudo, *Abb. vbi ſup. nu.6.& c.ad apoſtolicam, de ſimonia.*

7 Quando quis eligit ſepulturam in aliqua Eccleſia quæ non eſt ſua parochia, quid debet percipere proprius parochus?
℟. Quartam funeralem. *Clem. dudum, de ſepult. §. verum; & ibi gloſ.*

8 Quæ eſt quarta funeralium?
Reſp. Quarta pars miſſarum, & piorum legatorũ, vel eleemoſynarum, quas defunctus reliquit pro anima ſua. *Trid.ſyn.ſeſſ.25. c.13. vt latè dixi lib.4. c.45. de parochis.*

9. Quando quis extra ſuam parochiam ſepelitur, vel iubet extra ſuam parochiam dici ſuffragia, cui debetur de iure quarta funeralium?
℟. Eccleſiæ Cathedrali, vel parochiali, etiã ſi ex pri-

uilegio talis quarta funeralium conceſſa fuerit alicui monaſterio, vel hoſpitali, quia talia priuilegia reuocata fuerunt, & etiam ſi ſint contenta in Mari magno per *Trid.ſynod.ſeſſ.* 25. *c.* 13.

10 Si ſit conſuetudo in aliqua Eccleſia percipiendi tertiam partem, vel medietatem funeralium, debetne ſeruari?

Reſp. Talis conſuetudo ſeruanda eſt. *Bal.in conſ.* 70. *quem refert,& ſequitur Tuſcus littera Q.concluſione* 23. *&* 30.

11 Si oriatur lis inter monaſterium, & parochum ſuper quarta funeraliũ.cui incumbit onus probãdi?

Reſp. Si monaſterium ſit in poſſeſſione, vel quaſi percipiendi quartam funeralium, parocho; ſi verò monaſterium non ſit in poſſeſſione,monaſterio. ita *Doctorum ſuper capitul.* 13. *ſeſſ.*25. *Concil.Trident.de hoc dixi latè libro* 6.*capitul.*12. *de ſepultura in Eccleſiis Regularium.*

12 Si aliquod monaſterium habeat priuilegium percipiendi quartam funeralium, & tale priuilegiũ non ſit in vſu, quid agendum?

Reſp. Non poterit amplius vti tali priuilegio, neque percipere quartam funeralium; ratio eſt, quia iam eſt derogatum tale priuilegium, & data quarta funeralis rectori parochiæ. *per Tride.ſynod.ſeſſ.*25.*c.* 13. *de reform.*

13 Poterit quis liberè ſibi eligere ſepulturam in Eccleſia, in qua voluerit?

Reſp. Poterit.*c.*1. *de ſepultur. & c.cum quis,* §.*ſi quis eodem tit.in* 6.

14 Si quis moriatur in altera parochia,vel ex Teſtamento in alia ſepeliatur quid agendum?

Reſp. Si moriatur in aliena, ad propriam deducendus;ſi ſepeliatur in aliena,vel in conuentu à proprio parocho,vſque ad Eccleſiam deducendus eſt, *c.*1.*& c.licet, de ſepulturis. in* 6.

15 Cum aliquis ſepelitur in Eccleſia regularium, poſſunt ne regulares ingredi in parochiam alienam cum cruce inuito parocho?

Reſp. Licèt variæ fuerint opiniones, hæc difficultas iam ſublata fuit, & ſicut dicti regulares etiam prætextu conſuetudinis non intrent in parochiam alienam proceſſionaliter cum cruce ad deferenda corpora defunctorum, niſi vocato proprio defuncti parocho,& eo præſente, niſi ipſe det licentiam ad contrarium faciendum.*Steph.Quaranta,in ſum.bullar.ver. priuilegia regularium. vbi refert hoc decretum,& de hac materia dixi lib.*6.*cap.*12. *per totum.*

16 Si quis habeat ſepulchrum ſuorum maiorum, & moriatur, & non eligat ſibi ſpecialem ſepulturam, vbi ſepeliendus eſt?

Reſp. In ſepulchro ſuorum maiorum. *c.*1. *de ſepulturis, tamen quarta funeralium parochiæ debetur.*

17 Si quis relinquat anniuerſarium perpetuum, & non dicat in qua Eccleſia, vbi dici debet?

Reſp. In Eccleſia,in qua ſepultus fuerit. *Cuman.conſ.* 5.*Tuſc.pract.quæſt.concluſ.*337.*lit. A.*

18 Inducentes aliquem,vt ſepeliatur in tali Eccleſia, quæ non eſt ſua parochia, quam pœnam incurrunt?

Reſp. Si ſint fratres religioſi, vel clerici ſæculares, ſuſpenduntur per *Clem.fin.de pœnis.*§.*fin.*

19 Beneficiatus,monachus,vxor, & Peregrinus ſi nõ eligant ſepulturam, vbi ſepeliri debent?

Reſp. Beneficiatus in Eccleſia ſui beneficij, monachus,in monaſterio,vxor in ſepultura ſui mariti, peregrinus in parochia,vbi moritur.*c.fin.de ſepultur.lib.* 6. *Tuſc.concl.*277. *lit.* P.

20 Si vxor habuit plures viros, cum quo ſepelietur?

Reſp. Cum vltimo. *Tuſc.vbi ſup.*

21 Si creditor petat, vt aliquod corpus defuncti ſui debitoris, vt pignus quoddam ſequeſtretur, & non ſepeliatur, donec pecunia debita ei ſoluatur, quid debet ordinare Iudex Eccleſiaſticus?

Reſp. Debet dare licentiam, vt tale corpus ſepeliatur,non obſtãte petitione creditoris. *authent. vt cum de appellatione cognoſcitur. DD. in leg.cum ſit iniuſtum Cod. de ſepul. violat. & hanc eſſe communem opinionem teſtatur Viuius in ſua Syluan. opin.* 171. *& quamquam creditor appellet,non eſt audiendus.DD. & gl.in capit.ex parte,il primo,de ſepultur.l.fin.Cod.de appellat. Farinac. lib.*1.*variar.quæſt.criminũ.tit.de delictis,& pœnis,q.*20. *num.* 139.

22 Creditor, qui hoc petit, quam pœnam incurrit?

Reſp. Varias pœnas, & etiam ille, qui tempore ægritudinis debitorem moleſtia afficit, quas recenſet *Farin.vt ſup.& Menoch.de arbit.iudicijs,& auth. item, qui,C.de ſepul. violato.*

23 Qui carent ſepultura Eccleſiaſtica, ita vt in loco ſacro ſepeliri non debeant, & ſepulti ab eo extrahi poſſint?

Reſp. Plurimi. Primò,qui in torneamentis moriuntur. *c.*1.*&* 2. *de torneamen.* Secundò, qui in duello. *Trid.ſynod.ſeſſ.*25.*c.*19.*de refor.* Tertiò,qui ſemel in anno non eſt confeſſus,neque ſumpſit Euchariſtiam, niſi de conſilio ſacerdotis prorogaſſet. *cap. omnis de pænit.*Quartò,monachus,qui cum peculio ſine licentia Abbatis mortuus eſt.*c.monachi,de ſtatu monachor.* Quintò, vſurarij manifeſti, niſi prius ſatisfecerint, vel iuſſerint ſatisfieri. *capit. quia, de vſur.* Sextò, qui Deum maledixerunt, ſi pœnitentiam non egerunt. *cap.*2.*de maledicis.* Septimò, excommunicati notorij,& denuntiati. *Steph. Quaranta tractat. de cenſur.tabul.* 2.*cap.*9. Octauò,interdicti notorij,& denuntiati. *Quaranta vbi ſup.c.*3. *tabul.*5. Nonò,publici peccatores, qui pœnitentiam non egerunt. Decimò, qui in articulo mortis requiſiti noluerunt cõfiteri ſua peccata, nec dant ſigna contritionis, & qui ſe ipſos occiderunt animo deſperandi,ſed non effugiendo aliud maius periculum, vt qui laqueo ſe ſuſpendunt propter deſperationem, hoc intelligitur, ſi ſint mentis compotes,non autem ſi ſint inſani.*c. placuit,* 23. *q.*5. *& alij relati à gloſ.in c.ex parte, il ſecondo, de ſepultur. Nauar.conſ.*7.*eod.tit.Trid.ſyn.ſeſſ.*25.*c.*19. Vndecimò hæretici,fautores,defenſores hæreticorum.*capit.quicumque de hæreticis in* 6.

24 Suffragia,& Miſſæ,vel eleemoſynæ, ſeù orationes quis debet curare, vt fiant pro defunctis?

Reſp. Epiſcopus,& parochus eius loci.*Trid.ſyn.ſeſſ.* 25.*de purgatorio.*

25 Corpora defunctorum poſſunt transferri in aliã Eccleſiam?

Reſp. Non ſine licentia ſuperioris, & iuſta cauſa ruinæ Eccleſiæ, niſi fuiſſent depoſitata; tunc enim portari poſſunt ſine licentia. *l.*1.*Cod. de religioſis,& ſumptibus funerum.*

6 poteſt Epiſcopus, vel Iudex Eccleſiaſticus concedere licentiam Iudici ſæculari exhumãdi corpus defuncti ad finem capiendi informationes?

℞. poteſt abſque metu irregularitatis,qui actus,qui requi-

requiritur ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, debet eſſe proximus, & directus in mortem alicuius, ſed iſte actus eſt cauſa remota. *Soto de iuſt. & Iur. lib. 5. quæſt. 1. art. 9. Nauar. in manual. cap. 27. num. 207.*

27 Quam pœnam incurrunt ſepelientes excommunicatum in loco ſacro?

℞. Si ſcienter hoc faciant ſunt ipſo facto excommunicati, etiam ſi ſint religioſi exempti; ratio eſt, quia pro excommunicato non orat Eccleſia, & eſt quaſi membrum putridum Eccleſię, *vt tenet Abb. in cap. ad hæc, de priuilegijs, num. 1.*

28 Quam pœnam incurrunt ſepelientes corpus alicuius Chriſtiani occultè extra Eccleſiam propter aliquem finem?

℞. De iure ciuili habet pęnam mortis, quia ſemper hoc fit ad occultandum aliquod magnum delictum, vel ad occultandam peſtem, vt tempore peſtis ſæpè contigit, ne eorum bona igne cremarentur; de Iure verò canonico ipſo facto excommunicantur.

29 Quam pœnam incurrunt, qui exhumant corpora fidelium, vt ea ſpolient veſtibus, vel anulo, vel ex alia cauſa ſiue iuſta, ſiue iniuſta?

℞. Si id faciant ſine licentia Iudicis Eccleſiaſtici, de Iure ciuili habent pœnam mortis, de Iure verò canonico excommunicantur; ratio eſt, quia corpus fidelis defuncti habetur in Eccleſia, & ſepulchro, ſicut in ſua requie, vſque ad diem vltimi Iudicij, & violatur illud tabernaculum, & domus defuncti, & ideo habent pœnam violatoris, & pœnam ſacrilegi, cum talis violatio, & vis fiat in loco ſacro, vt habetur in *l. Prætor ait, ff. de ſepulchro violato. §. aduerſus eos, & tenet Iulius Clarus lib. 5. q. 68. §. vltim. nu. 45. tenet Menoch. lib. 2. de arbitrarijs caſu 264.*

30 Quando aliquis defunctus depoſitatur in aliqua Eccleſia, vt inde transferatur ad aliam, vt ſolent facere magni Principes, qui extra ſuam patriam viam vniuerſæ carnis ingrediuntur, quid eſt faciendum in translatione?

℞. Quando ſepelitur, debet fieri teſtimonium authenticum, quòd talis non ſepelitur, ſed depoſitatur, & tempore translationis hoc inſtrumentum debet præſentari ante Iudicem Eccleſiaſticum, & ab eo datur licentia, vt transferatur ſecundùm voluntatem defuncti, & hæc licentia debet notificari Parocho, vel maiori talis Eccleſiæ, & tunc, dicta Miſſa de requie, poteſt transferri illud corpus in proprium ſepulchrum.

31 Si Eccleſia vetuſtate ſit diruta, vel in aliquo loco fiat Eccleſia noua, cum qua licentia poſſunt corpora defunctorum transferri in Eccleſiam nouam?

℞. Cum licentia Ordinarij illius loci; ratio eſt, quia hoc non eſt mutare ſepulchrum, ſed illud renouare.

CAPVT XXXI.

De Decimis.

1 QVid eſt decima?

℞. Quędam portio, & quota fructuum terræ debita Deo, tam diuino, quam humano iure, ad ſuſtentationem miniſtrorum Eccleſiæ. *Goffred. in ſum. & DD. in cap. ad Apoſtolicæ, de decimis, & Hoſtienſ. in ſum. de decimis, num. 1.*

2 Quot ſunt ſpecies decimarum?

℞. Tres; prædialis, perſonalis, & mixta.

3 Quæ eſt decima prædialis?

℞. Decima pars fructuum tritici, & ordei collecti ex prædio. *c. ad Apoſtolicæ, de decimis, & ibi gloſ.*

4 Quæ eſt perſonalis?

℞. Decima pars pecuniæ, quæ acquiritur induſtria, & labore perſonæ. *c. ad Apoſtolicæ, eod. tit. noſtro, & ibi gloſſ.*

5 Quæ eſt mixta?

℞. Fructus ille, qui acquiritur partim ex labore perſonæ, partim ex fructu terræ, huiuſmodi ſunt decimæ, quæ dantur ex pecudibus, & ouibus. *c. non eſt in poteſtate, & cap. paſtoralis, eod. tit. de decim.*

6 Decimæ prædiales cui debentur?

℞. Eccleſiæ, in qua eſt prædium. *c. cum ſint homines, de decimis.*

7 Decimæ perſonales cui debentur?

℞. Illi Eccleſiæ, in qua quis ſumit Sacramentum. *c. ad Apoſtolicæ de decimis, & ibi gloſſ. in c. cum homines, ibi gloſ. eod. titul. noſtro.*

8 Decimæ poſſunt remitti laicis?

℞. Poſſunt, ſed ſolùm per Papam. *Abb. in c. prohibemus, eod. tit. num. 1.*

9 Qui impedit ſolutionem decimarum qua pœna punitur?

℞. Excommunicatur, & qui integrè non ſoluit, non abſoluitur, vſque ad integram reſtitutionem. *Tri. ſyn. ſeſſ. 25. c. 12. de reform.*

10 Decimæ cui debentur?

℞. De iure, Parochijs ex priuilegio, & bullis Apoſtolicis; Cathedralibus Eccleſijs, & alijs beneficiatis pro rata cuilibet conceſſa, per totum titulum de decimis. *Trid. vbi ſup.*

11 Laici ſunt capaces decimarum?

Reſp. Non, ſed ſunt capaces pręſcribendi libertatē, non ſoluendi decimas. *Nau. conſ. 2. num. 5. de decim.*

12 De agro nouali debentur ne decimæ?

℞. Debentur.

13 Vbi eſt præſcriptum, vt non ſoluatur decima perſonalis, tenetur quis eam ſoluere?

Reſp. Non, quia tale ius pręſcribi poteſt.

14 Poteſt quota decimarum pręſcribi, ita vt pro decima ſoluatur aliqua certa quota pro ſubſtētatione Clerici, vel detur illi pr***ę***dium ad eius ſubſtētationē?

Reſp. Poteſt, quia tale ius eſt pręſcriptibile, vt dictū eſt.

15 Decimę pręſcribuntur ab vna Eccleſ. cōtra aliam?

℞. Affirmatiuè.

16 Quid eſt præſcriptio?

℞. Acquiſitio dominij rei immobilis per continuationem poſſeſſionis cum bona fide pro tempore à Iure definito. *Hoſtienſ. in ſumm. de præſcriptione rerum immobilium, nu. 1.*

17 Regulares tenentur ne ſoluere decimas?

℞. Tenentur ſoluere de prædijs, quæ ab alijs conduxerunt, vel ad eos peruenerunt; dummodo prædia ab initio decimas ſoluerint. *c. dilecti filij. c. commiſſum, de decimis. Abb. c. 2. de decim.*

18 Clerici tenentur ne ſoluere decimas?

Reſp. Tenentur de prædijs ſui patrimonij. *c. dilecti filij, eod. tit. & ibi gloſ. Abb. in c. 2. de decim.*

KK 3 19 Iudæi

19 Iudæi tenentur ne ſoluere decimas?
Reſp. Tenentur de terris,quas colunt in ciuitatibus Chriſtianorum. *c.de terris,de decim.*

20 Decimę debeat ſolui in principio anni, vel in fine?
Reſp. Prædiales,quando fructus colliguntur,perſonales in fine anni.

21 Fructus decimarum poſſunt ne concedi in dotem?
Reſp. Non, licèt poſſint vendi,& locari. *Abb.in cap. peruenit, de arbitr.num.2.*

22 Decimæ ſunt ne ſoluendæ exceptis expenſis, & ſeminibus?
Reſp. Licèt in quantitate, & qualitate, & expenſa ſolutionis decimarum, & in loco, vbi decimæ ſolui debent,cõſuetudo ſemper ſeruanda ſit,& habeat magnam vim, cum ſit optima legum interpres, tamen de iure decimæ integræ ſoluendæ ſunt abſq; eo quòd tollantur expenſæ, ſeù ſemina, quia integræ debentur Deo,ſed in perſonalibus deduci debent expenſæ, quia tantùm de lucro ſoluendæ ſunt.*gloſ.in c.cum homines,c.non eſt, c.tua nobis de decimis.*

CAPVT XXXII.

De conuerſione infidelium.

1 Qvis dicitur infidelis?
Reſp. Ille,qui non ſeruat fidem,vel qui frangit fidem Deo, vel hominibus.

2 Quotuplex eſt infidelis?
℞. Primò,dicitur ille infidelis,qui non habuit vnquã fidem Chriſtianam. Secundò, ille,qui negat fidem, quam profeſſus eſt in baptiſmo. Tertiò, qui machinatur in Regem,vel ſuum Principem, vel negat obedientiam.Quartò,ille,qui aliquid prçmittit,&poſtea non adimplet, & frangit fidem.

3 Matrimonium tenet ne inter habentes diuerſam fidem?
Reſp. Non,niſi poſt factum matrimonium ambo ad eamdem fidem conuertantur. *Abb.c.2.de conuerſ.infidelium.num.3.*

4 Si duo infideles habeant filios, & vnus conuertatur, & alius non; cui debent aſſignari filij?
Reſp. Perſonę conuerſæ,in fauorem fidei,& maiorẽ vtilitatem filiorum, ne morentur filij apud ſuſpectas perſonas. *c.fin.de conuerſ.infidel.*

5 Si aliquis fidelis capiatur in bello licito, efficitur ne ſeruus?
Reſp. Licèt de iure efficiatur ſeruus, tamen de conſuetudine efficitur obſes, & detinetur quamdiù ſoluat aliquam pecuniam proportionatam qualitati ſuæ perſonæ. *Abb.c.1.eod.tit.num.2.*

6 Homo, cui debet plus patriæ, vel parentibus?
Reſp. Magis debet patrię,quam parentibus, & ideò quis poterit occidere ſuum patrem,ſi in bello pugnat contra ſuam patriam,& poteſt ſimiliter occidere ſuũ patrem bannitum; quia bannitus hoſtis eſt patriæ, licèt Aduocatus magis in lite teneatur poſtulare pro ſuo patre,quàm pro ſua patria,vel ciuitate,quia hoc non tangit conſeruationem vniuerſi, ſed priuatam vtilitatem,vt dixi in titulo de poſtulando. *Abb.cap.1. de conuerſ.infidelium,num.9.*

7 Quando dicitur abuſio?
Reſp. Propriè, quando quis vtitur aliqua re contra naturam talis rei. *Abb.c.fin.eod.tit.num.2.*

CAPVT XXXIII.

De iure patronatus.

1 Hoc nomen patronus, quas ſignificationes habet?
Reſp. Primò,in iure ciuili, Aduocatus dicitur patronus,quia cauſas patrocinatur. *l.rem non nouam.§. patroni.C.de iudicijs.* Secundò, dominus reſpectu ſerui dicitur patronus; in iure verò Canonico, qui Eccleſiam extruxit: quia ſicut pater ducit filium de non eſſe ad eſſe, ſic patronus deducit Eccleſiam ad eſſe. *Abb.in rubr.de iure patronatus,num.2.*

2 Quæ differentia eſt inter prçſentationem, & nominationem?
Reſp. Nominatus propriè dicitur antequam præſentetur ante ſuperiorem; prçſentatus verò dicitur, quãdo quis perſonaliter eſt prçſentatus coram Epiſcopo, & ſic quis abſens poterit nominari, ſed non prçſentari. *Fran.cap.fin. de iur. patronatus num.6. not. Gloſſ.in Clement. dudum, de ſepultur. verbo, præſentari.*

3 Quod eſt officium patroni, cum beneficium vacat?
Reſp. Nominari, & prçſentare, & ſi ſit iuris patronatus Eccleſiaſtici,inſtituere.*Trid.ſyn.ſeſſ.24.cap.18. de reformat.*

4 Qui dicuntur inſtituti?
Reſp. Secundum leges ſunt hçredes ab aliquo in hçreditatem ducti, & hoc in primo gradu. *leg.1.ff. de vulg. ſubſtit.*

5 Subſtituti, qui dicuntur?
Reſp. Illi, qui ſuccedunt in loco primorum inſtitutorum in ſecundo gradu, quia primi mortui ſunt. *Inſtit.de pup.ſubſt.in princ.*

6 Quid eſt nominatio?
Reſp. Quando patronus laicus nominat aliquẽ clericum virtute priuilegij, quod habet ad aliquod beneficium, ſiue ſimplex, ſiue curatum.

7 Quid eſt prçſentatio?
Reſp. Quędam prçpoſitio, quam facit patronus Epiſcopo de aliquo idoneo clerico, vt Epiſcopus eũ inſtituat in tali beneficio. *Goffred. in ſumm. tit.de iure patronatus.*

8 Quid eſt inſtitutio?
Reſp. Secundum leges, eſt primus gradus inſtitutorum.*l.1.C.de liberis præteritis*: ſed ſecundum canones eſt collatio beneficij Eccleſiaſtici habentis ius per prçſentationem. *Goffred. vbi ſup.*

9 Quid eſt collatio beneficij, vel prçbendę?
Reſp. Conferre alicui aliquod beneficium, vel eum in beneficio introducere. *Goffred. vbi ſup.*

10 Quid eſt inueſtitura?
℞. Additio poſſeſſionis, & vltimus effectus collationis,& communiter fit per traditionẽ, & apprehenſionem alicuius rei, veluti per impoſitionem pilei, per claues, vel per librum, & tale ſignum ſignificat poſſeſ-

poſſeſſionem corporalem, quam inſtitutus apprehẽdit. *Goffr. vbi ſup.*

11 Quid competit patrono ratione iuris patronatus?
Reſp. Onus, honor, & vtilitas. *c. nobis, de iur. patronatus. Ioan. Andr. c. 1. eod. tit.*

12 Quod eſt onus quod competit patrono?
Reſp. Tenetur Eccleſiam defendere ab omnibus oppreſſionibus, & eam reædificare. *c. quia Clerici, de iure patronatus, & Abb. ibi nu. 2.*

13 Qualis eſt honor, qui competit patrono?
Reſp. Ire primus in proceſſionibus, habere locum ſeparatum commodiorem, & eminentiorem in Eccleſia *c. nobis, de iure patronatus gl. in c. vnico, de iure patronatus. in 6.*

14 Quæ vtilitas competit patrono?
Reſp. Præſentare aliquando ſuos conſanguineos, vel familiares, & ſi venerit in paupertatem debet ali moderatè de bonis Eccleſiæ. *Abb. in rubr. de iur. patronatus, nu. 5. c. nobis, eod. tit.*

15 Poteſt nè aliquis inſtitui ſine præſentatione?
Reſp. Non, aliàs inſtitutio erit nulla *6. q. 2. c. 1.*

16 Quotuplex eſt ius patronatus?
Reſp. Duplex, Eccleſiaſticum, & laicum. *c. vnico, de iure patronatus, lib. 6.*

17 In quo differunt ius patronatus Eccleſiaſticum, & laicum?
Reſp. Primò, in eo, quòd ius patronatus Eccleſiaſticum eſt inſtitutum ex proprijs bonis Eccleſiæ, & laicum ex bonis ſecularibus. Secundò, patronus laicus habet quatuor menſes ad præſentandum, patronus Eccleſiaſticus habet ſex. Tertiò, laicus poteſt præſentare plures, vel vnum poſt alterum, & variare; Eccleſiaſticus verò nõ poteſt variare, quia habet maiorem ſcientiam *c. vnico, de iure patronatus. lib. 6. Trid. ſynod ſeſſ. 14. c. 12. ſeſſ. 25. c. 9. de refor.*

18 In quo conſiſtit, quod ſit ius patronatus Eccleſiaſticum, vel laicum?
Reſp. Non in eo, quòd fũdator ſit Clericus, vel laicus ſed in eo, quòd fundatio fiat ex bonis Eccleſiaſticis, vel patrimonialibus taliter, quòd, ſi Epiſcopus ex bonis patrimonialibus fundet Eccleſiam, dicetur ius patronatus laicorum, & ſi laicus ex bonis Eccleſiæ, veluti ex aliquo beneficio dotet Eccleſiam, dicetur ius patronatus Eccleſiaſticum. *Achill. de Graſſ. in cap. 1. de iure patronatus. Mandoſius in titul. de iure patronatus.*

19 Quot ſunt ſpecies iuris patronatus, & quas differentias inter ſe habent, de quibus loquitur, *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18.*
Reſp. Quinque. Primò, eſt ius patronatus in aliquibus Eccleſiis receptiuis nuncupatis. Secundò, ius patronatus Eccleſiaſticum, in quo Epiſcopus habet inſtitutionem. Tertiò, ius patronatus, in quo Epiſcopus non habet inſtitutionem. Quartò, ius patronatus laicorum. Quintò ius patronatus mixtum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. de refor.*

20 Quod eſt ius patronatus in Eccleſiis nuncupatis receptiuis?
Reſp. Quando in aliqua Eccleſia non poſſunt recipi ad beneficia curata, & ſimplicia, niſi homines nati in illa diœceſi, vel oppido, & ideò dicitur ius patronatus, quia habet ius quaſi hæreditarium à partibus, vt nulli alij recipiãtur in illa Eccleſia, ſicut in Hiſpania, in Epiſcopatu Calaguritano, & in Archiepiſcopatu Burgenſi, & in Epiſcopatu Palentino, & de hoc loquitur Conc. Trid. & de beneficijs, in quibus Epiſcopus ſolus poteſt prouidere, & qui ius patronatus habet. *c. 18. ſeſſ. 24. ſup. cit.*

21 In hoc iure patronatus, ſi vacat beneficium curatum, vel in beneficijs, in quibus Epiſcopus ſolus poteſt prouidere, quid debet agere, & quas ſolemnitates debet ſeruare?
Reſp. Habita notitia vacationis Epiſcopus ſolus debet prouidere Vicarium, qui gubernet Eccleſiam cũ congrua portione eius arbitrio aſſignanda ex fructibus beneficij, deinde infra decem dies debet ponere edicta publica, tranſactoque tempore edictorum ipſe, vel eius Vicarius ad minus cum tribus examinatoribus ſynodalibus, vel pluribus examinare omnes ſcriptos, & inter eos, quos examinatores ſynodales idoneos iudicauerint, Epiſcopus ſolus debet eligere magis idoneum, & illi, & non alteri facere collationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. de refor.*

22 Quod eſt ius patronatus Eccleſiaſticum, de quo loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. §. ſi verò iuris patronatus?
Reſp. Quando aliquis de bonis Eccleſiaſticis fundat aliquod beneficium curatum, & relinquit patronum Eccleſiaſticum, ſeu dignitatem alicuius Eccleſiæ, vel Abbatem alicuius monaſterij, vel moniales; & ſi inſtitutio huius beneficij pertinet ad Epiſcopum diœceſanum; tunc verò dicitur ius patronatus Eccleſiaſticum, & de hoc loquitur *Conc. Trid. in §. ſi verò. d. ſeſſ. Trid. vbi ſup.*

23 Quando vacat beneficium curatum iuris Eccleſiaſtici, quid debent facere Epiſcopus, & patronus?
Reſp. Ponere edicta, examinare omnes ſcriptos cũ ſynodalibus, ſicut ſupra, & inter eos, quos examinatores ſynodales idoneos reputauerint, Patronus ſolus magis idoneum eligat, & Epiſcopus ei, & non alteri inſtitutionem faciat. *Trid. ſyn. vbi ſup.*

24 Si vacauerit beneficium iuris patronatus, in quo Epiſcopus collationem non habet, quid debent facere Epiſcopus, patronus, & collator inferior?
Reſp. Ponere edicta, examinare cum ſynodalibus omnes volentes examinari, & ex approbatis ab examinatoribus, Epiſcopus ſolus eligat magis idoneum, & eum tradat patrono, patronus præſentat inferiori collatori, & ipſe illi non alteri facit collationem. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. vt ſup.*

25 Quod eſt ius patronatus laicorum?
Reſp. Quando aliquis ex bonis patrimonialibus fundat aliquod beneficium curatum, ſiue relinquat patronum Eccleſiaſticum, ſiue laicum. *Abb. in rubr. de iur. patr. num. 6.*

26 Si vacauerit beneficium curatum iuris patronatus laicorum, quid debent agere patronus, & Epiſcopus?
Reſp. Patronus præſentare vnum, vel plures: ſi vnũ præſentet, examinatores, ſi illum idoneum inuenerint, Epiſcopus debet facere illi collationem; ſi verò plures præſentet, inter illos ſolos, debet fieri concurſus, & inter eos, quos examinatores idoneos inuenerint, Epiſcopus debet eligere magis idoneum, & illi facere collationẽ. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. & vbi ſup.*

27 Quod eſt ius patronatus mixtum?
Reſp. Quando quis dotauit beneficium curatum, partim ex bonis Eccleſiaſticis partim ex bonis patrimonialibus?

28 Si vacauerit beneficium iuris patronatus mixti quid debet facere Epiſcopus, & quid patronus?

Reſp. Con

Reſp. Concurſus eſt faciendus, & omnia ſeruanda, ſicut in beneficio iuris patronatus Eccleſiaſtici, quia acceſſorium ſequitur natura ſui principalis.

29 Inſtitutio ad quem pertinet, poſtquam patronus præſentauit?

Reſp. Ad Epiſcopum ſolum. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *vt ſupra.*

30 Quomodo conſequitur ius patronatus?

Reſp. Primò, fundatione facta ex ſuis proprijs bonis de conſenſu Epiſcopi. Secundò, dotatione, vt ſi quis dotet Eccleſiam de ſuis bonis. Tertiò, emptione, vt quando venditur, vel alienatur in ius patronatus. Quartò, donatione. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de refor. Abb. c. illud, de iure patronatus, & in rubr. nu.* 6. *eod. tit. c. quicumque.* 17. *q.* 4. *c. filijs,* 16. *q.* 7.

31 Si plures idonei præſententur Epiſcopo, quis eorum debet eligi?

Reſp. Ille, quem Epiſcopus iudicauerit magis idoneum; & ſi omnes æqualiter ſint idonei, quem ipſe voluerit. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de refor. & ſeſſ.* 25. *c.* 9. *Vgolin. de offic. & poteſt. Epiſcop. fol.* 137.

32 Quis debet approbare, & confirmare ius patronatus, quando de nouo fit?

Reſp. Epiſcopus, quia ſui muneris, & iuriſdictionis eſt *c. vnico, de iure patronatus. lib.* 6. *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſcop. fol.* 131. *p.* 2.

33 Quibus modis amittitur ius patronatus?

Reſp. Pluribus. Primò, venditione. Secundò vſurpatione bonorum Eccleſiæ. Tertiò, ſi probari non poſſit per inſtrumentum authenticum, vel per multiplices præſentationes. Quartò, ſi quis per ſe vel per alium occiderit Rectorē beneficij Iuris patronatus; quia ſua malitia nō debet conſequi cōmodum. Quintò propter hæreſim. *Trid. ſyn. ſeſſ.* 25. *c.* 9. *de refor. Abb. in c. in quibuſdam, de pœnis.*

34 Quibus modis amittitur ius patronatus, ad tempus, vel pro vna vice?

Reſp. Alijs quinq; modis. Primò, ſi legatus à latere ſibi reſeruauerit aliquam præſentationem. Secundò, quando quis præſentauit indignum, ſi eſt laicus patronus, præſentatio deuoluitur ad quem collatio pertinebat, niſi probet ignorantiam: ſi ſit Clericus, patronus non excuſatur ignorantia. Tertiò, ſi intra tempus non præſentauit. Quartò, quando eſt patronus excommunicatus, & denuntiatus. Quinto, ſi lis oriatur ſuprà ius præſentandi, & Patronus non ſit in poſſeſſione. *c. cum vos, de offic. ord. Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. p.* 2. *fol.* 340.

35 Si dubitetur de iure patronatus, & beneficium vacet quid debet facere Epiſcopus durante lite?

Reſp. Ponere dictam, examinare, dare fidem magis idoneo, vt recurrat ad ſedem Apoſtolicam.

36 Iure patronatus poteſt nè acquiri in Eccleſia iam conſtructa, & conſecrata?

Reſp. Si Eccleſia ſit abſque dote ſufficienti, & aliquis ex conſenſu Epiſcopi eam dotet ſufficienter, poteſt acquirere Ius patronatus propter maius bonum Eccleſiæ. *Innocent. in rubr. de iure patronatus. Rot. deciſ.* 328. *p.* 1. *diuerſ.*

37 Quanta dos Eccleſiæ conſtitui debet à patronis, vt ius patronatus acquiratur?

Reſp. Si Eccleſia ſit Cathedralis, vel Collegiata, debet conſtitui tanta dos, vt commodæ ſint Dignitates, Canonici, Capellani, ſeruientes muſicæ, luminaria, & omnia neceſſaria ad cultum Eccleſiæ; ſi verò ſit monaſterium tanta dos, vt poſſint ſubſtentari Preſbyteri, Diaconi, & cantores, lectores, hoſpites recipi, & iura Epiſcopalia ſolui, & cæteri omnes. Gloſ. in c. cum ſicut de conſecratione Eccleſiæ; ſi verò ſit aliqua Eccleſia, quæ non ſit collegiata, tanta dos, vt poſſit ſubſtentari vnus Presbyter cum ſuo Miniſtro. Gloſ. in c. vt quiſque, de vita, & honeſtate Clericorū; ſi verò ſit capella eremitica, ad minus requiritur, vt habeat dotem ad reparationē beneficij, & ad ſubſtentandum vnum miniſtrum, qui eam claudat.

38 In Iure patronatus quæ requiruntur, vt ſit perfectus?

Reſp. Præſentatio, admiſſio, & inſtitutio.

39 Præſentatio ad quem pertinet?

Reſp. Ad patronum, admiſſio verò, vel inſtitutio ad Epiſcopum, vel collatorem.

40 In iure patronatus quid eſt magis attendendum?

Reſp. Siue ius patronatus ſit laicorum, ſiue Eccleſiaſticorum, ſemper eſt attendenda forma iuris patronatus, & conditiones eius; quia patronus cum conſenſu Epiſcopi poterit ponere quamcumque legē in fundatione. *c. verum, de conditionibus appoſit. Lamber. lib.* 1. *par.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *nu.* 1. *& Abb. c.* 1. *& c. grauis, de cenſibus, nu.* 1.

41 Patronus in qua ætate debet eſſe, vt preſentet?

Reſp. Maior ſeptennio. *Calderin. conſ.* 8. *de iure patronatus.*

42 Procurator cum mandato poterit præſentare?

Reſp. Si mandatum ſit ſpeciale, tutor, tutrix, & procurator poſſunt præſentare. *Cald. vbi ſup.*

43 Si patronus moriatur & relinquat vxorem grauidam, poterit ne vxor nomine viuentis in vtero præſentare, cum talis habeatur pro nato. *ex l. qui in vtero. ff. de ſtatu hominum?*

Reſp. Non poterit præſentare; ratio eſt, quia in præſentatione de commodo Eccleſiæ agitur, non de cōmodo, hominis de quo loquitur talis lex, & licèt etiā ſit commodum hominis non nati poſſe præſentare, ſicut acquirere alia iura, & poſſeſſiones; tamen præfertur commodum Eccleſiæ, & ſic præſentatio debet fieri ab homine habente vſum rationis. *Vgolin. folio* 135. *par.* 2.

44 Ius patronatus deſcendit per capita, vel per ſtirpem?

Reſp. Per ſtirpem: exempli gratia, ſi duo fratres habent ius patronatus, & vnus habuit decem filios, & alius habuit vnum, illi decem filij habebūt vnam vocem, & ille vnus aliam vocem æqualem, quia hæc ſucceſſio regulatur ad inſtar ſucceſſionis hæreditatis, in qua ſucceſſio locum habet, ſtirpis ſcilicet, quod quatuor filij deſcendentes ab vno fratre tantum hæreditabunt de bonis aui, ſicut vnus filius deſcendens ab altero fratre, cum inter duos illos fratres debeat æqualiter diuidi hæreditas aui, nulla habita ratione filiorum, & hæc ſucceſſio vocatur per ſtirpem. *Clemen. c.* 2. *de iur. patr. c.* 1. *eod. tit. Innoc. ibi.*

45 Si aliquis patronus in præſentatione committat ſimoniam, vitiat nè præſentatione aliorum patronorum?

Reſp. Si præſentationes ſint diuerſæ, & diſtinctæ nō vitiat; ſi verò non ſint diſtinctæ, vitiat; & ſi præſentatus ignarus ſit, dictæ ſimoniæ habebit titulum coloratum, & gaudebit beneficio reg. de triennali; nam plures patroni communiter, & non ſingulariter debent præſentare, ne vitientur præſentationes. *Ant.*

Burg.

Burg.in c,cum omnes, tom.2. de conſil.nu. 337.

46 Cum Conc.Trid.ſeſſ.24.c.18.§. cum verò di: (cũ verò inſtitutio ab alio quam ab Epiſcopo erit faciẽda) de quo collatore intelligitur?
Reſp. De collatore inferiori Epiſcopo, non de ſuperiori.

47 Patronus poteſt ſe ipſum præſentare?
Reſp. De iure, non, ſed poteſt præſentari à compatrono, quia debet eſſe differentia inter præſentãtem, & præſentatum, & ſi in fundatione cautum ſit, vt patronus poſſit ſe ipſum præſentare, fũdatio erit obſeruanda, quia fundationibus non eſt derogatum per *Concil.Trid. Abb.in c.conſuluit, de iure patron.*

48 Quos poteſt patronus præſentare?
Reſp. Filium ſuum, familiarem extraneum, abſentem vnum, vel plures ſeruando ſemper inſtitutionẽ, & quod præſentatus ſit idoneus, & habeant qualitates in fundatione requiſitas. *Vgol.de offic.& poteſt.Epiſc,p.2.fol.*136.

49 Si quis Epiſcopus iure deuolutiuo prouideat parochialem, quia patronus non præſentauit intra mẽſes ſibi à iure permiſſos, quomodo debet procedere?
Reſp. Faciendo concurſum; quia in hoc patronus nõ læditur, & iuſtitia fit, & Concilium obſeruatur.

50 Præſentationes plures dicentur nè continuatæ, ſi vna intermediatè reperiatur, quæ non fuerit ſortita ſuum effectum?
Reſp. Tunc non erit ſufficiens probatio, quia id ponitur a Conc.Trid.pro ſpecifica forma ſeſſ.25.c.9.& ideò eſt adimplenda *lex l.qui hæredis.ff. de condiction. & demonſtr.*

51 Quando Concilium dicit, quòd nemo poſſit gaudere iure patronatus, niſi illud dotauerit proprijs bonis.debet ne intelligi de dotatis ante Conciliũ, vel poſt Concilium?
Reſp. De dotatis poſt Concilium; nam lex ponitur de futuris, derogario de præteritis.

52 Si patronus præſentet plures cumulatiuè ad parochialem Eccleſiam, quid debet Epiſcopus agere?
Reſp. Facere inter eos concurſum, & ſeruare formam?

53 Si ius patronatus ſit ex dote mulieris quis debet præſentare vir an mulier?
Reſp. Mulier eſt domina ſuæ dotis, vt ante matrimonium. l.in in rebus, C. de iure dotium, & vir durante matrimonio eſt dominus rerum dotalium iuris fictione: & ideo in iſto caſu vir debet præſentare conſentiente muliere.

50 Si laicus variet, & preſentet primum, & poſtea ſecundum, quid agendum?
Reſp. Tunc relinquitur arbitrio Epiſcopi, quis eorũ pręferatur. *c.quod autem, de iur patr.*

55 Patronus, etiam ſi ſit Clericus, poterit nè habere ius inſtituendi, vel deſtituendi?
Reſp. Non, neque adminiſtrandi bona, ſed tantùm præſentandi, iſta enim officia ſunt inter ſe diſtincta, & competunt diſtinctis perſonis, nempe patrono præſentationem, & præſentato adminiſtrationem bonorum, de quibus debet ſubſtentari. *Abb.in c.cum autem, eod.tit.nu.*3.

56 Si vacauerit beneficium iuris Patronatus Eccleſiaſtici in menſibus ſedis Apoſtolicæ ſeruatis, quid debet Epiſcopus agere?
Reſp. Ponere edicta, facere concurſum, magis idoneum eligere, illiq; dare fidem ſuę approbationis, vt à Summo Pontifice inſtituatur, nulla habita ratione patronorum; quia in hoc caſu nihil habent, cum concurrant cum Summo Pontifice. *Conc.Trid.ſeſſ.* 24. *c.* 18. *de reform.*

57 Si capitulum habeat inſtitutionem, quid eſt agendum?
Reſp. Epiſcopus ſolus debet eligere digniorem inter approbatos, & debet illum, & non alterum inſtituere.

58 Si inſtitutio alicuius beneficij pertineat ad Epiſcopum, & præſentatio ad capitulum, quid agendũ
Reſp. Capitulũ debet præſentare Epiſcopo digniorẽ inter approbatos ab examinatoribus, vt ab eo inſtituatur. *DD.ſuper. c.* 18.*ſeſſ.*24.*de refor.*

59 Patronus laicus debet nominare, aut præſentare?
Reſp. Debet preſentare. *Achill.de Graſſ.de iure patr.*

60 Si Eccleſia fuerit de iure patronatus laicorum, & in fundatione habeat facultatem patronus, vt poſſit præſentare Epiſcopo, quem ipſe voluerit, quid debet in hoc caſu Epiſcopus agere?
Reſp. Tunc præſentatus examinetur ab examinatoribus ſynodalibus, & ſi fuerit idoneus admittatur ab Epiſcopo. *Trid.ſyn.ſeſſ.*24.*c.*18.

61 Poteſt nè patronus laicus præſentare primum, & poſtea variare, ſecundumq; pręſentare recedendo à primo?
Reſp. Non ſed cumulatiuè quia tunc Epiſcopus habet electionem inter præſentatos.

62 Si parochialis ſit iuris patronatus laicorum debet nè prouideri præuio concurſu?
Reſp. Tunc ſufficit, vt ſolus deputatus à patronis examinetur à ſynodalibus, & non debent admitti a lij, & ſi idoneus iudicetur, ei debet fieri collatio. *Triden. ſyn.ſeſſ.*24.*cit.c.*18.

63 Poteſt nè laicus præſentare, vel inſtituere aliquẽ ad beneficium, vel capellam ſine interuentione Epiſcopi?
Reſp. Non imò debent interuenire in tali præſentatione cum Epiſcopo, ad quem pertinebat prouiſio talis beneficij, & patronus laicus nõ habet ius patronatus, & talis præſentatio ſine hac ſolemnitate erit nulla *Trid.ſyn.ſeſs.*14.*c.*13.*de refor.*

64 Si laicus, & Clericus præſentauerint Titium, & poſtea laicus variauerit, & pręſentauerit Seium; quis eorum confirmandus eſt?
Reſp. Primò, præſentatus; quia habet præſentationẽ Clerici.

65 Si pupillus habeat ſeptem annos, & præſentet vnum, & eius tutor præſentet alterum, quis eſt præferendus?
Reſp. Præſentatus à Pupillo.

66 Si aliquis erat in poſſeſſione iuris patronatus, & præſentauit, aliquem, & fuit iuridicè inſtitutus, & poſtea per ſententiam perdidit ius patronatus; inſtitutus debet ne remanere?
Reſp. Affirmatiuè: quia actus pręſentationis fuit legitimus.

67 Si patronus Eccleſiaſticus elegerit digniorem inter approbatos, Epiſcopus poterit ne eligere illum & reijcere alium?
Reſp. Non, ſed neceſſariò debet illum inſtituere.

68 Si duo æque idonei ab examinatoribus fuerint iudicati, patronus Eccleſiaſticus poterit eligere quem voluerit?
Reſp. Poterit, ſicut Epiſcopus poteſt quando electio

electio ad eom competit.

69 Si quis habeat ius patronatus ſolo priuilegio, poterit ne poſt Conc. Trid. illo gaudere?
Reſp. Non, quia per Conc. Trid. ſeſſ. 25. derogatum eſt tale priuilegium.

70 Si quis velit probare immemorabilem conſuetudinem, vſque ad quod tempus debet illam probare?
Reſp. Vſque ad tempus litis.

71 Si quis habeat ius patronatus ſolo priuilgio, & vult probare immemorabilem conſuetudinem, debet ne audiri?
Reſp. Affirmatiuè.

72 Si Epiſcopus diſſimulauit aliquem patronum præſentare contra formam Concilij, hæc permiſſio excuſabit ne pratronum à nullitate actus, & ab excommunicatione poſita. *cap. præterea, de iure patronatus?*
Reſp. Non excuſat permiſſio, nec ignorantia patronum, quia quis non excuſatur alieno defectu.

73 Ius patronatus quomodo probatur?
Reſp. Fundatione, dotatione, inſtrumento authentico, multiplicatis præſentationibus per tàm longum tempus, quod memoriam hominum excedat. *Trid. ſynod. ſeſſ. 25. c. 9. de refor.*

74 Si quis probet ius patronatus per alias præſentationes, quas qualitates debet habere, vt illi proſint?
Reſp. Debent eſſe cum cauſæ cognitione, & ſeruata forma *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. cit.*

75 Probatio iuris patronatus debet ne fieri per teſtes an neceſſariò per ſcripturas authenticas pluribus continuatis præſentationibus, quæ omnes ſortitæ fuerint ſuum effectum?
Reſp. Regulariter excludi debet probatio per teſtes & in raro caſu admitti.

76 In vniuerſitatibus, vel perſonis ita potentibus, in quibus magis præſumitur ius patronatus vſurpatũ, quàm iuſto titulo acquiſitum, quæ probatio requiritur?
Reſp. Plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum, quam in alijs particularibus perſonis, & immemorabilis conſuetudo debet probari per tempus quadraginta annorum, & per multiplices præſentationes, quæ omnes ſortitę fuerint ſuum effectum. *Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de refor.*

77 Ius patronatus poteſt ne probari per plures præſentationes, ſi non appareat vllum inſtrumentum fundationis, vel dotationis?
Reſp. Si præſentationes fuerint factæ per tempus ſupra hominum memoriam, erit ſufficiens probatio, etiam ſi in præſumptionibus nulla fiat mẽtio de fundatione, vel dotatione.

78 Si plures fuerint præſentati ad vnum beneficium, quid agendum?
Reſp. Epiſcopus faciat concurſum de omnibus præſentatis, & ex illis eligat digniorem, & faciat ei collationem, ſiue iſti fuerint præſentati ab vno patrono, ſiue à pluribus.

79 Per quod tempus debent eſſe præſentationes, vt ius patronatus probetur abſque titulo fundationis, vel dotationis?
℟. Per quadraginta annos, & debet probare, quòd omnes fuerint continuatæ, & ſortitę ſuum effectum?

80 Si beneficium curatum ſit ius patronatus Eccleſiæ, quomodo debet prouideri?
℟. Præuio concurſu, & examine, & debent interuenire examinatores ſynodales, ſicut in alijs beneficij, quæ non ſunt de iure patronatus.

81 Probatio iuris patronatus poſita à Conc. Trid. ſeſ. 25. habet ne locum in petitorio, vel poſſeſſorio?
Reſp. Præſcripta forma debet obſeruari, tàm in petitorio, quàm in poſſeſſorio.

82 Ius patronatus, & vnio beneficiorum facta Cathedralibus Eccleſijs, Regibus, & Principibus iura Imperij tenentibus, debent ne probari per multiplices præſentationes per tempus quadraginta annorũ?
Reſp. Non, eſt eadem regula obſeruanda, cum vniuerſitatibus, & alijs perſonis: quia in illis propter eorum magnam dignitatem non præſumitur fraus, & dolus, & ſic excipiuntur *à Concil. Trid. ſeſſ. 25. c. 9. cit.*

83 Si aliqua Eccleſia collegialis ex ſua inſtitutione habeat ius præſentandi canonicos, poterit Epiſcopus virtute Conc. Trid. c. 9. ſeſſ. 25. eam conſuetudinem tollere, & ſibi aſſumere?
Reſp. Non, quia collegialis Eccleſia eſt capax beneficiorum, & iuris Eccleſiaſtici, cum ſit corpus Eccleſiaſticum. *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 9.*

84 Si Epiſcopus admiſerit aliquam præſentationem, poterit ne poſtea patrono ius patronatus tolli, ſi fortè non habeat illud ſecundum formam Concilij?
Reſp. Talis Epiſcopus ſe fecit incapacem in poſſeſſorio præſentatione admiſſa, ſed poterit litigare in petitorio, ne ſua dignitas patiatur detrimentum.

85 Si voluerint concurrere ad examẽ beneficij curati aliqui non præſentati à patrono, ſunt nè admittẽdi?
Reſp. Omnes ſunt admittendi, quia agitur de bono Eccleſiæ; & de eligendo magis idoneo. *Trid ſyn. ſeſſ. 24. c. 18. de refor.*

86 Quando ius patronatus pro duabus partibus pertinet ad laicos, & pro vna tantùm ad Eccleſiaſticũ, debent fieri concurſus?
Reſp. Si beneficium ſit curatum, debent fieri concurſus, & ſeruari forma poſita *à Conc. Tri. ſeſſ. 24. c. 18*

87 Qui præſentatur ad beneficium curatum, vel ſimplex ab aliquo patrono, à quo debet examinari?
Reſp. Si ſit curatum, à ſynodalibus examinatoribus, ſi ſit ſimplex nõ eſt neceſſe, vt à ſynodalibus examinetur. *Trid. ſyn. ſeſs. 7. c. 13. de refor.*

88 Si in fundatione iuriſpatronatus poſita ſit expreſſa clauſula, quòd Epiſcopus non debeat examinare pręſentatum debet, nè obſeruari?
Reſp. Non; quia eſt contra ius; ratio eſt, quia vniuerſalis cura animarum de iure pertinet ad Epiſcopum, & ex conſequenti ad ipſum pertinet conſtituere idoneum ſubſtitutum in ea, & eum examinare, & approbare; & ideò datur ei facultas, vt poſſit examinare, & approbare omnes curam habentes in ſua diœceſi. *Conc. Trid. ſeſs. 18. de refor.*

89 Si quis patronus laicus, vel Abbas pręſentauit aliquem ad beneficium ſimplex, debet nè examinari ab Epiſcopo?
Reſp. Debet, licèt non ſit neceſſarium facere cõcurſum, neque vocare ſynodales, aliàs inſtitutio nulla erit.

90 In iure patronatus laicorum requiritur concurſus?
Reſp. Non ſed ſi vnus præſentetur, examinetur à ſynodalibus; & ſi plures præſententur, examinentur, & ex illis ſolis, Epiſcopus eligat digniorem, & collatio fiat.

91 Si ius patronatus ſit vniuerſitatis, vel collegij generalium

neralium ſtudiorum præſentatus, vel electus à tali vniuerſitate, vel collegio, debet ne examinari à Synodalibus?
Reſp. Non, quia expreſsè excipiuntur, tanquam notoriè docti *in Conc.Trid.ſeſs.7.de refor.*

92 Si in examine timeantur rixæ, inimicitiæ graues, vel nemo ſit, qui velit ſe ſubijcere examini, quid faciendum?
Reſp. Tunc Ordinarius pro ſua conſcientia de conſenſu examinatorum poterit facere ſecretum examẽ, & conferre beneficium tali perſonę ad euitandum damnum. *Trid.ſyn ſeſs.24.c.18.de reform.*

93 Si ſtatuto die quis ex ſcriptis non compareat ad examen, quid erit faciendum?
Reſp. Sine illo fiet examen, & prouiſio, & erit valida, quia Concilium quando dicit, quod omnes adſcripti examinentur, intelligitur, ſi ſtatuto die comparuerint.

94 Si quis contra formam Concilij prouideat, quam pœnam incurrit?
Reſp. Prouiſio erit nulla, & appellatio non admittitur quòd effectum ſuſpenſiuum. *Tri.ſyn.ſeſſ.24.c.18. de refor.*

95 Excommunicatio poſita *in c.9.ſeſs.24.* cõtra eos, qui ius patronatus contra canonicas ſanctiones trãſferre præſumunt, extenditur ne ſolùm ad alienantes bona immobilia, verùm etiam ad vſurpantes fructus?
Reſp. Ad vtroſque, & eam incurrunt, & ipſo iure priuati ſunt dicto patronatu.

96 Clerici ſi inſtitutionem accipiant à laicis, quam pœnam incurrunt?
Reſp. Excommunicantur, & ſi non dimittat deponuntur. *c. præterea, de iure patr.*

97 Poterit Epiſcopus prorogare tempus patronis ad præſentandum?
Reſp. Poterit, quia his non agitur de preiudicio alterius, & quando DD. dubitant an terminus præfixus à Iure poſſit prorogari, intelligitur, quando factum tangit ius partium. *Abb. in c. cum ſit Romana, de appell.*

98 Si patronus intra quatuor menſes non præſentet, quid agendum?
℟. Epiſcopus per deuolutionem prouideat. *cap. quoniam, de iure patr.*

99 Si ſint duo patroni vnus Clericus, & alter laicus, quod tempus habeat ad præſentandum?
Reſp. Sex menſes, quia fauor eſt ampliandus.

100 Qui debet inſtituere aliquem preſentatum, habet ne tempus à Iure prefixum?
Reſp. Non; ſed ſi intra breue tempus non fecerit inſtitutionem, reccurrendum eſt ad Iudicem ſuperiorem, vt ille præfigat tempus.

101 Intra quod tempus debet Epiſcopus conferre beneficium facta præſentatione à patrono?
Reſp. Infra duos menſes à die præſentationis, quòd ſi non fecerit, patronus poterit appellare ad Summũ Pontificem, vel ad Metropolitanum, vel ad Epiſcopũ viciniorem, & ipſe tunc faciat collationem. *Bulla Pij V.32.in num.*

102 Si quis relinquat in ſuo teſtamento; quòd eius hæres eligat Sacerdotem, qui pro ſua anima ſingulis menſibus dicat certas Miſſas tenebitur nè talis hęres, poſtquam nominauit Sacerdotem, eum præſentare Epiſcopo?
Reſp. Non, ſed ſufficit eligere Sacerdotẽ approbatũ quia huic non imminet cura animarum.

103 Si patronus appellauerit ex eo quòd non admittuntur præſentati ab illo, concurſus eſt nè impediendus?
Reſp. Non, quia talis appellatio non habet effectum ſuſpenſiuum, imò ſi concurſus fuerit legitimè factus, debet fieri inſtitutio digniori non obſtante appellatione.

104 Si quis ſit præſentatus à patrono dignus, & Prælatus nolit eum inſtituere, quid poteſt agere?
Reſp. Poterit litigare cum alio inſtituto à falſo patrono, vel appellare à ſententia Epiſcopi nolentis eũ inſtituere. *c. cum Bertold. de ſent. & re iud. c. decernimus, 16. quaſt. 7.*

105 Si patronus variauit, & præſentauit ſecundum, quia Epiſcopus diſtulit inſtituere primum, iſte primus poterit litigare contra ſecundum iam inſtitutum?
Reſp. Non, ſed contra Epiſcopum, & petere, vt det illi aliud beneficium propter damnum. *c. paſtoralis de patronatus.*

106 Quando inſtitutio non erit facienda ab Epiſcopo, ſed ab alio inferiori collatore, quid eſt faciendum?
Reſp. Tunc ſolus Epiſcopus inter approbatos eligat digniorem, quia melius cognoſcit perſonas, & eum tradat patrono, vt ipſe præſentet eum collatori, vt eum inſtituat, ſiue ſit Abbas, ſiue Papa.

107 Si collatio pertineat ad Archidiaconum, vel ad alium inferiorem collatorem, quid debet Epiſcopus facere?
Reſp. Ponere edicta, examinare, eligere digniorẽ, & illi, & non alteri collator faciat collationem.

108 Patronus, qui preſentauit, poteſt amouere Rectorem ſemel deputatum in Parochiali?
Reſp. Non, etiam quacumque conſuetudine contraria. *Abb. in c. quarimoniam, de iure patron. n.6.*

109 Patronus poteſt ne adminiſtrare bona iuris patronatus?
Reſp. Non, ſiue ſit patronus cuiuſcumque qualitatis, vel dignitatis, ſed ſolùm Rector ſeu Beneficiatus Eccleſiæ. *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 9. de refor.*

110 Si aliquis relinquat Eccleſiam hæredem ſuorum bonorum, & bona ſint pretij, vt ex eis poſſit Eccleſia ſufficienter dotari, ex hoc aquirit ne ſolùm ius patronatus?
Reſp. Non, quia videtur eſſe legatum, & ad ius patronatus requiritur expreſſa conceſſio Epiſcopi, & ſcriptura fundationis hoc explicans, vt patet ex *Trid. ſyn. ſeſs. 25. c. 9. de refor.*

111 Si ius patronatus habeat onus celebrandi Miſſas, ex hoc intelligitur ne, quòd neceſſariò inſtitutus tempore collationis debeat eſſe Sacerdos?
Reſp. Non requiritur, niſi expreſsè in fundatione appoſita ſit clauſula, quòd debeat eſſe Sacerdos, quia per alium poterit ſatisfacere Miſſis. *reg. qui per alium, de regul. iur. in 6. Card. c. de mulcta, de prabend.*

112 Si in fundatione iuris patronatus dicatur, quòd ſuccedant omnes deſcendentes per viam maſculinã, illegitimus poterit ne ſuccedere?
Reſp. Non, quia illegitimi non dicuntur eſſe de parentela. *Nauar. conſ. 6. de filij presbyt. ſi verò fuerit legitimatus, poterit ſuccedere. l. 3. ff. de natalibus reſtit.*

113 Si quis habeat beneficium Iuris patronatus, poterit liberè renuntiare?

Reſp. Non

Reſp. Non, ſed requiritur conſenſus patroni, vel ſaltem quod ſciat, & taceat, quod approbet poſt renũtiationem; verò contradicat, renunciatio erit nulla. *Archid. in c. vnico, de iure patr. in 6.*

114 Poteſt quis in præiudicium ſuorum filiorum alienare ius patronatus?
Reſp. Cum diſtinctione: ſi illud fundauit, poterit; ſi autem illud hæreditauit à maioribus, non poterit. *Archid. in c. vnico de iure patr. in 6.*

115 In partitione bonorum, poteritne Iudex adiudicare ius patronatus vni hæredi?
Reſp. Non, quia Eccleſia multitudine patronorum potius leuatur, *& Cl. plures de iure patron. patitur plures patronos. Abb. in c. querimoniam, num. 2. eodem tit. Hoſt. in ſumm. eod. tit. §. qualiter. verſ. nouus hæres.*

116 Si lis oriatur inter duos præſentatos, poterit ne vnus dare alteri aliquam pecuniam, vt diſtat à lite?
Reſp. Si præſentatus habuerit inſtitutionem, & poſſeſſionẽ, & ſit certus ſe habere ius in beneficio, & quòd aduerſarius non habet ius, poterit pro redimenda vexatione, & pro expenſis litis dare aduerſario aliquam pecuniam abſque labe ſimoniæ. *c. dilectus, il 1. de ſimonia, gl. in c. cum pridem, & de pactis, & ibi Abb. nu. 2. Syluestr. in ſumm. verb. renuntiatio, nu. 6.*

117 Cappellania fundata per laicum de proprijs bonis ſine conſenſu Epiſcopi diœceſani, eſt ne beneficium Eccleſiaſticum?
Reſp. Non, & hæredes poſſunt ſine auctoritate Epiſcopi cappellaniã cuilibet conferre. *Guid. Papa q. 341*

118 Per confiſcationem generalem bonorum à Iudice ſeculari factam, perdit ne quis ius patronatus?
Reſp. Non. *Gloſ. in verſ. ſubiecta. §. rurſus c. paſtoralis, in Clem. de ſent. & re iud.*

119 Poterit ne transferri gratuito ius patronatus?
Reſp. Poterit; quia habet annexum quid ſpirituale. *c. cum ſeculum, de iure patronatus, & ibi gl.*

120 Si quis habeat ius patronatus in Eccleſia, & dicat dono Eccleſiam Titio, videtur donaſſe ius patronatus, quod in ea habet?
Reſp. Affirmatiuè, quia Eccleſia ſupponit pro iure patronatus. *c. quod autem, de iure patron.*

121 Si ſint plures patroni, & diſcordent, quid eſt agẽdum?
Reſp. Epiſcopus poteſt priuare eos a diuinis officijs donec ad concordiam redeat. *c. 1. eod. tit.*

122 Si ſint plures patroni, eorum ſuffragia quomodo ſunt numeranda?
Reſp. De iure maior pars præualet. *c. quoniam, eod. tit. de iure patron.*

123 Ius patronatus tranſit ne in fœminas?
Reſp. Affirmatiuè per ſtirpes, ſed non per capita. *Abb. c. 1. eod. tit. nu. 5.*

124 Patroni poſſunt facere inter ſe conuentionem, vt vnus præſentet hac vice, & alter altera vice?
Reſp. Poſſunt, quia non repugnat, vt adinuicem ſibi cedant iura ſua. *Abb. vbi ſup. nu. 6. & gl. ibi.*

125 Ius patronatus competit ne infanti?
Reſp. Competit, & etiam, exiſtenti in vtero matris. *Ioan. Andr. c. cum ex eo, de elect. lib. 6.*

CAPVT XXXIV.

De Conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris.

1 A quo conſecratur Eccleſia, benedicitur, & reconciliatur?
Reſp. Ab Epiſcopo. *c. propoſuiſti, de conſecratione Eccleſiæ vel altaris.*

2 Quomodo conſecratur Eccleſia?
Reſp. Epiſcopus indutus pontificalibus ſeruat formam poſitam in cæremonial. *in capit. de conſecratione Eccleſ.*

3 In quibus diebus poteſt Epiſcopus conſecrare Eccleſiam habentem ſufficientem dotem?
Reſp. Diebus feriatis, & feſtiuis, vt ſibi placuerit, *c. tua, de conſecr. Eccleſ. vel altaris.*

4 Cardinales in aliena diœceſi poſſunt ne conſecrare Eccleſias, vel altaria?
Reſp. Non niſi de licentia proprij Epiſcopi vel commiſſione Summi Pont. ratio eſt, quia conſecratio, vel benedictio Eccleſiarum eſt actus iuriſdictionis pertinens ad proprium paſtorem, & ex eo ſolùm, quòd quis ſit Cardinalis, non ideò eſt proprius paſtor Eccleſiarum, neque eſt Epiſcopus; ſolus enim Summus Pontif. poſt eius electionem eſt vniuerſalis Paſtor totius Eccleſiæ Catholicæ. *tenent DD. in c. tua, iſto titulo noſtro.*

5 Poteſt Epiſcopus conſecrare Eccleſiam, ſi dotem non habeat?
Reſp. Non, & licèt conſecratio teneret, malefaceret, & puniretur à Sum. Pontif. ratio eſt, quia conſecratio eſt quid perpetuum Deo dicatum, & ad conſeruandum templum neceſſariò requiritur dos, ne poſtea veniat in vilipendium, vel in rem profanam locus Deo conſecratus. *c. cum ſicut. eod. tit.*

6 Quibus in caſibus poteſt Eccleſia conſecrata iterum conſecrari?
Reſp. Primò, vbi dubitatur, an conſecrata ſit. *c. ſolemnitates, il 1. de conſecratione diſt. 1.* Secundò, vbi tota corruit, & de nouo refecta fuit, ità vt alia Eccleſia, & non eadem dicatur, vel in forma, vel in materia. Videlicet ſi eadem forma ſeruetur in ædificio, & petra, & ligna de nouo ponantur, quia prima vetuſtate erant conſumpta, tunc de nouo debet conſecrari Eccleſia ex *arg. legis, quid tamen. ff.* quibus modis vſuſfructus amittatur. Tertiò, ſi per partes paulatim refecta ſit, vt ſi in vno pariete alius paries conſtructus ſit ſupra illum, ita vt Eccleſia per altitudinem formam perdat, & alia Eccleſia appareat. *gl. in c. propoſuiſti, in iſto tit.* Quartò, quando parietes Eccleſiæ combuſti ſunt. *c. Eccleſijs, de conſecratione diſt. 1.* ratio eſt, quia quando conſecratur Eccleſia conſecratur vnum corpus indiuiduum materiale, & conſecratio eſt ſicut anima viuificans illud corpus, & deſtructo corpore anima amplius non reſtat, ſic deſtructa Eccleſia conſecratio perditur, & in caſibus poſitis, *c. 36. nu. 3. lib. 9.*

7 Eccleſia benedicta poteſt ne conſecrari?

Rf. Po-

Reſp. poterit; ratio eſt, quia conſecratio eſt altioris ordinis, cũ Eccleſia conſecrata vngatur oleo ſancto: ſed Eccleſia conſecrata non debet iterum benedici, quia maius includit in ſe minus.

8 Epiſcopus poterit delegare conſecrationem Eccleſiæ ſimplici Sacerdoti, vel Abbati benedicto, vel ſi Eccleſia conſecrata polluatur, poterit delegare eius reconciliationem?

Reſp. Non poterit delegare ſimplici Sacerdoti, neque reconciliationem Eccleſiæ conſecratæ, ſed neceſſariò debet eam delegare Epiſcopo habẽti commiſſionem Sedis Apoſtolicæ, & hoc per inſtrumentum authenticum, & ſubſcriptum; ratio eſt, quia conſecratio Eccleſiæ eſt miniſterium ordinis, & non iuriſdictionis.

9 Si Eccleſia conſecrata de facto polluatur pro aliquibus caſibus poſitis. *capit. 36. iſtius lib.* ſufficiet nè illam benedicere propter temporis anguſtias, & propter magnas cæremonias, quæ fiunt in conſecratione?

Reſp. Non, ſed neceſſariò debet ſeruari forma poſita in cæremon. Romano ad eam reconciliandam, quæ eſt diſtincta a recõcilatione Eccleſiæ benedictę.

10 Quomodo benedicitur Eccleſia, vel capella eremitica?

Reſp. Seruando ordinem poſitum in cæremonial. Rom. & Epiſcopus debet eſſe indutus pluuiali, mitra, & ornamentis pontificalibus cum aſſiſtentibus, & Clero cum Cruce.

11 Eccleſia benedicta ſi polluatur, quomodo reconciliatur?

Reſp. Epiſcopus indutus pontificalibus cum omni apparatu, ſicut quando benedicit Eccleſiam, vtitur aqua benedicta mixta vino, & cinere, & dicit orationes, & commemorationes poſitas in cæremoniale Romano, vt habetur in *c. propoſuiſti, de conſecr. Eccleſ. vel altaris.*

12 Quare in reconciliatione Eccleſiæ benedictæ vtitur Eccleſia Romana aqua benedicta, vino, & cinere?

Reſp. Aqua benedicta vtitur ad fugãdos dæmones, vino ad demonſtrandum, quod lauat vulnus Eccleſię datum; cinere ad oſtendendam lugubrem triſtitiam, quam habet pro delicto commiſſo in Eccleſia, & pro offenſa Eccleſiæ facta, & ideò veſtimenta Epiſcopi ſunt coloris nigri, vel violacei; & crux Epiſcopalis debet eſſe cooperta velo nigro.

13 Quoties Eccleſia benedicta reconcilianda eſt?

Reſp. Quotieſcumque in ea effunditur ſanguis humanus iniuſtè, & in ſex caſibus poſitis. *c. 36. num. 3.* iſtius libri, in quibus verè polluitur Eccleſia, vt habetur in cap. Eccleſiæ, de conſecratione *diſt. 1. ibi gl. & tenet Nauar. in man. c. 27. nu. 256.*

14 Epiſcopus poteſt delegare ſimplici Sacerdoti reconciliationem Eccleſiæ benedictæ?

Reſp. Affirmatiuè, per inſtrumentum ſubſcriptum, ſed melius eſt, vt hanc facultatem ſuo Archidiacono, vel perſonę in dignitate conſtitutæ deleget, & talis vtitur aqua benedicta ſine mixtione vini, & cineris, & dictis orationibus ſolitis eam reconciliabit, vt habetur in *c. ſi iuncta gl. de conſecrat. Eccleſ. vel altaris.*

15 Quis debet conſecrare campanas, & quomodo?

Reſp. Epiſcopus indutus pontificalibus veſtimentis coloris violacei eas vngit oleo ſancto, & ſeruat formam poſitam in cærem. Rom. *Durand. in rationali lib. 1. c. 4. de campanis.*

16 Campanæ benedictæ, quam virtutem habent?

Reſp. Fugant dęmones, & expellunt, & ſedant tempeſtates, & ideò tempore tonitrui tanguntur, vt ſeruent fructus terræ, & homines à dæmonibus, qui in aere ambulant. *tenet Durand. loco alleg.*

17 Campanæ ad quos vſus debent ſeruire?

Reſp. Primò, ad vocandum populum ad diuina officia, ad Miſſas, & conciones. Secundò, ad celebrandas Dei, & Virginis Mariæ, & Sanctorum feſtiuitates, ſicut muſica in conuiuijs. Tertiò, vt tempore veſpertino fideles ea audientes recitent pro defunctis, & in laudem Virginis orationem Angelicam, vt de nocte liberentur à dæmonum incurſu. Quartò, ad ſepelienda corpora defunctorum, vt homines, qui non poſſunt venire perſonaliter ad officium charitatis, pro eis orent: *tenet Durand. in rationali libro primo, loco allegato.*

18 Campanis poſſunt fideles vti ad profanum vſum, veluti ad vocãdum populum ad ſeditionem, vel machinationem contra Principem, vel ad incitandum populum ad rebellionem?

Reſp. Non, imò ſi quis ad hos vſus profanos campanis vtatur, habet pęnam mortis; ratio eſt, quia deſtinata ſunt ad diuina officia, & laudes Dei. *tenet Durand. loco allegato.*

19 Quid ſignificat altare, ſeu Ara?

Reſp. Crucem Chriſti, & ſicut in ara crucis fuit oblatum illud cruentum ſacrificium, ſic in altari offertur ſacrificium Miſſæ pro viuis, & Defunctis Deo in commemorationem paſſionis Chriſti Domini.

20 Quotuplicia ſunt altaria?

Reſp. Duplicia; eſt altare portatile factum ex petra minima, & eſt altare ſtabile factum ex vna petra fixa, quæ comprehendit totum altaris pauimentum: *cap. altaria, il. 1. de conſecr. diſt. 1.*

21 A quo conſecratur, & quibus cæremonijs?

Reſp. Ab Epiſcopo cum aqua benedicta, vino, ſale, cinere, oleo ſancto, thure cremato, candelis incenſis, reliquijs poſitis in modum ſepulchri in medio altaris, & ſeruatis plurimis cæremonijs poſitis in cærem. Roman.

22 Quando altaria perdunt benedictionem, & indigent noua conſecratione?

Reſp. Quando tollitur ſigillum, vbi reliquiæ poſitæ ſunt, vel quando auferuntur reliquiæ interius poſitę, vel quando altare frangitur, vel quando mutat formam, tunc enim indiget noua conſecratione. *c. altaria, il 2. de conſecr. diſt. 1. Abb. in c. ligneis. de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris, num. 2.*

23 Quis debet conſecrare calices, & patenas, & quomodo?

Reſp. Epiſcopis cum oleo ſancto ſeruatis cæremonijs poſitis in cærem. Roman.

24 Quibus modis conſecrantur calices, & patenæ, & perdunt conſecrationem, & benedictionem?

Reſp. Quoties confracti, vel combuſti ſunt, vel quoties mutant formam, vt ſi ex calice tollatur pes, & fiat vas ad bibendum, vel quoties ſuperficies deaurata in totum, vel in partem magnam perdat aurum? vel indigeat noua deauratione, vel quoties de nouo deaurantur, etiam ſi antea candidi fuerint, & conſecrati poſt deaurationem de nouo ſunt conſecrandi? *vt habetur c. vnico, de ſacra vnctione.*

25 Quis debet tangere calices, & vaſa ſacra?

℞. Solum ille, qui in ſacro ordine initiatus ad hoc

munus electus eſt; ratio eſt, quia in conſecratione interuenit oleum ſanctum, & quando tanguntur à ſæcularibus propter neceſſitatem, debent eſſe cum magna reuerentia, mediante panno ſerico, vel lineo, *c.in ſancta, de conſecrat.diſt.1.*

26 Si excommunicatus, vel infidelis, vel degradatus, vel hæreticus vtatur calice ſacro ad potandum, patena ad comedendum, veſtibus ſacris ad indumentum quotidianum, vt his temporibus contingit pro noſtris peccatis in bello hæreticorum, ſi poſtea recuperentur à Chriſtianis, indigent ne noua conſecratione & benedictione?

Reſp. Non; ratio eſt, quia ex malo vſu non perdunt formam, & ſic non perdunt benedictionem, licèt hoc ſit magnum peccatum, & hoc remanet in committentibus, ſed non in vaſis, vt habetur in *c. 2. de Sacramentis non iterandis*.

27 Veſtimenta ſacra, veluti caſula, manipulum, ſtola, & cingulum, à quo debent benedici?

Reſp. Ab Epiſcopo, vel ab Abbate habente ſpeciale priuilegium Apoſtolicum; ratio eſt, quia iſtæ ſunt functiones ordinis ſolis Epiſcopis commiſſæ, & non ſimplicibus Sacerdotibus, ſine priuilegio Apoſtolico. *Durand.vbi ſup.Nauar.conſ.2.nu.3. de conſecr.Eccl. vel Altaris*.

28 Facultas benedicendi ſacras veſtes poteſt ſubdelegari ſimplici Sacerdoti?

Reſp. Non, quia ſolus Papa poteſt delegare. *Nauar. conſ.2. de conſecr. Eccleſ.*

29 Quando dicta veſtimenta ſacra ſunt iterum benedicenda?

Reſp. Quoties, ſi propter vetuſtatem reficiantur, de nouo ſerico plus additum eſt, quam habeant de veteri, vel quoties mutant formam, vt ſi de pluuiali fiat caſula, vel de caſula manipulum. *c.Eccleſiis, & c. Altaris, de conſecr. diſt.1.*

30 Veſtimenta ſacra, poſtquam diruta ſunt, poſſunt ne in alios vſus conuerti?

Reſp. Ex illis poſſunt refici alia ornamenta, ſed non conuerti in veſtes profanas, licet non incurratur in aliquam excommunicationem, quia non eſt poſita in Iure, nam hoc ſolùm eſt de decentia. *c. Altaris palla, de conſecr. diſt.1.*

CAPVT XXXV.

De cõſecratione Regis, Abbatis, & Abbatiſſæ.

1 Reges Hiſpaniæ, & Galliæ recognoſcunt ne ſuperiorem in temporalibus?

Reſp. Non, neque in temporalibus alicui ſubijciuntur, ratio eſt, quia habentur, vt ſupremi Imperatores, & eorum iuriſdictio non emanat ab alio in temporalibus. *vt tenet gloſ.in cap.Hadrianus,il 2.diſt.63. & Abb.in cap.per venerabilem, qui filij ſint legitimi, numero 9.*

2 Reges Hiſpaniæ, & Galliæ, cui ſubijciuntur in ſpiritualibus?

Reſp. Summo Pontifici, ſuis Epiſcopis, & Parochis, ſicut alij Chriſtiani; ratio eſt, quia in ſpiritualibus nullam habent poteſtatem, & ſolus ſummus Pontifex eſt Caput vniuerſalis Eccleſiæ. *tenet Abb.in c.per venerabilem, qui filij ſint legitimi.*

3 Reges poſſunt ne excommunicari, & à quo?

Reſp. Poſſunt à ſolo Summo Pontifice, idque rarò, & ex cauſa grauiſſima. *tenet Sa, verbo, excommunicatio, num.15.*

4 Reges ſubijciuntur ne legibus?

Reſp. Reges ſubijciuntur legibus Eccleſiaſticis, ſicut cæteri Chriſtiani, ſed legibus ciuilibus ſolùm ſubijciuntur quoad vim directiuam, non verò quoad vim coerciuam. *l.digna vox.C.de legibus.*

5 Quis debet conſecrare Reges?

Reſp. Epiſcopus ſolemniter indutus cum magnis cæremonijs, precibus, & orationibus poſitis in cæremoniali Rom.& debet eos vngere.

6 Quare Epiſcopus vngit Regem in brachio, & non in capite?

Reſp. Quia vnctio in brachio ſignificat fortitudinẽ, & imperium eius. *c.vnico, de ſacra Vnctione.*

7 Quis poteſt benedicere Abbates?

Reſp. Epiſcopus, & in eius abſentia poteſt alius Abbas benedictus. *cap.1. de ſupplenda negligentia Prælatorum.*

8 Quis poteſt benedicere Moniales, & conſecrare?

Reſp. Epiſcopus ſolus, & ſolemniter indutus in Miſſa Pontificali. *cæremon.Roman. in cap.de conſecrat.Virginum.*

9 Quam ætatem, & quas qualitates debent habere virgines, quæ conſecrandæ ſunt?

Reſp. Viginti quinque annos, bonum teſtimonium vitæ, & profeſſionem emiſſam in illa Religione, eſſe virgines, quæ in hoc ſæculo cum aliquo viro matrimonium non conſumauere. *Cæremonial. Roman, vt ſupra.*

10 In qua Eccleſia conſecrari debent?

Reſp. Si commodè fieri poteſt in propria Eccleſia, & ſi non, in alia Eccleſia commodiori, ad quam debent virgines exire, quælibet virgo comitata vna, vel duabus matronis honoratiſſimis, quæ paranimphæ vocantur. *Cærem.Rom.d.c.*

11 Poſſunt ne in illa die poſt conſecrationem in aliqua domo ſe ad prandium detinere?

Reſp. Non, imò finita conſecratione, recta via, Epiſcopo pontificalibus induto comitante, debent ad monaſterium redire, & in ianua debet eas ſolẽniter tradere Abbatiſſæ, quæ eas debet expectare in porta cum cruce, & reliquis Monialibus, & facta abſolutione, & benedictione ab Epiſcopo, portæ clauduntur.

12 Quod ſignum portant virgines conſecratæ?

Reſp. Crucem rubeam in capite, vt demonſtrent, ſe eſſe Chriſti ſponſas.

13 Quæ moniales habent vſum conſecrandi?

Reſp. Moniales ſancti Benedicti, præcipuè congregationis Caſſinenſis, & illæ, quæ ſunt in diœceſi Archiepiſcopi Montis Regalis.

14 Aliæ Moniales aliarum Religionum poſſunt ne conſecrari?

Reſp. Affirmatiuè, ſi habeant priuilegium, vel conſuetudinem.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

De pollutione, & violatione Eccleſiæ.

1 QVid eſt polluere Eccleſiam? Reſp. Committere aliquod delictum, propter quod Eccleſia perdit ſuam conſecrationem, & benedictionem. *Nau. in man. c. 27. num. 256.*

2 Ob quam cauſam Eccleſia perdit ſuum priuilegium conſecrationis, vel benedictionis? Reſp. Primò, vt omnes arceantur à tali delicto. Secundò, quia ſicut veſtis candida non habens maculam non indiget lotione, ſic Eccleſia, cum fuerit polluta, vel maculata, indiget noua conſecratione, vel purificatione quaſi noua lotione, vt ſit habitaculum Dei ſine vlla macula.

3 Quibus modis polluitur Eccleſia, ita vt indigeat noua conſecratione, vel benedictione? Reſp. Sex modis. Primò, effuſione ſanguinis iniuſtè facta. Secundò, morte hominis violenta, ſiue talis homo ſit fidelis, ſiue infidelis, ſiue ſanctus, ſiue martyr. Tertiò, humani ſeminis effuſione ſpontanea. Quarto excommunicato notoriè denuntiato ibi ſepulto. Quintò, infideli ibi ſepulto. Sextò, ſi fuit conſecrata ab Epiſcopo notoriè excommunicato. *Naua. in manual. c. 27. num. 256.*

4 Quibus in caſibus mortē hominis Eccleſia non polluitur? Reſp. In ſex. Primò, ſi caſualiter homo moriatur, vt ſi in ædificio ictu lapidis, vel trabis, vel cadat de ſcala. Secundò, ſi quis ſe tuendo cum moderamine inculpatæ tutelæ aliquem occidit. Tertiò, ſi quis vulneratus fuit extra Eccleſiam, & ibi effundit ſanguinem, vel moriatur, etiam ſi ſupra tectum Eccleſiæ vulneretur. *gl. in c. vnico. de conſecr. Eccleſ. vel altaris. in 6.* Quartò, ſi quis in Eccleſia aſſiſtens telo percutiat aliquem extra Eccleſiam, & talis intret in Eccleſiam perſequens inimicum, & ibi effundat ſanguinem. Quintò, quando homicidium committitur à non habente vſum rationis. Sextò, quando homicidium eſt occultum, dum eſt occultum, Eccleſia non polluitur. ratio eſt, quia requiritur ad pollutionem, vt in ipſa Eccleſia fiat percuſſio, & effuſio ſanguinis, ſicut non polluitur intentione, vel cogitatione occidendi, *c. vnico de conſecr. Eccl. vel altaris lib. 6. Nauar. in manual. c. 27. num. 256.*

5 Quibus in caſibus non polluitur Eccleſia ſanguinis effuſione? Reſp. Primò, ſi ſit facta, vt Chirurgus curans vulnus, vel tonſor, qui effundit ſanguinem propter febrem. Secundò, ſi effuſio ſanguinis ſit facta à Magiſtro, vel Superiore propter correctionem. Tertiò, ſi talis effuſio non ſit grauis, ſed leuis, vt quando Accoliti, vel Miniſtri inter ſe irrident, & relinquitur arbitrio iudicis, quæ ſit leuis. *DD. in c. vnico, de conſecr. Eccl. vel altaris. lib. 6.*

6 Si quis habeat copulam naturalē, vel non naturalē cū propria vxore, vel aliena, polluitur nè Eccleſia? Reſp. Polluitur. *DD. in c. vnico eod. tit. de conſecratione Eccleſiæ, vel Altaris, lib. 6.*

7 Si quis oppreſſus ſomno haberet pollutionem in Eccleſia, polluitur nè? Reſp. Non, niſi dederit cauſam pollutioni; nec etiā ſi aliquis vigilans illam haberet contra ſuam voluntatem. *DD. in c. vnico. eod. tit. de conſecr. Eccleſiæ, vel altaris, lib. 6. Sylueſt. verbo conſecratio, 2. nu. 5.*

8 Si ſemen aliquorum animalium effunderetur in Eccleſia, vel furioſus illud effuderit, pollueretur nè Eccleſia? Reſp. Non, quia ad maculam requiritur actus voluntarius culpabilis. *DD. in cap. vnico. ſup. citato. in 6. & ibi gloſſ.*

9 Quando excommunicatus non eſt notorius, vel non eſt denuntiatus, & ſepelitur in Eccleſia, polluitur nè? Reſp. Non, nec etiam ſi ſit interdictus. *DD. vbi ſup.*

10 Si cathecumenus ſepeliatur in Eccleſia ante baptiſmum, polluitur nè? Reſp. Nō, quia baptiſmus flaminis vicem habet baptiſmi aquæ; nec ſi filius moriatur in vtero matris ante baptiſmum, & ſepeliatur cum matre; talis enim non dicitur infidelis, cum ſit filius fidelis. *c. baptiſmi vicem, de conſecr. diſt. 4. Syl. verb. conſecratio. 2. q. 5.*

11 Polluta Eccleſia, polluitur nè cœmeterium, & è contra? ℞. Affirmatiuè, ſed non, è contra; quia magis principale trahit ad ſe minus principale. *Nauarr. in manu. c. 27. num. 257.*

12 Qui celebrat in Eccleſia polluta, quam pœnam incurrit? Reſp. Peccat mortaliter. *Ancharan. in c. 1 1 1. de ſent. excommun.*

13 Si quis cępit dicere Miſſam, & Eccleſia polluatur, debet nè eam relinquere? Reſp. Si perueniat ad canonem, debet eam finire propter reuerentiam tanti myſterij; ſi verò non perueniat ad canonem, debet eam relinquere, & alio in loco eam incipere. *Anchar. cap. 15. de ſent. excommun. lib. 6.*

CAPVT XXXVII.

De Immunitate Eccleſiæ.

1 QVid eſt immunitas Eccleſiæ? Reſp. Eſt quaſi ſine muneribus data libertas, vel puritas, & per hanc ſimilitudinem dicitur quis eſſe immunis à peccato. *Ang. verb. immunitas, qui allegat pro ſe c. fin. de purg. canonica.*

2 Clerici tenentur ſoluere quotam, taxam, & contributionem factam ad opera, quæ ciuitates faciunt ad earum pulchritudinem, vt ad depingendam, & albandam ciuitatem, ampliandas vias, conſtruenda magnificè ædificia publica, & alia ſimilia? Reſp. Non, niſi de ſua propria voluntate id fecerint, vt in *cap. non minus, & cap. aduerſus, de immunitate Eccleſiarum.*

3 Clerici, & Eccleſię tenentur contribuere ad opera, quę ciuitas facit ad augmentum agriculturę, vtili-

tatem, & commoditatem ciuium, vt ſunt pontes, fontes, fluuij, aquæ ductus, foſſata, colere agros, explanare montes, ſtrare vias, illas de nouo facere, vel per commodiorem partem mutare, & his ſimilia?

Reſp. Cũ diſtinctione, de bonis patrimonialibus, & laicalibus, quæ Clerici poſſident, tenentur ſoluere, ſicut laici, ſed exactio debet fieri per Iudices Eccleſiaſticos; ratio eſt, quia qui ſentit commodum, debet ſentire onus, & damnum, & textus in c. non minus, & c. aduerſus, de immunitate Eccleſiarum, non loquuntur de bonis patrimonialibus, & ſæcularibus, ſed ſolum loquuntur de bonis Eccleſiarum, & Clericorum, & pauperum Chriſti vſibus deputatis, & ad ſoluendas dictas taxas de dictis bonis patrimonialibus, non requiritur facere certiorem Summum Pontif. quia eſt debitum, & donum reale impoſitum ſupra dictis bonis laicalibus, & ſæcularibus, licèt poſſideantur à Clerico, non ideò fiunt bona Eccleſię; nam Clericus in ſuo teſtamento illa mãdat, cui vult, ſi verò Clericus habeat bona Eccleſiæ, vt ſunt canonicatus, & beneficia, de quibus ſubſtentatur, tunc ad faciendam ſolutionem de iſtis bonis, requiruntur illa tria, nempè quòd Epiſcopus, & clericus iudicent ędificium eſſe neceſſarium. Secundò, facultates laicorum non ſuppeteret. Tertiò, vt conſulant Summo Pontifi. *vt habetur in dictis capitibus non minus, & in c. aduerſus ſup. cit.*

4 Clerici tempore belli, peſtis, ædificatione murorum ciuitatis, incendij montium, & agrorum, tenentur nè ſoluere de fructibus Eccleſiaſticis quotam ſibi aſſignatam, ſicut ſoluunt cæteri ciues laici, qui ſunt in ciuitate abſq; eo, quod expectent ſummi Pontificis conſenſum?

℟. Tenẽtur ſoluere, & contribuere ad ædificationem murorum, & ad defenſionem peſtis, & belli, & ad id etiam tenentur Eccleſiæ de ſuis fabricis abſque eo, quòd expectent Romani Pont. conſenſum; ratio eſt, quia periculum vitæ omnibus eſt æquale. Secundò, quia neceſſitas inſtat, & caret lege. Tertiò, quia ſi tenentur ad cuſtodiam murorum, vt iubetur in c. peruenit, de immunitate Eccleſiarum, quod eſt ſeruitiũ perſonale, à fortiori tenentur ſoluere pecunias, & taxas ſibi aſſignatas, quod eſt ſeruitium reale. Quartò, quia expreſsè iubetur id Eccleſijs, & etiam Regibus *in l. ad inſtructiones, C. de Sacroſanct. Eccl. & in l. nullus, C. de curſu publico. lib. 12.*

5 Dictæ leges, quæ iubent Eccleſias, & Clericos ſoluere ad ędificationem murorum, & ſoluere expenſas tempore peſtis, & belli, ſunt nè correptę, & emendatæ per textum in c. non minus, & per textum in cap. aduerſus, de immunitate Eccleſiarum?

℟. Licèt *Abbas 1. par. conſil. 3.* teneat partem affirmatiuam, tamen omnes Doctores tam legiſtę, quam iuriſtę intrepidè tenent dictas leges eſſe in viridi obſeruantię, & non eſſe correptas per dictos textus. Primò, quia correctio legum debet eſſe expreſſa. Secundò, quia in dicto capit. non minus, & cap. aduerſus, Summus Pont. ſolùm loquitur de foſſatis, & gabellis, quæ quotidie imponuntur, & non loquitur de peſte, & bello, & mura ciuitatis, quæ rarò accidunt. Tertiò, quia remedium belli, & peſtis debet eſſe inſtantaneum, & in eo non poteſt expectari Rom. Pont. conſenſus. Quartò, quia bona Eccleſiæ poſſunt, & debent conſumi in redimendis captiuis, & ſubſtẽtandis pauperibus, ſicut habetur in *c. aurum, c. ſacrorum, 12. q. 2.* ergo in ſimili caſu, & fortiori poſſunt conſumi ad defenſionem peſtis, & belli, & in ædificatione murorũ, cum reſultet in vtilitatem, & commodum, *vt tenet Rip. in tract. de peſte in Rubric. de remedijs ad conſeruandam vbertatem, Cyn. Ioan. Andr. in d. c. non minus, Bald. conſ. 246. lib. 4. & in d. l. ad inſtructiones, C. de Sacroſan. Eccleſ.*

6 Immunitas, & libertas Eccleſiæ, quo iure conceſſa eſt perſonis Eccleſiaſticis?

Reſp. Conceſſa eſt à Deo de iure diuino, & humano, & à Principibus, & Regibus, qui Deum timent, & imitantur in ſuis legibus, & conſtitutionibus, vt Iudices inferiores eam obſeruent. *tenet Abb. in capit. non minus, de immunitate, num. 17. cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ, de conſtitutionibus, capitul. ſi diligenti, de foro competenti.*

7 In qua differentia ſunt opera, & neceſſitates, pro quibus imponuntur Clericis contributiones, taxæ, collectæ, & ſolutiones?

Reſp. Sunt in quadruplici differentia. Primò, ſunt gabellę, tributa, ſubſidia, donatiua, quæ iuſtè Regibus dantur ad eorum ſubſtentationem, vt gubernent populos in iuſtitia, & pace, & defendant eos ab incurſione inimicorum. Secundò, ſunt opera, quæ ciuitates faciunt ad earum pulchritudinem, vt depingere portas ciuitatis, & elongare recto tramite vias, eas ampliare, facere de nouo plateas, magnificare, & conſtruere ædificia publica, vel eam in ampliorem, & pulchriorem formam reducere, & his ſimilia. Tertiò, ſunt opera, quæ pertinent ad vtilitatem, & commoditatem ciuium, & augmentum agriculturæ, vt ſunt pontes, fontes, fluuij, aquæ ductus, foſſata, explanare montes, colere agros, ſtrare vias, illas per commodiorem partem mutare, vel de nouo facere, & his ſimilia, quæ in communem vtilitatem, tam laicorũ, quàm Clericorum quotidie occurrunt. Quartò, ſunt opera magnæ, & extremæ neceſſitatis, quæ rarò contingunt, vt eſt bellum, peſtis, tempeſtates, vel fluuiorum incurſus, incendium montium, agrorum, vel ciuitatis, murorum ædificatio, vel reparatio. *vt tenet Rip. tractat. de peſte. Rubr. de remedijs ad conſeruandam vbertatem. nu. 233. & ſeq.*

8 Clerici tenentur nè ſoluere gabellas, & tributa, quæ à ſæcularibus conceduntur, & dantur Regibus, vel Dominis temporalibus, vel ciuitatibus?

Reſp. Non, imò ſunt liberi ab omni angaria, & onere ſolutionis, & Principes, Iudices, & communitates, qui faciunt vim Clericis, vt talia ſoluant, ſunt excõmunicati, & non abſoluuntur, niſi faciant integram ſatisfactionem. *c. non minus, c. aduerſus conſules, de immunitate Eccleſiarum.*

9 Quando Clerici tenentur ſoluere tales collectas, exactiones, quæ imponuntur à laicis, & tenentur ſoluere contributiones, quę imponuntur ad facienda foſſata murorum, ſeu expeditiones?

Reſp. Quando Epiſcopus, & Clerus iudicauerint vtilitatem, & neceſſitatem rei faciendę, & quòd talis res ſit vtilis, & neceſſaria Eccleſijs, Clericis, & ſæcularibus, & etiam iudicauerint facultates laicorum non ſuppetere, neque ſufficere ad faciendam talem rem; & poſtquam Romanum Pontificem certiorem fecerint, & conſulant. *c. textus in c. aduerſus, c. non minus, de immunitate Eccleſiarum.*

10 Si pro his fabricis, & neceſſitatibus aliqua quota, vel

vel collecta ſoluenda ſit à Clericis, quis debet taxare & exigere quantitatem, quam quilibet Clericus debet ſoluere?

Reſp. Iudex Eccleſiaſticus, ne Clericus perdat priuilegium perſonale, & quia laici nullam exactionem, nullamque coactionem, neque vim poſſunt inferre Clericis ſub pœna excommunicationis, vt in dicto *c. non minus, & in dicto cap. aduerſus, eod. tit. de immunitate Eccleſiarum.*

11 Monachi, confraternitates, monaſteria tenentur etiam contribuere, & ſoluere in taxis, in quibus ſoluunt Clerici, & Eccleſiæ?

℞. Hæc regula generalis obſeruanda eſt, omnes illæ perſonæ, monaſteria, & communitates, & bona, quæ volunt gaudere priuilegio immunitatis Eccleſiæ, debent contribuere in omnibus rebus, & neceſſitatibus, in quibus contribuunt Eccleſiæ, & perſonæ Eccleſiaſticæ; ratio eſt, quia idem priuilegium, & non diuerſum conceſſum eſt omnibus, & qui ſentit commodũ, æqualiter damnum ſentire debet, & quod omnes tãgit, ab omnibus æqualiter debet obſeruari, vt habetur in *gl. in c. peruenit, de immunitate Eccleſiarum. Scæuola in tract. ſeruitutum ſub rubrica de ſeruitute via, Bar. eleganter in l. nullus, Cod. de curſu publico, imò, & Guido Papa deciſ.* 78. dicit Clericos ſoluiſſe tales collectas ſuo tempore in bello inter Magnum Ducem Sabaudiæ, & Regem Francorum.

12 Quare Clerici non tenentur ad gabellas, foſſata, & onera ordinaria laicorum abſque conſenſu Summi Pontificis, & abſque eo, quòd Epiſcopus, & Clerici iudicent rem eſſe vtilem, & neceſſariam, & non ſuppetere facultatem laicorum, & tenentur indiſtinctè ſine his conditionibus ad ſoluẽdas taxas ſibi impoſitas tempore belli, & peſtis, & ædificationis murorum?

Reſp. Ratio differentiæ conſiſtit in eo, quod gabellę, tributa, & onera ordinaria procedunt ex volũtate Principis petentis, & ex voluntate populi concedentis, & ſunt impoſitiones continuæ, & ſic in *d. c. non minus, & in d. c. aduerſus,* Clerici excuſantur à ſolutione inconſulto Romano Pont. at vero taxæ, & ſolutiones tempore belli, & peſtis, & ædificationes murorũ, proueniunt ex neceſſitate ineuitabili, & ex caſu accidentali raro prouenienti, & ſic non eſt locus conſultationis, imò debet poni remedium ſine vlla mora, quia eſt in communem vtilitatem.

13 Clerici tempore peſtis, & belli tenentur nè cuſtodire portas, & muros ciuitatis ſicut laici?

Reſp. Tenentur ad cuſtodiam murorum, quia tẽpore neceſſitatis ceſſat Clericale priuilegium. Secundò, quia cuſtodiunt ſe ipſos, & Eccleſias. Tertiò, quia quod omnes tangit, ab omnibus cuſtodiri debet, vt expreſsè habetur in cap. peruenit, de immunitate Eccleſiarum, ſed non obſtante deciſione huius textus, qui abſque vlla conditione iubet Clericos cuſtodire muros, puto quòd debet intelligi, quando copia laicorum, vel militum non ſuppetit, nam quando ſunt laici, qui id faciant, Clerici debent in Eccleſijs orare pro pręſenti neceſſitate, & plus proficient, quàm cuſtodiendo muros. *Syluest. verb. immunitas.* 1. *num.* 18. ſed certum eſt, quòd in tempore tantæ neceſſitatis, ſicut eſt in bello, & in peſte, omnes ſunt neceſſarij, & adiuuant, tàm laici, quàm Clerici, & ſic Clerici non ſolum tenentur ad cuſtodiam ciuitatis tempore peſtis, ſed ad id poſſunt cogi, & compelli ab Epiſcopo, vel Iudice Eccleſiaſtico, vt habetur in cap. peruenit, de immunitate Eccleſiarum, vbi ſic dicit Gregorius Nonus Archiepiſcopo Triuenti fraternitas tua nullum per noſtræ, vel Eccleſiæ ſuæ nomen, vel alio modo excuſari à murorum vigilijs patiatur, ſed omnes ad hoc generaliter compellantur, & gloſſa dat rationem huius deciſionis dicens, quod in neceſſitate ceſſat priuilegium. idem tenet *Viualdus in explanatione Bullæ Cœnæ caſu* 5. *numero* 45. *& hoc obſeruatur in Hiſpania ex l.* 11. *&* 12. *tit.* 3 *lib.* 1. *noua recopilationis. tenet Didac. Perez. l.* 1 *tit.* 4. *lib.* 4. *Barboſa in leg. ad inſtructiones, Cod. de Sacroſanctis Eccleſijs, Salcedo in additionibus ad Bernardus Diaz in prax. crimin. cap.* 55. *pag.* 173. *Petr. Cenedo ad textum in cap. Princeps.* 23. *q.* 5. *collat.* 37. *num.* 4. *Abb. Panor. cap. non minus, de immunitate Eccleſia, num.* 18. *Barthol. in l. ad inſtructiones, Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis, Ancharanus conſil.* 96. *numero* 4.

14 Gabella, tributum, ſubſidium, donatiuum, quod datur Regibus, & Principibus, à quo conceditur, & quando eſt iuſtum?

Reſp. Iſtę gabellę, & tributa cõceduntur Regibus, & Principibus à ciuitatibus, à populis, à laicis per procuratores Regni, & quando conceduntur ad tollenda debita Regis ad defendendam, & conſeruandam rempublicam ab inimicis, ad reſiſtendos hoſtes, ad defendendam fidem Catholicam, etiam ſi bellum pro fide ſit extra ſuum Regnum, vel in quacumque parte mundi, tunc tributa, & conceſſiones, & gabellæ ſunt iuſtæ, & his Rex non poteſt defraudari, vt tenet *Diu. Thom. opuſculo* 21. *in Epiſtola ad Duciſſam Brabantiæ. Gabriel. in* 4. *diſtin.* 11. *q.* 5. *ar.* 1. *notabili* 2. *Abb. in capit. innouamus de cenſibus. ſumma Tabiena verb. pedagia verſiculo* 8. *Syluestr. verbo gabella* 3. *nu.* 19. *Ioannes Medina cap. de reſtitutione quaſtion.* 13.

15 Super quibus rebus imponuntur à populis dicta tributa, contributiones, & gabella?

℞. Ferè ſemper imponũtur ſuper pane, vino, & oleo, & aliquando ſuper mercantijs, & veſtibus, & hoc, ad maiorem commoditatẽ populorum; nam cum omnes non habeant in crumena pecuniam paratam, vt ſoluant Regi illam quantitatem, quam promittunt, inter ſe conueniunt, & paciſcuntur, vt vltra pretium iuſtum tritici, vel vini ponatur aliqua quantitas in omni menſura ſoluenda ab illo, qui conſumit frumẽtum, vt ex illa quantitate, quæ excedit pretium iuſtũ cum facilitate, & ſuauitate prouideatur neceſſitatibus Regijs, & ſoluantur gabellæ.

16 Pretia rerum, in qua differentia ſunt?

Reſp. In triplici differentia, infimum, medium, & rigoroſum, ſeu ſupremum; pretium infimum eſt illud, quando res venditur in minori pretio, vel pecunia, quam communiter venditur, vt ſi menſura tritici valet decem aureos, & vendatur per ſex, dicetur pretium infimum; ſi vendatur per duodecim aureos, dicetur rigoroſum, ſeu ſupremum; ſi verò vendatur decem aureis, dicetur medium pretium, quod appellatur legitimum naturale, ſeu vulgare, quia ex communi hominum æſtimatione ponitur penſata abundantia, vel penuria talis rei. *tenet Azorius tomo* 3. *inſtitutionum moralium, libro octauo, capit.* 22. *quæſtione ſecunda, & Ariſtoteles quinto ethicorum capitul. ſeptimò, latè Molina diſputatione trecenteſimaſexageſimaquarta, numero primo. Toletus in ſumm.*

cap.48.concluſion.2. tractatu de ſeptem peccatis mortalibus.

17 Quis habet auctoritatem taxandi, & imponendi pretia rerum, veluti pretium tritici, olei, vel vini?

Re. Magiſtratus, Reges, Principes, Superiores habẽtes auctoritatem taxandi pretia rerum, conſiderata penuria, vel abundantia talis rei, & hanc taxam debent facere ea aduertentia, & conſideratione, vt qui ſeminat, & collegit fructus, non amittat ſuum laborem, & peculium, & qui emit, non emat in pretio exceſſiuo, ſupremo, & rigoroſo, & ratio, quare datur hæc facultas Regibus, & Magiſtratibus, eſt, quia ad eos pertinet gubernatio, & tutela maiorum, & minorum, & totius Reipulicæ, ita ſancitum eſt. *l.1.ff. de officio Præfecti vrbis.§.cura carnis. Panorm. cap.placuit, de emptione, & venditione, num.6. Barthol. lege 1. C. de Epiſcopali audientia.*

18 Clericus, vel Monachus, in quo pretio tenentur vendere fructus ſui beneficij, vel patrimonij?

Reſp. Tenentur vendere in pretio medio, vel infimo, & non in rigoroſo, vel ſupremo; quia peccat mortaliter; ratio eſt, quia non licet Clericis ponere annonam, & neceſſitatem in populis ſuo exemplo, & quia pretium medium poſitum a Magiſtratu, vel Rege eſt iuſtum pretium, & commodum emptori, & venditori, & Clericus tenetur etiam ex l. naturæ ſe accommodare tali pretio, vt latiſſimè probat *Molina diſput.364.num.1. & Azor. tom.3. inſtitutionum moralium lib.8.d.22.q.2.*

19 Clericus tenetur ne ſoluere gabellas, vel tributa, & impoſitiones, quaſi laici imponunt ſuper triticum, vinum, vel oleum ad ſoluendum donatiuum Regi?

Reſp. Non tenentur abſque licentia Summi Pontif. immo omni iure ſunt exempti a ſolutione dictarum gabellarum in Iure canonico. *cap. quemquam, de cenſibus, in iuro ciuili l.1. l. item nulla communitas, C. de Epiſcopis, & Clericus. Baldus l. placet. C. de Sacroſanctis Eccleſijs, & in hoc nulla eſt diſputatio.*

20 Quomodo intelligitur hæc immunitas, & exemptio Clericorum in ſolutione gabellarum?

Reſp. Quòd in tritico, vino, oleo, carne, quam dicti Clerici conſumunt in ſua ſubſtentatione, & ſuorum famulorum, & illorum, quos ſuis proprijs expenſis nutriunt, vel alunt, non tenentur ſoluere illam quantitatem pecuniæ, quæ impoſita eſt ſupra iuſtum pretium ſupra triticum, vel vinum ad ſolutionem faciendam Regi, & hoc intelligitur tam in fructibus ſui beneficij, vel patrimonij, quam ex tritico, vel vino, quod emunt ad ſui ſubſtentationem. *ita tenet latè Molina, & Azor. loco alleg.*

21 Si Clericus vendat triticum, vel vinum ſui beneficij, vel patrimonij, poterit ne illud vendere in pretio iuſto, & etiam in illa pecunia, quæ ſuperimponitur ad ſolutionem gabellarum, & illam ſibi aſſumere, & conuertere in proprios vſus, verbi gratia, iuſtum pretium menſuræ tritici ſunt duo aurei, & impoſitũ eſt vnum aureum pro donatiuo Regis, poterit ne Clericus vendere menſuram tritici in tribus aureis, & ſibi aſſumere, & in ſuos proprios vſus conuertere?

Reſp. Non, immo tenetur ad reſtitutionem vnius aurei, ratio eſt, quia illa quantitas conceſſa eſt a populo, & à Procuratoribus Regni Regi, & non Clerico, & ſic aſſumit, & furatur, quod ſuum non eſt. Secundò, quia talis quantitas vnius aurei eſt vltra iuſtũ pretium, & eſt peccatum contra iuſtitiam. Tertiò, quia facere hoc non eſt immunitas, & exemptio, ſed aſſumere rem alienam. Quartò, quia in toto iure canonico, & ciuili hoc priuilegium nullibi datũ eſt Clericis, cum ſit res longe diſtincta non ſoluere tributa, & gabellas, quas laici ſoluunt Regibus, & ſibi aſſumere tributa, & gabellas, quas laici imponunt communi conſenſu ſuper ſuis bonis vltra iuſtum pretium ad ſolutionem gabellarum, & donatiuorum. *ita tenet, & probat latiſſimè Molin. diſput.374. numero primo.*

22 Quid debet facere Iudex Eccleſiaſticus, ſi aliquis Clericus vendendo ſuum triticum, vel vinum defraudat gabellas Regias, vel menſuras, vel aliam fraudem ſimilem?

Reſp. Iubere per edictum ſub graui pœna, vt nullus Clericus per ſuam perſonam menſuret vinum, vel triticum, quia indecens eſt, ſed quòd ponat laicum ſæcularem, qui in loco honeſto vendat vinum, & fructus Clerici, & reddat rationem collectori gabellarum, ſicut faciunt alij laici ſub pœnis a præpoſitibus impoſitis.

23 Magiſtratus, & Principes ſæculares quid debent agere, vt tollant hanc controuerſiam aliquorum Clericorum, qui magis ex ignorantia, quam ex malitia vſurpant dictas gabellas, & terrent collectores ſæculares minando cenſuras, vbi nulla eſt cenſura?

Reſp. Debent ponere iuſtum pretium tritici, vel vini, veluti quotam duorum aureorum, & dicere, quòd dant licentiam, quòd vendatur communiter tribus aureis declarando, quòd vnum aureum eſt pro regio donatiuo, vel gabella, tunc enim nulla erit ignorantia, neque difficultas.

24 In quo differunt libertas, & immunitas Eccleſiaſtica?

Reſp. In eo, quòd immunitas Eccleſiæ eſt exemptio ſacri, & libertas Eccleſiaſtica eſt exemptio perſonæ Eccleſiaſticæ, & ita; qui facit iniuriam in loco ſacro, non incurrit cenſuras poſitas contra violatores Eccleſiaſticæ libertatis. *Caiet. in ſum. fol.33. num.6. de immun. Eccleſ. viol.*

25 Quotuplex eſt immunitas Eccleſiæ?

Reſp. Triplex, localis, perſonalis, & realis, per quam profana in Eccleſijs, ſeu Oratorijs prohibentur exerceri. *Caietanus in ſumma verbo immunit. Eccleſ. violat.*

26 Quæ prohibentur fieri in Eccleſia, vel cœmeterio?

Reſp. Negationes nundinarum, & fori conclamationes, publica parlamenta, & omnes res, profanæ. *c. decet, de immun. Eccl. in 6.*

27 Eccleſia per quot paſſus gaudet immunitate?

Reſp. Per triginta. *c. quiſquis inuentus.17.q.4.*

28 Palatium Epiſcopi, gaudet ne priuilegio immunitatis?

Reſp. Gaudet. *c. id conſtituimus.17.q.4.*

29 Quis debet defendere immunitatem Eccleſiæ?

Reſp. Epiſcopus. *c.2. eod. tit. Trid. ſyn. ſeſſ.25. c.20. de reformatione.*

30 Quis debet defendere Epiſcopis ſuam iuriſdictionem, & immunitatem Eccleſiaſticam?

Reſp. Primates, Principes, & Poteſtates, quia illis commiſſum eſt per *Tridentin. ſynod. ſeſſ.35. cap.20. cit.*

31 Qui gaudent priuilegio, & immunitate Eccleſiaſtica?

Reſp.

Reſp. Omnes perſonæ, ipſa Eccleſia, & bona Eccleſiæ, & ſæculares qui ad eã confugiunt. *ſum. Armil. verb. immunitas, & alij*.

32 Qui non gaudent immunitate Eccleſiaſtica?
Reſp. Piratæ, de populatores agrorum, qui occultè mittunt ignem in ſegetes, & comburunt agros, qui in Eccleſia committunt maleficium, raptores virginum, homicidæ, adulteri, aſſaſſini, viarum curſores, qui in agro furta committunt, illi, qui inſidiantes, vel cum aliquo tradimento aliquem vulnerant, ſacrilegi, & omnes poſiti in Bulla Gregor. XIV. *Caiet. de immun. Eccleſiaſt. verb. immunitas. §. 1. authent. de mandatis Principum §. quòd ſi delinquentes. Angel. in ſum. verb. immunitas, num. 17.*

33 Latrones furantes in ciuitate gaudent ne immunitate Eccleſiæ?
Reſp. Gaudent. *capit. inter alia, de immunitat. Eccleſiarum.*

34 Cùm Iudex ſecularis vi extrahit hominem ab Eccleſia, quid debet Iudex Eccleſiaſticus facere?
Reſp. Debet illum, & ſuos miniſtros excomunicare, & aggrauare cenſuris, donec fiſcus ſæcularis probet per legitimos teſtes illum hominem commiſiſſe tale delictum, & non gaudere priuilegio Eccleſiæ. *Arm. in ſumm. verbo, immunitas, num. 16.*

35 Factis probationibus, quid debet facere Iudex Eccleſiaſticus?
Reſp. Declarare ſecundum allegata, & approbata talem hominem debere, vel non debere gaudere immunitate Eccleſiæ.

36 Violantes immunitatem Eccleſiæ, quo iure ſunt excommunicati?
Reſp. Excommunicatione iuris per bullam Greg. XIV. de immun. Eccl. publicatã die 28. Maij 1595. & ipſo facto incurrunt. *c. minor. c. quiſquis. 17. q. 4. & debent abſolui ab ordinario. capit. nuper, de ſentent. excommun.*

37 A quo debent abſolui?
Reſp. Ab ordinario, quia in dicta bulla Papa nõ reſeruauit ſibi abſolutionem. *c. nuper, de ſentent. excommun.*

38 Si Iudex non mandauit extrahi hominem, ſed parentes defuncti extraxerunt, poterit Iudex facere mori hominem, vel in carcere detineri?
Reſp. Non, licèt iſta bulla non fecerit mentionem de mandante, ratio eſt, quia de facile diſpoſitio dictæ Bullæ redderetur illuſoria. *c. ſententia, de ſent. & re iud. Imola in l. ſi verò. ff. ſol. matr.*

39 Quid debent facere Clerici Rectores Eccleſiarum, ad quas rei confugerint?
Reſp. Eos occultare, nihil dicere, & impetrare vitã illius hominis, & membrorum in columitatem. *Silueſt. verb. immunitas. 111. q. 4.*

40 Clerici tenentur ne defendere reum, qui confugit ad Eccleſiam, & immunitatem Eccleſiæ cum armis, vſque ad amiſſionem vitæ, vel ſanguinis effuſionem?
Reſp. Non, ſed precibus, & gladio Eccleſiaſtico, nempè excommunicatione.

41 Quis prouidebit de expenſis iis, qui confugiunt ad Eccleſiam?
Reſp. Si tales ſint pauperes, & Eccleſia ſit diues, tenetur eos alere. *Silueſtr. verb. immunitas. 111. nu. 5.*

42 Proceſſus, vel ſententia lata à iudicibus laicis in Eccleſia, vel cæmeterio, valet ne?
Reſp. Eſt nulla ipſo iure; & ſi ſit ſanguinis Iudex excommunicatur, & quaſi ſacrilegus punitur. *cap. cum Eccleſia, de immunit. Eccleſ.*

43 Qui commiſit delictum, & caſu confugit ad ſacerdotem portantem Corpus Chriſti per vias infirmis, debet ne gaudere immunitate Eccleſiaſtica?
Reſp. Licè *Couarru. var. reſolut. lib. 2. cap. 20. num. 6.* ſit de hac re dubius citans pro parte Affirmatiua *Archidiacon. in c. quæſitum. 13. quæſt. 2. & alios, tamen gloſ. in dicto capit.* tenet partem negatiuam affirmans, quòd immunitas Eccleſiæ ſit quoddam priuilegium, extendi non debet, niſi ad templa ipſa, *vt in c. petiſti, 7. q. 1.*

44 Si quis ducatur à ſatellitibus captus per Eccleſiã, gaudet nè immunitate Eccleſiæ?
Reſp. Non, quia talis non eſt ingreſſus in templum, vt ad id confugiat, neque is violenter è templo educitur, ſed per templum ex voluntate ſatellitum tranſit, & Eccleſiæ non ſit iniuria, *Couarru. var. reſolut. c. 20. lib. 2. nu. 13.*

45 Latrones, qui in domibus aliquem obſident vel furantur vi, & armis argentum, aurum, rem familiarem, mulieres etiam non virgines interficiendo, opprimendo, vel inferendo metum propriis dominis, vel ſeruis, gaudent ne immunitate Eccleſiaſtica?
Reſp. Non gaudent iuſta ratione: nam maius damnum faciunt, qui vim inferunt hominibus, quam latrones, qui in agro ſimilia committunt, cum in ciuitate quiſquam debeat viuere magis ſecurus, quàm in agro, & ſic eſt Bulla Gregor. XIV. publicata anno 1591. de immunit. Eccleſ. & iſti propriè ſunt obſides, & traditores, & hac ratione mouetur. *d. Bulla excipiendo eos, qui non debent gadeere.*

46 Socij, qui adiuuant eos, qui committunt ſimilia delicta, gaudent ne immunitate Eccleſiæ?
Reſp. Non gaudent, ſicut principalis, quia ſocij comitantes delictum eadem pœna, & priuilegio gaudent. *Couarru. lib. 2. variarum reſolut. capit. 20. & Bulla Gregr. XIV. cit.*

47 Excommunicatus gaudet ne immunitate Eccleſiaſtica?
Reſp. Gaudet, ſed non hæreticus, vel infidelis. *Cou. vbi ſup. nu. 11. & alij communiter.*

48 Qui fugit è carcere frangens portas, vel tectum, vel ducitur ad ſupplicium, vel fugit ſi fugiat è manibus ſatellitum ad Eccleſiam, gaudet ne?
Reſp. Gaudet, quia ex ſua voluntate confugit ad Eccleſiam. *Couarr. vbi ſupr. num. 13.*

49 Si Eccleſia ſit clauſa, & quis fugiat ad fores, eaſque apprehendat, gaudet ne?
Reſp. Gaudet, ſicut qui eſt in Eccleſia. *Couarru. vbi ſup. nu. 18.*

50 Fugiens ad Eccleſiam poteſt in ea ferro, vel neruis, vel compedibus ligari ne inde fugiat, quo voluerint?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi dubium ſit, an debeat gaudere, vel non poteſt ab vtroque Iudice (vt inde non euellatur) ligari compedibus ſi verò declaratur, quod debet gaudere, ſoluendus eſt, vt faciat, quod voluerit, & nunquam ei alimenta ſunt neganda: & ſi Iudex laicus ei per cuſtodè alimenta denegat, Iudex Eccleſiaſticus debet ei dare; quia hoc eſt contra immunitatem Eccleſiæ. *Couar. Variar. reſol. lib. 2. c. 20. num. 17.*

51 Oratoria priuata in domibus, vel prope domus, gaudent ne immunitate eccleſiaſtica, ita vt ibi poſſint confugere, qui committunt delicta?
Reſp. Non gaudent, quia hoc ſolùm conceſſum eſt Eccleſijs benedictis, vel conſecratis. *Abb. c. patentibus, num. 3. de priuileg. & exceſſ. priuilegiat.*

52 In hoſpitalibus gaudet ne quis immunitate Eccleſiaſtica?
Reſp. Si ſit in eis campana, & Eccleſia vbi celebretur Miſſa publica, gaudet, quia tunc præſumitur Eccleſia publica, & auctoritate Epiſcopi benedicta, & conſtructa. *Abb. vbi ſup. n. 1.*

53 Loca ſæcularia, vbi ſe congregant aliqui ad viuendum more Religioſorum, & non faciunt vllam profeſſionem, vt Seminaria, vel domus, vbi ſimul habitant mulieres ſæculares, moniales, orphani, vel virgines, gaudent ne immunitate Eccleſiæ?
Reſp. Cum diſtinctione; ſi habent Eccleſiam publicam cum campana ab Epiſcopo benedictam, vbi publicè celebretur, gaudent priuilegio, quia acceſſorium ſequitur naturam principalioris; ſi verò non habent Eccleſiam publicam, non gaudent tali priuilegio, quod datur directè Eccleſijs benedictis, & ſecundario domibus coniunctis Eccleſijs. *gloſ. in c. quæſitum, 13. quæſt. 2. & Abb. in cap. patentibus, de priuileg. &c.*

54 Sententia lata à Iudicibus laicis in Eccleſia, vel cæmeterio, valet ne?
Reſp. Non, & ſi ſententia fuerit ſanguinis, & prolatà in Eccleſia, Iudex excommunicatur, & quaſi ſacrilegus punitur. *c. cum Eccleſia, de immun. Eccl.*

55 Clerici, qui committunt aliquod delictum, debent gaudere?
Reſp. Debent ſecundùm veriorem opinionem, licèt in hoc conſuetudo ſit ſeruandam. *Couar. lib. 2. var. reſol. c. 20. Iul. Clar. q. 30. §. fin. n. 16.*

56 Impedire Epiſcopis iuriſdictionem circa ſæculares in cauſis merè Eccleſiaſtiacis, & mixti fori, in adulterijs, & alijs, in quibus iuxta ſacras ſanctiones Iudex Eccleſiaſticus poteſt cognoſcere, & ne frangere iuriſdictionem Eccleſiaſticam?
Reſp. Affirmatiuè. *c. 1. de offic. Ord. & DD. in l. Imperium, ff. de iuriſd. omn. iud.*

57 Si Nuncij Apoſtolici, vel Metropolitani ante ſententiam diffinitiuam, vel grauamen habens vim diffinitiuè, tollant Epiſcopo primam inſtantiam in ciuilibus, & criminalibus, eſt ne tollere immunitatē, & libertatem Ecclſiaſticam?
Reſp. Affirmatiuè, & proceſſus, & inde ſequuta nullius momenti ſunt. *Trid. ſyn. ſeſſ. 24. c. 20. de refor.*

CAPVT XXXVIII.

De Purificatione poſt partū?

1 Mvlier poſt partum poterit ne ingredi Eccleſiam ante dies purificationis ſuæ, poſitos in lege Moyſi?
℞. Poterit ſtatim ingredi Eccleſiam, quia lex Moyſi poſt paſſionem Chriſti Domini noſtri amplius nō obligat. *cap. vnico, de Purificatione.*

CAPVT XXXIX.

De Eccleſijs ædificandis.

1 Poteſt ne ædificari aliqua Eccleſia, vel capella eremitica ſine licentia Epiſcopi?
Reſp. Non; ita habetur *in c. nemo, il 1. de conſecr. diſt. 1. Ang. in ſum. verb. Eccleſia.*

2 Decimæ, oblationes, argentum, ornamenta, quæ fiunt alicui imagini, vel capellæ ſitæ intra Eccleſiam parochialem, in cuius vtilitatem poſſunt conuerti?
Reſp. In vtilitatem Parochi talis Eccleſię, qui habet fundatam ſuam intentionem de Iure communi ſupra omnes decimas, oblationes, & eleemoſynas factas Eccleſiæ Imagini, quia omnia videntur, & cenſentur facta in contemplatione Eccleſiæ. *c. ad audientiam, il primo, de Eccleſijs ædificandis, & Abb. cap. 1. de ſtatu Monach. nu. 4.*

3 Si aliquis Clericus, vel Monachus celebret in Eccleſia Parochiali, & dentur illi oblationes, ad quem pertinent, ad ipſum, an ad Parochum illius Eccleſiæ?
Reſp. Ad proprium Parochum, *Abb. vbi ſupra.*

4 In capellis poſſunt eſſe Canonici?
Reſp. Poſſunt; quia non requiruntur ad eſſentiam Canonicorum, quòd ſit Eccleſia parochialis, ſed ſolùm, quòd habeat Canoniam ex priuilegio Summi Pontificis, & præbendam ex aliqua fundatione, vt congruè ſubſtentetur. *gloſſ. c. cum capella, de priuileg. & exceſſ. priuileg.*

5 In Oratorijs priuatis poſſunt ne poni campanę?
Reſp. Non, *c. patentibus, eod. tit. ſcilicet de priuil. &c.*

6 Donatio bonorum facta Eccleſiæ quomodo intelligitur ſub conditione, vel abſolutè?
Reſp. De hoc dictum eſt *l. 1. cap. 35. n. 13. & n. 14.*

7 Eccleſia quomodo poteſt concedi Religioſis in proprietatem; vel in titulum?
Reſp. Vtroque modo. *c. paſtoralis, eod. tit. noſtro.*

8 Quid debet Epiſcopus obſeruare in danda licentia ad ædificationem Eccleſiæ?
Reſp. Quòd ædificans Eccleſiam, illam dotet ſufficienter ad eius perpetuitatem, quia ſpiritulia ſine temporalibus diu eſſe non poſſunt. *c. ſi quis obiecerit, 1. q. 3. Roccus de iur. patr. verb. vtili, q. 2.*

9 Vna Parochia poteſt duas diœceſes habere?
Reſp. Non propter confuſionem, & incommodum ſubditorum. *Trid. ſyn. ſeſſ. 14. c. 9. de refor.*

10 Si quis ædificat Eccleſiam, & illam non dotat quā pęnam incurrit?
Reſp. Epiſcopus debet compellere ipſum, vel eius hæredes ad dandam donationem ſufficienter, & perpetuam, & ſi factis monitionibus non fecerint, amittunt ius patronatus, & poterit Epiſcopus alteri eam dare. *c. nemo, il 1. de conſecr. diſt. 2. & c. cum ſicut, de conſecr. Eccleſ. vel Altaris.*

11 In quo loco debet de nouo Eccleſia ædificari?
Reſp. In loco decenti, & in proprio, non autem in alieno, ita vt non fiat præiudicium alteri Eccleſię, *Syl. verb. Eccleſia 2. n. 5. & gl. in c. cum dicat, de Eccl. ædif.*

12 Quam

12 Quam formam debet habere Eccleſia?
Reſp. Formam nauis, quia Eccleſia appellatur nauis Petri; Chriſtus eſt eius Rector. *c. non turbatur. 24. q. 1. & ſi fieri poteſt, pars poſterior reſpiciat Orientem, & anterior Occidentem.*

13 Poſt ędificationem quid debet Epiſcopus facere in Eccleſia?
Reſp. Benedicere, vel conſecrare illam, vt Miſſæ celebrentur, & committere eam idoneis miniſtris. *Trid. ſynod. ſeſs. 22. c. 1. de ſacrificio Miſſæ. Thom. 3. p. queſt. 83. art. 3.*

14 Eccleſia parochialis quib. ſumptibus reficiēda eſt?
Reſp. Si conſuetudo ſit, vt parochiani eam reficiant, ipſi tenentur, ſi ſit fabrica, in hoc eſt conſumenda, ſi vtrumq; deficiat, ex fructibus beneficiorum deducta congrua ſubſtentatione parochi eſt reædificanda. *Triden. ſyn. ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.*

15 In Eccleſijs vetuſtate confractis, quid agendum?
Reſp. Epiſcopus vocatis quorum intereſt, procuret eas reædificare, & ſi nō poterit transferat imagines, & altera ad Eccleſias parochiales propinquiores, vel ad matricem, vbi onera compleantur ſub eiuſdem vocationibus ſanctorum, & tunc eas poterit diſtruere. *Triden. ſyn. ſeſſ. 21. c. 7. de refor.*

16 Spatium Eccleſiarum diruptarum poteſt vendi laicis?
Reſp. Erecta Cruce in loco, vbi Eccleſia fuit ædificata, poteſt vendi laicis, dummodo non conuertatur in ſordidos, & profanos vſus. *Trid. ſyn. ſeſſ. 21. c. 7. de refor.*

17 Qui dicuntur profani vſus?
Reſp. Macellum, vel quid ſimile.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER DECIMVS CONTINENS MATERIAS LIBRI QVARTI DECRETALIVM,

De quibus hactenus non eſt Tractatum.

CAPVT PRIMVM.

De natis ex libero ventre.

1 Quis dicitur liber propriè? ℞. Ille, qui naſcitur ex ingenua, & libera matre. *vt habetur in c. liberi. 32.q.4.& c. cum multæ 15.q.8.inſt.de ingenuis in principio, iunctâ gl.*

2 Vnde dicitur liber? ℞. A libertate, quia non eſt ſeruus alicuius, ſed ſui proprij iuris.

3 Hoc nomen liber quas ſignificationes habet? Reſp. De iure duas. Prima ſumitur pro homine libero, qui non eſt ſeruus alicuius. Secunda ſumitur pro filio alicuius, & dicitur omnes deſcendentes per lineam rectam, vſque ad trinepotem, & vlterius dicuntur inferiores, ſeù poſteriores. *leg. liberorum.ff. de verb. ſignificat.*

4 Liber quibus modis fit ſeruus? Reſp. Quinque modis. Primo, captus ab hoſtibus in bello. Secundo, quando quis commiſit delictum, & à iudice condemnatur ad triremes vitâ. Tertiò, quando maior viginti quinque annorum ſe permiſit vendi. Quartò, ſi minor viginti annorum venditus ab aliquo, poſtea maior factus conſentit, & participat de pretio. Quintò, quando pater in ſumma egeſtate & neceſſitate vendit filium ea conditione, vt ſi veniat ad meliorem fortunam poſſit illum recuperare, quod rarò contigit. *inſt.de iure perſonar. §.ſerui autē.*

5 Natus ex liberta eſt ne liber, an ſeruus? Reſp. Liber, & omnes eius deſcendentes. *cap. vnico, de natis ex libero ventre.*

6 Natus ex libero, & ſerua erit ne liber? Reſp. Non, quia partus ſequitur ventrem, niſi forte in aliqua Prouincia ſit conſuetudo contraria. *Abb.in c.licèt. de coniugio ſeruorum.nu.1.& 2.*

7 Quare de iure partus ſequitur ventrem? Reſp. Quia bene dicit lex, mater certa, pater verò, quem nuptiæ declarant. *vt habentur in l. quia ſemper. ff.de in ius vocando.*

CAPVT II.

De frigidis, & maleficiatis.

1 Frigidus quis dicitur? Reſp. Ille, qui eſt impotens ad generationem. *Abb.in c.1.de frig.& maleſ.num.1.*

2 Vnde prouenit hæc frigiditas, & impotentia? Reſp. Aliquando ab ipſa natura, aliquando ab infirmitate naturali, & aliquando à maleficijs?

3 Maleficatus quis dicitur? Reſp. Ille, qui maleficijs poſitis à Diabolo, vel à mulieribus, quæ arte maleficiendi pollent, eſt factus frigidus, impotens, & non aptus ad generationem. *Maleus malefic.p.1.q.2.*

4 Impotentia cœundi impedit matrimonium? Reſp. Impedit contrahendum, & dirimit contractū, quia matrimonium eſt ordinatum ad finem generationis propter vniuerſi conſeruationem. *c.1. eod. tit. de frig.&c.*

5 Si mulier ſit arcta, tenetur ne conſentire, vt chirurgus aperiat eius vas ferro? Reſp. Cum minimo periculo ſuæ vitæ non tenetur. *Abb.in c.fraternitatis, de frigid.nu.4.*

6 Si maritus, & mulier petant ſeparationē propter frigiditatem, eſt ne ſtatim facienda? Reſp. Cum diſtinctione; ſi ambo concordes confiteantur frigiditatem, & ſi ſint alia ſigna frigiditatis, ſi ſint alij teſtes, vt obſtetrices, & medici, qui teſtificēt in dicto impedimento, poteſt fieri ſtatim ſeparatio. vt in cap.primo, eodem tit. ſi verò hæc deficiant, & maritus, vel mulier contradicant, & ſigna frigiditatis non appareant tunc per triennium debent cohabitare ſimul, vt tempus, & conſuetudo ſatisfaciant loco teſtium, *text. in cap.laudabilem. eodem tit. Innocent. in dicto cap.*

7 Quomodo eſt inſpicienda mulier à teſtibus, & qui debent eſſe hi teſtes? Reſp. Debent eſſe obſtetrices, & medici honeſti, bonę famæ, & vitæ, & ſi fieri poteſt de ſua parochia, vel qui ſolebat medicare eam, vt maior notitia pariat maiorem veritatem cum honeſtate. *Abb.in c. fraternitatis.eod.tit.nu.4.*

8 Si maritus, vel mulier ſint frigidi propter male-

ficia à Diabolo, vel à malefica, quod tempus eſt expectandum?

Reſp. Tunc triennium debet expectari, quia poſſunt illa maleficia finiri. *Abb. in c. 1. eod. tit. num.* 5.

9 Si maritus habeat amputata virilia, requiritur ne cohabitatio triennalis?

Reſp. Non, quia probatio, & impotentia generandi eſt ſatis probata per factum ipſum, quod apparet. *Abb. vbi ſupra, num.* 6.

10 Quæ eſt ratio differentiæ, quare in frigidis à natura non eſt expectandum triennium, & in maleficiatis eſt expectandum?

Reſp. Quia frigiditas naturalis eſt infirmitas perpetua, & competit omni naturæ hominum maleficiū verò eſt quid particulare iſtius hominis, & aliquando habet finem, & tollitur. *Abb. vbi ſup. num.* 7.

11 Triennalis cohabitatio eſt ne ſemper neceſſaria?

Reſp. Non, ſi probari poſſit impedimentum, quia ad hoc conceditur à iure, & fruſtra fiunt per plura, quę poſſunt fieri per pauciora, & ſic probatio impedimento non erit neceſſaria. *Abb. c. laudabilem, num. 2. de frigid. & malefic.*

12 Triẽnalis cohabitatio computatur à die motæ litis, an à die cohabitationis?

Reſp. A die cohabitationis, ſiue ſit continuata, ſiue interrupta aliqua abſentia, tamen cum cohabitatio non computatur à die mandati iudicis, ſed à tempore anteriori, debet Iudex ordinare, vt cohabitent ſimul per aliquot tempus ſibi benè viſum, vt ſeuerius procedatur. *Abb. in c. litteræ, eod. tit. num.* 2.

13 Maritus poteſt confiteri ſuam impotentiam ex ſuo defectu?

Reſp. Poteſt. *Abb. c. 1. eod. tit. nu.* 1.

14 Impotentia cœundi quando impedit matrimoniū contrahendum?

Reſp. Semper ſiue proueniat ex ętate, vel infirmitate, frigiditate, maleficio, ſiue ex arctatione vaſis, ſiue ex abſciſſione, vel læſione membri. *c. quod ſedem, & infra, eod. tit. de frigidis.*

15 Puer vſque ad quod tempus dicitur impotens?

Reſp. Vſque ad decimum quartum annum, iſte terminus eſt præfixus à iure, licèt in aliquibus ante hoc tempus poſſit natura, vel complexio dare potentiā. *Abb. in c. quod ſedem, num. 2. de frigid.*

16 Naturale impedimentum per artem medicinæ reparabile, impedit ne matrimonium?

Reſp. Impedit, dum durat. *c. ex litteris. eod. tit. & c. fraternitatis, de frigid.*

17 Probare quod mulier non ſit virgo, eſt ne ſufficiēs ad diſſolutionem matrimonij, & quomodo probatu?

Reſp. Non eſt ſufficiens: quia potuerunt ex odio, vel deuotione dormire in eodem lecto, & non ſe coniūgere, & virginitas probatur per obſtetrices peritas. *Abb. in c. fin. num. 10. & 11. de frigid. &c.*

18 Probatio parentum eſt ne neceſſaria in ſeparatione matrimonij ex defectu frigiditatis vel impotentiæ?

Reſp. Eſt tàm neceſſaria, vt ſine illa, cauſa non poſſit ſententiari propter maiorem cognitionem, quàm habent de impotentia, & frigiditate. *Abb. c. vlt. de frigid. nu.* 11.

19 In quo numero debent eſſe teſtes parentes, vt fiat hæc probatio iuridica?

Reſp. Debent eſſe ſeptem, qui teſtificari debent, & ſi non inueniantur, aſſumētur de familiaribus domus, vel vicinis illorum. *caput. vlt. eod. tit. & Abb. ibi. num. 11. Paulus de Caſtro, leg. ſi cum dotem §. patri. ff. ſolut. matrimon.*

20 Si quis contrahat de facto cum impotenti ad coitum, matrimonium erit ne validum?

Reſp. Non, quia non poteſt conſequi finem matrimonij. *c. quod ſedem. eod. tit. noſtro, & ibi gloſ.*

21 Si malitiosè vir aut mulier petant ſeparationem propter frigiditatem, & impotentiam, ſi poſtea frigidus habeat multa filios, erit ne validum primum matrimonium, ad ſecundum?

Reſp. Cum diſtinctione; ſi talis vir eſt potens cum ſecunda vxore, & cum prima quod ſolet accidere ex qualitatibus indiuidualibus, vt medici aſſerunt, ſecundum; ſi verò decepta fuit Eccleſia, quia talis vir eſt potens cum prima, & cum ſecunda, & malitiosè finxit, & probauit impotentiam, tunc primum matrimonium eſt validum. *Abb. cap. vltimo eodem titulo, num.* 7.

22 In iſto caſu poterit mulier petere ſeparationem quò ad torum?

Reſp. Poterit, & ei concedendum propter adulteriū commiſſum, & propter malitiam. *Abbas vt ſup. numero* 7.

23 Senes impotentes poſſunt ne contrahere?

Reſp. Non poſſunt; ſed ſi ſit impotentia in ſene minus, vel tarda, & poterit contrahere, quia magis, & minus non impediunt matrimonium, ſed abſoluta impotentia. *Abb. in c. quod ſedem, eod. tit. num.* 5.

24 Spadones poſſunt contrahere?

Reſp. Si ſint in vtroque teſticulo, non, quia licèt erigant, non habent vim generatiuam; ſed ſi ſint vno teſticulo poſſunt immo ſolent habere plures filios, quia virtus alterius teſticuli ſit in illo ſolo, & iſti homines ſunt magis luxurioſi quam alij. *Abb. c. quod ſedem. eod. tit. num.* 5.

25 Si matrimonio contracto per verba de præſenti, ſuperueniat impedimentum impotentiæ, dirimit ne matrimonium?

Reſp. Non, quia tempore, quo fuit celebratum, perſonę erant capaces, potentes, & hoc ſufficit, vt matrimonium teneat, ſiue impotentia ſuperueniat conſumato matrimonio, vel non conſumato, quia quotieſcumq; à principio matrimonium fuit verum, amplius irritum eſſe non poteſt. *c. fraternitatis. c. ex litteris. eod. tit. noſtro, & Abb. ibi. num.* 3.

26 Si quis ſcienter contrahat cum muliere impotenti, vel arcta, debet ne ab illa ſeparari?

Reſp. Non, ſed debent viuere non tanquam vxores, ſed tanquam ſorores, quæ maritis ſuis quaſi fratribus miniſtrent, & præſto ſint, & cognoui aliquos eunuchos vxoriatos, ſed per Bullam Sixti V. prohibitum eſt eunuchis contrahere matrimonium. *Abb. c. conſultationi. de frigidis nu.* 3.

27 Si quis ſcienter cōtraxit cum impotenti de facto, & iterum contrahat cum potenti, quod matrimonium erit validum?

Reſp. Secundū, & tenebitur alere primam vxorem impotentem. *Abb. vbi ſup.*

28 Si ſentētia à Iudice Eccleſiaſtico lata fuit, vt propter impotentiam diſſoluatur matrimonium, & poſtea appareat error, debet ne talis ſententia reuocari?

Reſp. Semper, quòd appareat talis error, debet reuocari; præcipuè in ſacramento matrimonij, quod non diſſoluitur vigore ſententiæ, ſed vigore cauſæ,

quæ

quę ſi non ſtat, manet ſacramentum, *vt c. fraternitatis. de frigid. & maleficiat.*

CAPVT III.

Qui filij ſint legitimi.

1 QVid eſt legitimatio?
Reſp. Quædam diſpoſitio, decor, & honor faciens incapaces capaces ad ſucceſſionem, & honores. *Abbas in capite, per venerabilem, qui filij ſint legitimi, numero* 3.

2 Quis dicitur filius legitimus?
Reſp. Ille qui naſcitur ex legitimo matrimonio. *gloſ. in inſtitut. de adoptionibus in principio, in verbo naturales.*

3 Quis dicitur filius naturalis?
Reſp. Ille, qui naſcitur ex ſoluto, & ſoluta, etiam ſi ſit vidua. *gloſſ. in capit. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.*

4 Qui dicitur illegitimus, vel ſpurius?
Reſp. Ille, qui naſcitur ex habente vxorem, & ſoluta, vel ille, cuius pater non cognoſcitur, vel ille, qui ex inceſtuoſis nuptijs naſcitur. *l. vulgo, ff. de ſtatu homin. & c. niſi cum, §. perſonæ verò, in gl. de renuntiatione. c. cauſam, il* 1. *qui filij ſint legit.*

5 Vnde dicitur ſpurius?
Reſp. A verbo græco, ſporas, quod eſt, vulgo conceptus, vel ſine patre cōceptus. *vt l. vulgo ff. de ſtatu hom.*

6 Quis dicitur filius ex inceſtuoſo, & ſacrilegio coitu natus?
Reſp. Ille, qui naſcitur ex filia, & patre vel parente in gradu prohibito, vel ex monacho, monacha, vel ſacerdote, quia iſti commitunt ſacrilegium.

7 Filius adoptiuus dicitur legitimus, vel naturalis?
Reſp. Legitimus, quia legitimo modo procreatus eſt. *gloſ. inſtit. de adoptionib. in princ.*

8 Naturalis quomodo legitimatur?
Reſp. Per matrimonium ſubſequens, & lucratur hæreditatem ſicut qui natus eſt poſt matrimonium. *c.* 1. *qui filij ſint legit. & capit. tanta eſt vis, eodem titulo noſtro.*

9 Quomodo probatur aliquem eſſe filium legitimū?
℞. Per longam cohabitationem patris, & matris ſuę, per famam inter vicinos, & cognatos, per educationem, tanquam de proprio filio, per teſtes, per librum coniugum, qui eſt in parochia, per librum batiſmi talis filij, vbi ſcribuntur patres, & patrini *Abb. in cap. lator, qui filij ſint legit. num.* 6. *l. in liberæ, ff. de ritu nuptiar. l. quidam. ff. de probationib.*

10 Filiatio ex parte patris quomodo probatur?
Reſp. Hoc eſt improbabile niſi per famam, & communem opinionem; quia mater certa eſt, pater verò, quem nuptiæ declarant. *Abb. in c. transmiſſæ nu.* 9. *qui filij ſint legitimi. l. quia ſemper, ff. de in ius voc.*

11 In quo caſu poteſt probari aliquem non eſſe patrem?
℞. In caſu, quo pater fuerit abſens tempore conceptionis. *l. filium. ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni iuris, & Abb. vbi ſupra.*

12 Abſente marito poteſt ne pronuntiari ſententia ſeparationis?
Reſp. Affirmatiuè, vt quando veniat, cum illa non ſe coniungant, præcipuè ſi in fraudem litis ſe abſentauit. *Abb. in c. perlatum. num.* 5. *qui fil. ſint legit.*

13 Si quis probet per teſtes eſſe natum ex legitimo matrimonio, & fama vicinorum ſit contraria, cui erit ſtandum?
Reſp. Probationi teſtium, quia plus eſt, quod in veritate agitur quàm quod ſimulatè concipitur *c. per tuas, eodem tit.*

14 Si pater, vel mater negent aliquem eſſe ſuum filium, poterit ne adire hæreditatem?
℞. Si talis probet ſe eſſe filium, poterit, aliàs præiudicatur, quia ipſi incumbit probatio. *Abb. in c. trāſmiſſæ. eod. tit. nu.* 4.

15 Si quis ſit in poſſeſſione, & habetur ab omnibus pro filio mariæ, & vt talis filius alitus, & educatus ſit, & poſtea maria dicat illum non eſſe ſuum filium vel ſui mariti, vel quòd ipſa furata ſit illum ab alia muliere tenetur ne ei credere Iudex?
Reſp. Non, cum ipſe ſit in tali poſſeſſione, à qua nō debet deponi niſi per probationem luce clariorem, & onus probandi non incumbit poſſidenti, & ſe obijcenti. *l.* 1. *§.* 2. *ff. de carboniano edicto. l. ſi poſthumus. §. fin. ff. de liberis, & poſthumis.*

16 Quali iudici competit cognitio legitimationis filiorum?
Reſp. Iudici Eccleſiaſtico. *Abb. in c.* 1 *qui fil. ſint legit. numero* 2.

17 Papa poteſt legitimare filios natos ex Clerico ſacerdote, vel monacho?
℞. Licèt hæc quæſtio ambigua ſi inter DD. tamen Abb. tenet non poſſe legitimare; quia matrimonium ratione voti ſolemnis inter Clericum, & mulierem nullum fuit, & ſic non cadit legitimatio, benè tamē poterit illum habilitare ad beneficium, & ordines *Abb. num.* 2 2 *in capit. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.*

18 Si Papa diſpenſet ſuper matrimonio, & de filijs antea habitis nulla fiat mentio, remanent ne filij illegitimi?
℞. Non, ſed legitimi, etiam quò ad honores, & hęreditatem, non enim præſumitur Papam id voluiſſe, vt filij priuentur priuilegio ſibi à iure conceſſo; quia ille, qui benignus, & liberalis eſt cum patribus, liberalis debet eſſe cum filijs, *Abb. in cap. referente. eod. tit. noſtro, num.* 4.

19 Papa quibus in terris legitimat quòd ad hæreditatem?
Reſp. In ſuis terris, in alienis verò legitimat quo ad honores, & præbendas Eccleſiaſticas, ſed quò ad hęreditatem, non quia hoc eſt iuriſdictionis temporalis, & ſic ad Reges pertinet. *Abb. in c. per venerabildm, eod. tit. num.* 1.

20 Principes ciuitatum non recognoſcentes ſuperiorem in temporalibus poſſunt ne exercere ea, quæ ſunt reſeruata Imperatori?
Reſp. Affirmatiuè in ſuis ſubditis. *Abb. num.* 16. *in c. per venerabilem.*

21 Rex Hiſpaniarum, & Galliæ recognóſcunt ſuperiores in temporalibus?
Reſp. Non, ideò faciunt legitimationes pro ſuo libitu. *gl. in c. Hadrianus. diſt.* 64. *Abb. vbi ſup. nu.* 9. *&* 37.

22 Si Pater moriatur, Princeps poterit legitimare illegiti-

legitimum ad ſucceſſionem hæreditatis in præiudi- tium agnatorum?
℞. Si pater viuat, vel moriens petat legitimari filiũ ſuum, Princeps poterit legitimare illegitimum ſine citatione agnatorum;ſi verò pater ſit mortuus,etiã- di ſunt agnati,quorum præiudicio agitur;ſi verò Prin ceps de plenitudine poteſtatis velit aliquem legiti- mare,poterit id facere ſine citatione alicuius; ratio eſt, quia ipſe nulli facit iniuriam reſtituendo alicui, quod ipſe per ſuas leges ei abſtulit. *Abb.vbi ſup.num. 29.in c.per venerabilem.*

23 Filij concepti ante ſeparationem, & nati poſt ſe- parationem erunt ne legitimi?
Reſp. In iſto caſu conceptus habetur pro nato. *Abb. in c.cum inter.nu.3. eod.tit.noſtro.*

24 Filius conceptus lite ſeparationis pendente, erit ne legitimus?
Reſp. Affirmatiuè, quia durante lite matrimonium non ſeparatur, & filius alterius coniugum illos facit legitimos. *Abb.vbi ſup.num.4.*

25 Filius legitimus, ſi habeat patrem illegitimum potest petere bona ſui aui?
Reſp. Licèt ſit legitimus, excluditur à ſucceſſione ſui aui;quia matrimonium patris ſui & matris ſuæ non facit illum habilem ad ſucceſſionem ſui aui. *Ab. in c. lator.nu.2. qui fil.ſint legit.*

26 Si quis ſit ſpurius natus de vxorata, & libero, & mortuo ſuo primo marito,ſecundò nubat libero,ta- lis ſpurius legitimatur ne per ſecundum matrimo- nium?
Reſp. Non,niſi per priuilegium habentis poteſtatẽ legitimandi. *c.tanta eſt vis. qui fil.ſint legit.*

27 Si quis ſit filius hominis chriſtiani, & mulieris in- fidelis, & ambo ſint liberi, legitimabitur ne per ſub- ſequens matrimonium?
Reſp. Licèt aliqui DD. teneãt partem affirmatiuã, tamen *Abb.in c.tanta eſt vis,eod.tit.n.14. & Io.Andr. tenent negatiuam*, quia tempore conceptionis tales non erant habiles ad contrahendum, etiam ſi acceſ- ſiſſet conſenſus, & ſic intelligunt, *text.in d.c.tanta,eod. tit.*

28 Si duo infideles ſint coniuncti in gradu prohibi- to,eorum filij poſt baptiſmum erunt ne legitimi?
Reſp. Si gradus ſit prohibitus iure Canonico, erunt legitimi,ſecus vero ſi impedimentum ſit prohibitum lege diuina; ratio eſt,quia infideles non aſtringuntur lege Canonica, ſed ſolùm diuina. *Abb.in c.fin.eodem tit.num.3.*

29 Si aliqua mulier per ſententiam diuortij propter aliquod impedimentum ſeparetur, & ſecũdo nubat, & habeat filium, & poſtea appareat impedimentum nullum fuiſſe, & ſententiam eſſe iniquam, talis filius erit ne legitimus?
Reſp. Licèt talis mulier ad ſuum primum maritum reuertatur,tamquam ad legitimum, tamen filius ſe- cundi mariti legitimus erit, etiam quò ad hæredita- tem,& honores,quia bona fides talem legitimum fe- cit. *Abb.in c.perlatum, eod.tit.nu.4.*

30 Si coniuges ſciant impedimentum dirimens ma- trimonium, & contrahunt in facie Eccleſiæ nullo contradicente, & poſtea ſeparentur, filij nati an- te ſententiam durante matrimonio erunt ne legiti- mi?
Reſp. Non, quia hic adfuit fraus,quæ nemini patro- cinatur. *c.ex tenore.eod.tit. & Abb. ibi.num.5.*

31 Si quis naſcatur ex matrimonio contracto contra iuſtitiam publicæ honeſtatis, erit ne legitimus?
Reſp. Non, quia impedimentum contra iuſtitiam publicæ honeſtatis dirimit matrimonium. *ex text. in c.referente,eod.tit.& Abb.ibi.num.2.*

32 Si aliqua mulier in facie Eccleſiæ inſcia cõtrahat cum viro habente vxorem, filius natus erit ne legiti- mus?
Reſp. Erit, & capax hæreditatis,quia bona fides ma- tris illum fecit legitimum. *capit.ex tenore. qui fil.ſint legitimi.*

CAPVT IV.

De Patria poteſtate.

1 IVs patriæ poteſtatis vnde oritur, & quis primus ſanciuit hanc legem?
Reſp. Plutarchus dicit,quòd Romulus primus inſti- tuit legem patriæ poteſtatis, tamquam maximum fundamentum Reipubl. Romanæ, & patria poteſtas oritur ex iure Romano,& ſic ſolum illi, qui ſunt ſub Romano Imperio gaudent priuilegio patriæ pote- ſtatis,vt tenet *Abbas in c.final. de conuerſ. infidelium, num. 5.*

2 Patria poteſtas quomodo definitur?
Reſp. Patria poteſtas eſt ius quoddã, per quod filij, & filię,cæterique deſcendentes per lineam maſculinã quò ad perſonas, & bona ſubijciuntur patri, & auo paterno etiam patre viuente quò ad certos effectus infra dicendos *l.nam ciuium, ff. de his,qui ſunt ſui, vel alieni iuris,§.1 inſtit.de patria poteſtate.*

3 Quare mater, neque auus maternus non habent ſupra filios,& filias ius patrię poteſtatis etiam mor- tuo patre, & auo paterno?
Reſp. Quia patria poteſtas ſolum aſcendit per lineã maſculinam,& cum auus maternus habeat ſuitatem cum ſua filia,& filia,quia eſt fęmina non habeat pa- triam poteſtatem in filios, neque in filias, ideò non poteſt communicare auo materno, quod ipſa non habet;matri enim de iure gentium,& de iure diuino debetur ſolùm à filijs; tàm fœminis, quam maſculis maxima obedientia,& reuerentia, *l.veluti,ff.de iuſtit. & iure.l.parentes.ff.de in ius vocando,§.feminæ inſtit. de adoption.*

4 Quare auus paternus habet in ſua poteſtate ſuos nepotes viuente eorum patre?
℞. Quia viuente auo pater eſt ſub eius poteſtate,& ideò, qui eſt ſubditus, non poteſt habere alium ſub ſe, & ideò viuente auo paterno nepotes, & pater eorum ſimul ſunt ſub poteſtate aui.4.*ff.de his,qui ſũt ſui, vel alieni iuris.§.ſed hodie inſtit. de adoption.*

5 Qui ſunt in poteſtate patris, vel aui?
℞. Filij, & filiæ legitimi procreati deſcendentes ex filio per lineam maſculinam. Tertiò filij naturales legitimati.Quartò filij adoptiui.*l.3.de ijs,qui ſunt ſui, vel alieni iuris,& l.4.eod.tit.§.fin.inſt.de patria poteſta- te,§.fin. inſt. de nuptijs.*

6 Qui dicuntur filij naturales,& quibus modis legi- timantur?

Reſp. Filius naturalis dicitur filius natus ex ſoluto, & ſoluta, etiam ſi ſit concubina domi retenta, vel extra domum alita, & legitimatur quatuor modis. Primo, per reſcriptum Principis, qui habeat in ſua patria ſupremam poteſtatem. Secundo, per ſubſequens matrimonium etiam contractum cum concubina in articulo mortis. Tertio, per oblationem curiæ, quod eſt quando quis offert filium ſuum in ſeruitio Reipublic. vel Principis, vt eo vtantur, & eius perſona fruantur in rebus neceſſarijs. Quarto, per ingreſſum alicuius Religionis. Quinto, per ſuſceptionem Ordinis ſacri. *capitul. tanta eſt vis matrimonij, qui fil. ſint legit. & ibi gloſſ. allegans plura iura. Inſtit. de nuptijs, §. final. leg. cum quis, Cod. de naturalibus liberis.*

7 Quare filij naturales nati ex concubina legitimätur per ſubſequens matrimonium, cum concubinatus ſit tám magnum peccatum, & non legitimantur filij illegitimi, vel ſpurij?

Reſp. Hoc priuilegium legitimationis datur virtute Sacramenti matrimonij, quod Sacramentum omnia vitia præterita purgat, & non datur virtute peccati præteriti cõcubinatus; ratio eſt, quia aliàs faueretur magis diuturno peccato concubinatus, ex quo natus eſt filius naturalis, quam peccato momentaneo, ex quo naſcitur filius illegitimus, vel ſpurius. *tenet Abb. in c. tanta eſt vis matrimonij, qui fil. ſint legit. & gl. in c. qualis 30. q. 5.*

8 Vnde dicuntur filij naturales?

Reſp. Dicuntur naturales quaſi dati à naturali coniunctione, & coitu viri, & mulieris, & non à matrimonio, & legitimis nuptijs; iſti enim vocantur legitimi, quia legitimè nati ſunt ſecundum Dei præceptũ. *c. nemo. c. meretrices 32. q. 4.*

9 Qui filij non ſunt in poteſtate patris, neque aui paterni?

Reſp. Primò, filij illegitimi nati ex illegitimo coitu, ſcilicet ex patre vxorato. Secundò, filij nati ex filia non ſunt in poteſtate aui materni. Tertiò, ſpurij, & nati ex inceſtuoſo & ſacrilego coitu, vt nati ex Clerico, monacho, vel moniali. Quartò nepotes nati ex filio emancipato non ſunt ſub poteſtate aui, ſed ſub poteſtate patris ſui, quia per emancipationem ſublata fuit poteſtas aui, *§. præterea. inſtit. quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluatur. l. cum legitimæ, ff. de ſtatu hominum.*

10 Quæ priuilegia acquirit pater pro patria poteſtate, & qui ſunt effectus patriæ poteſtatis?

℞. Licèt pater poterat antiquitus occidere filium, quia habebat ius vitæ, & mortis per *l. in ſuis, ff. de liberis, & poſthumis*, tamen, quia patria poteſtas debet conſiſtere in pietate, & non in atrocitate, hoc correctum fuit per legem in auditum. *ff. ad l. Cornel. de ſicarijs*, & ideò hodie patria poteſtas conſiſtit, Primò, in eo, quòd pater poteſt corrigere, emendare, & verberare filium cum debito hoc moderamine, & filius non poteſt repercutere patrem, eum verberantem; ratio eſt, quia vbi offenſio eſt licita, ibi defenſio eſt prohibita. *l. 3. Cod. de ijs, qui ad Eccleſiam confugiunt, & leg. vnica, Cod. de emendatione propinquorum, & l. 4. Cod. de patr. poteſt.* & etiam poteſt pater filium ſuum ingratum, & inobedientem exhæredare ex cauſis poſitis in authentica, vt cum de appellatione cognoſcitur. Secundò, pater poteſt filium inobediẽtem detinere domi in cubiculo clauſo loco carceris, vel incarcerare in carcere Regio ciuitatis, & Iudices tenentur filium emendare ſecundum voluntatem patris. *l. vnica. Cod. de emendatione propinquorum.* Tertiò, pater poterit filium vendere, & pignorare tempore famis, & neceſſitatis ea conditione, vt cum primum venerit ad pinguiorem fortunam, debeat eum liberare, & iterum redimere eum, & hoc priuilegium non conceditur auo, neque matri, ſed ſolum patri, quia eſt caput filiorum. *l. 2. C. de patribus, qui filios diſtraxerunt, & gl. ibi.* Quartò, filius non poteſt patrem in ius vocare, neque cum eo habere ciuilem litem ſine venia petita à patre, & hoc extenditur ad filium emancipatum, & ad mulierem. *l. fin. C. de in ius voc.* Quintò, inter patrem, & filium nulla poteſt eſſe lis niſi ſolùm de caſtrenſi peculio, & alimentis; ratio eſt, quia alimenta ſunt neceſſaria ad vitam. *l. lis nulla, ff. de iudicijs.* Sextò, inter patrem, & filium, neque per ſcripturam, neque per contractum, neque per verba naſcitur ciuilis obligatio; ratio eſt, quia pater, & filius, dum eſt ſub poteſtate eius fictione iuris pro vna, eademque perſona cenſentur, & nullus cum ſe ipſo obligatur, & obligatio requirit duas perſonas diſtinctas, promittentem, & acceptantem. *§. item inutilis inſt. de inutilibus ſtipulationibus, & l. fin. Cod. de impuberum. & alijs ſubſtitutionibus.* Septimò, filius familias non poteſt ſine licentia patris contra aliquem in cauſa ciuili coram iudice agere, ſecus verò in cauſa criminali, vbi non requiritur patris licentia, ratio eſt, quia in criminali agitur de publico intereſſe, in quo pater nullam habet poteſtatem. *l. fi. C. de bon. quæ lib.* Octauò, filius de iure ciuili antiquitus non poterat ducere vxorem ſine conſenſu patris; ſecus verò de iure Canonico, vbi ſolo conſenſu viri, & mulieris fit verum matrimonium. *§. 1. Inſtitut. de nuptijs, & c. 1. & 2. de coniugio ſeruorum.* Nonò, filius familias non poteſt facere teſtamentum, neque codicillum ſine conſenſu patris niſi ſolum de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, & quæ ſint iſta bona, & quod ſit peculium, dixi *lib. 9. capit. 23. de his, qui non poſſunt condere teſtamentum. l. penult. & fin. Co. de his, qui non poſſunt condere teſtamentum.* Decimò, filius in poteſtate patris non poteſt facere donationem, etiam cauſa mortis, etiã propter nuptias ſine expreſſo conſenſu patris; ratio eſt, quia cum omnia bona ſint patris, filius non habet rem alienam. *leg. tam is, §. 1. ff. de donationibus cauſa mortis.* Vndecimò, ſi filius ab aliquo detineatur oppreſſus, vel captiuus, vel alicui ſeruiat ſcriptura per annum, pater poterit vendicare, & petere filium ſuum tamquam rem ſuam propriam, *ff. de liberis exhibendis per totum.* Duodecimò, ſi filius habeat in poteſtate patris bona aduentitia, veluti ex dote ſuæ matris, vel ex donatione, & liberalitate alicuius, pater poterit ipſo inuito adminiſtrare illa bona. *leg. cum venerandæ, Cod. de bonis, quæ liberis, §. 1. Inſtitutis per quas perſonas nobis acquiritur.* Decimotertiò, quod pater ſi velit facere teſtamentum, neceſſariò debet inſtituere non ſolùm filium natum, ſed etiam poſthumum hæredem, vel illos ex cauſa exhæredare, alias teſtamentum patris non valet; ratio eſt, quia per abortum non rumpitur teſtamentũ, ſed per liberum poſthumum, ſi naſcatur viuus, rumpitur teſtamentum, quia eſt filius illius hominis mortui tamquam filius, qui natus fuit viuo patre. *l. 2. & 3. C. de poſthu. hæred. inſtit. inter cætera, ff. de lib. & poſthu.*

poſthum.§.poſthumi,inſtitut.de exhæred.liber. Decimoquartò, quidquid acquirit filius, acquirit pater, excipitur peculium caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe, de quo infra dicemus, §. 1. inſtitut. per quas perſonas nobis acquiritur. leg. prima, Cod. de caſtrenſi peculio libro 12.

11 Quare de iure Romanorum erat permiſſus concubinatus, vt in toto tit.ff de concubinis?

Reſp. Propter multiplicationem Reipub. quia Romani exiſtimabant multiplicationem hominum eſſe neceſſariam ad augendam gloriam Reipublicæ. Secundò, quia naturales habent plurima priuilegia, & in pauco differunt à legitimis,& quia melius cognoſcitur filius naturalis natus ex concubina domi retēta loco vxoris, quàm ſi naſcatur à meretrice, vel ex muliere ſoluta,quæ extra domum habet ſuam libertatem, ideò permiſſus fuit concubinatus, ſed hodie de iure Canonico prohibitum eſt crimen concubinatus,& grauiter punitur à Trid.ſyn. vt dixi lib.5.cap.de concubinarijs,& eſt textus c.nemo.capite,meretrices.32. quæſt.4.

12 Quæ Prouincia eſt magis felicior, illa, quæ abundat auro,& argento,vel illa,quæ abundat multitudine hominum?

℟. Licet auro,& argento omnia emantur,tamen felicior eſt Prouincia, quæ abundat multitudine hominum, quàm illa, quæ abundat auro, & argento; ratiò eſt, quia cùm hominibus meliùs conſeruatur, & defenditur ab inimicis,imò acquirit noua Regna, & Prouincia, vt fecerunt Romani, qui ferè totum Orbem ſub ſuo iugo, & poteſtate poſuerunt, & Hiſpaniæ cum plenæ erant incolis, & hominibus, Indiam Orientalem, & Occidentalem, & ferè dimidiam partem Orbis ad Religionem Chriſtianam nationes illas efferatas reduxerunt, & ſub Imperio Regis Hiſpaniarum poſuerunt,quod regnum hodie gubernatur in magna pace, & tranquillitate cum magno Dei honore, & gloria.

13 Adoptio quare fuit permiſſa à iure?

Reſp. Ad ſupplendum defectum naturæ, & ſterilitatis hominum,vt ille, qui non poterat habere filios legitimos, neque naturales, eligeret filium ſibi bene viſum, vt haberet ſolatium ſuæ ſucceſſionis; ratio eſt, quia miſerrimum eſt non habere ſucceſſorem poſt ſe,qui conſeruet memoriam,& nomen, & fruatur bonis, quæ aliquis in hac vita acquiſiuit, & ideò inter Romanos adoptio erat vſitata,& Adrianus Imperator adoptauit Marcum Aurelium, qui fuit in bello ſtrenuus Dux, in pace ſapientiſſimus Gubernator, & cum omnium laude obtinuit clauum Imperij Romani, vt habetur in toto tit.ff. de adoptionibus, & cap. de adopt.

14 Vnde dicitur peculium, & quid eſt?

Reſp. peculium dicitur à pecude, quia ſicut pecus dat vtilitatem, ſic peculium dat vtilitatem habenti, & peculium propriè eſt illa pecunia,quę repoſita eſt ad conſeruationem, & augmentum bonorum mobilium,& immobilium,ſed in iure ſumitur pro illis bonis,quę quis ſua induſtria acquirit,ſiue ſint pecunię, ſiue bona mobilia,vt veſtes,argentum,equi; ſiue ſint immobilia, vt ager, fundum, vel domus, quæ omnia poſſeſſa à filio familias vocantur peculium, quaſi quid ſeparatum à bonis,& diuitijs,quas pater habet dandas filio poſt eius mortem,vt in tot.tit.Cod.de caſtrenſi peculio lib. 12.

15 Quæ ſunt differentiæ peculiorum?

Reſp. primò,eſt peculium caſtrenſ. Secundò,peculium quaſi caſtrenſe. Tertiò, peculium paganicum. Quartò,peculium profectitium. Quintò,aduentitiū, vt in toto tit.C.de caſtrenſe peculio,& l.aduocati.Co.de aduocatis diuerſorum iudiciorum.

16 Quod eſt peculium caſtrenſe,& quam partem habet in eo pater?

℟. peculium caſtrenſe eſt, quod filius familias acquirit in bello ſua fortitudine,& virtute,& in hoc peculio,etiam ſi ſint magnæ diuitiæ, filius acquirit ſibi proprietatem, & vſum fructuum, & poteſt de eo liberè teſtari etiam patre non conſentiente; ratio eſt, quia militia eſt maxima gloria hominum, & quod acquiritur in bello,acquiritur cum magno vitę periculo, & abſque aliquo labore, vel interuentu patris. L.1.C.de caſtrenſi peculio lib.12.

17 Quod eſt peculium quaſi caſtrenſe, & quid habet pater in eo?

Reſp. Peculium quaſi caſtrenſe ſunt illa bona, quæ filius familias acquirit ſuo ingenio, labore, & ſcientia, vt ex profeſſione artium liberalium, ex adminiſtratione officiorum publicorum, ex ſacerdotio, vel ex officio poſtulandi, vel legendi publicè in ſcholis, & merito hoc peculium habet eamdem libertatem ſicut peculium Caſtrenſe; cum Cicero dicat; cedant arma togæ, concedant laurea linguæ, & ſic filiusfamilias poteſt de iſto peculio liberè teſtari etiam patre nolente,quia ipſe ſibi acquiſiuit vſum fructuum, & proprietatem, leg.aduocati. Cod.de aduocatis diuerſorum iudiciorum, & ibi Bartol. & Bald. & omnes ſcribentes.

18 Quod eſt peculium paganicum,& quid habet pater in eo?

Reſp. Eſt illa pecunia, & illa bona, quæ filius familias acquirit ſua induſtria viuente patre, & conſentiente, vt ſi pater ſit agricola, & filius familias vltra ſementem patris ipſe ſeminet aliquam quantitatem, & quod collegerit ſeorſim ſibi reponat, vel ſi pater ſit paſtor ouium, & filius habeat viginti oues vltra oues ſui patris, vel ſi ſit mercator, vltra merces patris habeat aliquas merces ſeparatas, augmentum, & fructus iſtarum rerum, & ipſæ res ſimul in vnum vocantur peculium paganicum, & in iſto peculio ſi pater voluerit, habet vſum fructuum.gloſ.in l.cū oportet.C.de bonis, quæ liberis.

19 Quid eſt peculium profectitium, & quam poteſtatem habet pater in eo?

℟. peculium profectitium dicitur, quando à patre, vel domino filio, vel ſeruo conceditur aliqua pecunia, vel aliqua bona deducta ex ſubſtantia, vel à rebus paternis, vt ſi pater dicat filio; vel dominus ſeruo ex mea ſubſtantia do tibi centum aureos, vt cum eis negotieris, vel do tibi agrum, in quo poſſis ſeminare,& quod acquiſiueris,do tibi in peculium tuum, & in illo peculio pater habet vſum fructuū, & proprietatem, & filius de eo non poteſt teſtari ſine licentia patris; ratio eſt,quia quod ex patre emanat, & ex eius ſubſtantia, iuſtum eſt, vt ad eum reuertatur,& non ad extraneos,ne virtus liberalitatis faciat eum peioris conditionis. §.primo,inſtit.per quas perſonas nobis acquiritur gloſ.in l.cum oportet.C.de bonis,quæ liberis.

20 Quod eſt peculium aduentitium, & quam poteſtatem habet in eo pater?

Reſp. Peculium aduentitiũ eſt illud, quod filio venit non ex ſubſtantia patris, neque ſuo labore, & ingenio, ſed fortè ex dote matris, vel ex donatione ſibi acta ab aliquo conſanguineo, vel ab extraneo, vel ex ſucceſſione alicuius conſanguinei, vel ex liberalitate Domini, vel Principis, vel ex fortuna, vt ſi inueniat theſaurum in agris, vel mineralia auri, hæc omnia dicuntur peculia aduentitia, quia adueniũt ſine aliqua induſtria, vel labore patris, & filij, ſed ſolùm fortuito, in iſto peculio pater, ſi vult, habet vſum fructuũ, dum viuit, & filius proprietatem, & ſic viuente patre poterit filius teſtari de ſola proprietate; ratio eſt, quia hoc peculium iudicatur habere naturam cæterorum bonorum filij familias, & ſic debent adminiſtrari à patre, & ipſe habet vſum fructuum. *l.ſi. C.de inofficioſo teſtamento.l.cum oportet. C.de bonis, quæ liberis.l.cum multa.C. eod.*

21 Filius vſque ad quod tẽpus debet lactari à matre?
Reſp. Vſque ad triennium, niſi ſit nobilis, tũc enim traditur alendus alteri mulieri, ne mulier nobilis infirmetur, & ſolui ſtipendium nutrici debet à patre, quia ipſe tenetur alere filios. *tenet Abb. c.ſin. de conuerſione infidelium, num.4.*

22 Pater vſque ad quod tempus tenetur alere filium ſuum?
℞. Vſque ad tempus, in quo poſſit filius laborare ſuis manibus, & ſe alere, niſi ſit vir nobilis, cui non licet laborare, tunc enim debet pater eum ſubſtentare vſque ad tempus, in quo filius acquirit pro ſua perſona aliquam dignitatem, vel officium, cum quo poſſit ſe ſubſtentare ſecundum qualitatem ſuæ nobilitatis, ſed in iſto caſu quælibet Prouincia habet leges, & conſuetudines de alimentis filiorum, quæ ſunt obſeruandæ. *tenet Abb. in c.ſin.de conuerſione infidelium, num.5.*

23 Si aliqua mulier vxorata tempore conceptionis ſit ſcortum, & admittat alienos viros, filius poſtea natus, erit ne legitimus, vel illegitimus?
Reſp. Si tempore conceptionis vir non erat abſens, ſed habitabat in domo cum vxore, licèt dormiant in lecto ſeparato, filius natus præſumitur legitimus, & in fauorem illius infantis iudicandum eſt, tàm ad Ordines ſuſcipiendos, quàm ad bona hæreditanda, & ad ſucceſſionem, & ad nobilitatem, & alios honores; ratio eſt, propter magnam vim matrimonij, & quia lex ciuilis dicit mater certa, pater verò, quem nuptię declarant. *tenet Abb.in cap. intelleximus de adulterijs, num. 7.*

24 Cum illegitimo poteſt Epiſcopus diſpenſare quò ad Ordines?
Reſp. Poteſt Epiſcopus diſpenſare ſolum ad Ordines minores, non verò ad beneficium curatum, neque canonicatum; ratio eſt, quia cum ad hæc beneficia requiruntur maiores qualitates, Papa ſibi reſeruauit, vt latè diximus *libro 1.capit. de diſpenſationibus in Ordinibus, & tenet Abb.cap.1.de filijs presbyterorum.n. 1.& 3.*

25 Illegitimus diſpenſatus poteſt eſſe Summus Pontifex?
Reſp. Filius illegitimus legitimè diſpenſatus in nihilo differt à filio legitimo, & ſic poteſt eſſe Summus Pontifex, & habere omnes dignitates Mundi, tàm Eccleſiaſticas, quàm ſæculares. *tenet Abb. in cap.per venerabilem, qui filij ſint legitimi, num.5.*

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER VNDECIMVS CONTINENS MATERIAS LIBRI QVINTI DECRETALIVM,

De quibus hactenus non eſt Tractatum.

CAPVT PRIMVM.

De accuſationibus, inquiſitionibus, & denunciationibus.

1 QVid eſt Denunciatio?
℞. Crimen alicuius ſuperiori nunciari, vel eſt delatio alicuius criminis facta apud Iudicem legitimè. *Hoſtienſis in ſumma, de denunciationibus.*

2 Quotuplex eſt denũciatio?
Reſp. Duplex. Prima pœnitentialis, & Euangelica admonitio, & ad iſtam quilibet admittitur. Secunda eſt Canonica, ſcilicet in iudicio aliquem denunciare, & ad iſtam non omnes admittuntur, ſed idonei. *Hoſtienſ. in ſum. titulo de accuſationibus, rubr. de denunt.* §. 1.

3 Ad denunciandum aliquem ante Iudicem, quid requiritur?
Reſp. Vt præcedat admonitio charitatiua, & Euangelica, aliàs denuntians non debet admitti. *cap. ſi quis Epiſcopus, de accuſat.*

4 Hæc admonitio requiritur in cauſis ciuilibus?
Reſp. De neceſſitate, nõ, ſed ſolùm in criminalibus. *cap. licèt, de ſimonia, & gloſſ. ibi. Abb. cap. 2. de accuſat. num.* 4.

5 Quis repellitur à denunciatione?
Reſp. Publicus excommunicatus, concubinarius, conſpirator, qui non præmonuit ſecundùm legem Euangelicam. *capit. cum dilectus filius, de accuſationibus.*

6 Si ſuperior fuit denunciatus per ſubditum, poterit ne contra ipſum procedere?
Reſp. Non, nè fortè ſe vindicet, & procedat cum paſſione. *Abbas cap. cum dilectus, de accuſation. numero* 4.

7 Quid eſt Inquiſitio?
Reſp. Inueſtigatio alicuius criminis inferioris, facta per ſuperiorem. *Hoſtienſ. in rubric. de inquiſitionibus. num.* 1.

8 De occultis debet fieri inquiſitio?
℞. Non, neque de occultis iuratur. *c. qualiter, de accuſat. ibi gloſſ.*

9 Inquiſitio quomodo debet fieri?
Reſp. Si eſt Iudex ordinarius, faciendo primò inquiſitionem de fama; ſi eſt delegatus, ſeruando formam mandati. *c. qualiter de accuſat. Abb. c. cum oporteat, nu.* 8. *eod. tit.*

10 Si fiat inquiſitio de fama alicuius, poterit talis probare ſuam bonam famam, & ſic obuiare, ne deueniatur ad inquiſitionem ſuper delicto?
℞. Variæ ſunt opiniones, Tiraquellus tenet parten affirmatiuam, & *Abb. in c. cum oporteat nu. 10. de accuſat.* tenet negatiuam, quia ſi decem dicant eſſe malæ famæ, & centum eſſe bonæ famæ, & ille talis nihilominus infamatus eſt apud illos decem.

11 Ad inquiſitionem ex officio directo requiritur, vt præcedat infamia?
Reſp. Si inquiſitio generalis, vel particularis ſit facta non ad imponendam pœnam, non requiritur, vt præcedat infamia, quia eſt ad corrigendum charitatiuè. *c. cum venerabilis, de cenſib. in c. qualiter, de accuſat. ibi gloſ.*

12 Inquiſitio facta ad denunciationem fiſci, vel officialis requirit ne, vt præcedat infamia?
Reſp. Non *c. præterea. de teſtib. cogend.*

13 Quę differentia eſt inter inquiſitionem factam ex officio Iudicis, vel ad inſtantiam partis?
Reſp. Primo, quando proceditur ex mero officio recipitur iuramentum à reo inquiſito, quando proceditur ad inſtantiam partis, priùs pars debet probare ſuam actionem, & producere ſuos teſtes, ne reu inſtituatur. Secundò, ſi procedit ex officio, non tenetur recipere probationem ſuper fama, ſicut tenetur, ſi procedit ad inſtantiam partis. Tertiò, ſi procedit ad inſtantiam alterius, admittitur probatio ſuper bona fama. Quartò, quando procedit ad inſtantiam partis, fit lis conteſtatiua cum actore, ſecus, ſi procedat ex officio.

14 Fama mala per quos teſtes probatur?
Reſp. Per duos teſtes maiores omni exceptione, qui dicant ſe ab omnibus audiuiſſe, talem habere famam. *cap. inquiſitionis, de accuſat. §. quæſiuiſti, ibi Abb. num.* 4.

15 Fama bona quomodo ſumitur?
Reſp. A maiori parte vicinorum, & à viris bonis, &

grauibus, non à vilibus, & malitioſis; imò ab ijs laudari eſt infamia; quia videtur, quòd laudant complicem. *Abb. in c. inquiſitionis. §. quæſiuiſti. nu. 6. de accuſat.* *Cic.* dicit laudari à bonis, & vituperari à malis eam laudem eſſe maiores noſtri cenſuerunt.

16 Per teſtes viles, & infames inducitur ne infamia?
Reſp. Non, *Abb. cap. inquiſitionis. §. quæſiuiſti. eodem tit. num. 5.*

17 Quis dicitur accuſator?
Reſp. Ille, qui aliquem vocat coram Iudice ad quæſtionem criminalem. *c. forus, de verb. ſign.*

18 Qui eſt accuſatus de aliquo crimine, debet ne ad honores promoueri?
Reſp. Non, antequam ab accuſatione liberetur. *text. in c. omnipotens, de accuſation.*

19 Quid eſt infamia?
Reſp. Eſt quædam opinio communis mala orta ex indicijs, & ſuſpitionibus pronuntiata ab aliquibus.

20 Quotuplex eſt infamia?
Reſp. Duplex, alia iuris, alia facti.

21 Accuſatus, vel denuntiatus, pendente ſua accuſatione debet ne frui ſuis dignitatibus?
Reſp. Debet, quia eſt ius antea acquiſitum, quo priuari non debet, niſi per ſententiam. *text. in c. ſæpe, de appell. & ibi gloſſ.*

22 Quæ eſt iuris?
Reſp. Ebrietas, latrocinium, tradimentum, aſſaſſinium, vel præco, carnifex, & cæteri, qui exercent officia vilia, quia omnes iſti iure ſunt infames. *DD. in l. 1. ff. quibus ex cauſ. infamia irrogatur.*

23 Accuſatus, & inquiſitus poſſunt, pendente accuſatione, eligi in dignitatem?
Reſp. Diuerſæ ſunt opiniones. *Innoc. capit. 19. de ſimonia tenet poſſe, ſed Hoſtienſis tenet contrarium in hoc text. ſed Abb. in cap. omnipotens. de accuſat. diſtinguit dicens*, ſi in accuſato, vel inquiſito præceſſit infamia, non poteſt eligi, quia infamatus eligi non poteſt. *c. infamibus, de reg. iur. in 6. vel non præceſſit, & tunc eligi poteſt.*

24 Quæ eſt infamia facti?
Reſp. Primo, quando apud probos viros eſt opinio de crimine alicuius, quod crimen inducit infamiam. Secundò, quando aliquis vir bonus patitur opprobrium, vel ignominiam ab altero, vt ſi accipiat alapam, cædatur ligno, dicatur illi verbum iniurioſum, quæ omnia reputantur à mundanis pro infamia, licèt in iure non ſint infames. *DD. d. c. infamib.*

25 In criminalibus quis eſt ne audiendus per procuratorem?
Reſp. Non, quia crimen eſt quædam actio perſonalis rei, & pro ſe ſatisfacere debet. *Abb. in c. nulli, num. 4. & c. veniens, de accuſat. num. 1.*

26 Quæ differentia eſt inter infamiam iuris, & infamiam facti?
Reſp. Magna, nam infamia iuris priuat homines honoribus; infamia verò facti ſæpè eſt actus meritorius, & hæroicæ virtutis; nam condonare iniurias inimico, ferre patienter opprobria ad imitationem Chriſti, eſt actus meritorius, & non priuat honoribus temporalibus, imò auget meritum. *vt teſtantur verba Euangelica.*

27 Si Prælatus dilapidet bona ſuæ menſæ, poteſt ne accuſari?
Reſp. Poteſt, & durante negotio prohibetur, & alienatio bonorum exceptis his, quæ conſeruari nõ poſſunt. *c. prælatorum exceſſus, de accuſationibus.*

28 Poteſt quilibet homo eſſe accuſator alterius?
Reſp. Non, ſed debet eſſe legitimus, aliàs accuſatio nulla eſt. *c. 1. eod. tit.*

29 Accuſatio à quo debet fieri?
℞. Solùm ab ijs, quorum intereſt. *capite, illa, eod. tit.*

30 Quis eſt legitimus accuſator?
Reſp. Fiſcalis, pars læſa, vir bonus, omni exceptione maior.

31 Quis non eſt legitimus accuſator, vel denuntiator?
Reſp. Fœmina, pupillus crimioſus, ſuſpectus, corruptus, ebrioſus, ſortilegus, infamis, ſeruus, pauper libertus, ſocius inimicus, neque clericus contra ſuam Eccleſiam. *gl. in c. 1. de accuſat. c. ſi conſtiterit. eod. tit.*

32 Quæ paupertas repellitur ad accuſandum?
Reſp. Illa, quæ non habet in bonis quinquaginta aureos. *2. quæſt. 1. capit. prohibentur, ſed hoc relinquitur arbitrio iudicis. gloſſ. in capit. fin. de ſententia. & re iudic. lib. 6.*

33 Iſti omnes, qui prohibentur accuſare, in quibus caſibus debent admitti?
Reſp. In propria cauſa, & iniuria. *Abb. in c. 1. de accuſ. num. 3.*

34 Exceptio de illegitimatione perſonæ poſita accuſatori, eſt ne dilatoria, an peremptoria?
Reſp. Eſt dilatoria, & debet poni ante litis conteſtationem, niſi conſtet ante non veniſſe ad ſuam notitiam. *Abb. c. 2. de accuſat. nu. 2.*

35 Si quis habitat cum inimico meo poteſt ne repelli ab accuſatione?
Reſp. Poteſt, & debet repelli, quia ex habitatione, & conuerſatione eſt mihi ſuſpectus, ſicut inimicus meus. *c. repellantur, de accuſat.*

36 Ignorantia quomodo probatur?
Reſp. Ignorantia animi per iuramentum, & rei per abſentiam ab illo loco per probationem, quæ erat minor tempore, quo ſucceſſit talis res. *gl. in l. pen. C. de pericul. tutor.*

37 Quomodo probatur amicitia, & inimicitia?
Reſp. Ex coniecturis, & frequenti conuerſatione. *l. latæ culpæ. ff. de verb. ſign. Abb. in c. repellantur, num. 2. eod. tit. noſtro.*

38 Quæ inimicitia repellitur ab accuſatione?
Reſp. Non quælibet, ſed ſolùm capitalis. *Abb. in c. repellantur. nu. 4. eod. tit. de accuſ.*

39 Quando dicitur inimicitia capitalis?
Reſp. Quando quis minatus eſt mortem, vel accuſauit criminaliter, vel quando eſt contentio de maiori parte bonorum, ſiue ſit iuſta cauſa litigandi, ſiue non. *gl. in c. cum oporteat. eod. tit. l. licèt ff. de arbitris. authent. de teſt. §. ſi verò. & ibi gl. vt refert Abb. in cap. repellantur ſup. cit. nu. 4.*

40 Abſolutus de vno crimine, poterit ne de eodẽ iterum accuſari?
Reſp. Non, quia crimina ſemel dimiſſa per ſententiam, iterum vindicari non debent. *c. de his criminibus eod. tit. de accuſat.*

41 Laici poſſunt accuſare Clericos criminaliter?
Reſp. Non. *c. cum pater, de accuſat.*

42 Quando poteſt laicus criminaliter Clericum accuſare?
℞. Quoties vult ſuam, vel ſuorum iniuriam vindicare, vel proſequi. *Abb. in c. de cætero, de teſtib.*

43 Monachus poteſt accuſare ſuum Abbatem?

℞. po-

Reſp. Poteſt,& de bonis monaſterij habebit expenſas, licèt malè faciat,niſi faciat ſolo zelo iuſtitiæ.*tex. in c.ex parte, de accuſ.*

44 Quando debet ſubditus, vel Monachus accuſare Superiorem?
Reſp. Quando delictum eſt ſcandaloſum, & publicum, & tangit honorem religioſorum, & poſtquam eum ſecretè admonuit ſecundum legem Euangelicã, & non ſe emendauit. *c. ſi quis Epiſcopus, & c.qualiter. de accuſ.c.2.de calumniatoribus.*

45 Si quis ſit accuſatus ab illegitimo accuſatore, ipſo repulſo poterit nè iterum ab alio legitimo accuſari?
Reſp. Poterit, ne delicta impunita maneant. *Abb. in cap.cum pater,de accuſat. nu.4.*

46 Iudex poteſt de ſe repellere illegitimum accuſatorem?
Reſp. Poteſt,licèt exceptio non ponatur apertè,quia accuſatio eſt res odioſa, & reſpicit honorem iudicis, & commune bonum, vt accuſationibus falſis aures non dentur, & viri innocentes, & boni non perturbentur. *Abb. c.1.eod.tit.num.13.*

47 Si iudicium fiat cum accuſatore illegitimo, tenebit nè?
Reſp. Si non opponatur exceptio accuſatori in progreſſu litis ante litis conteſtationem, tenebit iudicium. *Abb.in c.1.de accuſ.nu.15.*

48 In citatione debet nè declarari crimen, propter quod citatur?
Reſp. Non, ne manifeſtum fiat,& reus occultetur. *Bart. in l.inter accuſatorem, ff.de publicis iudicijs.*

49 De notorio crimine poteſt nè Iudex procedere ſine accuſatore?
Reſp. Poteſt, quia notoria non indigent delatore. *text.in c.euidentia.de accuſ.*

50 Quod dicitur notorium crimen?
Reſp. Quod ſemper à maiori parte populi ſcitur. *gl. in c.2.de verbor.ſign.lib.6.verſ.manifeſtum.*

51 Mutua accuſatio duorum admittitur nè?
Reſp. Non, niſi prima, quia præſupponitur ſecunda facta in vindictam, & non ex bono zelo. *cap.cum pater, ſe accuſ.ibi gl.*

52 Punitus à Iudice Eccleſiaſtico de crimine, poteſt nè de eodem crimine à Iudice ſeculari iterum puniri?
Reſp. Si crimen ſit mixti fori,& in illo ſit pœna legalis, poterit iterum puniri. *c.felicis.de pœnis.in 6.*

53 Sententia criminalis afflictiua corporis tranſit nè in rem iudicatam?
Reſp. Si ſit liberatoria, ſiue condemnatoria leuis in crimine grauiſſimo tranſit in rem iudicatam in fauorem eorum. *Abb.in c.de ijs, nu. 2.de accuſ.*

54 Si quis abſolutus ſit in foro pœnitentiali, non poteſt accuſari, & puniri in foro iudiciali?
Reſp. poteſt,quia forum eſt diſtinctum, & delictum debet puniri propter ſatisfationem partis, & publicam vtilitatem. *Abb.c.accuſaſti.de accuſat.num.2.l.1. C.his quibus vt indignis.*

55 Prælatus quomodo debet procedere contra ſubditum ſuum?
℟.Non ex odio,ſed ex charitate,& debet illum prius admonere, & poſtea tradere capitula, & audire eius defenſiones. *c.qualiter, il ſecondo, de accuſat. & Abbas ibi.*

56 Si duo Clerici dicant aliquem commiſiſſe delictũ, & duo laici dicant non commiſiſſe, quibus, ſtandum eſt?
Reſp. Laicis, licèt ſint teſtes minus idonei,quia deponunt in fauorem rei, cui ius fauet. *Abb.in cap.cum pater Manconella,de accuſ.nu.13.*

57 Teſtis, qui dixit in vna cauſa criminali, poteſt recipi contra eundem in alia?
Reſp. Non prohibetur recipi talis, quia hoc non eſt cauſa vnde poſſit repelli. *Abb.vbi ſup.nu. 14.c.placuit. §. item in criminali.4.q.3.gloſ.4.cap.preterea de teſtibus congend.*

58 Si aliquis famulus accuſet ſuum Dominum, poterit nè Dominus opponere illi exceptionem infamiæ?
Reſp. Non, quia ipſe iam approbauit eum habens illum in ſua domo, & hoc currit in caſu, quòd paulo antea cum expulerit, & Iudex de ſuo officio poterit eum repellere, & ſupplere partis impotentiam. *Abb. in c.nulli de accuſ.nu.6.*

59 Teſtis ſingularis ſufficit nè ad probandam accuſationem?
Reſp. Non. *c.cum.dilecti,de accuſat.*

60 Eſt ne licitum alicui deſiſtere ab accuſatione ſine pœna?
Reſp. Affirmatiuè, & ante inſcriptionem, & poſt, poteſt ſe ſeparare, & remittere iniuriam,vel actionẽ ſine pęna. *c.licet,de accuſat.*

61 Quid requiritur, vt procedatur contra prælatum, vel Superiorem?
Reſp. Vt præcedat infamia, quæ ſcandalum poſſit afferre, aliàs non debet procedi propter honorem prælatiæ. *Abb.in c.qualiter il 2. de accuſat.num.9.*

62 In criminalibus admittuntur nè conſanguinei in teſtes?
Reſp. Non ſi agitur criminaliter ſecus autem, ſi agitur de crimine ciuiliter. *c.1.de teſtib.*

63 Quæ conſtitutio poſuit pœnam non probantibus ſuam accuſationem?
Reſp. Lex. 1.*ff.ad Turpillianum poſuit pęnam.*

64 Quando crimen per denuntiationem probatur, quomodo punitur?
Reſp. Mitiùs, quàm ſi probaretur per accuſationẽ, quia non debet dari pęna ordinaria. *c.inquiſitionis, de accuſat.*

65 Quando crimen non probatur quid aſt agendum?
Reſp. Si accuſatus fuit infamatus, inducitur ei purgatio canonica; ſi non eſt infamatus, liberatur, & accuſans condemnetur propter honorem *accuſati.c. cum oporteat, de accuſ.*

66 Quam pœnam habet calumniator?
Reſp. Pœnam talionis, & priuatur beneficio,& ordine ſi fuerit Clericus, & aliquando verberatur. *c.2.de calumniator.*

67 Semiplena probatio ad quid prodeſt?
Reſp. Excuſat accuſatorem a calumnia, vel a pęna talionis. *c.1.de electione.lib.6.Abb.in capit.qualiter de accuſationib.nu.22.*

68 Si quis vult accuſare aliquem de falſo, intra quod tempus debet accuſare?
Reſp. A Iudice debet illi dari terminus peremptorius, & eo elapſo amplius non admittitur, cum accuſatio ſit res odioſa.*cap.accepimus,de fide inſtrument.& Abb.ibi nu.3.*

69 Denuntiator ſi deficiat in probatione criminis, qua pęna punitur?
Reſp. Priuatione officij, & beneficij, donec probet innocen-

innocentiam ſuam. *cap.cum dilectus de calum.*

70 Quando datur aliqua littera ſecretò etiam ſubſcripta manu aliquorum contra Epiſcopum, vel alium, quid agendum?

Reſp. Si talis,contra quem datur nulla laboret infamia nulli teſtes debent recipi de tali delicto, neque eum perturbare. *c. inquiſitionis §.tertiæ dubitationis.de accuſat.*

71 Qui dant cedulas, & litteras de delictis occultis ſine nomine,& ſubſcriptione,qua pœna puniūtur?

Reſp. Grauiſſima pœna, & debent puniri tanquam illi,qui faciunt libellos infamatorios.*c.quidam.5.q.1. & gloſ.in c.Inquiſitionis.verb.in occulto.§. tertiæ dubitationis.*

CAPVT II.

De Calumniatoribus.

1 QVis dicitur calumniator?

Reſp. Ille, qui falsò aliquod crimen imponit alicui.

2 Quis preſumitur calumniator?

℞. Omnis denuntiator vel accuſator, qui non probat ſuam accuſationem. *Abb.in c.2.de calum.nu.8.*

3 Quam pœnam habet calumniator?

Reſp. De iure pęnam talionis, quam penam inſtituit Damaſus Papa natione Hiſpanus, *c.1.eod. tit. c. calumniator.2.quæſt.3.*

4 Qui calumniatur Epiſcopum proprium, vel Prælatum, qua pęna punitur?

Reſp. Si calumnia ſit contra perſonam, vel honorē proprij Epiſcopi, vel Prælati ſiue in re parua, ſiue in re graui, ſi eſt Clericus deponitur prima vice, ſecundo degradatur, & traditur curiæ ſæculari tanquam incorrigibilis, ſi ſint ſæculares excommunicantur, & puniuntur pęna talionis. *Abb.c. cum non ab homine. num.3.& 6.de iudicijs.c.fin.de teſtib.cogend.n.4.*

5 Quibus modis punitur calumniator?

Reſp. Primo, in ipſa ſententia, quando calumniatus abſoluitur. Secundo,ad petitionem calumniati, quæ recipi debet poſt eius abſolutionē. Tertio, ex officio iudicis liberalis. Quarto,ad inſtantiam fiſci.*Abb.c.1, nu.4.de calumniator. l.§.ff. ad Turpill.*

6 Si quis denuntiet aliquem, & poſtea non poſſit probare ſuam denuntiationem qua pœna punitur?

℞. Suſpenditur ab officio,& beneficio,donec probet ſuam innocentiam, & bonum zelum. *Abb.cap. 2. de calum.nu.3.*

7 Subdiaconus ſi calumniosè accuſet Diaconum qua pœna punitur?

Reſp. Priuatur Subdiaconatu, ſi calumnia ſit grauis verberibus afficiur, & in exilium mittitur. *c.1. de calumniatoribus.l.1. §.1.ff.ad Turpillianum.*

8 Iudex poterit relinquere probationem in iuramēto denuntiantis, vel accuſantis?

Reſp. Non, quia ſi hæc eſſet ſufficiens probatio, multi eſſent accuſatores, & denuntiatores. *Abb.c.2. eodem tit.num. 4.*

9 Ad denuntiationem vnius teſtis, poteſt ne fieri inquiſitio contra Prælatum?

Reſp. Si talis teſtis ſit omni exceptiōne maior poterit. *Abb.vbi ſupra.nu.1.c.2.iſto tit.*

CAPVT III.

De Iudæis.

1 IVdæi, & infideles inter Chriſtianos viuentes quibus iudicibus ſubdiri ſunt?

Reſp. Secularibus, & Eccleſiaſticis.

2 Quid prohibetur Iudæis?

Reſp. Primò, vt non portent pileum nigrum, ſed roſeum, vt à Chriſtianis dignoſcantur. Secundò, vt non habeant famulos Chriſtianos, aut nutrices. Tertio, vt in diebus feſtiuis publicè non laborent. Quartò, vt in die paraſceue claudant feneſtras,& ianuas, & tunc non debent domo exire. *Bulla Pauli IV. & Pij V. quæ incipit Romanus Pontifex in ordine 7. Bull. Gregorio XIII. quæ incipit aliàs piæ memoriæ in ordine 71.*

3 Quis debet curarē,vt hæc omnia obſeruentur?

Reſp. Epiſcopus. *Pius V. in dicta Bulla.*

4 Iudei tenentur nē ſoluere decimas?

Reſp. Tenentur de terris,quas collunt in ciuitatibus Chriſtianorum, ſicut alij agricolæ Chriſtiani; ratio eſt, quia decima prædialis impoſita eſt ſuper illo prædio, & ita ſiue collatur a Iudæo, vel a Chriſtiano vel à Monacho ſolui debet decima parocho, vel Eccleſiæ maiori. *tenet Abb.c.de terris, de decimis,n.1.*

5 Iudei habent ne ſub poteſtate filios ſuos?

Reſp. Habent ſicut Chriſtiani duplici ratione. Primò, quia contrahunt legitimas nuptias, & patria poteſtas data eſt in fauorem legitimarum nuptiarū, & ideò non extenditur ad filios illegitimos. Secūdò, quia iudæi ſunt ſub poteſtate Imperatoris Romani, & ideò debent gaudere priuilegijs conceſſis ab Imperatare Romano ſuis ſubditis. *tenet Abb. c.final. de conuerſ.infidel.nu.3.& c.gaudemus de diuortijs.*

6 Iudæus, quæ iura, & priuilegia habet ſupra filios, quos habet ſub ſua poteſtate?

Reſp. Omnia priuilegia, quæ pater Chriſtianus habet in filios,quos habet ſub ſua poteſtate numerata, *§.ius autem in verbo ius autem, inſtitut. de patria poteſtate.*

7 Turcha, vel Maurus poteſt habere filios ſub ſua poteſtate?

Reſp. Non, quia non eſt ſub poteſtate Imperatoris Romani, ſed more barbaro viuit habens plures vxores, & concubinas, inter quas non ſunt legitimæ nuptię; ratio eſt, quia ad legitimas nuptias expreſsè requiritur, vt vnus nubat ſolum cum vna, vt habetur *cap.gaudemus, qui fil.ſint legit.*

8 Filius Iudæi illegitimus eſt nē in poteſtate patris?

Reſp. Non; ratio eſt, quia ille eſt in poteſtate noſtra, quem ex iuſtis nuptijs procreauimus. *Abb. c. fin.de conuerſ. infidel.num.5.*

9 Si Iudæus habeat mulierem Chriſtianam, cui debent aſſignari filij?

Reſp. Siue ſint maſculi, ſiue fæminæ aſſignandi ſunt mulieri Chriſtianæ in fauorem fidei, & in vtilitatem filiorum.*c.fin.de conuerſ.infidel.*

10 Filij Iudæorum quando liberantur à patria poteſtate?
Reſp. Si Iudæi poſt eorum conuerſionem iterum redeant,& viuant in l. Moyſi,tunc filij liberantur à patria poteſtate; ratio eſt, quia qui negat fidem, non debet gaudere priuilegijs conceſſis fidelibus, & ideò filij tunc efficiuntur ſui iuris. *c. quicumque de hæreticis. in 6.*

11 . Iudæus baptizatus eſt ne capax beneficiorum?
Reſp. Si ſeruet fidem, & non reuertatur ad legem Moyſi de iure canonico eſt capax beneficiorum,quia Eccleſia omnes vocat ad ſe, niſi forte impediatur aliquo Eccleſiæ, vel diœceſis ſpeciali ſtatuto confirmato à Sede Apoſtolica. *tenet Abb. in c. eam te de reſcriptis, num. 7.*

12 Quando in aliquibus Eccleſijs, vel diœceſibus eſt conſuetudo, vt Iudæi conuerſi neque filij Iudæorum non admittantur ad Ordines maiores, vel minores, & ſuper hoc articulo fiunt informationes, debet nè obſeruari iſta conſuetudo?
Reſp. Talis conſuetudo obſeruanda eſt, vel tale ſtatutum quia iuſtis de cauſis introducta fuit, vel ſtatutum poſitum à ſynodo; ratio eſt quia Sacerdotium habetur in magnum honorem, & dignitatem, & deſcendere a Iudæis, etiam ſi ſint conuerſi, eſt res viliſſima, ideò iſtæ conſtitutiones, & ſtatuta ſeruari debent, niſi Summus Pontifex in ea diſpenſet ſpecialiter cum aliquibus perſonis doctiſſimis, & bene meritis, & probatæ virtutis.

13 Quomodo intelligendum cum Iudęis ad fidem conuerſis. capit. ſtatutum de hæreticis, vbi mandatur; vt deſcendentes ab hæreticis ex linea maſculina, vſque ad ſecundum gradum incluſiuè non poſſint obtinere beneficia, & deſcendentes à linea fæminina vſque ad primum gradum incluſiuè priuantur beneficijs?
Reſp. Hæc pœna priuationis beneficiorum impoſita eſt in dicto capit. ſtatutum filijs Iudæorum, quorũ patres poſtquam conuerſi ſunt ad noſtram fidem eã deſeruerunt, & condemnantur, vt hæretici, non verò impoſita eſt filijs Iudæorum, qui poſtquam conuerſi ſunt ad noſtram fidem Chriſtianam, illam vſque ad mortem ſeruauerunt.

14 Statuta aliquarum Eccleſiarum in Hiſpania ſicut Eccleſiæ Toletanæ, & ſtatuta ordinum militarium Sancti Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & Sancti Ioannis Hieroſolimitani, quæ excludunt a ſuo conſortio deſcendentes à Iudæis, & hæreticis, & nouiter conuerſis in quocumque gradu etiam remotiſſimo, quomodo ſunt intelligenda?
Reſp. Iſta omnia ſtatuta ſunt obſeruanda, veneranda, & ad vnguem cum magno rigore adimplenda. Primò, quia iuſtiſſimis de cauſis approbata ſunt à Summis Pontificibus, & à Regibus Chriſtianis. Secundò, quia fundatores Eccleſiarum, vel ordinum militarium, vel Collegiorum ex ſuis proprijs bonis fundauerunt talia Collegia, vel Eccleſias ea conditione, vt homines, qui non deſcendunt à linea infecta, obtineant illas dignitates, & in ſua re quilibet eſt moderator, & arbiter. Tertiò, quia experientia docuit quod arbor bona bonos fructus facit, & ſic qui deſcendunt à nobilibus parentibus, & à clara, & antiqua progenie Chriſtianorum, ſunt magis quieti in communitatibus, meliùs gubernant, & maiorem fructum Reipublicæ Chriſtianæ dant. Quartò, quia per plurimos annos iſtæ communitates in pace ſe conſeruauerunt, & dederunt plurimos filios Reipublicę Catholicę vtiliſſimos. Quintò, quia sũt plurima pręmia, quæ nõ petunt has qualitates, & illa non poſſunt obtinere deſcendentes à Iudæis conuerſis, & ſic ſtatuta dicta nemini faciunt iniuriam.

15 Iudæi contrahunt ne legitimas nuptias?
Reſp. Affirmatiuè, *capit. gaudemus, de diuortijs Abbas capitulo finali de conuerſione Infidelium. numero tertio.*

16 Iudæus conuerſus ad fidem, quæ bona debet habere?
℞. Omnia ſua bona, quæ licitè, acquiſiuit, ſed debet reſtituere ea, quæ acquiſiuit ex vſuris ante conuerſionem, nam conuerſio ad fidem non facit bona illicitè acquiſita licita. *Abb. c. fin. de conuerſione Infidelium. nu. 9.*

17 Chriſtiani quid debent agere circa Iudæos?
Reſp. Non, debent cum eis ludere, neque comedere panes, azimos, & ſuffocata, neque medicos eorũ vocare, neque eorum ſynagogam reficere, neque cum eis nimiam familiaritatem habere. *Bull. Gregor. XIII. 71. in ordine.*

18 Filij Iudæorum inuitis parentibus ſunt ne baptizandi?
Reſp. Non, neque ipſi Iudæi. *Bull. Gregor. XIII. vbi ſupra.*

CAPVT IV.

De Hæreticis.

1 QVid eſt apoſtaſia?
Reſp. Eſt error contrarius toti fidei Catholicę. *Tol. lib. 4. c. 6.*

2 Quid eſt blaſphemia?
Reſp. Quædam maledicentia contra Deum ex malo voluntatis affectu. *Toletus in ſumma libro 4. capit. decimotertio.*

3 Quid eſt ſuperſtitio?
Reſp. Quædam religio falſa, ſeu vana. *Syluestr. verbo ſuperſtitio, numero primo, & Toletus libro quarto, cap. decimoquarto.*

4 Quid eſt idolatria?
Reſp. Exhibitio cultus diuini erga falſum Deum. *Tol. lib. 4. c. 14.*

5 Quid eſt magia?
Reſp. Poteſtas inordinata faciendi aliquid, quod naturaliter fieri non poteſt. *Toletus in ſumma libro 4. capit. 14.*

6 Quid eſt ſchiſmaticus?
Reſp. Quando aliquis eſt extra Eccleſiam conſtitués ſibi alium Papam, vel Epiſcopum, relinquens verum *c. de ſchiſmaticis.*

7 Facta per Epiſcopum ſchiſmaticum valent ne?
℞. Si ſint ſpiritualia, vt ordines, non; imò eſt ſuſpenſus, & excommunicatus, qui à tali ſuſcipit ordines ſcienter. *c. 1. de ſchiſmaticis.*

8 Ordi-

8 Ordinatus à ſchiſmatico à quo debet diſpenſari?
Reſp. A Summo Pontifice. *capit. ſecundo, ſchiſmaticis.*

9 Quid eſt hæreſis?
Reſp. Error pertinax hominis Chriſtiani contrarius fidei Catholicæ in partem vel in totum. *Tolet. in ſum. lib. 4. c. 3.*

10 Vnde dicitur hæreſis?
Reſp. Ab electione erroris, vel ab erro, erras, vel adhæreo, quia errant, & adhærent opinioni hæreticorum. *Abbas capit. firmiſſimè, de hæreticis, numero tertio.*

11 Qui eſt in peccato mortali, eſt ne extra Eccleſiam?
Reſp. Quò ad ſe eſt extra Eccleſiam, quò ad alios non, & ſic abſolutio ab eo facta. *tenet Abb. cap. 1. de ſchiſmaticis, nu. 4.*

12 Quid eſt error?
Reſp. Exiſtimatio veri pro falſo, vel falſi pro vero. *Toletus libro quarto, capit. 3. Anton. 4. part. titulo 1. c. 5. §. 1.*

13 Error quilibet eſt nè hæreſia, vt errare opinionibus?
Reſp. Non, ſed ſolum error, qui eſt contrarius articulis fidei, vel errare, credere, & affirmare aliquid contra fidem Catholicam. *Toletus libro 4. capit. 3. in ſumma.*

14 Omnis, qui errat in fide, eſt ne hæreticus?
℟. Non, ſi putat non errare, & putatus eſt ſe corrigere. *Abbas capit. tertio, de hæreticis, numero ſecundo.*

15 Eſt ne hæreticus, qui ex ignorantia, vel infirmitate tenet errorem contra fidem?
Reſp. Non, ſi paratus eſt ſe corrigere. *Tolet. in ſum. lib. 4. cap. 3.*

16 Errare in tota fide propriè eſt ne hæreſis?
Reſp. Magis propriè dicitur apoſtaſia, quia hæretici non negant totam fidem, ſed aliquos articulos fidei. *Tol. lib. 4. vbi ſup.*

17 Quid eſt pertinacia?
Reſp. Scire quod illud, quod teneo, eſt contra Eccleſiam Catholicam, & nihilominus talem propoſitionem vt veram teneo. *c. ad abolendam, de hæreticis. Tol. c. 19. lib. 1.*

18 In qua potentia conſiſtit talis error, & pertinacia?
Reſp. In intellectu. *Paludanus in diſtinctione decimatertia, quæſtione 3. Syluest. verbo excommunicatio. 9. §. 3.*

19 Homo non baptizatus poteſt eſſe hæreticus?
Reſp. Non, quia iſte talis propriè dicitur infidelis; quia ad hoc, vt quis ſit extra Eccleſiam, & ſit hæreticus, neceſſe eſt, vt aliquando fuerit per baptiſmum intra Eccleſiam. *Toletus in ſumma libro 4. capit. tertio.*

20 Quotupliciter committitur hæreſis?
Reſp. Tripliciter; aut interius ſolùm, aut exterius ſolùm, ſcilicet cum quis facit actum hæreticum cum ignorantia, aut interius, & exterius, cùm ad extra facio actum, quod ſcio interius eſſe hæreticum. *Tol. lib. 4. c. 4.*

21 In hæreſi interiori incurritur excommunicatio?
Reſp. Non. *Paludan. in 4. diſt. 13. q. 3. Tolet. libro primo, cap. 6.*

22 In hæreſi exteriori incurritur ne excommunicatio?
Reſp. Affirmatiuè ſtatim, ac committitur. *c. ad abolendam. de hæret.*

23 Si quis committat hæreſim exteriorem ſine conſenſu interiori, vel ſine errore interiori, erit ne excommunicatus?
Reſp. Tenebitur ab Eccleſia pro excommunicato, quia non iudicat de occultis, ſed poterit abſolui a quolibet confeſſario, quia verè non eſt excomunicatus. *Nauar. in man. c. 11. nu. 24.*

24 Quid eſt infidelis?
Reſp. Qui non habet certitudinem in fide. *capit. 1. de hæretic.*

25 Quid dicitur dubius in fide?
Reſp. Qui non credit articulos fidei, nec illos impugnat. *Tol. lib. 4. c. 4.*

26 Quid requiritur, vt dubius in fide ſit hæreticus?
Reſp. Primùm, vt ſit pertinacia, ſcilicet ſcit aliquam propoſitionem ab Eccleſia deciſam eſſe, tamen ipſe tenet contrarium. Secundò, quòd dubium, quod habet in fide, ſit voluntarium, & non ex aliqua tentatione Diaboli, vt ſcrupuloſus, qui ſolet aliquando dubitare in aliquo articulo fidei. *Toletus vbi ſupra.*

27 Qui permittitit alios errare in fide, eſt ne ſuſpectus?
Reſp. Eſt, quia non caret ſcrupulo ſocietatis occulto, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. *c. qui alios, de hæretic.*

28 Quæ differentia eſt inter ſchiſmaticum, & hæreticum?
Reſp. Hæreticus opponitur fidei ſchiſmaticus opponitur charitati, & vnioni Eccleſiæ; puta, quia recuſat obedire Papæ, qui eſt caput totius Eccleſiæ. *Tol. lib. 4. c. 3.*

29 Crimen hæreſis cuius fori eſt?
Reſp. Fori Eccleſiaſtici ſolùm, & hodie pertinet ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis. *c. excommunicatus. de hæreticis.*

30 Punitio hæreſis ad quem Iudicem pertinet?
Reſp. Ad Eccleſiaſticum, quia eſt crimen merè Eccleſiaſticum, licèt executio ſententiæ ad ſæcularem pertineat. *Abbas capit. ad abolendam. de hæreticis, numero 7.*

31 Epiſcopus negligens in perſequēdo hęreticos, qua pœna punitur?
Reſp. Debet à dignitate remoueri. *cap. excommunicamus, il primo de hæreticis. §. vltimo. verbo volumus.*

32 Si Epiſcopus commiſerit crimen hæreſis, coram quo Iudice debet conueniri?
Reſp. Coram Summo Pontifice. *Tri. ſyn. ſeſſ. 24. c. 5. de reform.*

33 Epiſcopus quomodo procedit in cauſa hæreſis?
Reſp. Tanquam Sedis Apoſtolicę Delegatus. *c. ad abolendam. de hæreticis.*

34 Capitulum ſede vacante cognoſcit ne de crimine hæreſis?
℟. Cognoſcit ſicut Epiſcopus. *Abb. eod. c. nu. 4.*

35 Si Epiſcopus ſit notorius hæreticus, ad quem pertinet dare dimiſſorias?
℟. Ad capitulum, quia tunc reputatur vt mortuus, donec certiorem faciat Summum Pontifficem, qui proui-

prouidebit de legitimo paſtore.

36 Quę eſt pœna hæreticorum?
Reſp. Pęna ignis, & perdunt omnia ſua bona à die commiſſi delicti. *l. Manicheos. C. de hæreticis, cap. cum ſecundùm leges, eod. tit. in 6. & c. ad abolendam. de hæreticis.*

37 Bona hæreticorum cui applicantur?
Reſp. Fiſco deductis expenſis factis in proſecutione illius cauſæ, etiam ſi hæretici ſint mortui. *cap. vrgentis, de hæretic.*

38 Bona hæreticorum quo die confiſcantur?
Reſp. A die, in quo commiſerunt delictum, *Sotus de iuſt. & iur. lib. 1. quæſt. 9 art. 6.*

39 Iudex laicus, cui traditur ab Inquiſitoribus hæreticus comburendus, tenetur ne ſtare proceſſui facto ab ipſis Inquiſitoribus?
℞. Tenetur ſtatim proferre ſententiam ex eorũ proceſſu, & comburere hæreticum. *Abb. c. fin. de ſtatu Monach. num. 12.*

40 Deſcendentes ab hęreticis, vſque ad quem gradũ prohibentur obtinere beneficia Eccleſiaſtica?
Reſp. Si deſcendant ex linea maſculina, vſque ad ſecundum incluſiuè, ſi à fœmina vſque ad primum, *c. ſtatutum, de hæretic. in 6.*

41 Hæreticus iure hæreditario poteſt ne ſuccedere patri ſuo?
Reſp. Non, imò, qui eum inſtituit, excommunicatur. *c. ſi quis, de hæret.*

42 Filij hæreticorum propter delictum parentũ priuantur nè beneficijs obtentis?
Reſp. Variæ ſunt opiniones DD. ſed verior eſt, quòd beneficium obtentum ante patris crimen non perditur, ſed ſolùm obtentum poſt patris delictum. *Plurimi DD. ſup. c. vrgentis, de hæret.*

43 Fautores, & receptores hæreticorum quam pœnam incurrunt?
Reſp. Ipſo iure ſunt excommunicati ante ſententiã, & non ſepeliuntur in loco ſacro. *c. ſi aduerſus nos, de hæretic.*

44 Qui incurrunt excommunicationem in crimine hæreſis, licèt non ſint hæretici?
Reſp. Primò, teſtes, qui ſciunt hæreſim, & non denunciant. Secundò, Inquiſitores, qui ſcientes non puniunt hæreticos. Tertiò, Iudices temporales, qui relaxatos ab Inquiſitoribus non tradunt igni, vel in iuriſdictione contradicunt, vel non dant auxilium. Quartò, qui dant conſilium, vel auxilium hæreticis. *Caſtr. lib. 2. titul. de iuſta hæreticorum punitione. c. 25. D. Thom. 2. 2. quæſtion. 33. artic. 7. Durand. in 4. diſtinction. 19. quæſt. 4.*

45 Aduocati hæreticorum, & ſcribæ incurrunt ne in aliquam pęnam?
Reſp. Si conſtituti ſunt à ſancta Inquiſitione ad defenſionẽ hæreticorum, ne careant legitima, & neceſſaria defenſione, non incurrunt pœnam, imò ſunt viri qualificati.

46 Pro hæretico mortuo eſt ne orandum?
Reſp. Non, neque pro decedenti in peccato mortali. *c. placuit. 23. quæſt. 5.*

47 Bona opera hæreticorum ad quid valent?
Reſp. Ad illuſtrandum mentem, & vt facilius gratiã conuerſionis mereantur. *Abb. ſuper c. firmiſſimè de hæret. num. 1.*

48 Libris hæreticorum quæ fides datur?
Reſp. Nulla, licèt in ſe ſint boni ratione auctoris. *c. fraternitatis, eod. tit.*

49 Si aliquis Notarius condemnetur, vt hæreticus, vel falſarius, eius ſcripturæ erunt ne validæ?
Reſp. Cum diſtinctione; quas fecit ante delictum, erunt validæ, propter publicam vtilitatem. *leg. Barbarius Philipus, ff.* de officio Prætoris: ſed ſcripturæ, quas fecit poſt delictum, non valebunt. *Gloſſa in leg. ſi quis ex argentarijs, §. primo, ff. de edendo.*

50 Clericus hæreticus reducens ſe ad fidem eſt ne prius degradandus?
Reſp. Affirmatiuè verbaliter, in carcere detrudendus, & poſtea recipiendus ad fidem *Abb. in c. excommunicatus, de hæret. num. 1.*

51 Si aliquis Clericus abiuret de vehementis, eſt ne iterum admittendus ad audiendas confeſſiones?
Reſp. Non, ſecus autem ſi abiuret de leui. *Nauar. conſil. 16. de hæret. n. 2.*

52 Quando inſtrumenta confecta per Notarium infamem, vel damnatum de falſo erunt valida?
Reſp. Quando non eſt Notarius Principis, vel bancæ, ſed particularis, & non commiſit falſitatẽ in officio tabellionis, ſed ob alias cauſas factus eſt infamis. *Bartol. in l. a lege. ff. ad leg. Iuliam repetundar. Abb. in c. fraternitatis. de hæret. nu. 5.*

53 Quid debet hæreticus facere, vt pęnam mortis poſſit euadere?
Reſp. Conuertere ſe, & petere veniam ante ſententiam, & abiurare. *c. ad abolendam. de hæret.*

54 Debitores hæreticorum ſunt ne liberi à debito?
Reſp. Si debitum ſit perſonale, vt ſeruitia eo ipſo liberantur; ſi verò debitum ſit alicuius pæcuniæ, fiſco ſolui debet.

55 Filij hæreticorum ſunt ne ſub patria poteſtate?
Reſp. Non imò liberantur, & ſui iuris efficiuntur. *cap. quicumque, de hæret. in 6. iuncta gloſ.*

56 Laici poſſunt ne prædicare?
Reſp. Non, propter periculum errandi, & ne ſub ſpecie boni, malum inducant. *Abb. capit. ſicut de hæreticis.*

57 Sacramenta ab hæreticis recepta valent nè?
Reſp. Si cum bona fide, & ignorantia recipiantur, tenent; ſi verò ſcienter recipiantur, non valent, imò de tali homine poteſt cognoſci ſicut de ſuſpecto. *Abbas, capit. fraternitatis, iſto titulo, numero ſeptimo.*

58 Quæ Sacramenta poſſunt recipi ab hæretico ſine aliqua pœna?
Reſp. Sacramentum Baptiſmi, & pœnitentiæ, & hoc in caſu extremæ neceſſitatis, cum hæreticus habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia. *c. ad hoc, diſt. 4. de conſecr.*

59 Si duo contendunt de Papatu quid agendum?
Reſp. Colligendum eſt Conciliũ generale per Cardinales, vt de hac re iudicent. *Abb. eod. c. fraternitatis, iſto tit. num. 2.*

60 Infidelis, vel hæreticus poſſunt eſſe teſtes?
Reſp. Non, niſi in fauorem fidei, & tunc cum adminiculo, & defectu infidelitatis.

60 Qui inſurdeſcit in excommunicatione, quando dicetur hæreticus, vel ſuſpectus in fide?
℞. Quando per annum integrum petere abſolutionem non curat. *Trident. ſyn. ſeſſ. 14. c. 18.*

62 Poteſt ne Epiſcopus in foro conſcientiæ abſoluere à cri-

re à crimine hæreſis ſubditum ſuum?

Reſp. Poteſt per ſe ipſum, ſed non per ſuum Vicarium, ex limitata facultate ſibi tradita *à Conc. Trid. ſeſſion. 24. cap. 6. de reformat.* ſed hæc facultas de nouo ſublata eſt Epiſcopis per bullam Cruciatæ, & ſic debent eos remmittere ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis, qui habent inſtructionem, quando debent eos abſoluere in foro interiori, & quando in foro exteriori.

63 Iſti tales hæretici, qui volunt ſacramentaliter ſuã hæreſim confiteri, à quo poſſunt abſolui?

Reſp. A Summo Pontifice, & ab Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, & ſi non reſideant in illa ciuitate, debent occurrere ad commiſſarium ſanctæ Inquiſitionis, & ipſe docebit talem pœnitentem, quid debeat agere, vel accipiat poteſtatem ab Inquiſitoribus eum abſoluendi cum remedium animæ non ſit dilatandum.

64 Si iſte talis, qui vult confiteri ſuam hæreſim, ſit in extremo periculo vitæ, à quo eſt abſoluendus?

Reſp. In foro pœnitentiali poteſt abſolui a quocũque Sacerdote; ratio eſt, quia neceſſitas caret lege, & quilibet, qui conuertitur, recipiendus eſt ab Eccleſia.

65 Abſolutio, quam Epiſcopus dat vigore *d. c. 6.* debet eſſe neceſſariò Sacramentalis, vel ſufficit eam dare in foro ſecreto extra confeſſionem?

Reſp. *Nauar. conſ.* 11. de priuilegijs tenet ſufficere, vt ſit in foro conſcientiæ extra confeſſionem, ſed alij doctores tenet, quòd eſt ſecurius, vt abſoluatur in actu confeſſionis; ratio eſt, quia Concilium dicit in foro conſcientiæ, & forus conſcientiæ eſt ipſa confeſſio ſacramentalis.

66 Si quis abſoluatur ab Epiſcopo, vel à confeſſore in articulo mortis à crimine hæreſis occulto in foro pœnitentiali, & poſtea comprehendatur ab Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, poterunt de tali crimine cognoſcere?

Reſp. Poterunt talem hæreticum punire in foro exteriori, tanquam ſi non eſſet abſolutus in foro conſcientiæ, licèt ſi talis conuertatur, hæc abſolutio plurimum iuuet ad defenſionem talis rei; ratio eſt, quia per abſolutionem ſacramentalẽ non tollitur facultas Inquiſitoribus puniendi hæreſim publicam.

67 Relapſus quis propriè dicitur?

Reſp. Ille, qui commiſit hæreſim, & petit veniam per miſericordiam, & abiurauit de vehementi illam hereſim, & aliam, & iurauit ſe amplius non commiſſurum, *c. ad abolendam de hæreticis.*

68 Relapſis eſt ne parendum?

Reſp. Non, & pena eorum ſi eſt, Clericus degradatur, & traditur curiæ ſeculari, vt igne cremetur; ſi eſt laicus ſententiatur ab inquiſitoribus, vt relapſus, & remittitur Iudici ſeculari cremandus; ratio eſt, quia iã ſemel fuit ab Eccleſia deceptus, & timetur, quòd, qui ſemel, & iterum commiſit tàm graue delictum, & fregit Eccleſiæ fidem iuratam, ſemper idem faciet, & inficiet alios, quia vna mala pecus inficit omne pecus. Secundò, quia videtur, quòd quando iurauit hæreſim, decepit Eccleſiam, & ideo habet penam mortis, *c. ad abolendam, c. excommunicamus, il 2. de hæreticis.*

69 Iudex ſecularis debet ſtare per proceſſum factum ab Inquiſitoribus, cum eis remmittitur aliquis hæreticus comburendus, vel debet facere nouum proceſsũ?

Reſp. Iudex ſecularis non debet facere nouum proceſſum; neq; retardare exequutionem, ſed ſtatim ſedere pro tribunali, & ſententiare proceſſum in eo ſtatu, in quo Inquiſitores illum mittunt, & tradere reum miniſtris iuſtitiæ comburendum, & hoc in fauorem fidei; ratio eſt, quia cognitio de hereſi non pertinet ad Iudicem ſecularem, ſed ad Eccleſiaſticũ, & priuatiuè hodie ad Inquiſitores Apoſtolicos, & Bullas Apoſtolicas, & ad Iudicem ſecularem ſolùm pertinet exequutio, & dare fauorem Inquiſitoribus. *tenet Abbas c. fin. de ſtatu Monachorum, num. 3. & Paramus, & pegna in directorio Inquiſitorum, & omnes ſcribentes c. ſuper eod. tit. in 6.*

70 Poteſt quis inſtituere hereticum heredem?

Reſp. Non, licèt talis ſit eius conſanguineus, & ſi quis eum inſtituat ſciens illum eſſe hereticũ, excommunicatur, & habebitur, vt ſuſpectus in fide. *c. ſi quis Epiſcopus. c. in eo de hæreticis.*

71 Qui ſepeliunt hereticum in loco ſacro, qua pena puniuntur?

Reſp. Excommunicantur, ſi ſcienter id faciant, & non abſoluuntur, donec ipſi proprijs manibus publicè exhument, & proijciant extra Eccleſiam huiuſmodi corpora damnatorum, & ille locus, & Eccleſia remanet violata, & debet iterum benedici, & in illa ſepultura non poteſt alius vnquam ſepeliri. *capit. quicumque de hæreticis in 6. cap. ſacris de ſepulturis.*

72 Si oſſa heretici non poſſint cognoſci, debent ne exhumari omnia oſſa, vel quid eſt faciendum?

Reſp. Tunc Excommunicandus eſt, & puniendus, qui ſcienter ſepeliuit hereticum, ſed oſſa, ſi non cognoſcuntur, non debent extrahi, ne forte extrahantur, oſſa alicuius Catholici; ratio eſt, quia melius eſt nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare, *gloſſa. in d. c. quicumque de hæreticis. in ſexto.*

73 Heretici, & fautores eorum, vſque ad quam generationem amittunt officia, & benficia?

Reſp. Vſque ad ſecundam generationem incluſiuè. *c. ſtatutum. c. 2. de hæret. in 6.*

CAPVT V.

De Neophitis.

1 Quis dicitur Neophitus?

Reſp. Qui nouiter ad fidem venit, ſiue ex Iudaiſmo, ſiue ex gentilitate. *Syluester. verbo Neophitus.*

2 Neophitus debet ne ordinari?

Reſp. Non, *Concilium Nicenum. diſtinctione 48. capit. quoniam.*

CAPVT

CAPVT VI.

De ijs, qui filios occiderunt.

1 Pater quos filios habet in ſua poteſtate?
Reſp. Filios familias, de quibus latè diximus, *lib. 10. capit. 4. de patria poteſtate, §. 1. Inſtitut. de patria poteſtate, leg. nam ciuium, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris.*

2 Pater poterit nè occidere liberos, quos ſub ſua poteſtate habet abſque aliqua pœna?
℞. Licèt de iure antiquo pater poterat abſq; aliqua pœna occidere filios ſuos cum cauſa, & ſine cauſa per legem, in ſuis, ff. de liberis, & poſthumis, quæ dabat patribus hanc poteſtatem, & fundabatur in ea ratione, vt filij eſſent obedientes parentibus, tamen hodie iuſtiſſimis de cauſis hęc lex eſt correcta per legem, in auditum, *ff. ad l. Cornel. de ſicarijs*, & ita pater non ſolum nō poteſt occidere filios, imò ſi occiderit grauiſſima pœna punietur; ratio eſt, quia patria poteſtas data eſt à lege in pietatem, & non in atrocitatem, & ita conſiſtit in bona educatione filij, & in eius vtilitate, non verò in morte.

3 Pater poteſt incarcerare filium?
Reſp. Pater non poteſt habere carcerem, ſicut habet Reſpublica, quia hoc eſt illi prohibitum, & ſi id fecerit, punietur grauiſſimè; ratio eſt, quia eſt contra Regiam poteſtatem, quam ſibi nullus poteſt aſſumere, ſed pater benè, & licitè poterit præcludere filium ſuum in cubiculo clauſo, & ibi eum ligare fune, vel ferreis compedibus ad cuſtodiam illius; ratio eſt, quia hoc ſolum attinet ad emendationem filij, & ad conſeruationem vitæ eius, *vt in l. vnica, C. de emendatione propinquorum, & ibi Bart. & DD.*

4 Si pater petat ante Iudicem ciuitatis, vt filius eius incarceretur in carcere publico propter inobedientiam, vel aliquod vitium, Iudex quid debet facere?
Reſp. Iudex debet eum incarcerare, & corrigere, & emendare ſecundum voluntatem patris, & poſtea ad petitionem patris eum à carcere liberare, *l. vnica ſupra citata, & l. 4. C. de patria poteſtate.*

5 Pater quam correctionem poterit dare filio?
Reſp. Pater poterit filium corrigere verbis, & eum fuſtigare, ſed taliter, quòd non excedat limites diſcretionis, ita vt filius ex tali correctione, vel fuſtigatione non infirmetur, neque moriatur, neque perdat membrum, *vt in l. vnica, C. de emendatione propinquorum.*

6 Filius poterit repercutere patrem, eum verberantem, vel caſtigantem?
Reſp. Non, ſed poterit fugere, ſi eum videat iratum; ratio eſt, quia licèt vim vi repellere liceat, tamen vbi offenſio eſt licita, ibi defenſio eſt prohibita. *L. 3. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, & tenet Bart. in leg. vt vim, ff. de iuſt. & iure.*

7 Quam pęnam habet pater, vel mater, qui ſponte filium occidit, & è contra, filius, qui occidit patrem, vel matrem?
℞. Pęna canonica eſt, vt recludatur perpetuo in monaſterio ad agēdam pœnitentiam toto tempore vitæ ſuæ, ſed pœna legalis, quæ obſeruatur hodie in omnibus terris Eccleſiæ, vt talis occidatur, & mittatur intra corium cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia, & in mare, vel flumine proijciatur, vt ab ipſis animalibus tale corpus affligatur, & comedatur, *l. pæna, ff. ad legem Pompeiam, de parricidijs, l. in auditum, ff. ad l. Corn. de ſicarijs, & l. vnica, C. de ijs, qui parentes, vel liberos occiderunt.*

8 Quid ſignificat includere hominem cum iſtis animalibus, cum morte omnia delicta tollantur?
℞. Quia delictum eſt tantæ atrocitatis, lex voluit in morte, & poſt mortem ſignificare, quàm horrēdum ſit patrem interficere filium, quem genuit, vel è contra, & ideò includitur canis ad ſignificandam rabiē, quam pater habuit in filium, & gallus gallinaceus, quia ipſe non curat de ſuis filijs, neque eos cognoſcit, & vipera propter venenum, quod in ſe habet, & ſimia, vt ſignificetur, quòd ille non fuit homo, ſed fuit quoad ſimilitudinem hominis, ſicut ſimia, & eijcitur in mare, vel flumen ad ſignificandum, quòd talis homo non meretur, vt terra, de qua natus eſt, ei det requiem, ſed fluctuet.

9 Quod eſt maius peccatum, quòd occidat pater filium, vel filius patrem?
Reſp. Maius peccatum eſt à filio occidi patrem, cui debetur honor, obedientia, & reuerentia ex quarto præcepto decalogi, ſed magis horrendum, & contra naturam eſt à patre occidi filium; ratio eſt, quia amor deſcendit, & non aſcendit, & ſic pater magis amat vnum filium, quam decem filij vnum patrem.

10 Si mulier occidat filium, propter hoc debet nè ſeparari à marito?
Reſp. Non, ſed alia pęna legali punitur; ratio eſt, quia nullum crimen ſeparat matrimonium legitimè contractum, niſi crimen idolatriæ, vel hæreſis, ne alterutet eorum inficiatur, *c. intelleximus, de ijs, qui filios occiderint, & ibi Abb. num. 1.*

11 Si pater, vel mater in eodem lecto dormientes occidant puerum, qua pęna puniuntur?
Reſp. Conſiderandum eſt, an habuerint voluntatem occidendi, & tunc eſt pęna mortis, an habuerint culpam aliquam, quia non poſuerunt ſufficientem diligentiam, ne occiderent puerum, & tunc aliqui volūt, quòd per tres annos agant pęnitentiam, & ieiunium ſit in pane, & aqua, vel poſita diligentia cum magno ſuo dolore puer repertus fuit occiſus, & tunc in foro conſcientiæ aliquam pęnitentiam debent habere propter negligentiam, quia hoc ſecurius eſt, *cap. de infantibus, eod. tit. noſtro.*

12 Regula illa (in pœnis mitior interpretatio eſt facienda) quando locum non habet?
℞. Illa regula obſeruatur in foro exteriori, ſed non habet locum in interiori, vbi ſecurius eſt facere duriorem interpretationem, cum dicat D. Aug. vt nullus quantum iuſtus fuerit, caueat, ne de hoc ſæculo tranſeat ſine pœnitentia. *Abb. in c. de infantibus, eod. tit.*

CAPVT VII.

De infantibus, & languidis expoſitis.

1 QVis dicitur expoſitus?
Reſp. Ille, qui ſupponitur curæ alterius, & relinquitur à cura proprij domini, vel patris, *c. expoſitus diſt. 87 iunct. gloſ.*

2 Vnde dicitur expoſitus?
Reſp. A pono, & ex, quaſi diceret, extra meam curam pono.

3 Qui nam exponuntur à cura parentum, vel dominorum?
℞. Primò, infantes, qui clam, & de nocte exponuntur à ſuis parentibus, vel iuſſu eorum ante portas Eccleſiæ, vt alij curam illorum habeant. Secundò, pueri, qui habent vſum rationis. Tertiò, languidi vexati ab aliqua infirmitate. Quartò, ſerui, qui à proprijs dominis relinquuntur, vt ſint ſui Iuris, vt ſe alant, vel quærant aliquem, qui illos alat. *c. vnico, de infantibus & languidis expoſitis, & c. ſi expoſitus, diſtinct. 87.*

4 Quis tenetur alere infantes expoſitos?
Reſp. Eccleſia tamquam ſuos filios, quia tenetur ſuſcipere in ſe, quos patres contra legem naturæ expellunt à ſe. *c. ſacrorum. 12. q. 2.*

5 Eccleſia poterit ab infante expoſito repetere alimenta, ſi peruenit in pinguiorem fortunam?
Reſp. Non, quia alit talem infantem tamquam proprium filium, *l. alimenta, C. de negoc. geſt. c. ſacrorum 12. queſt. 2.*

6 Quam pœnam incurrunt parentes, qui proprium filium exponunt ad portas Eccleſiæ, vel in vijs publicis, vel ad portam alicuius hominis diuitis, ea intentione, vt illum alant?
Reſp. Secundùm leges Hiſpaniæ puniuntur pœna capitali, tamquam ſi proprium filium occideret, quia eum ſupponunt mortis periculo, & negāt proprium filium, quem genuerunt.

7 Si alius, & non proprius pater exponat filium legitimum, priuabitur nè patria poteſtate?
Reſp. Si pater ſciat, & conſentiat, vel poſtquam ſciuerit, ratū habuerit, priuatur patria poteſtate, quia idem eſt, ac ſi expoſuerit. *Abb. cap. vnico, de infantibus num. 1.*

8 Si filius à ſuo patre exponatur, talis filius cuius iuris erit?
Reſp. Talis filius liberatur à patria poteſtate, & ſi venerit in bonam fortunam, poterit de illis teſtari, idem dicendum erit de languidis, in quibus omnibus pater, vel dominus nullam habet poteſtatem, quia fecerunt contra officium pietatis naturalis, quia de lege naturæ tenentur proprios filios alere, ſicut faciunt animalia bruta. *c. vnico, de infantibus.*

9 Si filius conſentiat, vt ipſius pater eum exponat, in iſto caſu priuatur nè patria poteſtate?
℞. Affirmatiuè, etiam ſi filius idem petat, quia iſte textus punit patris impietatem, & damnat patris factum contra officium pietatis, quod pater non debet facere, etiamſi id filius petat, *Abb. c. vnico, de infantib. num. 1.*

10 Si quis habeat ancillam, & concipiat filium, & poſt partum illum exponat, & alius illum alat, ille talis tenetur ne reſtituere infantem domino ſuo?
Reſp. Si ancilla inſcio domino expoſuerit filium, poterit illum dominus repetere ſoluendo expenſas, ſed ſi expoſuit filium, ſciente, vel conſentiente domino, non poterit talis dominus illum repetere, etiam ſi ſoluat expenſas, quia videtur ipſe illum expoſuiſſe, & ſic ius in eum perdidiſſe. *l. 1. & 2. Cod. de infantibus expoſitis.*

11 Si aliquis expoſitum alicuius ſeruæ, vel ancillæ talis remanebit ſeruus illius, qui eum alit?
Reſp. Non, ſed erit liber, & ingenuus, & poterit teſtari, contrahere, & nubere, imò ipſe ſecundum leges Hiſpaniæ gaudet aliqua nobilitate; ratio eſt, quia illum, quem proprius pater deſeruit, lex ſuſcepit in ſuum patrocinium, cùm quilibet præſumatur bonus, & nobilis, niſi in contrarium probetur malus. *l. vnuſquiſque, C. de infant. expoſitis.*

12 Si pater negat alimenta filio, talis filius ſoluitur à patria poteſtate?
Reſp. Affirmatiuè, tres enim caſus æquiparantur, exponere infantes, non curare languidum, & alimenta negare filijs ſuis, ſiue ſint languidi, ſiue ſani. *Goffre. c. vnico, de infantibus, & Abb. ibi, num. 7.*

13 Quam conditionem ſequitur natus?
Reſp. Conditionem matris, ſiue ſit libera, ſiue ſerua, quia partus ſequitur ventrem de iure nouo. *l. partum, C. de rei vendic. l. ſancimus, Cod. de infantibus.*

CAPVT VIII.

De Sagittarijs.

1 QVis dicitur ſagittarius?
Reſp. Qui vtitur arte ſagittariorum, vel baliſtarum, ſcilicet, qui alios occidit ſagitta, ſiue venenata. *c. vnico, de ſagittarijs.*

2 Quam pœnam incurrit ſagittarius?
Reſp. Pœnā excommunicationis, ſi vtatur illa mortifera arte contra Chriſtianos, *c. vnico, de ſagittarijs, & Abb. ibi.*

3 Licet pugnare contra Catholicos ſagitta, vel ſolū contra infideles?
Reſp. In bello iniuſto non licet contra Catholicos pugnare, ſed in bello iuſto benè licet. *cap. vnico de ſagittarijs.*

CAPVT

CAPVT IX.

De raptoribus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiæ.

1 QVis dicitur raptor?
Reſp. Ille, qui rem alienam vi rapit. *l. ſed eximendi. ff. ne quis eum, qui in ius. l. vnica, C. de raptu virginum, ſeu viduarum.*

2 Quid eſt rapina?
Reſp. Violenta receptio rerum. *l. 1. Cod. vi bonorum raptorum.*

3 Quis dicitur incendiarius?
Reſp. Ille, qui ob inimicitiam, vel malitiam caſu dato, ædes, arbores, fruges, & vineas aliorum incendit. *l. capitalium. ff. de pœnis. §. incendiarij.*

4 Quis dicitur violator?
Reſp. Ille, qui frangit oſtia Eccleſiæ, qui ei ſubtrahit priuilegia, qui rapit bona Eccleſiæ, vel ille, qui quocumque modo Eccleſiam, vel eos, qui ad eam confugiunt, offendit.

5 Raptores à quo Iudice puniri debent: à Iudice proprio, vel à iudice, in cuius loco, vel territorio cõmiſerunt delictum?
Reſp. A Iudice, in cuius territorio commiſerunt delictum; nam quis ſortitur forum ratione delicti, & ideò ob publicam iuſtitiam, & exemplum rationi congruum eſt, vt quis puniatur, vbi commiſit delictum, quando quis debet puniri pœna temporali, ſecus ſi deberet puniri in foro interiori, & pœnitentiali, tunc enim puniri debet à proprio Epiſcopo, vel Parocho. *c. 1. de raptor. Abb. ibi num. 1.*

6 Prælatus, qui habet delegationem à Principe ſeculari ſuper aliquo delicto, poterit imponere pęnam ſanguinis?
Reſp. Non, ſed extra pęnam ſanguinis, poterit delinquentem punire, ratio eſt, quia Princeps ſecularis non habet poteſtatem habilitandi Clericum, vt ſine periculo irregularitatis effundat ſanguinem, ſed ſolus Papa: cum verò hę ſimiles delegationes committuntur à Regibus, Epiſcopis, recurritur ad Summum Pontificem pro licentia ſententiandi in pęna ſanguinis ſine irregularitate, qui ſolet eam licentiam Principibus Eccleſiaſticis, qui habent iuriſdictionem tẽporalem concedere per breue particulare, dum dicta ſententia feratur, & exequatur per aſſeſſorem laicũ. *c. in Archiepiſcopatu. de raptor.*

7 Cauſæ criminales poſſunt nè de iure canonico delegari Clericis?
Reſp. Poſſunt vltra effuſionem ſanguinis. *Abbas eod. c. num. 2.*

8 Clericus raptor, vel ſocius rapinæ qua pęna punitur?
Reſp. In perpetuum deponitur, & priuatur beneficio abſque ſpe recuperandi. *Ab. c. ſuper. de raptoribus, num. 2.*

9 Pœna corporalis poteſt nè imponi à Iudice Eccleſiaſtico?
℞. Benè poteſt imponi pęna afflictiua corporis vltra effuſionem ſanguinis à Iudice Eccleſiaſtico, cui ſolũ prohibita eſt effuſio ſanguinis. *Abb. c. in Archiepiſcopatu. de raptor. num. 4.*

10 Sententia lata contra raptorem à Iudice, vbi commiſit delictum, à quo Iudice debet exequutioni mãdari, à Iudice, vbi commiſit delictum, vel à Iudice originis?
Reſp. Si ſententia eſt corporalis à Iudice, vbi commiſit delictum, & in loco delicti debet exequi: ſi verò eſt pecuniaria, vel in rebus delinquentis, debet mandari executioni à Iudice originis, vbi res ſitæ ſunt. *Abb. c. 1. de raptor. num. 6.*

11 Qua pœna punitur raptor virginis?
Reſp. Excommunicationis à iure, nulla præmiſſa monitione, quia in excommunicatione cum infertur ab homine, debet præcedere neceſſariò contumacia, vel inobedientia, ſed cum fertur à iure, ſufficit delictum ſolum. *Abb. c. 1. eod. tit. num. 2.*

12 Si quis rapiat virginem cum ſua voluntate ad cõtrahendum matrimonium, qua pęna punitur?
Reſp. Si virgo conſentit in raptu, & vult nubere, iſte talis non habet pœnam raptoris, quia talis non eſt raptus, & in iſto caſu conſiderandum eſt, an intrauit rapiens per feneſtras, vel per tecta, vel per parietes domus, an per portam ſit ingreſſus, & egreſſus, quia ſi violauit, & rupit domum patris talis puellæ, habebit pęnam violatoris, ſed non raptoris, quia rapit, quod ſuum eſt. *cap. cum cauſa. de raptoribus. & Abbas ibi. num. 1.*

13 Pater tenetur nè dotare filiam raptam à ſua domo?
Reſp. Si filiæ non promiſit dotem, ſiue nubat æquali, ſiue inferiori, non tenetur eam dotare. *Abb. c. cum cauſa de raptorib. num. 5.*

14 Si quis rapiat virginem contra voluntatem ſuam, poterit nè poſtea cum ipſa contrahere, ſi ipſa velit?
Reſp. Affirmatiuè, quia metus, & contraria volũtas tolluntur per ſpontaneum conſenſum ſubſequentem. *Abb. c. accedens. de rapt. num. 1.*

15 Raptor, vel violator Eccleſiæ qua pęna punitur in morte?
Reſp. Si delictum ſit manifeſtum, & in morte non dent ſigna pęnitentiæ, carent ſepultura Eccleſiaſtica, & Clerici, qui ſunt præſentes eius ſepulturæ, ſuſpenduntur. *c. ſuper eo, de raptorib.*

16 Quam pęnam incurrunt, qui ſpoliant nauigantes, vel eos, qui patiuntur naufragium ad littus?
Reſp. Excommunicationis ipſo iure, & niſi reſtituant, non aufertur excommunicatio.

17 Quando in excommunicatione à iure requiritur admonitio?
Reſp. Quando fertur pro præcepto negatiuo, vt cũ dicitur, qui non reſederit in Eccleſia, excommunicetur, & qui tali die non confitetur ſua peccata: tunc enim requiritur admonitio, vt habeatur talis pro excommunicato in foro exteriori, quò ad homines, quia nobis latet, an talis habuerit iuſtam cauſam nõ reſidendi, vel non confitendi, licèt quoad Deum ſola mora ille talis illico incurrat excommunicationem, in præceptis verò affirmatiuis non requiritur monitio, ſed commiſſio delicti. *Innoc. cap. extirpandæ. §. qui verò. de præbend. Abb. c. ex excommunicationi. de rapt. num. 2.*

18 Quam pœnam incurrit incendiarius?
℞. Excommunicationis ipſo iure facto, cujus ab-

ſolutio Summo Pont. reſeruatur. *c. cum ex tua nos, de ſent. excommun.*

19 In foro exteriori, quam pœnam habet incendiarius?

Reſp. De iure canonico graui pœna punitur, *capit. ſi quis domum, de iniurijs*; de iure ciuili tenetur ſatisfacere damnum, & punitur pœna mortis. *l. capitalium. ff. de pœnis.*

20 Incendiarius Eccleſiæ vbi ſepelitur?

Reſp. Si pœniteat in morte, in cœmeterio debet ſepeliri, & hæredes eius tenentur ad damnum. *c. in litteris, de raptoribus.*

21 Si hæredes ſint ſæculares, coram quo Iudice debent compelli, vt ſatisfaciant?

Reſp. Licèt quilibet teneatur ſequi forum rei, tamen in hoc caſu, cum damnum fuerit factum Eccleſiæ, debent compelli coram Iudice Eccleſiaſtico, qui ſibi vindicat defenſionem bonorum Eccleſiæ. *Abb. c. in litteris, de raptoribus. num. 2.*

22 Prælatus habens iuriſdictionem, poterit nè committere cauſam criminalem, ſi ſciat pœnam mortis eſſe imponendam tali crimini?

Reſp. Affirmatiuè, quia Prælatis ſolum eſt prohibita effuſio ſanguinis per ſe ipſos, & non eſt prohibita punitio per alios Iudices. *c. fin. ne Clerici, vel Monachi. Abb. c. in Archiepiſcopatu, de raptor. num. 6.*

CAPVT X.

De Furtis.

1 QVid eſt furtum?

Reſp. Eſt retentio iniuſta rei alienæ, inuito, vel inicio domino. *l. 1. ff. de furtis, §. furtum.*

2 Vnde dicitur furtum?

Reſp. A fuluo, id eſt nigro, quia plerumque fit clam, & de nocte, etiam dicitur à fraude, vel ab auferendo, *vt l. 1. ff. de furtis. Inſtit. de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur, §. furtum autem, & §. placuit.*

3 Quotuplex eſt fur?

Reſp. Duplex, ſcilicet fur manifeſtus, & eſt ille, qui deprehēditur cum furto, fur non manifeſtus eſt ille, qui licèt furatus ſit rem alienam, tamen eam iterum detulit in locum, vbi dominus proprius eam deſtinauerat, & nihilominus conuincitur de furto. *Inſtit. de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur, §. furtorum autem. leg. ſi quis. §. ſed celſus. ff. de furtis, l. furtorum, ff. eodem.*

4 Quæ res poſſunt furari?

Reſp. Plurimæ, ſcilicet res mobiles, res immobiles, iura, ſcripturæ, honores, homines, & mulieres, vt per totum titulum de furtis *ff. eod. tit. inſt. de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur.*

5 Quæ ſunt pœnæ, quæ dantur furibus?

Reſp. Plurimæ, ſcilicet exilia, fuſtigationes, triremes, carceres, & pœna mortis. *Abbas cap. fin. num. 10. de furtis.*

6 Iſtæ pœnæ applicantur indiſtinctè cuilibet furto?

Reſp. Non, ſed ſecundum qualitatem, & quantitatem, & malitiam delicti, ponderando, ſi fuit in domo ſi fuit in agro, ſi violenter ablatum, ſi occultè, ſi ad furandum fregit portas, ſi perforauit domum, & multa alia requiſita debent conſiderari, vt pœna proportionetur delicto. *Auth. ſed nouo iure. C. de ſeruis fugitiuis.*

7 De furto quibus modis poteſt agi?

Reſp. Ciuiliter, vel criminaliter; ciuiliter ad ſolam reſtitutionem, criminaliter ad pœnam furti. *Abb. c. fin. de furtis, num. 10.*

8 Quando in iure canonico inuenitur pœna mortis, de qua morte intelligitur?

Reſp. De excommunicatione, id eſt morte animæ. *c. per venerabilem, qui fil. ſint legit. in gl.*

9 Quam pœnam incurrit, qui furatur hominem, vel puerum, & vendiderit, etiam ſi ipſe furatus pretio ſe redimat?

Reſp. Iſte talis punitur pœna mortis ſolum ex furto hominis, vt ipſe homo fugiat liber. *c. 1. de fur.*

10 Si furtum ſit cum violentia, & aggreſſione, qua pœna punitur?

Reſp. Pœna mortis propter violentiam, ſi verò fuit ſine violentia, vel aggreſſione, fuſtibus, vel ad triremes. *Abb. cap. fin. de furtis. l. capitalium. §. famoſos ff. de pœnis.*

11 Clericus committens furtum qua pœna punitur?

Reſp. Si furtum ſit alicuius quantitatis, & non de re minima, debet recludi in carceres ad faciendam pœnitentiam. *cap. cum non ab homine de iudicijs. c. tua, de pœnis.*

12 Quantitas furti, vt quis non incurrat peccatum mortale, quanta debet eſſe?

Reſp. Minima, videlicet vnus, vel duo argentei, vel ad ſummum tres, licèt hoc magnopere ſit euitandū, & atrociter puniendum à magiſtris, patribus, dominis, confeſſarijs, quia qui eſt aſſuefactus ad furādum minimam quantitatem, poſtea furatur magnam, & non deſinit vitium, niſi cum vita. *Abb. c. fin. de furtis, num. fin.*

13 Si quis occultet furem, qua pœna punitur?

Reſp. Occultantes, & conſentientes furem æquali pœna puniuntur, licèt in his ſemper moderetur, præcipuè ſi pœna furi infligenda ſit mors. *c. qui cum fure de furtis. Abb. ibi. num. 2.*

14 Quando quis tenetur manifeſtare furem?

Reſp. Semper, vt faciat bonum opus, ſed de neceſſitate, & ne incidat in pœnam, quando hoc iubetur à iudice, vel ſuper furto decernitur excommunicatio. *Abb. in c. qui cum fure, num. 5. de furtis.*

15 Qui furatur bona Eccleſiæ eſt excommunicatus ipſo iure?

Reſp. Si non fregit portas, neque fecit violentiam, non eſt excommunicatus ipſo iure, ſed poſt ſententiam. *Abb. c. fin. de furtis, num. 3.*

16 Si quis cuſtodiat rem, & furata ſit, tenetur nè eam reſtituere?

Reſp. Si in cuſtodiēdo poſuit eam cuſtodiam, quam poneret, vel quam ponit in ſuis proprijs rebus, non tenetur ad reſtitutionem; ſi non poſuit bonam cuſtodiam, tenetur, ſed cuſtodienti incumbit onus probandi bonam cuſtodiam in foro exteriori. *Abb. c. fin. de furtis, num. 7.*

17 Si quis ſit in extrema neceſſitate, & furetur, quā pœnam incurrit?

Reſp. Si neceſſitas ſit extrema, vel magna, & furetur ſolùm ad ſaluandam ſuam vitam, neque incurrit pœnam, neque peccatum, quia tēpore neceſſitatis omnia ſunt communia, ſed prætextu neceſſitatis nemo

debet

debet furari, quia hoc rarò, vel numquam contingit, vt quis habeat neceſſitatem neceſſariam ad faciendum furtum licitum. *Abb. in c. ſi quis, nu. 1. de furtis.*

18 Si quis furetur cum magna neceſſitate, tenetur ne illud reſtituere?

℞. Si venerit in pinguiorem fortunam, tenetur reſtituere, quia illa permiſſio furandi magna eſt in neceſſitate quaſi quoddam cõmodatum, & quaſi quædam diſpenſatio legis, & ſic finita neceſſitate incipit obligatio reſtituendi. *Abb. c. ſi quis num. 5. de furtis.*

19 Pro furtis poteſt dari, & decerni excommunicatio?

Reſp. Poterit contra fures, & contra ſcientes, & occultantes. *Abb. c. qui cum fure, de furtis, nu. 1. & 5.*

20 Latro ſi ſponte reſtituat rem, fugit ne pœnam?

Reſp. De iure non, ſed mitiùs punitur, cum conſtet de eius pœnitentia, & numquam debet illi dari pęna ordinaria, vt alij idem imitentur. *tenet Abb. in c. 1. de dolo, & contumacia, nu. 6.*

21 Si quis furetur, vel vi occupet rem ſuam, habebit ne pœnam latronis poſitam in l. ſi quis in tantam. C. vnde vi?

Reſp. Si res ſit propria, & non ſit copia iudicis, vel in mora ſit periculum occultandi, vel amittendi rem, licitè poterit quis vi occupare rem ſuam, vel occultè accipere, & talis non dicitur latro, cum propriè latro ſit, qui accipit rem alienam. *tenet Innocen. in c. olim de reſtitutione ſpoliatorum. num. 6. & habetur diſt. 1. cap. ius gentium.*

22 Si in aliquo hoſpitio, vel fundaco aliquid furto ſurripiatur, quis tenetur de hoc furto, qui præeſt hoſpitio, an verò viatores, & hoſpites?

Reſp. Qui præeſt hoſpitio tenetur ſoluere quantitatem rei furatæ, & nõ viatores; ratio eſt, quia qui pręeſt hoſpitio, & debet habere curam ſupra ſuam familiam, & ſuper viatores, qui in ſuo hoſpitio habitant. *tenet Bart. in l. 1. ff. de furtis.*

23 Licèt ne alicui occidere furẽ in defenſionẽ rei ſuę?

℞. De iure ciuili poteſt quis occidere furem impunè & abſq; aliqua pęna in defenſionem rei ſuæ propriæ; de iure vero canonico melius eſt petere rem ante Iudicem, quàm occidere hominem, tamen ſi quis occidat furem, ſæuiſſima pęna punietur. *Abb. in cap. nihil prodeſt, de præſcript. num. 3.*

24 Pro inueniendo rem furatam poteſt inquiri domus alterius hominis honorati?

Reſp. Poterit inquiri abſque eo, quòd talis homo incurrat infamiam, quia poſſibile eſt, quòd fur eam abſcondat in palatio hominis honorati. *Abb. cap. qui cum fure, de furtis, num. 6.*

25 Furibus, & latronibus poſſunt dari Sacramenta Eccleſiaſtica, ſcilicet communio, pœnitentia, & extrema vnctio?

℞. Si patiantur vltimum patibulum, & pœniteant, debet eis dari Sacramentum pęnitentiæ, & communionis vigintiquatuor horas ante patibulum ob reuerentiam tanti Sacramenti, ſed non datur extrema vnctio; ſi verò non pœniteant, ſed in ſuo peccato obſtinati moriantur, non debet eis dari Sacramentum Euchariſtiæ. *c. fures, de furtis.*

26 Quare non datur extrema vnctio patientibus per iuſtitiam mortem violentam?

Reſp. Quia eſt Sacramentum infirmorum egentium in extremis, & datur etiam ad recuperandam ſanitatem, ſi Deo placet.

CAPVT XI.

De colluſione detegenda.

1 QVid eſt colluſio?

Reſp. Eſt inter reum, & actorẽ latens, & fraudulenta conuentio, per quam alter in iudicio ſe ſuperari permittit, *gl. c. audiuimus. de colluſione detegenda. c. cum Clerici de cenſibus.*

2 Quæ perſonæ committunt iſtas colluſiones, vt delicta maneant impunita?

Reſp. Partes principales, procuratores, aduocati, factores, & agentes negotiorum, & ſemper in colluſione interuenit pecunia, vel aliquod intereſſe. *c. audiuimus de colluſione detegenda.*

3 Quare hic agitur de colluſione detegenda?

Reſp. Quia colluſione interueniente delicta manẽt impunita, & ad veram adminiſtrationem iuſtitiæ pertinet, vt delicta puniantur, vt exemplo aliorum territi pœna talia delicta non committant. *Hoſtienſ. in ſumma titulo de colluſione detegenda. numero quarto.*

4 Quibus modis quis poteſt licitè recedere à lite ſine colluſione?

Reſp. Quatuor modis. Primo, ex ſua voluntate proprio motu. Secundo, per gratiam, ſcilicet ad inſtantiam alicuius. Tertio, per tranſactionem, ſcilicet data ſibi pecunia, vel alia re. Quarto, comparendo ante Iudicem, & petendo ab eo licentiam, vt aboleatur accuſatio contra reum, & omnia facta hactenus, *cap. ſuper eo de tranſactionibus. l. 2. Cod. de abolitionibus. gl. caput ſi quem pœnituerit. 2. q. 3. & Abb. cap. 1. de colluſ. detegenda. num. 5.*

5 Tranſactio poterit interuenire in cauſis, vbi venit pœna mortis, vel ſanguinis imponenda?

Reſp. Poterit inter reum, & actorem, ſed ex hoc non tollitur ius Iudicis, vt ipſe nõ imponat pęnam à iure tali delicto debitam, licèt cum pars condonauerit ſuam iniuriam, ipſe Iudex debeat moderari, & mitigare ſententiam, niſi in atrocioribus delictis, & magni præiudicij, atque ſcandali. *Abb. c. 1. de colluſione deteg. num. 7.*

6 Si accuſator diſcedat ab accuſatione poterit Iudex ex ſuo officio inquirere, & punire tale delictum?

℞. Poterit, ne delicta maneant impunita, quia in quolibet delicto conſiderantur duæ perſonæ; vna eſt pars læſa, & accuſans; altera iuſtitia publica, quæ reſtat damnificata. *c. 1. de colluſione detegenda.*

7 Si accuſator deſiſtat ab accuſatione, poterit Iudex perquirere, an id fecerit per colluſionem?

Reſp. Poterit, & debet id perquirere, & ſi inuenerit colluſionem, actorem punire. *Abb. cap. 1. de colluſione detegenda, num. 1.*

8 Si quis dat pecuniam, ne accuſetur, cenſetur ne talis fateri crimen?

Reſp. Non, ſed cenſetur velle euitare moleſtias, quia non debet præſumi crimen, vbi quid ſine dolo poteſt fieri. *Abbas cap. primo, de colluſione detegenda, num. 9.*

9 Crimen ſemel commiſſum debet ne manere impunitum etiam deſiſtente parte?
Reſp. Non, quia crimen ſemel perpetratum numquam debet remanere impunitum pœna ordinaria, vel mitiori, & Iudex ſemper poteſt inquirere, & punire, ſiue pars deſiſtat, ſiue non, ſiue ſit infinita inſtātia, ſiue non. *Abb. c. crimina, de colluſ. deteg. num. 1.*

10 Si quis abſoluatur à criminibus ſibi impoſitis, poterit nè de illis iterum inquiri?
Reſp. Si abſolutio, & liberatio facta fuit per colluſionem, iterum de illis poterit inquiri, quia dolus, & fraus nemini opitulantur. *c. fin. de colluſione detegẽda.*

11 Si in cauſa beneficiali, quis faciat colluſionẽ qua pœna punitur?
Reſp. Priuatur beneficio, & cadit in cauſa. *c. audiuimus, de colluſione detegen.*

CAPVT XII.

De delictis puerorum.

1 Qvis dicitur puer?
Reſp. Ille, qui eſt à ſeptennio vſque ad decimumquartum annum incluſiuè. *l. pueri. ff. de verborũ ſignificat.*

2 Puellæ vſque ad quem annum dicuntur pueri?
Reſp. A ſeptennio vſque ad duodecimum annum. *c. pueri de verborum ſignif.*

3 Quibus modis ſumitur in iure nomen pueri?
Reſp. Primò, filij alicuius hominis. Secundò, ſerui etiam ſe à genarij. Tertiò, omnes, qui ſunt in ætate puerili. *l. pueri. ff. de verb. ſign.*

4 Pueri poſſunt puniri?
Reſp. Doli capaces, qui poſſunt committere delicta, & puniuntur, ſed mitius, quàm adulti, quia ætas excuſat à tanto, ſed non a toto. *c. 1. de delictis puerorum.*

5 Puer interficiens aliquem punitur pęna mortis?
Reſp. Si eſt doli capax, punitur ſecundum conſuetudinem loci. *Abb. cap. referente. de delictis puerorum. numer. 1.*

6 Puer percutiens Clericum incidit ne in excommunicationem canonis?
Reſp. Affirmatiuè, ſi ſit doli capax. *c. referente. Abb. de delictis puerorum. num. 3.*

CAPVT XIII.

De noui operis nuntiatione.

1 Qvid eſt noui operis nuntiatio?
Reſp. Eſt quædam citatio facta legaliter ante Iudicem illi, qui ædificat in præiudicium alterius, vt ceſſet ab opere, donec in iudicio præiudicium tollatur. *Hoſtienſ. in ſumma titul. de noui operis nunt. l. 1. ff. eod. tit.*

2 Quomodo fit noui operis nuntiatio?
Reſp. Tribus modis. Primò, ſolo verbo dicendo, nuntio nouum opus. Secundo, per iactum lapidis. Tertiò, per accuſationem ante Iudicem, & iudicis prohibitionem. *Ber. in cap. ex parte de verborum ſignificatione.*

3 Per quod tempus debet ceſſari ab opere, quando fit nuntiatio noui operis?
Reſp. De iure canonico per tres menſes, in quibus debet docere de impedimento. *c. ſignificantibus. de noui operis nuntiatione.*

4 Si ædificans det fideiuſſionem de demoliendo, & deſtruendo, quid eſt faciendum?
Reſp. In voluntate nuntiantis debet acceptare fideiuſſionem, vel facere, vt abſolutè per tres menſes ceſſetur ab opere. *cap. ſignificantibus de noui oper. nuntiat. Abb. ibi. num. 1.*

5 Si intra tres menſes nuntians non monſtret, & doceat præiudicium ſuum, poterit, qui ædificat, ædificare?
Reſp. In iſto caſu Iudex, data cautione de demoliendo, inuito denuntiatore, poterit dare licentiam ædificandi. *Abb. c. ſignificantibus de noui operis nuntiatione, num. 2.*

6 Si Eccleſia, vel aliquod ædificium cõſtruatur poſt nuntiationem noui operis, quid debet Iudex ſententiare?
Reſp. Si qui nuntiauit obtineat ſententiam, debet ſententiare, quòd talis Eccleſia diſtrahatur expenſis illius, qui eam ædificauit, donec tale impedimentum tollatur. *c. 1. de noui operis nunt.*

CAPVT XIV.

De Priuilegijs, & exceſsibus priuilegiatorum.

1 Qvid eſt priuilegium?
Reſp. Principis beneficium contra ius commune indultum, nec diceretur priuilegium, niſi aliquod indulgeret. *c. Abbate. de verb. ſign. in gl. & cap. in his de priuilegijs.*

2 Priuilegium eſt ne lex?
Reſp. Eſt lex priuatorum, quæ non omnibus conuenit, ſed aliquibus perſonis priuatis, & exceptis à lege communi. *Iſidor. lib. 5. ethimologiarum. c. priuilegia 3. diſtinct.*

3 Priuilegium quotuplex eſt?
Reſp. Duplex, perſonale, & reale. *c. mandata de præſumption. in gl. verb. ſed perſona.*

4 Quid eſt priuilegium perſonale?
Reſp. Quod conceſſum eſt alicui perſonę particulari, & ſequitur perſonam, & extinguitur cum perſona, & aliquando ſine extinctione perſonæ, ſi malè illo vtatur, vt habetur. *c. priuilegium de reg. iur. in 6.*

5 Quid eſt priuilegium reale?
Reſp. Illud, quod conceditur rei, vt agro, vel Eccleſiæ, vel domui, 16. q. 7. c. & hoc diximus. *c. Abbate de verborum ſignificat. gloſ. in c. priuilegium, de reg. iuris in ſexto.*

6 Quot ſunt ſpecies priuilegij?
Reſp. Duæ, aliud eſt generale, aliud ſpeciale. *capit. cum,*

cum, & plantare de priuilegijs.

7 Quod eſt priuilegium generale?
Reſp. Quod conceditur vniuerſitati, collegio, mulieribus, religionibus, Clericis, *vt in c.cum.& plantare. de priuileg.c.ſi quis ſuadente.* 17.q.4.

8 Quod eſt ſpeciale?
Reſp. Quod perſonæ conceditur, & extinguitur cum perſona. *gloſ.in c. mandata. ver. ſed perſonæ, de præſumptionibus.*

9 Quomodo iudicandum eſt de priuilegijs?
Reſp. Viſis, & conſideratis in ſpecie priuilegijs, & eorum ſeries, & ordo ad vnguem eſt obſeruandus. *c.porro, de priuilegijs.*

10 Priuilegium eſt largè, vel ſtrictè interpretandum?
Reſp. Priuilegium eſt ſtricti iuris, & nemo à finibus eius debet recedere. *c. porro de priuilegijs, & exceſſibus, in gloſſa.*

11 Priuilegium extenditur propter identitatem rationis?
Reſp. Non, quia particulare non debet extendi ad generale, & priuilegium procedit, & emanat ex mera liberalitate Principis, qui priuilegiũ concedit quibuslibet, & alijs non. *c.ſanè de priuilegijs.*

12 Exemptus ratione certæ rei, vel certi loci cenſetur ne generaliter exemptus?
Reſp. Non, quia exemptio non extenditur ſed limitatur ad illam rem, vel locum, extra quem nõ eſt exemptio. *capit. cum capella, de priuilegijs, & exceſſibus priuilegiatorum.*

13 Si quis recipiatur ſub protectione Summi Pontificis, cenſetur ne exemptus à iuriſdictione Epiſcopi, vel alterius iudicis?
Reſp. Non, quia eximere aliquem à iuriſdictione proprij iudicis quid diſtinctum, & altioris conditionis eſt, quàm protegere aliquem, cum in exemptione agatur de præiudicio iuriſdictionis ordinarij. *cap. ex parte, il 2.de priuleg. & exceſſibus, & Abb.ibi.nu.*1.

14 Priuilegia quo modo reuocantur?
Reſp. Cum citatione illorum, quorum intereſt. *Abb. in cap.cum olim il ſecundo, de priuileg. & exceſſibus priuilegiatorum.*

15 Priuilegium tollitur per generalem legem editã poſt datam priuilegij?
Reſp. Non, niſi de priuilegijs in dicta lege fiat ſpecialis mentio. *c. veniens de preſcript.gloſ.vltima, in verbo nullam, littera M, c. 1. de reſcript.*

16 Si quis non vtatur priuilegio ſuo per ſpatium quadraginta annorum poterit poſtea illo gaudere?
Reſp. Non, immò perdidit illud, quia per non vſum videtur illud renuntiaſſe. *cap. accedentibus. de priuilegijs. in gloſſa.*

17 Quibus ex cauſis perditur priuilegium?
Reſp. Multis ex cauſis. Primò, propter fauorẽ, & vt cum aliqua Eccleſia alijs ſuperioribus antefertur propter fauorem alicuius Principis. Secundò, propter odium. Tertiò, propter enorme damnum, quod de priuilegio procedit. Quartò, propter abuſum. Quintò, propter delictum. Sextò, propter negligentiam. Septimò, propter contractum factum. *gloſ.cap.renouantes.diſt.22.& adducit verſus.*

Paupertas, odium, vitium, fauor, & ſcelus, ordo.
Perſonam ſpoliant, & loca, iure ſuo.

18 Si priuilegiatus faciat per multum tempus contra ſuum priuilegium ignoranter, perdit ne priuilegium ſuum?
Reſp. Si ignorantia ſit inuincibilis illum excuſat, vt non perdat priuilgium ſuum. *Abb.c. ſi de terra de priuilgijs, num.*7.

19 Papa poteſt concedere priuilegium de decimis nõ ſoluendis?
Reſp. Licèt decimæ ſint de iure diuino, tamen Papa poteſt concedere priuilegium laicis ſecularibus religioſis de eis non perſoluendis. *Abb.cap.ſi de terra, de priuil.num.*3.

20 Poterit quis renuntiare ſuum priuilegium?
Reſp. Poterit, quia liberum eſt cuilibet iuri ſuo renuntiare. *c.ſi de terra, de priuil. Abb.nu.*5.

21 Ad hoc, vt præſcribatur contra Eccleſiæ priuilegium, quod tempus debet currere?
Reſp. Debet currere ſpatium quadraginta annorũ. *capit.ſi de terra, de priuileg.capit. accedentibus, eodem titul.*

22 Quam pœnam incurrit, qui aliena priuilegia derogat?
Reſp. Suis priuilegijs priuatur. *c.dilecti de priuileg.*

23 Si aliquod inſtrumentum perdatur poteſt ne probari per teſtes?
Reſp. Si teſtes ſint inſtrumentales, vel ſi teſtes legerunt inſtrumentum, & referant contẽta in inſtrumẽto, quod erat ſanum, & non cancellatum, probatur inſtrumentum, ſed hoc difficilè fit, vt teſtes habeant neceſſarias qualitates ad probationem ſcripturę, ſi ſit contradictio. *cap.cum olim, il 1.de priuileg. Abbas ibi. num.*2.

24 Perditio inſtrumenti probatur ſolùm per iuramẽtum perdentis?
Reſp. Ad probationem perditionis non ſolùm requiritur iuramentum perdentis, ſed plurimæ aliæ coniecturæ, & adminicula, & ſolũ ad hoc, vt probetur tale inſtrumentum fuiſſe; at verò ad eum renouandum requiruntur teſtes. *Abb.capit. cum olim, il. 1. de priuileg. num.*10.

25 Teſtes, qui debent probare inſtrumentum perditum, quid debent probare?
Reſp. Locum, diem, annum, tabellionem, nomina teſtium inſtrumentalium, & omnia ſubſtantialia ad probationem inſtrumenti, & ſi in aliquo ſubſtantiali corruant, vel contradicantur, nihil probant. *Abb.c. cum olim, il 1.num.8. de priuileg.*

26 Innouatio priuilegij dat ius nouum?
Reſp. Non, ſed confirmat ius vetus. *cap. quia, il primo, de priuileg.*

27 Priuilegium cũ quibus ſolemnitatibus innouatur?
Reſp. Cum citatione partis, & auctoritate Iudicis ſuperioris. *c.quia, il 2.de priuileg.Abb.ibi.cap. delicta. de confirmatione vtili, vel inutili, num.*5.

28 Dignitas Epiſcopalis quibus locis debet tribui?
Reſp. Non debet tribui niſi locis populoſis, quia hoc eſt priuilegiũ dignitatis Epiſcopalis. *c.1.de priuil.*

29 Poſſuntne Epiſcopi celebrare tempore interdicti?
Reſp. Si non fuerunt culpabiles, celebrare poſſunt. *cap.quod, de priuilegis. capite, final. de ſent. excommun. libro 6.*

30 Priuilegium fori deſcendit laicum inuadentem Eccleſiam, quò minus ab Eccleſia puniatur?
Reſp. Licèt forum Eccleſiaſticum ſit diſtinctum à foro laicorum, non repugnat, vt laicus violans Eccleſiam puniatur ab Eccleſiaſtico. *c.ſicut de priuil.*

31 Mandans committi delictum in vno loco, vbi punitur, in loco, vbi fuit delictum, vel vbi mandauit?

Reſp. Vbi

Reſp. Vbi fuit mandatum, quia ibi fuit prima occaſio, & radix delicti. *Abbas cap.patent nu. 5 de priuil.*

32 Si quis Clericus deprehendatur in maleficio ſine habitu, & tonſura, gaudet nè priuilegio clericali?
Reſp. Non, ſed quia malitijs hominum non eſt indulgendum, ſed potiùs obuiandum, & ſic talis poteſt capi ſine metu excommunicationis à iudice laico, & poſtea remitti Iudici Eccleſiaſtico cum proceſſu. *c. ex parte tua, il 3. de priuil. Abb. ibi n. vlt.*

33 Patroni ſeculares quam rationem habent in preſbyteros ſeculares, vel regulares?
Reſp. Nullam ciuilem, neque criminalem, niſi ſolùmmodò quòd poſſunt tempore vacationis eos ante Epiſcopum præſentare, & ante Epiſcopũ exigere rationem redituum. *Abb. cap. cum & plantare, de priuileg. num. 6.*

34 Propriè quando dicitur aliquod eſſe nouum?
Reſp. Durante primo anno, quid dicitur nouum, & poſt annum aliqua res proprie non dicitur noua. *Ab. c. fin. de priuileg. nu. 1*

35 Si quis habeat priuilegium de decimis nõ ſoluendis, & poſtea ſuccedant nouales, decimæ includuntur ne in priori priuilegio?
Reſp. Non, quia in priuilegio decimæ nouales non ſunt expreſsæ, & Papa non intendit concedens priuilegium alicui, lædere in re, quæ in iudicium non erat deducta. *c. dudum, de priuileg.*

36 Decimæ nouales erunt ſemper noualia?
Reſp. Quòad immunitatẽ de decimis non ſoluendis de noualibus ſemper erunt nouales, quia principium conſiderandũ eſt, & ſi res in principio eſt priuilegiata, ſemper erit priuilegiata. *c. final. de priuil.*

37 Religioſi tenentur ſoluere decimas?
Reſp. Tenentur de iure. *Abb. in c. ſi de terra, de priuileg. num. 2.*

38 Religioſi exempti debent percipere decimas à laicis ſine licentia Epiſcopi diœceſani?
Reſp. Non, quia hoc eſt priuilegium Epiſcopi, vt nemo ſine ſua licentia percipiat decimas. *c. cum, & plantare. de priuileg.*

39 Religioſi exempti poſſunt admittere excommunicatos ad diuina in ſuis Eccleſijs?
Reſp. Non, neque vti hoc priuilegio. *c. cum, & plantare, §. excommunicatos, de priuil.*

40 Religioſi Hoſpitalis Hieroſolymitani poſſunt celebrare abſque pœna in loco interdicto?
Reſp. Ex priuilegio ſolùm ſemel in anno, ſed nõ poſſunt ſepelire corpora mortuorum. *c. cum, & plantare. §. quod ſi, de priuileg.*

41 Religioſo credendum eſt ſuo verbo, ſi dicat ſe habere priuilegium?
Reſp. Nemini credendum eſt, qui vèrbo dicat, ſe habere priuilegium, niſi monſtrato, & examinato priùs priuilegio. *cap. porrò de priuilegijs in gloſſ. Abb. ibi numero 1.*

42 Si quis dicat ſe eſſe exemptum à iuriſdictione Epiſcopi, quia ſoluit cenſũ ſuæ exemptionis Romanæ Eccleſiæ, ſufficit ne hæc probatio?
Reſp. Non ſufficit hæc probatio, vt quis eximatur à iuriſdictione Epiſcopi, cum hæc ſit de iure communi. *c. recepimus, de priuilegijs.*

43 Cum Summus Pontifex concedit aliquam Eccleſiam aliquibus Religioſis, poſſunt, ne ipſi ſua auctoritate ſumere poſſeſſionem?
Reſp. Non, ſine licentia Epiſcopi niſi aliud in hac occaſione exprimatur; ratio eſt, quia ad hoc non debet derogari Trident. ſynod. quæ hanc auctoritatem dat Epiſcopis, vt ſine eorum conſenſu non poſſint Religioſi accipere poſſeſſionem Eccleſiarum, neque nouas Eccleſias ędificare. *capit. paſtoralis de priuileg.*

44 Fratres tertij Ordinis S. Franciſci gaudent ne Eccleſiaſticis priuilegijs?
Reſp. Non, ſed à ſuis Iudicibus laicis iudicantur, quia habitant in domibus, & non in clauſtris. *Ab. c. cum, & plantare, de priuileg. n. 4.*

45 Fratres conuerſi, ſiue oblati gaudent ne priuilegijs Religioſorum?
Reſp. Si ſint extra clauſtra, viuantque in ſuis domibus, nõ gaudent tali priuilegio, & percutiens, & effũdens eorum ſanguinem non excommunicatur, quia hoc priuilegium ſolùm conceſſum eſt fratribus conuerſis, qui viunt intra clauſtra monaſterij, & ſe, ſuaque perpetuò dicarunt Deo. *cap. vt priuilegia, de priuileg. Abb. ibi nu. 3.*

46 Hoſpitalia quibus priuilegijs gaudent?
Reſp. Gaudent priuilegijs conceſſis Eccleſijs, tàm in exactione redituum, quàm in defenſione eorum, ſi hoſpitalia habeant Eccleſias, vel capellas cum capellanis. *Abb. cap. accedentibus, de priuil. n. 3.*

47 In Oratorijs priuatis poſſunt poni campanæ publicę?
Reſp. Non, etiam ſi oratoria ſint exemptorum. *cap. patentibus, de priuil.*

48 Hoſpitalia præſumuntur Eccleſię publicę, vel priuitæ?
Reſp. Si in eis ſit campana, vel celebretur miſſa, pręſumuntur publica Oratoria, & auſtoritate Epiſcopi conſtructa, etiamſi non habeant ſcripturam. *Abb. c. patentibus, de priuileg. n. 1.*

49 Oratoria priuata in domibus, vel prope domus gaudent priuilegijs Eccleſiarum, ad hoc, vt delinquẽtes non poſſint diſtrahi ex eis?
℞. Non gaudent tali priuilegio, licet ibi celebretur Miſſa, quia illud priuilegium ſolum conceſſum eſt Eccleſijs publicis ſacratis, & benedictis. *Abb. c. patẽtibus. de priuil. nu. 3.*

50 Ex qua cauſa poteſt interdictum poſitum non ſeruari?
℞. Si ille, in cuius fauorem latum fuit interdictum, illud non ſeruat, alij non tenentur illud ſeruare, quia nemo debet alijs legem, & iugum imponere, quam ipſe negligit. *c. petiſtis. de priuil.*

51 Si ille, contra quem poſitum fuit interdictum, illud non ſeruat, tenentur nè alij illud ſeruare?
Reſp. Tenentur, & ille talis debet puniri. *c. petiſtis de priuileg.*

52 Continuata poſſeſſio quomodo comprobatur?
Reſp. Probato principio, & fine, probatur cotinuata poſſeſſio, & talis præſumitur. *Abb. c. accedentibus. de priuil. nu. 6.*

53 Quando in aliqua derogatione generali non fit mentio de priuilegijs particularibus, vel de conſuetudinibus, intelliguntur ne derogata, ſicut in pluribus locis Concil. Trident. apparent dictæ derogationes?
℞. Clauſulæ generales, quę ſolent apponi in Concilijs generalibus, & in bullis Summi Pontificis, dicentes, non obſtantibus priuilegijs, & conſuetudinibus in contrarium, quæ omnia derogamus, quaſi

de ig-

deipſis facta fuiſſet expreſſa mentio; tunc iſta verba ponuntur ad derogationem priuelegiorum particularium. Primò, quia Concil. Trid. non poteſt inſere omnia priuilegia, & conſuetudines. Secundò, quia aliàs totum Concilium nihil derogaret. Tertiò, quia regulæ generales, quod priuilegium non derogatur, niſi de illo fiat expreſſa mentio, intelligitur ſolùm quando priuilegium particulare derogatur ad damnum alicuius, & commodum alterius, ſed non in lege generali derogans generalia, & particularia priuilegia ad ſtatuendam aliquam legem generalem magis neceſſariam Reipublicæ, & ſic intelligendus eſt textus. *c. veniens de præſcriptionibus, & gloſſ. vltima. c. 1. de præſcriptis, ver. mandatum littera C.*

CAPVT XV.

De purgatione canonica.

1 QVi eſt purgatio?
Reſp. Eſt oſtenſio innocentiæ de crimine obiecto. *c. 1. de purg. canonica.*

2 Quotuplex eſt?
Reſp. Duplex canonica, & vulgaris?

3 Quæ eſt canonica?
Reſp. Quæ fit per iuramentum ſolemne. *c. 1. de purgatione canonica, c. præsbyter. 2. q. 5.*

4 Quæ eſt forma purgationis canonicæ?
Reſp. Purgans de mãdato iudicis tacta cruce, & ſanctis Euangeliis, iurat ſe immunem eſſe à crimine ſibi obiecto. *cap. quoties, & cap. vlt. de purgat. can.*

5 Compurgatores quid debent iurare?
Reſp. Se credore illum veritatem iuraſſe. *c. quoties, de purg. can. c. de teſtibus, de purgat. can.*

6 Quis numerus compurgatorium debet eſſe?
Reſp. Hodie eſt in arbitrio iudicis, inſpecta qualitate perſonæ, & delicti. *c. cum in iuuentute, de purg. can. c. inter ſollicitudines, eod. tit.*

7 Quid debet Iudex conſiderare in dicenda purgatione canonica?
Reſp. Primò, perſonam. Sendò, delictum. Tertiò, tempus. Quartò, locum commiſſi delicti. *cap. final. de tranſact.*

8 Compurgatores quas qualitates debent habere?
Reſp. Debent eſſe viri bonæ vitæ, & famę, & habere notum eum, quem purgant in vita, moribus, & fama. *c. cum Petrus. c. conſtitutus. de purg. can. & c. cum dilectus. eod. tit.*

9 Compurgatores debent nè à Iudice impediri, ne faciant compurgationem?
Reſp. Non. *c. cum Petrus, de purg. can.*

10 Deficiens in purgatione qua pœna punitur?
Reſp. Punitur, vt conuictus ſecundum qualitatem delicti. *c. cum Petrus. c. inter ſollicitudines. de purg. can.*

11 Iudex poteſt compellere aliquem ad purgationẽ canonicam faciendam?
Reſp. Affirmatiuè, nam eſt quoddam genus probationis, & defenſionis a iure in fauorem veritatis. *c. nos inter alios. de purg. canon.*

12 In quo caſu, & delicto debet Iudex concedere purgationem canonicam?
Reſp. Solùm in delicto occulto improbabili, nam in delicto probabili, vel manifeſto non conceditur purgatio canonica. *c. ſi quis, de purgatione canonica, & c. accedens, eod. tit.*

13 Qui non admittuntur ad purgationem canonicã?
Reſp. Periuri, latrones, deprehenſi in falſo teſtimonio. *c. 1. de purgatione canonica.*

14 Regulares admittuntur ne ad purgationem canonicam?
Reſp. Affirmatiuè, ſecundum ius, & regulam canonicam ſui inſtitui. *c. moniales, de purgatione canonica.*

15 Prælatus debet iurare de calumnia?
Reſp. Poteſt, & debet iurare ſe poſt ſuã promotionẽ illa crimina non commiſiſſe. *c. accepimus, de purgatione canonica.*

16 Infamatus de naturalibus ad ſuſcipiendos ordines debet ſe purgare?
Reſp. Affirmatiuè, & non eſt admittendus, donec ſe purgauerit. *c. accedens, de purg. canon.*

17 Ante purgationem canonicam poteſt ne quis ſuſpendi ab officio, vel beneficio?
Reſp. Poteſt aliquando propter magnitudinem criminis. *c. inter ſollicitudines, de purgatione canonica.*

CAPVT XVI.

De purgatione vulgari.

1 QVÆ eſt purgatio vulgaris?
Reſp. Illa, quam ſibi vulgus inuenit. *c. ex tuarum, de canonica purgatione. Abb. in rubrica, de purgat. vulg.*

2 Quibus modis fit purgatio vulgaris?
Reſp. Primo, per promiſſionem alicuius rei difficilis, vel impoſſibilis, vel quæ ſine miraculo fieri nõ poteſt. Secundò, per tactum ferri candentis. Tertio, per tactum aquæ frigidiſſimæ, vel feruentis, vt per immiſſionem in fornacem ardentem. Quarto, per ſaltum ex aliquo alto monte. Quinto, per pugnam in duello, vel torneamentis contra vnum, vel plures, & hæc frequentior eſt. *c. mennam. 2. q. 4. cap. 1. de purgat. vulg.*

3 Iſta purgatio eſt ne licita?
Reſp. Non, ſed reprobata, & condemnata à iure, & *à Sancto Concilio Trid. c. 19. ſeſſ. 25. c. ex tuarum, de purgatione canonica.*

4 Quare non eſt licita purgatio vulgaris?
Reſp. Primò, quia inuenta eſt ab inuidia, & ignorantia. Secundò, quia in ea Deus tentatur, & tentari non debet. Tertiò, quia talis probatio fallibilis eſt, & ſępè poteſt innocens condemnari. *c. ſignificantib. de purgat. vulg. c. queritur. 22. quæſtio 2. c. conſuluiſti. 2. quæſtion. 4.*

5 Si quis faciat purgationem vulgarem, & abſolutus, poterit ne iterum accuſari de eodem delicto?
Reſp. Talis abſolutio non tenet, neq; eſt valida, & ſi ea non obſtante, poterit talis iterum accuſari quaſi non eſſet abſolutus. *capit. ex tuarum. de purgatione canonica.*

CAPVT

CAPVT XVII.

De Iniurijs, & damno dato.

1 QVid eſt iniuria?
Reſp. Eſt illud quod non fit iure.

2 Quare dicitur iniuria?
Reſp. Quia talis res caret iuſtitia, & iure. *l. 1. ff. de iniurijs.*

3 Quibus modis ſumitur iniuria?
Reſp. Pluribus modis. Primo, ſumitur pro culpa. Secundo, pro iniquitate, vel iniuſtitia. Tertiò, pro contumelia. Quartò, pro iniuſtitia, vel iniquitate iudicanti. *l. 1. ff. iniurijs.*

4 Quibus modis fit iniuria?
Reſp. Tribus, verbis, re, & litteris; re, vt cum quis percutit aliquem; verbis, cum illum verbis iniurioſis offendit; litteris, cum quis contra aliquem ſcribit famoſos libellos, *l. 1. ff. de iniurijs. §. 1. l. lex Cornelia. §. ſi quis librum. ff. de iniur.*

5 Iniuria quotuplex eſt?
℞. Triplex: vna leuis, cum quis leuiter percutit alium. Secunda atrox, vt cum ferro, vel ligno, aut enſe atrociter eum percutit. Tertia atrociſſimè, vt cum ſuperiorem inferior percuteret, vel ei pararet inſidias, vt per totum titulum. *ff. de iniurijs.*

6 Cui competit actio iniuriæ?
℞. Ei, qui iniuriam paſſus eſt, & contra eum, qui cum iniuriauit. *Inſt. de iniurijs, §. patitur.*

7 Si quis fecit iniuriam alicui, & moriatur, datur ne hæc actio contra ſuos hæredes?
℞. Non, ſed morte finitur, quia delictum perſonale naſcitur cum perſona, & extinguitur cum perſona. *l. non ſolum. §. 1. ff. de iniur.*

8 Si quis fecit damnum cum iniuria pretio æſtimabile, & moriatur, quæ actio dabitur aduerſus eius hæredes?
℞. Hæredes eius tenentur de bonis defuncti ſatisfacere; quia hæc actio eſt ciuilis, & agitur de pretio æſtimabili.

9 Si quis percutiat alium, qua pœna punitur?
℞. Criminaliter punietur pœna legis ſed ciuiliter ſoluèt operas amiſſas, expenſas factas in curatione, & ſi talis percuſſus remanſerit minus habilis ad laborem, ſatisfaciat pro damno facto, præſtando illi alimenta in futurum arbitrio medicorum peritorum, & iudicis. *c. 1. de iniur. Abb. ibi, nu. 5.*

10 Si quis prouocabit alium ad pugnam, poterit cõtra illum vti ratione iniuriarum, ſi ab eo fuit percuſſus, vel brachium, vel manus eius abſciſſa?
℞. Licèt mitius puniatur prouocatus, quam prouocans; tamen non licet prouocato perſequi prouocãtem fugientem, ſed ſolùm licet defendere ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi exceſſerit, poterit prouocans accuſare prouocatum ante iudicem, & petere vindictam ſui damni. *l. ſi plagis. §. tabernarius ff. ad legem Aquilia. Abbas capit. 1. de iniurijs. numero quinto.*

11 Iniuriatus poteſt ſimul agere criminaliter, & ciuiliter ſimul contra iniuriantem?
Reſp. Non, ſed ſeparatim, ita tamen, quòd ſi criminaliter in pœna mortis vel corporis condemnet iniuriantem, non poterit ab eo petere ciuiliter damnũ, quia quis duplici pœna non punitur. *leg. prator. ff. de iniur. Abb. c. 1. eod. tit. num. 9.*

12 Si iniuriatus remittit verbo, vel ſcripto iniuriam, cenſetur ne remiſiſſe ſuum intereſſe?
Reſp. Non, niſi illud explicet, & ita actione ciuili poterit petere damnum. *Abb. c. 1. de iniur. num. 6.*

13 Qui iurat ſe non petere damnum acceptum ab alio, poterit petere expenſas?
Reſp. Poterit, quia damnum, & expenſæ ſunt duæ res diſtinctæ, & iuramentum non extenditur pluſquã ad rem iuratam. *capit. in noſtra. de iniur. Abbas ibi nu. vltimo.*

14 Delictum quando debet puniri a iudicibus etiam parte contenta, vel non querelante?
Reſp. Semper quando concernunt vindictam, & exẽplum publicum. *Abb. c. 1. de iniur. ſeſſ. 1.*

15 Si quis fouet foueam, vel ciſternam, & animal in ea moriatur, qua pœna punietur?
Reſp. Soluit pretium animalis, & animal mortuum ſuum erit, quia qui cauſam damni dat, ipſum damnum dare videtur. *c. ſi quis, il 1. de iniur.*

16 Si quis ponat venenum in fluuio ad occidendos piſces, vel in alio loco ad occidenda animalia, ſi ex hoc proueniet damnum hominibus, vel beſtijs, qua pęna punietur?
Reſp. Omne damnum, quod fecerit, ſatisfaciet, & ſi hominem occiderit, punietur inſpectata occaſione culpæ. *Abb. c. ſi quis, il 1. de iniur. num. 2.*

17 Qui ſuccendit ignem in agro caſualiter, qua pœna punitur?
Reſp. De iure ciuili reddit damnum, & ſoluit ſegetes crematas. *c. ſi egreſſus, de iniurijs.*

18 Si quis dè ſua voluntate accendit domum, vel agrum, qua pœna punitur?
Reſp. Pœna mortis, quia in damnis latis attenditur voluntas, & eſt excommunicatus in Bulla cœnæ Domini, tanquam incendiarius, & depopulator agrorum, *c. ſi quis, il. 2. de iniur.*

19 Qui potuit obuiare damnum, & non fecit, qua pœna punitur?
Reſp. Si potuit obuiare ſine euidenti ſuo periculo, cenſetur, quòd ille fecit damnum, & punietur, ſed mitior ſecundo quantitatem negligentiæ. *Abb. in c. fin. de iniur. num. 4.*

20 Infantes, & furioſi tenentur ad damnum, quod fecerunt?
Reſp. Non tenentur, quia intellectum non habent, & ad ſoluendũ damnum requiritur culpa, vel negligentia, hæc non cadit in furioſis, quia priuati ſunt libero arbitrio. *cap. fin. de iniur. & damno dato.*

21 Si aliquis facit iniuriam, vel dat damnum dicendo veritatem, qua pœna punitur?
Reſp. Nulla pœna ſicut qui libello accuſat aliquem de latrocinio, vel expellit ad teſtificandum contra ipſum teſtem, opponendo eſſe ebrium, & id probat, ad nihil tenetur, quia agit de ſuo intereſſe. *c. teſtimonium de teſt. c. licet, de accuſationib.*

22 Si accidat, quòd prouocatum animal irrationale, aliud animal, vel hominem occidat pedibus, vel morſu, dominus tenebitur ne ad damnum?
Reſp. Non tenebitur ad damnum, quia animal caret ratione, & non tenetur ad moderamen inculpatę tutelæ.

telæ. *l.1.ff.ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur, Abb. c.1.de iniur.nu.3.*

23 Si bos, vel equus aliquem occiderit non prouocatus, ad quid tenebitur dominus equi?

Reſp. ſciuit tale animal eſſe damnoſum, & non cuſtodierit, tenetur ſatisfacere damnum pro negligentia commiſſa. *Abb. c.ſi bos, de iniur.num.1.*

24 Si quis mittit iumentum in agrum, vel vineam alterius, ad quid tenebitur?

℞. Ad ſatisfaciendum damnum taxatum per æſtimatores, & iudicem. *c. ſi læſerit, de iniur.*

25 Si quis inueniat animal in agro ſuo, poterit propria auctoritate illum retinere, donec ſatisfacere ei damnum dominus animalis?

Reſp. Non, quia retinet rem alienam contra voluntatem domini, ſed poterit portare animal in locũ communem, & petere à domino coram iudice damnum. *Abb.c.ſi læſerit, eod.tit.noſtro, num.3. l.ratis.ff.de incendio. ibi Bart.*

26 Sæcularis poteſtas, quæ clericum banniuit, vel incarcerauit, qua pœna punietur, & per quem iudicem?

Reſp. Per Iudicem Eccleſiaſticum, & talis Iudex cõdemnandus in expenſis, & in damno, & iniuria clerico facta, quia banna contra libertatem Eccleſiaſticam non tenent. *c.olim, de iniur. c. ſi quis ſuadente, clementinam 1.de pœnis.*

27 Pœna pecuniaria impoſita laico, cui debet applicari, & qualis debet eſſe?

Reſp. Debet applicari Clerico iniuriato, & taxari ſecundun qualitatẽ iniuriæ, conſiderata perſona iniuriata, dignitate ſacerdotij, cauſa publicata, ſcandalo, tẽpore, & conſiderata perſona iniuriantis, quæ omnia relinquuntur arbitrio Iudicis Eccleſiaſtici. *Abb. c.olim, de iniur.num.3.*

CAPVT XVIII.

De verborum ſignificatione.

1 Significatio quid eſt?

Reſp. Eſt demonſtratio facta proprijs nominis, vel rei, de qua agitur, vt intelligatus eius veritas, & eſſentia. *Azor.in ſum.tit.de verbor.ſignifica.*

2 Verba quomodo ſunt interpretanda?

Reſp. Non ſecundum id quod ſonant, ſed ſecundum mentem proferentis, quia verba inuenta ſunt ad explicandum, & declarandum conceptum mentis, cum voces, & verba ex Ariſtotele ſint ſignificatiua ad placitum, *cap. intelligentia, de verborum ſignificat.*

3 Præpoſitus quas ſignificationes habet?

Reſp. Licèt omnes, qui alijs præſunt, vel curam aliorum habent, dicantur, qui habet beneficium, vel præpoſituram. *c. quamuis, de verborum ſignificatione.*

4 Forum vnde dicitur?

Reſp. Forum eſt locus propriè, vbi lites terminantur, dicitur à fando, ſiue à Rege foraneo, qui primus dedit leges Athenienſibus, & conſtituit forum, ſiue locum, vbi Iudices conueniunt. *c. forus, de verborum ſignificatione.*

5 Forum quid ſignificat?

Reſp. Si eſt generis neutri ſignificat cãpum, plateã, vel forum, vbi publicè res venduntur, & homines conueniunt; quando eſt generis maſculini ſignificat locum conſtitutum ad iudicandum, vel priuilegium, quod Clericus habet, vt in foro Eccleſiaſtico, vt in tali conueniatur. *Abb.cap.forus, de verb.ſign.nu.1.*

6 Quid eſt pactum?

Reſp. Pactum dicitur ſcriptura inter partes facta ratione pacis legibus, ac moribus comprobata, & dicitur pactum quaſi ex pace factum. *c.pactum, de verbor. ſignificat.*

7 Ius vnde dicitur?

Reſp. A iure. *c.ius, de verborum ſignificat.*

8 Oblatio quid ſignificat?

Reſp. Quidquid à fidelibus Eccleſijs offertur, cuiuſcumq; generis ſit. *c.cauſa, de verborum ſignificatione. c.cum inter, eod.tit.*

9 Quid requiritur, vt aliqua res data Eccleſijs dicatur oblatio?

Reſp. Primò, quòd offerens ſit Chriſtianus, quia ab infidelibus nihil Eccleſia recipit, vt *c.quãto de vſuris.* Secundò, vt offeratur Eccleſijs, & non perſonæ ſæculari, tunc propiriè dicitur donatio. Tertiò, quod res oblata ſit bono iure acquiſita. *c. quia de vſuris. c. ex tranſmiſſa, de decimis. Abb.c.cauſa, de verbor.ſignific.num.1.*

10 Appellatione Clerici veniunt ne Canonici?

Reſp. Veniunt in omnibus fauorabilibus, cum Clerici ſint, & canonicatus ſit quædam dignitas, & honor ſupra clericatum augens eorum priuilegia. *cap. cum Clerici, de verb.ſign.*

11 Quando Iudex ponit aliquam pœnam, quam debet imponere?

Reſp. Ex duabus pœnis debet ponere illã, quæ magis timetur, vt homines arceantur à delictis. *Abb. c. quærenti, de verbor.ſignif.n.3.*

12 Appellatione Eccleſiaſticæ cenſuræ quid comprehenditur?

Reſp. Excommunicatio, ſuſpenſio interdictum, ceſſatio à diuinis. *capit. quærenti, de verborum ſignificatione.*

13 Quis dicitur hæreticus manifeſtus?

Reſp. Ille qui contra fidem Catholicam publicè prædicat.

14 Quando dicitur lis mota?

Reſp. Quando fuerit conteſtata, & non ante, & quãdo quis condemnatur in expenſis à tempore motæ litis intelligitur, & numeratur tempus à die conteſtationis. *c.ex parte de verborum ſignificatione. il 2.*

15 Moderatio quid dicit?

Reſp. Diminutionem, & non augmentum. *cap.fin.de verb.ſign.*

16 Dictiones negantes aliquid fieri certo tempore, dicunt ne illud factum eſſe alio tempore?

Reſp. Non, quia negatiua ſtricta certo tempore nõ affirmat illud factum eſſe alio tempore, ſicut ſi quis dicat, Petrus non fuit interfectus hora tertiæ, non ideò dicit, & affirmat, quòd fuerit interfectus hora ſextæ. *Abb.c.quod dicitur, de verborum ſignificatione, num.2.*

17 Quid appellatur nouale?

Reſp. Illud, de cuius cultura non eſt memoria, vel mons quando ſublatis arboribus reducitur ad culturam tritici. *c.quid.de verb.ſign.*

18 Quid eſt nouale?

℞. Eſt

℞. Eſt terra noua ad culturam redacta. *capite, primo. de verborum ſignificatione*,

19 Quando dicitur aliqua res noua?

℞. Quando eſt tota noua, neque ſufficit, ſi aliqua pars ſit noua. *Abb. capit. 1. de verborum ſignificatione, numero 2.*

20 Si factum vario modo narretur, vitiatur ne veritas eius?

Reſp. Non, quia diuerſis verbis, & diuerſo modo poteſt eadem veritas explicari, & dici, & non ideò eadem veritas vitiatur. *c. nihil, de verb. ſign.*

21 Hoc nomen pater quibus modis ſumitur?

Reſp. Si ſtrictè ſumatur, ponitur pro patre, qui hominem genuit. Si largè ſumatur, appellatione patris veniunt omnes aſcendentes. *c. nam. & Rex de ver. ſign.*

22 Filij appellatione qui nominantur?

℞. In iſta ſignificatione ſolùm filij, quos pater genuit, in largâ ſignificatione veniunt omnes deſcendentes ab illo patre, vt nepotes, & reliqui. *Abb. c. nã, & Rex, de verborum ſignific. num. 4.*

23 Quis dicitur vnigenitus?

Reſp. Propriè ille, qui non habuit alium fratem, vel ſi habuit incontinenter deceſſit. *c. nam, & ego, & Ab. ibi num. 1. de verb. ſignific.*

24 Qui ſtatim deceſſit, dicitur ne natus?

Reſp. Non dicitur natus, quia propriè non dicitur factum, quod non durat factum. *c. nam, & ego de verbor. ſignific. in gloſſ.*

25 Primogenitus quis dicitur?

Reſp. Qui primò naſcitur, licèt nullus ſequatus, ſiue alij ſequantur. *c. Ioſeph. de verborum ſign.*

26 Si premium debet dari primo venienti, & non veniat, niſi vnus, dabitur ne ei?

Reſp. Licèt primò veniens indicet, quòd alij debent venire poſt eum, tamen ſi non veniat, niſi vnus illi debet dari, quia ſic vſus interpretauit. *Abb. c. Ioſeph. de verb. ſign. num. 4.*

27 Concilium generale quam poteſtatem habet?

Reſp. Habet illam poteſtatem, quam habet Papa, cum eius auctoritate eſt congregatum; ratio eſt, quia omnis auctoritas à Papa emanat. *Abb. c. ſuper de ver. ſignific. nu. 3.*

28 Cuius eſt interpretari leges?

Reſp. Eius, cuius eſt condere. *c. ex parte, il 3. de verborum ſignificat. in gloſſ.*

29 In omni iudicio quæ perſonæ requiruntur?

Reſp. Quatuor Iudex, accuſator, reus, & teſtis. *gloſſ. c. forus, de verborum ſignificat.*

30 Sententia degfinitiua poteſt fieri per hoc verbum ſtatuo, & præcipio?

Reſp. Affirmatiuè, quia idem eſt, ac ſi dixiſſet, ſententio hoc, dicere ſtatuo, & præcipio hoc, *cap. in ijs de verborum ſignificatione.*

31 Excommunicatus, vel interdictus quando debet abſolui præſtita cautione?

Reſp. Quando eſt excommunicatus ob contumaciam & ob delictum dubium, tunc præſtita cautione de ſtando iuri abſoluitur; ſi verò ſit excommunicatus ob offenſam manifeſtam, tunc debet ſatis facere ante abſolutionem, *capite ex parte, il 1. de verborum ſignificat.*

32 Cautio iuratoria quando recipitur?

Reſp. Quando alia haberi non poteſt paupertatem, *Abb. c. ex parte, il 1. de verb. ſignif.*

33 Quando dicitur delictum manifeſtum?

Reſp. Confeſſione, probatione, facti euidentia, *cap. cum olim, de verborum ſignificat.*

34 Quis poteſt imponere pedagia?

Reſp. Solus Imperator, vel Rex, vel Domini abſoluti, *c. ſuper, de verborum ſignificat.*

35 Pro quibus delictis poteſt Clericus degradari, & tradi curiæ ſæculari?

Reſp. Primò, propter incorribilitatẽ in crimine graui. Secundò, propter conſpirationem in ſuum Epiſcopum, Tertiò, propter falſitatem in Bullis Apoſtolicis. Quartò, propter pertinaciam in crimine hereſis, vel ſi fuit relapſus. Quintò, ſi ſit aſſaſſinus. Sextò, ſi ſit publicus prædator, vel incendiarius, & in alijs grauiſſimis delictis, quæ diuerſis in locis exprimũtur in iure *Abb. in cap. nouimus, de verborum ſignificat. numero 8.*

36 In degradatione Clerici quæ ſolemnitas debet interuenire?

Reſp. Vltra Epiſcopum, & cæremonia degradationis, ſeptem Abbates, vel dignitates debet poteſtas ſecularis eſſe præſens. *c. nouimus de verb. ſign.*

37 Conſuetudo, cuius non extat memoria, quã vim habet?

Reſp. Inducit ius, ſiue priuilegium. *c. ſuper de verborum ſignificat. in gloſ.*

38 Conſuetudo requirit titulum, vel priuilegium?

Reſp. Non, neque principium, quia ſi haberet priuilegiũ, haberet principium, & non eſſet tam fortis, ſicut illa, cuius non extat memoria. *Abb. c. ſuper. nu. 9. de verb. ſign.*

39 Beneficium Principis quomodo debet interpretari?

Reſp. Latiſſimè, quando non eſt in præiudicium alterius. *c. olim, de verborum ſignificat.*

40 Conſuetudo, quòd Clerici poſſint diſponere in teſtamento, vel extra de bonis acquiſitis, valet ne?

Reſp. Valet, quia eſt in fauorem Clericorum *Abb. c. cum tibi de verbo. ſignific. nu. 2.*

41 Quando quis habet priuilegium de percipiendis fructibus ſuorum beneficiorum in abſentia, vel poſt mortem per quinquennium, de quibus beneficijs intelligitur?

Reſp. De omnibus beneficijs maioribus, & minoribus, quę obtinet tempore conceſſionis; ratio eſt, quia cum nullus habet ius acquiſitum ad illa beneficia, non eſt in damnum alicuius, & ſic largè eſt interpretandum ex regula, odia debent reſtringi de regulis iuris *in 6. c. tua nobis. de verbor. ſignific.*

42 Quando licèt conceditur hoc priuilegium de percipiendis fructibus poſt mortem?

Reſp. Quando quis habet plurima debita, & conſumpſit bona ſua in re aliqua licita, neceſſaria, vel vtili Eccleſiæ, ſicut in legatis pro Sede Apoſtolica, in defendendo ſuam Eccleſiam, in ædificandis, & reparãdis Eccleſijs, vel monaſterijs, in nubendis orphanis, etiam ſi ſint eius ſorore, vel nepotes ſecundum qualitatem ſui ſtatus. *Abb. c. tua nobis, num. 2.*

43 Numerus Canonicorum poteſt minui?

Reſp. Poteſt à Sum. Pont. quando facultates Eccleſiæ ſunt ita diminutæ, vt non poſſint viuere conſiderato tempore, & pretio rerum, quod ſingulis annis creſcit qualitate perſonarum, & magnitudine Eccleſiæ. *c. fin. de verb. ſign. num. 2.*

44 Si alicui datur poteſtas à Summo Pont. vt diminuat Canonicos cauſa diminutionis redditũum, & poſtea

poſtea redditus creſcant, poterit iterum augere Canonicos, ſicut diminuit?
Reſp. Non, ſine noua commiſſione à Papa; ratio eſt, quia commiſſio extendi non debet, neque fines mandati tranſgrediendi ſunt, & delegatio non extenditur vltra caſum expreſſum. *Abb. c. fin. de verb. ſignific. numero* 5.

45 Teſtes dicuntur ne ſingulares, ſi conueniunt in facto, & diſcrepant in ſerie, & modo dicendi?
Reſp. Non, ſed vniformes, quia concordant in eodē facto, & veritate. *c. nihil. de verb. ſign. Abb. ibi nu.* 1.

46 Si quis teſtes inducat ad probanda aliqua verba formalia, & certa, veluti aliquod verbum iniurioſum, ſicut latro, probant ne, ſi dicant verba æquipollentia?
Reſp. Non, quia agitur de certo verborum, ſiue indiuiduo iniurioſo, & ſic debent concordare in tali verbo iniurioſo. *Abb. c. nihil, de verborum ſignificatione, num.* 2.

47 Si vnus teſtis dicat ſuum dictum, & alij dicant eadem ſerie, & eodem modo per eadem verba, talis teſtis probat ne?
Reſp. Habentur, vt ſuſpecti, & quod omnes ſint corrupti, vt eodem dicant ſermone, *vt habetur. l.* 3. *poſt principium. ff. de teſtib. Abb. in c. nihil, de verbor. ſignific. num.* 3.

48 In teſtibus quid conſideratur?
Reſp. Tria, ſcilicet natura, vita, & conditio. *gloſ. cap. forus. de verb. ſignificatione.*

49 In muliere teſte, quid eſt conſiderandum?
Reſp. Vltra illa tria, earum inſtabilitatem, quia ſemper varia proferunt, & ſunt teſtimonia non ita valida, ſicut virorum. *cap. forus, de verborum ſignificatione in gloſſ.*

CAPVT XIX.

De regulis iuris.

1 IVdex quas qualitates debet habere?
Reſp. Debet habere miſericordiam, & ſeueritatem, & non vnum ſine alio. *Abb. c. eſtote, de regulis iuris, num.* 3.

2 Obligatio temporalis quomodo contrahitur, & diſſoluitur?
Reſp. Obligatio temporalis conſenſu contrahitur, diſſenſu diſſoluitur. *c.* 1. *de regul. iuris.*

3 Copia indiciorum ad torturam, eſt ne danda reo?
Reſp. Si petat, eſt illi danda copia indiciorum, & eſt admonendus, vt abſque tortura dicat veritatem. *Abb. c. cum in contemplatione, de reg. iur. nu.* 3.

4 Tortura poteſt dari, ſi veritas aliunde poteſt haberi?
Reſp. Non, neque quando cauſa eſt plenè probata. *cap. cum in contemplatione. Abb. ibi nu.* 2.

5 Tortura quomodo debet eſſe?
Reſp. Moderata, ita quod tortus ſeruetur incolumis ad ſupplicium, vel liberationem. *l. quæſtionis. ff. de quæſtionibus.*

6 Confeſſio facta in tortura præiudicat?
Reſp. Non præiudicat reo tamquam factā per vim, niſi ratificetur extra locum torturæ, in termino vigintiquatuor horarum, quia tunc ius præſumit, quòd liberè, & abſque metu quis dicit veritatem. *Abb. cap. cum in contemplatione, de reg. iur. num.* 7.

7 Quid debet conſiderare Iudex ad atrocitatem, vel lenitatem torturæ?
Reſp. Grauitatem, vel paucitatem delicti, perſonam robuſtam, vel debilem, ætatem, infirmitates, indicia magna, vel pauca, his benè conſideratis debet dari adæquata his circumſtantijs. *Abb. cap. cum in contemplatione, de reg. iur. num.* 6.

8 Teſtis, quando poteſt torqueri?
Reſp. In criminalibus torquetur, quando vacillat, & quando alij teſtes dicunt ipſum ſcire caſum, & fuiſſe præſentem, & ipſe non vult dicere veritatem. *Abb. in capit. cum in contemplatione, de regulis iuris, numero* 10.

9 In qua ætate non poteſt quis torqueri?
Reſp. Minor decimum quartum annorum completorum torqueri nō poteſt, licèt vacillet in ſuo dicto, *l.* 1. *ff. ad ſillanianum.* §. *impubes.*

10 Qui non poſſunt torqueri?
Reſp. Nobiles in Regnis Hiſpaniæ, Clerici, Doctores, Dignitates, milites gaudent hoc priuilegio, infirmi, ſenes, pueri, mulieres prægnantes, monachi, moniales, niſi in certis criminibus, veluti in crimine læſę maieſtatis humanæ, vel diuinæ. *Abb. c. cum de reg. iuris. nu.* 6. *&* 10. *l.* 1. §. *impubes. ff. ad ſillanianum.*

11 Ignorantia quando excuſat prælatum in peccatis ſubditorum?
Reſp. Quando fuit vigilans, & fecit debitam diligētiam, & non potuit habere teſtes ad puniendum. *cap. quamuis. de regulis iuris. Abb. ibi num.* 2.

12 Quando quis accipit rem ſpiritualem adminiſtrādam, debet præſtare homágium?
Reſp. Non, quia pro ſpiritualibus nulla pactio eſt licita. *cap. indignum, de reg. iuris.*

13 Pro obedientia præſtanda recipitur iuramētum?
Reſp. Affirmatiuè, *c. nullus de iureiurando, & ibi Ab. num.* 2. *& c. quamquam,* 13. *diſt.*

14 Quę eſt differentia inter homagiū, & iuramentū?
R. Homagium propriè eſt iuramentum concernēs res temporales, quod faciunt in manibus alicuius militis, vel ducis, Gubernatores, Caſtellani Regum, cum ſuſcipiunt Prouincias gubernandas à ſuis principibus ponendo plicatas duas manus inter manus talis ducis, qui accipit homagium nomine ſui Regis, & cum eius auctoritate, quod hiſpani vocant, pleito homenage, & ideò homagium non competit rebus ſpiritualibus: iuramentum eſt fides data, teſte Deo, & ideò competit rebus ſpiritualibus, ſic intelligitur. *c. indignum, de reg. iur. & Abb. ibi num.* 2.

15 Dubia quomodo ſunt interpretanda?
Reſp. In meliorem partem, quia potius debemus præſumere bonum, quàm malum. *c. eſtote, de reg. iur.*

16 Quis dicitur ſacrilegus?
Reſp. Ille, qui offendit rem, vel perſonam Eccleſiaſticam, quia qui res Eccleſiæ inuadit, ſacrilegium cōmittit. *c. quæ multoties, de reg. iur.*

17 Poteſt quis dicere mendacium, vt proximus euitet iniuriam ſuam?
Reſp. Non, & ſi iurat, manet periurus. *Abb. in c. qui ſcandalizauerit, num.* 1. *de reg. iur.*

18 Veritas debet omitti propter ſcandalum?
Reſp. Non, & ſic ius commune, & iuſtitiā pro nullo

ſcandalo debet omitti. *c.qui ſcandalizauerit,de regulis iuris.*

19 Peccatum minimum eſt committendum ad euitandum majus?

Reſp. Licèt de duobus damnis minimum ſit eligendum,hoc intelligitur, quando neceſſariò vnum, vel alterum eſt ſequendum, tamen peccatum minimum non eſt faciendum ad euitandum in alijs maius. *Abb, c.qui ſcandalizauerit.nu.2 iſto tit.*

20 Committens vnum peccatum mortale, vel delictum, quam pęnam habet?

Reſp. In foro animæ factus eſt omnium reus, & dãnatur,etiam ſi fecerit multa bona operas in foro exteriori habet pęnam tali delicto in legibus poſitam, *c.defleat, de reg. iur.*

21 Iudex debet incipere à tormentis?

Reſp. Non, ſed præuijs indicijs, & aliquali probatione iuſtificando tormentum. *c.cum de reg.iur.*

22 Si ſit obligatio ſpiritualis, vt votum,diſſoluitur ne diſſenſu vouentis?

Reſp. Non,ſed diſpenſatur à ſuperioribus, vel commutatur. *Abb.c.1. de reg.iur.num.2.*

23 Neceſſitas tenetur obſeruare legem?

Reſp. Non.quia neceſſitas caret lege, immò propter neceſſitatem furtum alicui illicitum ſit licitum, *c.quod, il 1.de reg. iur.*

24 Quod latentèr introductũ eſt,debet ne ſubſiſtere?

Reſp. Non, neque quod licitè introducitur, quia fraus,& dolus nemini patrocinatur, *c.quod,il ſecondo, de regul. iur.*

25 Qui facit aliquid inuitus, quod præmium habet?

Reſp. Nullum, immò ſi quis inuitus ſeruit,præmiũ, & meritum perdit, capite, qui ex timore de regulis iuris.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR,
Ordine alphabetico digeſtus.

A

Abbates exempti benedicti,& eorum iuriſdictio. 238.7.8
Abbates benedicti quos poſſint ordinare. 19.61
Abbates benedicti an poſſint dare dimiſſorias. 23.14
Abbatiſſæ electio quomodo fiat. 248.1
Abſolutio à iuramento ad finem agendi à quo detur. 68.1
Abſolutio ab excommunicatione à quo poſſit dari. 65.3
Abſolutio an poſſit dari ſub conditione. 8.20
Abſolutio voti quæ ſit. 97.1
Abſolutus ab vno crimine,an poſſit de eodem crimine iterum accuſari. 414.40
Abuſio quæ, & quando dicatur. 390.7
Abſentia Epiſcopi cum quibus cauſis eſt licita. 127.17
Acceptatio ſcripturæ quid ſit. 334.38
Acceptilatio quid eſt. 171.9
Actor an admittatur ad petendum ſolo verbo. 301.12
Accuſator legitimus,vel illegitimus quis dicatur. 414.30
Adoratio quæ eſt, & quotuplex. 85.5
Adulterium quid ſit,& eius pœna. 58.1
Adiuncti quando eligendi,& eorum poteſtas. 157.38
Adoptio quæ ſit,quare permiſſa,& quomodo fiat. 411.13
Adiuncti ſi diſcordant cum Epiſcopo quid agendum. 157.49
Ætas ordinandorum. 22.1
Ætas quæ requiritur ad matrimonium. 39.2
Ætas neceſſaria ad obtinenda beneficia. 185.13
Affinitas quid ſit, & quomodo probetur. 49.1
Affinitas impediens matrimonium. 44.1
Alarij quo priuilegio gaudeant. 135.6
Alienatio iudicij mutãdi cauſa facta quib.modis fiat. 292.1
Alienatio rei Eccleſ.quæ dicatur,& quomodo fiat. 104.1
Alternatiua,quæ ſit, & quis ea gaudeat. 190.1
Alumni ſeminarij an cogi debeant,vt ordinentur. 211.37
Amicitia repellens teſtem ad teſtificãdum qualis ſit. 325.20
Amicitia quomodo probetur. 414.37
Angelus an poſſit eſſe miniſter baptiſmi. 4.14
Angeli boni quomodo appareant hominibus. 261.63
Animæ defunctor.an appareant aliquando hominib. 262.85
Animal ſi percutiat alind animal dominus ad quid tenebitur. 430.22
Animal inuentum in horto alieno an poſſit capi à domino horti propria auctoritate. 430.25
Appellatio ab indebita incarceratione. 350.70
Appellatio à viſitatione Epiſc.ad quẽ debeat fieri. 155.36
Appellatio in electione Canonici quẽ effectũ habeat. 119.99
Appellatio ab excommunicatione quomodo fiat. 65.1
Appellatio ad Metropolit.quas qualitates dẽt hẽre. 195.12
Appellatio intra quot dies debeat opponi poſt latam ſententiam. 744.21
Appellatio quotuplex ſit. 346.4
Appellatio quando debeat eſſe in ſcriptis. 348.48
Appellationem deſertam quis debeat iudicare. 351.77
Appellatio à quocumque grauamine quid operetur. 348.50
Appellatio extraiudicialis quid proſit. 351.8
Appellatio an detur à correctione, approbatione, vel inhabilitatione facta ab Epiſcopo in viſitatione. 152.154.53
Appetere bona alicuius quando eſt peccatum. 88.57
Apoſtaſia quæ ſit. 6.1
Apoſtoli reuerentiales quid ſint. 348.38
Ara quid ſit,& quando perdat benedictionem. 397.19.22
Arbitrium quid,& genera arbitriorum. 290.5.6
Arma Clericorum quæ ſint. 202.1
Ars maleficãdi,& incãtandi quãdo habuit principiũ. 263.6
Aſtrologia quæ ſit. 268.25
Aſtrologi qui dicantur. 263.4

B

Baptiſmus quid ſit. 3.1
Benedictio Eccleſiæ,vel Altaris. 397.10
Benedictio veſtimentorum. 398.27
Beneficium ad titulum ordinis quem valorem debet habere. 24.10
Beneficiorum genera. 185.1
Beneficia quibus modis vacent. 186.24
Beneficia ruralia. 178.22
Beneficia vnita Regularibus,ſiue ſit Eccleſia in ſua parochia ſiue non, quomodo adminiſtrentur, & ſub cuius iuriſdictione ſint. 230.2
Beneficia vnita Monialibus. 248.1
Beneficia vacantia intra quod tẽpus debeãt conferri. 359.10
Bigamus à quo diſpenſetur. 32.16
Bigamia quæ dicatur,& quomodo contrahatur. 80.2
Bona Clericorum in quos vſus debeant conuerti. 201.4
Bona Regularium mobilia, ſeu immobilia vnita monaſterijs, quomodo intelligantur. 233.1
Bona aduentitia,& profectitia quæ dicantur. 368.21.22
Blaſphemia quid,& quotuplex. 85.10

C

Canonizari an poſſint pueri. 254.16
Canonici electio quomodo fiat. 114.20
Canonici an poſſint inſtitui in capellis priuatis. 159.9
Canonici,Concionator,Doctoralis,& Pænitentiarius quomodo eligantur. 165.2
Canonici Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ in qua ætate poſſunt eſſe electi. 168.1
Canonici an poſſint eſſe teſtes in cauſa ſui capituli. 329.118
Canonicus ſupernumerarius quid lucratur. 357.43
Canonici an veniant appellatione clerici. 431.10
Calumniator quis dicatur,& eius pœna. 516.1
Capella Monachorum quæ. 223.1
Capitulum ſede vacante an poſſit conferre prębẽdas. 110.44
Capitulum in reb.gratiæ,& iuſtitiæ quomodo ſe habeat. 163.1
Capitulum ſede vacante an poſſit dare dimiſſorias. 23.16
Cauſa poſſeſſionis, & proprietatis quæ dicatur. 308.1

 capi-

Capitulum ex quo numero perſonarum conſtat. 161.5
Capitula Monachorum quando debent fieri. 224.11
Cardinales an poſſint conſecrare Eccleſias ſine licentia Epiſcopi. 131.5
Caſus reſeruatus quid ſit. 19.1
Caſus diuerſi in matrimonio. 45.1
Caſus in quo poteſt quis licite ſinere ſe occidi ab alijs. 87.39
Caſus fortuitus quid ſit. 310.17
Cauſæ ciuiles Epiſcoporum vbi tractentur. 143.2
Cauſæ Eccleſiaſticæ à quo determinandæ, & intra quod tempus. 195.1
Cauſæ exheredationis, quæ ſint. 382.1
Campanæ quomodo conſecrentur, & benedicantur. 397.15
Cedere bonis, qui non cogantur. 220.11
Cæcus quando poſſit eſſe teſtis. 321.17
Cenſura quotuplex ſit. 58.1
Ceſſatio à diuinis, quæ ſit. 73.1
Character quid ſit. 2.23
Chyromantia, quæ ſit. 268.28
Citatio an ſufficiat in domo, & quid requiritur ad citationē. 310.21
Clericus vagans debet ne admitti ad celebrandum. 15.62
Clerici pauperes quam ſcientiam debent habere, vt ordinentur. 21.21
Clericus non ordinatus miniſtrans, quam pœnam incurrit. 28.2
Clericus excommunicatus celebrans, quam pœnam incurrit. 29.5
Clericus an poſſit ſe ipſum percutere. 64.20
Clerici ſeculares iniĳcientes manus in Monachum, quando non ſunt excommunicati. 62.29
Clerici duo ſe ad inuicem percutientes, quis eorum remanet excommunicatus. 65.20
Clericus irregularis an ipſo iure perdat benef. 77.14
Clerico quando ſe poteſt exponere euidenti periculo mortis. 83.17
Clericus pugnans in bello iuſto, an ſit irregularis. 83.25
Clericus quando poteſt cõparere, ante Iudicem ſecul. 84.30
Clericus poteſt locare ſuas operas ſpirituales. 145.7
Clericus ægrotans quid lucratur. 184.4
Clericus portans arma, quam pœnam incurrit. 197.4
Clericus quid debeat dare famulo infirmo. 201.9
Clerici an debeant defendere immunitatem Eccleſiæ vſque ad effuſionem ſanguinis. 403.40
Clericus ſimoniacus, vſurarius, falſarius, vel latro. 294.1 *& ſeqq.*
Clericus concubinarius occultus, vel notorius. 295.4
Clericus fornicarius, & eius pœna. 298.1
Clericus reuelans confeſſionem, & eius pœna. 209.1
Clericus ſolicitans in confeſſione, & eius pœna. 209.1
Clericus luſor, negotiator, venator, & eius pœna. 214.1
Clericus, qui non recitat horas canonicas, & eius pœna. 217.4
Clericus an poſſit audire ius canonicum vel ciuile. 216.16
Clerici græci. 218.1
Clerici coniugati, & eorum libertates. 219.4
Clerici, qui gaudent c. Oduardus, de ſolutionibus. 220.1
Clericus ordinatus, occultè ſine patrimonio an incurrat ſuſpenſionem. 234.23
Clerici an cõpellendi ad proceſſionē Corporis Chriſti. 239.19
Clericus hæres alicuius Laici, an in bonis hæreditatis gaudeat priuilegio fori. 298.62
Clericus, qui inuenitur nocte ſine habitu an gaudeat priuilegio fori. 300.15
Clericus, an teneatur dotare ſororem pauperem. 379.69
Clericus frangens carceres qua pœna punitur. 317.1
Clerici in quo propio teneantur vendere ſuum triticum, & vinum. 402.21
Clericus deprehenſus ſine habitu in maleficio an gaudeat priuilegio fori. 428.32
Coadiutores quando dentur. 184.10
Cognatio ſpiritualis quos tangat. 41.7
Cognatio impediens matrimonium. 41.11
Cognatio legitimitatis ad quem Iudicem ſpectat. 408.9
Collatio, quæ ſit, & à quo detur. 187.1
Colores Eccleſiæ, qui ſint. 152.45
Colluſio detegenda, quæ dicatur. 425.1
Compromiſſum quid ſit. 292.43
Communicare ſub vtraque ſpecies cuius iuris ſit. 12.39
Commodatum quid ſit. 361.1
Commutatio voti, quæ ſit, & quomodo fiat. 97.1
Commutatio iuramenti. 337.28
Commutare vltimas voluntates an poſſit Epiſcopus. 139.7
Conceſſio quid. 338.1
Concilium Prouincialem quando debeat fieri. 147.8
Concilium generale quam poteſtatem habet. 143.27
Conclaue quomodo fiat. 122.142
Concubinarĳ cognitio ad quem pertineat. 158.66
Concubinarĳ cur permiſſi erant tempore Romanorũ. 411.1
concubinarius an poſſit incarcerari ante monitionem, ſi timeatur de fuga. 158.65
condemnatus ad mortem an poſſit condere teſtamētum. 379.11
conditiones in matrimonio an debeant impleri. 36.4
conditio turpis, vel impoſſibilis, quæ dicatur. 36.7
conducti actio cui competat. 363.8
confeſſio ſacramentalis. 7.1
confeſſionem reuelare quando confeſſor poteſt. 9.5
confeſſio quotuplex, & quam vim habeat. 313.2
confeſſio minoris facta in tormentis, vel metu, quam vim habeat. 314.24 *& ſeq.*
confeſsio ſocĳ criminis an ſufficiat ad torturam. 315.37
confeſſor extraordinarius quando datur monialibus. 147.1
confirmatio vtilis, vel inutilis, quæ ſit. 353.1
confirmatio, quæ ſit. 6.1
cohabitatio clericorum, quæ ſit. 208.1
coniugium ſeruorum, & leproſorum. 51.1
coniugatus an poſſit promoueri ad Ordines. 54.21
conſanguinitas, & affinitas. 64.1
conſanguinei quando in criminalibus admittantur in teſtes. 415.62
conſecratio Epiſcopi quomodo fiat. 126.1
conſecratio Eccleſiæ, vel altaris quomodo fiat. 396.3
conſecrare moniales quis poteſt, & quomodo fiat. 396.8
conſeruatores regularium, qui ſint. 239.1
conſuetudo, quæ ſit. 276.1
conſuetudo, de qua non eſt memoria hominum, quam vim habet. 432.37
conteſtatio litis quid ſit. 302.1
conteſtatio litis quando dicatur. 302.5
conſtitutio in iure quomodo appelletur. 269.6
conſtitutiones, & leges quomodo ſe habeant. 269.1
contumacia quotuplex. 319.3
contumax quis dicatur. 287.43
contritio, & attritio quid ſint. 9.40 *&* 42
conuerſio coniugatorum, quæ ſit. 53.1
conuerſio infidelium, quæ ſit. 390.1
copula, & iuramentum in matrimonio, quid operantur. 37.8
conſuetudo quod clerici poſſint teſtari an valeat. 432.40
corpore vitiatus an poſſit ordinari. 28.3

creditor

Creditor ſi petat corpus defuncti, an debeat illi dari. 388.21
Crimina in qua differentia ſint. 298.45
Crimen impediens matrimonium. 42.1
Crimen notorium quod dicatur. 415.50

D

DAmnum emergens quid ſit. 101.35
Debitum per quot tempus præſcribitur. 343.66
Decanus Capituli quis ſit, & eius officium. 161.1
Decimæ noualee an ſoluendæ. 428.35
Decimarum ſpecies. 389.2
Degradatus an poſſit vti veſtibus ſacris. 3.4
Degradatio quid ſit. 75.1
Degradatio Clerici in quibus caſibus fiat. 202.6
Delegatus Papæ quis dicatur, & eius poteſtas. 280.2
Delegatus quomodo debeat procedere in reſcripto. 274.69
Delegatus an poſſit recuſari. 280.40
Delegatus an teneatur oſtendere Iudici ordinario ſuum reſcriptum. 279.24
Delictum quando puniatur à fiſco etiam nolente parte iniuriata. 430.14
Delictum commiſſum in vno loco, & mandatum in alio, vbi puniatur. 427.31
Delictum occultum, quod dicatur. 78.11
Delicta, & cauſæ ſufficientes ad remittẽdum reſignationem. 192.7
Delicta occulta quæ ſint, & vbi committantur. 143.1
Dæmon vnde dicatur, & quomodo crucietur. 557.1
Dæmon quibus remedijs fugatur. 262.97
Dæmon quomodo diuinat futura. 263.97
Denunciatio quid, & quotuplex ſit. 413.1
Denunciationes in matrimonio. 38.1
Depoſitum quid ſit, & in quo differat à ſequeſtro. 361.8
Detractio famæ, & honoris quæ ſit. 92.1
Diaconus carens ſcientia quando poteſt ordinari. 21.19
Dictiones negantes quomodo intelligantur. 431.16
Differentia inter rumorem, & famam. 50.16
Differentia inter ſuſpenſionem, & excommunicationem. 69.19
Differentia inter degradatum verbalem, & actualem. 75.14
Differentia inter Miſſas relictas in fundatione beneficij, & relictas in teſtamento. 239.5
Differentia inter timorem, vim, & metum. 236.28
Differentia inter concubinarium occultum, & notorium. 206.18
Differentia inter Clericum concubinarium, & fornicarium. 208.47
Differentia inter metum cadentem in conſtantem virum, & formidoloſum. 288.8
Differentia inter groſſam, vefluarium, & diſtributiones quotidianas. 355.14
Differentia inter obligationem factam re, verbis, & ſcriptura. 372.17
Differentia inter infamiam iuris, & facti. 414.26
Differentia inter ſchiſmaticum, & hæreticum. 418.28
Differentia inter homagium, & iuramentum. 433.14
Dignitas quæ ſit, & eius officium. 355.21
Dignitates an gaudeant diſtributionibus quotidianis. 174.20
Degradatio Clerici quibus ſolemnitatibus fiat. 432.36
Delicta puerorum quæ. 426.1
Delictum manifeſtum quibus modis conſtat. 432.33
Delicta, quæ in Clerico petunt degradationem. 432.35
Derogationes generales dicentes (non obſtantibus priuilegijs, & conſuetudinibus) quomodo intelligantur. 428.53
Dilatio quæ ſit. 304.1
Dimiſſoriæ quæ ſint, & à quo petendæ. 22.3
Dimiſſoriæ poſſunt dari ſubdito abſenti. 23.9
Dimiſſoriæ ſpirant morte dantis. 24.25
Dimiſſoriæ Clericis peregrinantibus quomodo debeant dari. 218.7
Diminutio quæ dicatur, & an poſſint beneficia conferri cum diminutione. 359.1
Diſparitas cultus in matrimonio. 42.1
Diſpenſatio interſtitiorum à quo, & quomodo, & quando detur. 25.15
Diſpenſatio circa ordines, quæ ſit, & à quo detur. 31.1
Diſpenſare in interſtitijs quib. ex cauſis poſſit Epiſcop. 31.9
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus in publicationibus faciendis in ordine tribus diebus feſtiuis. 31.4
Diſpenſare, vt clericus fiat laicus, & ſumat vxorem quis poteſt. 32.18
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum illegitimo, vel cum promoto per ſaltum ad vnum beneficium, & ad minores ordines. 32.21. & 22
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum eo, qui illicitè habuit coitum cum vna, & contrahit cum altera. 34.28
Diſpenſatio matrimonij quæ ſit, & quomodo fiat. 58.1
Diſpenſatio ſuſpenſionis à quo detur. 72.1
Diſpenſatio irregularitatis. 78.1
Diſpenſatio ſimoniæ. 99.15
Diſpenſare an poſſit Epiſcopus cum illegitimo. 41.2.24
Diſpenſatio voti quomodo fiat. 98.6
Diſtributiones quotidianæ quæ dicantur. 354.10
Diuortium quomodo, & quando fiat. 55.2
Diues, qui pauperi non dat eleemoſinam in neceſſitate, ad quid tenetur. 90.21
Dos monialis quæ. 245.1
Dos quid ſit. 367.1
Dos mulieris quando lucratur à viro, & quando non. 57.20
Dos in qua quantitate debeat aſſignari Eccleſiæ de nouo conſtructæ. 392.37
Donatio inter virum, & vxorem quæ ſit. 52.5
Donatio facta à nouitijs quando ſit valida, & quando non. 236.21
Donatio propter nuptias ſi excedat legitimam quantitatem, an valeat. 369.57
Donatio quotuplex. 373.9
Donationes validæ inter patrem, & filium. 374.29
Donatiuum, quod datur Regibus quando eſt iuſtum. 401.14
Dolus quotuplex ſit. 310.10
Doli capax quis dicatur. 310.12
Drodaus quid ſit. 385.16
Duellum quid ſit, & pœna duelli. 203.2
Dubia aliqua in materia teſtamentorum. 386.1
Dubius in fide quando ſit hæreticus. 418.26

E

ECcleſia Cathedralis quotuplex. 159.1
Eccleſia per quot tempus præſcribitur. 341.14
Eccleſia quomodo conceditur Religioſis. 404.7
Eccleſiæ bona quando poſſunt vendi. 366.31
Educandæ in monaſterio quibus conditionibus debeant ingredi. 249.3
Electio quid ſit. 112.1
Electio Superioris quomodo fiat. 227.1
Electio Imperatoris quomodo fiat. 120.104
Electio Summi Pont. quomodo fiat. 120.109

INDEX.

Electio, quando deuoluitur ad ſuperiorem quid agendum. 118. 86
Electus ante confirmationem, quæ poſſit exercere. 113.18
Electores quando diſcordant quid faciendum. 118.82
Emolumenta ſedis vacantis cui pertinebunt. 110.35
Emptio, quæ dicatur, & quis dicatur emptor bonæ, vel malæ fidei. 362. 1.2.3
Epiſcopus an poſſit præcipere, vt ſacerdotes celebrent feſtiuis diebus. 14.22
Epiſcopus titularis, an poſſit conferre ordines. 17.28
Epiſcopus an poſſit ordinare ſuum familiarem. 18.37
Epiſcopus an debeat declarare intentionem ſuam antecedenter ad ordines. 19.56
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum illegitimis. 27.28
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum miniſtrante non ordinato. 28.4
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum Clerico depoſito. 29.7
Epiſcopus, qui renuntiauit Eccleſiam, an poſſit ordinare. 31.1
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum inceſtuoſo. 50.13
Epiſcopus poteſt tollere licentiam confitendi, & prædicandi, regularibus etiam ſi fuerint approbati. 220.12
Epiſcopi, quod poſſunt recipere in viſitatione ratione laboris. 154.55
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum Clerico adultero. 57.23
Epiſcopus an poſſit diſpenſare in ſuſpenſionibus, & quando. 72.4
Epiſcopus an poſſit diſpenſare irregularitatem. 78.5
Epiſcopus an poſſit imponere ieiunium. 94.8
Epiſcopus in quibus votis poteſt diſpenſare. 98.19
Epiſcopus quas qualitates debet habere. 113.4
Epiſcopus intra quod tempus debet acceptare electionẽ. 113.10
Epiſcopi electi beneficia quando vacant. 113.15
Epiſcopus an teneatur de præcepto quotidie audire Miſſam. 41.15
Epiſcopus an poſſit dare licentiam, vt diebus feſtiuis fiant opera ſeruilia. 41.18
Epiſcopus ſi regularis ſit, quam debeat obſeruare regulam. 42.29
Epiſcopi poſſunt committere vices ſuas & ſuam iuriſdictionem. 145.1
Epiſcoporum antiquitas vnde ſumitur. 143.25
Epiſcopus poteſt intrare in capitulum. 162.27
Epiſcopus an poſſit conferre plura beneficia. 160.23
Epiſcopus an poſſit ex vna parochia facere duas. 178.27
Epiſcopus quando poteſt conferre Eccleſiam parochialem ſine concurſu. 177.37
Epiſcopus an poteſt concedere tempore peſtis, vt homines mãducent carnem quocumque die. 181.53
Epiſcopus ex redditibus Eccleſiæ an poſſit ſubſtentare ſuos conſanguineos. 198.18
Epiſcopus, & Clericus de quibus bonis debeant ſe ſubſtentare. 198.17
Epiſcopus quid debeat facere tempore peſtis. 180.42
Epiſcopus an poſſit dare proprietatem alicuius agri ſuis parentibus, vel alicui operæ piæ, & relinquere ſibi vſumfructum. 200.36
Epiſcopus an poſſit abſoluere in foro conſcientiæ ſubditum hæreticum. 419.62
Epiſcopus quando poteſt ingredi monaſterium monialium. 243.1
Epiſcopi auctoritas in ſeminarium. 250.1. & ſeqq.
Epiſcopus an poſſit celebrare tempore interdicti. 427.29
Epiſcopus an poſſit tranſigere ſine licentia capituli. 285.18
Epiſcopus titularis, quæ Pontificalia poteſt exercere. 255.24. & ſeq.
Epiſcopus an teneatur ſubſtentare patrem carnalem, hæreticum, an Chriſtianum pauperem. 198.30
Epiſcopus, de quibus bonis poteſt condere teſtamentum. 178.2
Error iuris quomodo probatur. 316.32
Error quilibet an ſit hæreſis. 418.13
Error in homine proprir an vitiet hæreditatem. 58.34
Error in matrimonio. 40.2
Expoliatus quid debet probare, vt reſtituatur. 290.30
Eucharistia, quę ſit. 10.1
Euchariſtia quando, & quomodo debet dari infirmis. 11.23.
Eucharestia eſt ne danda damnatis. 11.29
Euchariſtia tempore peſtis, & belli quomodo miniſtranda. 12.29
Euchariſtia an poſſit ſeruari in capellis priuatis, hæremiticis, & hoſpital. 13.31
Examen Epiſcopi quomodo fiat. 123.1
Examinari de nouo ad ordines ſuſcipiendos debet, non approbatus ad dignitatem. 20.13
Examinatores ſynodales. 149.1
Examen beneficiorum quomodo debet fieri. 151.27
Examen Parochorum quomodo fiat. 175.12
Exemptio à iuriſdictione Epiſcopi quomodo probetur. 428.42
Excommunicatus an gaudeat immunitate Eccleſiæ. 403.49
Excommunicatus per annum quando dicatur ſuſpectus in fide. 419.61
Excommunicatio an detur pro furtis. 445.29
Excommunicatus inuitus poteſt abſolui. 59.31
Excommunicatus, quæ res non poteſt facere. 63.8
Excommunicari an poſſit mortuus. 62.6
Excommunicatus an lucretur fructus. 63.11
Excommunicatus quando debet abſolui. 431.31
Excommunicatus an poſſit hæres inſtitui. 63.8
Executio facta debito ciuili contra pro officialem an extendatur ad inſtrumenta ſuæ artis. 220.12
Excommunicatio ad finem reuelationis, quas perſonas non obligat. 68.18
Exorciſta quas qualitates debeat habere, & quæ remedia debeat adhibere. 262.8
Expenſæ à quo taxentur. 311.34
Exhumantes corpora defunctorum quam pœnam incurrunt. 389.29
Exhæreditare aliquem ex quibus cauſis fit. 382.1
Expoſitus quis dicatur, & cui competat eum alere. 422.1

F

Familiares Epiſcopi quo titulo ordinantur. 18.40
Familiares Epiſcopi quales debent eſſe, & quo priuilegio gaudent. 246.11
Familia Epiſcopi an gaudeat priuilegio fori. 297.34
Familiarem dæmonem an poſſit aliquis habere ſine peccato. 263.96
Fama quæ ſit. 319.7
Fama publica, quæ ſit, & quid requiratur ad eam. 206.25
Fama bona, & mala quomodo probatur. 414.14
Fama an poſſit excommunicare. 58.3
Feria, quæ ſit, & ſpecies feriarum. 305.1
Feudum vnde dicatur, & quid ſit feudtarius. 365.1
Feudum antiquitus datum ſi reuertatur ad Eccleſiam an poſſit Epiſcopus illud iterum dare. 365.16

Forum

Forum quid ſignificet. 431.4
Forum quid ſit. 296.1
Fides an amittatur per peccatum mortale. 5.51
Fides inſtrumentorum in quo conſiſtit. 332.3
Fideiuſſor quis dicatur, & qui non poſſint fideiubere. 370. 1. & 4.
Fideiuſſor ſoluens, ſi habet ſocios, an poſſit contra eos procedere. 370.17
Filius clerici an poſſit ordinari. 27.10
Filius naturalis quomodo legitimetur. 610.6
Filius uſq. ad quod tempus debet ali à ſuo patre. 412.22
Filius Epiſcopi legitimus an poſsit admitti ad concurſum in qua pater eius eſt Epiſcopus. 27.19
Filius, qui habet patrem pauperem, an poſsit ingredi religionem. 87.33
Filius hæretici an poſsit obtinere beneficium. 189.45
Filius communiter reputatus à patre pro ſuo filio, ſi poſtea negatur à patre, cui credendum eſt. 319.63
Filia ſi nubat abſq. voluntate patris an perdat dotem. 367. 8. 25. & ſeq.
Filia meretrix an perdat dotem. 368.24
Fiſcus an poſsit denuntiare aliquem cõtra voluntatem partis læſæ. 294.18
Fictio iuris quæ ſit. 335.17
Forma Sacramentorum. 2.37
Fornicatio, quid, & ſpecies eius. 87.42
Fortuitus caſus qui ſint. 361.16
Furibus patientibus vltimum ſupplitium, quæ ſacramenta dantur. 425.25
Furtum factum in ſtabulo, vel hoſpitio quis debet ſoluere, hoſpes an viator. 425.22
Furans rem ſuam propriam an dicatur fur. 425.21
Furtum quid ſit, & quomodo fiat. 88.50
Furtum quando nominatur inter caſus fortuitos. 361.24
Fugientes de carceribus quando non gaudent immunitate Eccleſiæ. 403.48
Fugientes ad Eccleſiam an poſsint in ea ferro ligari, ne inde fugiant. 403.50
Frigidus, quis dicatur. 406.1
Frigiditas quando impedit matrimonium factum. 406.14

G

GAbella, & pedagia à quo imponuntur. 432.34
Genera teſtamentorum. 375.1
Groſſa maſſa in Canonicos quæ ſit. 173.13
Groſſa præbenda quæ dicatur, & in quo conſiſtat. 354.5
Grauamen quod non poteſt reparari per diffinitiuam quid ſit 349.56.
Græci à quo ordinentur, & an poſsint ordinari ab Epiſcopo latino. 18.35

H

HAeres intra quod tempus tenetur adimplere legata pia 380.20
Hæres quando tenetur extra vires hæreditarias. 380.24
Hæremita quis dicatur, & eorum genere. 226.2
Hæreticus manifeſtus quis dicatur. 431.13
Hæreticus an poſsit eſſe teſtis. 419.60
Hæreſis interior an inducat excommunicationem. 418.21
Hæreticorum bona à quo die confiſcantur. 419.38
Hæreticorum filij vſque ad quem gradum prohibentur obtinere beneficia. 419.40
Hæreticus an poſsit inſtitui hæres. 420.70
Homicidium quid ſit, & vnde dicatur. 81.1
Homicidium voluntarium. 78.16
Homicidium caſuale. 83.29
Homidium quotuplex ſit. 87.36
Homo liber an poſsit pignorari. 366.26
Homo cui debeat plus, patriæ, an parentibus. 390.6
Homines, qui ſunt tuti à maleficijs. 265.36.
Homines, & mulieres, qui curant de hac infirmitate, an ſint permittendi. 367.20
Honor quid ſit, & quando reſtituendus. 92.3
Hoſpitales quid ſint, & quis poteſt eos viſitare. 223.1
Hoſpitalia an gaudeant immunitate Eccleſiæ. 404.52
Hoſpitalia, quæ priuilegia habent. 428.46

I

IEiunium quid & quotuplex ſit. 93.1
Ieiunium an poſsit fieri cum carnibus. 94.10
Ieiunium quot perſonas non obligat. 94.15
Ignorantia craſſa, vel ſupina, quæ dicatur. 29.15
Ignorantia quando non excuſat ab excommunicatione. 106.34.
Ignorantia quando excuſat à peccatis ſubditorum. 433.11
Illegitimus quis dicatur. 26.2
Illegitimus an poſsit habere præbendam in Eccleſia, in qua pater habuit. 23.13
Illegitimus an poſsit ſuccedere in iuſpatronatus. 395.112
Illegitimus an poſsit eſſe Papa. 412.25
Imagines quam virtutem habent. 140.1
Imperator coram quo debeat conuenire. 318.57
Impedimentum publicæ honeſtatis an diſoluatur ex defectu conſenſus. 34.14
Impotentia impediens matrimonium. 45.1
Impubes quis dicatur. 34.1
Impedimenta dirimentia matrimonium. 40.1
Impedimentum cognationis. 40.1
Impedimentum publicæ honeſtatis. 44.1
Immunitas Eccleſiæ quæ ſit. 399.1
Iniuria, & damnum quid. 430.1
Iniuria quotuplex, & actio cui detur. 430.5. & ſeq.
Interſtitia, quæ ſint. 25.3
Interſtitia regularium à quo diſpenſentur. 26.17
Interdictum quid. 72.1
Interdictum Eccleſiæ quid ſit. 51.1
Interdictum vti poſsidentis pro quibus rebus detur. 308.17
Indulgentia, quæ ſit, & à quo detur. 130.28. 138.1
Inimicitia capitalis quæ dicatur. 414.39
Inhibitio quid debet continere, vt ſit iuſtificata. 165.11
Inuentarium Epiſcopi quomodo fieri debeat. 199.24
Inditia, quæ ſint. 320.11
Inditia quando faciunt probationem plenam. 320.12
Incantatores, qui dicantur. 274.7
Infantes, & furioſi an teneantur ad pœnam damni. 430.20
Incorrigibilis quis dicatur. 204.17
Infidelis quis dicatur. 390.1
Incendiarius quis dicatur, & eius pœna. 423.3. & 18
Incubus an poſsit generare. 264.13
Infamia, quæ & quotuplex ſit. 414.19
Inſtrumentorum genera, quæ ſint. 332.9
Inſtrumentis quando datur maior fides, quam teſtibus, & è contra. 332.13
Inſtrumentum perditum quomodo probetur per teſtes, & quomodo innouetur. 427.23. & ſeq.
Inſcriptiones antiquæ in lapidibus quam fidem faciunt. 332.15.

Inſinua.

Inſinuatio ſcripturæ quid ſit. 334.36
Inquiſitio quæ ſit, quomodo fiat, & quibus rebus. 413.7
Inhabilitatio, & reprobatio, & correctio quando dicuntur. 347.23.
Incarceratio iuſta, vel iniuſta, quæ dicatur. 349.59
Inſtitutio quotuplex ſit. 357.1
Inſtitutio, & ſubſtitutio hæredis, & eorum ſpecies. 379.1
Irregularitas quid, & quotuplex ſit. 76.1
Irritatio voti quid ſit. 96.1
Ius diuinum quotuplex ſit. 45.1
Ius quando fauet actori, & non reo. 346.67
Iuſpatronatus an poſſit eſſe in ſæculari. 359.17
Iuſpatronatus quotuplex, & eius ſpecies. 392.16
Iuſpatronatus quando admittatur. 392.33
Iuſpatronatus an deſcendat per capita, an per ſtirpem. 392.44
Iuſpatronatus an probatur per teſtes. 394.75
Iudeus viuens inter Chriſtianos, quæ non poſſit facere. 416.2
Iudeorum filij an ſint capaces beneficiorum poſt eorum conuerſionem. 417.12
Iudæorum filij an ſint baptizandi inuitis parentibus. 417.18
Iudex ſecularis, quando ſine pœna excommunicationis poteſt comprendere Clericum. 60.31
Iudex ſæcularis vtens poteſtate ſui officij; ſi iniiciat manus in Clericum, an debeat abſolui. 61.34
Iudex Eccleſiaſticus, vel prælatus percutiens Clericum quãdo non ſunt excommunicati. 61.42
Iudex ſæcularis an teneatur ſtare proceſſui facto ab Epiſcopo contra Clericum degradatum. 76.26
Iudex, qui dedit ſententiam mortis iuſtam, an ſit irregularis. 79.18
Iudex primæ inſtantiæ ſi recuſauerit dare alſæ parti appellãti quid agendum. 133.20
Iudex aduocatus poteſt locare ſuam operam, vel ſalarium. 145.8.
Iudex Eccleſiaſticus quando poteſt procedere contra mulierem vxoratam. 206.16
Iudex poteſt relinquere probationem in iuramentum denuntiatoris, vel accuſatoris. 416.8
Iudices ſynodales à quo debent eligi. 148.1
Iudex delegatus quis dicatur. 278.1
Iudicis officium quod ſit. 282.1
Iudices, qui poſſunt eſſe, & qui non poſſunt eſſe. 295.58
Iudex ordinarius an poſſit petere auxilium brachij ſæcularis. 282.14
Iudex Eccleſiaſticus an poſſit præſtare auxilium Iudici ſæculari. 295.45
Iudex ſæcularis quomodo ſe debet habere cum Clerico, quem de nocte inuenit ſine habitu. 300.17
Iudex an poſſit prouidere aliquem ſolo verbo. 301.12
Iudex in quibus caſibus tenetur ſcribere rationẽ ſuæ ſententiæ. 344.31
Iudex Eccleſiaſticus an poſſit dare licentiam, vt Iudex ſæcularis aſſumat corpus defunctis ad capiendas informationes. 388.26
Iurans de vehementi, an ſit iterum admittendus ad audiendas confeſſiones. 419.51
Iuramentum quid, & quotuplex ſit. 85.13
Iuramentum de non petenda vſura an ſit adimplendum. 103.79
Iuramentum calumniæ quid ſit, & in quibus caſibus eo quis vtatur. 303.12
Iuramentum quod faciunt Epiſcopi coram Papa quid contineat. 337.18
Iuramentum factum metu an valeat. 338.41
Iuridictio delegati quando ſpirat. 297.33
Iuriſdictio ordinaria à quo emanat, & quomodo acquiritur. 281.1
Iudicium quid, & quotuplex ſit. 293.9

L

LAicus ſi iniiciat manus violentas in Clericum quando non eſt excommunicatus. 61.36
Laicus an poſſit excommunicare. 60.4
Laici offendentes Curſores Eccleſiaſticos à quo iudice iudicandi ſunt. 222.19
Laici an poſſint prædicare. 419.56
Laici quare poſſunt renuntiare ſuum forum, & Clerici non. 222.22
Laicus an poſſit habere dignitatem, ſeu beneficia. 356.36
Laici an ſint capaces decimarum. 389.11
Laicus an poſſit eſſe miniſter pœnitentiæ. 8.26
Laicus an poſſit eſſe aſſeſſor iudicis ſpiritualis. 293.8
Latrones, & ſocij eorum an gaudeant immunitate Eccleſiæ. 403.45
Leges à quo interpretantur. 432.28
Leproſi an poſſint contrahere matrimonium. 51.1
Legitimare filios quis poteſt. 408.17
Leſio magna, vel parua quomodo cognoſcatur. 289.17
Leſio enormis quid ſit. 105.28
Legatum pium quid. 383.1
Legatus, quæ res non poteſt facere. 281.13
Lectio ſacræ ſcripturæ an debeat inſtitui in monaſterijs Regularium. 167.1
Lex, quæ ſit, & quotuplex. 270.1.04.1.2039.32.33
Liber mercatorum quam fidem facit. 333.24
Liberum arbitrium quomodo operetur. 4.44
Liber, quibus modis fiat ſeruus. 406.3
Ligamen impediens matrimonium. 43.1
Litteræ monitoriales, vel ad finem reuelationis à quo dentur, & pro qua re. 67.5
Litteræ monitoriales quas perſonas non obligant. 68.18
Litteræ teſtimoniales præcedentis ordinis ſi perdantur ab aliquo quid faciendum. 334.16
Litigans quando non tenetur exhibere ſuas ſcripturas virtute litterarum monitorialium. 67.9
Lite pendente an poſſit innouari aliquid. 312.
Litis conteſtatio quid eſt. 302.
Litis conteſtata, an poſſint teſtes admitti, & quando. 302.10
Libellus quid ſit, & quotuplex. 301.10
Locatio, quæ dicatur. 363.10
Ludentes an teneantur reſtituere. 92.55
Lucrum ceſſans quid ſit. 101.34

M

MAgiſtri magni ordinum militarium qui ſint, & eorum poteſtas. 241.1
Matrimonium quid ſit. 36.1
Matrimonium cõtractum cum Iudeo an ſit validum. 36.11
Matrimonium clandeſtinum. 37.1
Matrimonium cum muliere, quam polluerat quis per adulterium, an valeat. 49.3
Matrimonium contractum contra interdictum Eccleſiæ an valeat. 51.8
Matrimonium quis poſſit contrahere, & in eo teſtificari. 53.1
Materia baptiſmi. 3.8
Materia Eucharistiæ. 10.7
Maritus quod tempus poteſt abeſſe ab vxore. 37.18

Mari-

Maritus leproſus an ſeparetur ab vxore. 184.9
Maritus, Pater, & Dominus quam iuriſdictionem habent. 297.28
Maritus an teneatur dare fideiuſsionem pro dote. 366.7
Mater quando tenetur alere filios. 368.28
Martirium, & eius virtutes. 254.23
Maleficiorum genera. 264.23
Malefici, qui dicantur, & quid operentur. 263.5
Maleficiorum remedia poſita ab Eccleſia. 265.31
Maleficiatus quis dicatur. 406.2
Manumiſsio quomodo fiat. 26.4
Memorialia, & litteræ, quæ dantur Principibus de criminibus occultis quam fidem faciunt. 416.70
Metus impediens matrimonium. 43.1
Metus quid, & quotuplex. 288.1
Meretrix an teneatur reſtituere pretium ſuæ turpitudinis. 79.16
Merum, & iuſtum imperium quid ſit. 293.5
Metropolitanus vnde dicatur, & eius officium. 131.8
Miſſa in qua lingua celebretur. 13.11
Miſſæ ſtipendium à quibus recipi poteſt. 13.17
Miſſa an poſsit dici ante diem. 14.31
Miſſa inchoata à quo debeat finiri. 15.41
Miſſæ integra, quæ dicatur. 15.52
Miſſam audire quis non tenetur. 15.59
Miſſæ ſtipendium quale debeat eſſe. 139.13
Miracula noua à quo debeant approbari. 140.6
Miraculum quid ſit, & quas qualitates debet habere. 254.33
Miracula an poſsint fieri à dæmone. 255.45
Minores an obligentur in matrimonio. 34.10
Miniſter excommunicationis quis ſit. 59.1
Miles qui pugnat in bello iuſto an ſit irregularis. 79.16
Monſtruum an ſit baptizandum. 5.71
Monachus an poſsit eſſe miniſter baptiſmi. 4.12
Monachi in crimine ſollicitationis cui ſubijciantur. 213.52
Monachus in quibus caſibus poteſt adminiſtrare ſacramenta. 223.4
Monachus an poſsit ſolus ambulare per plateas, & à quo cõpelli poſsit. 223.7
Monachus vnde dicatur. 224.1
Monachi in quibus ſubiecti ſunt Epiſcopis. 224.18
Monachus, qui eijcitur à monaſterio an debeat portare bona, quæ monaſterio donauit. 224.21
Monachus an poſsit habere proprium. 225.26
Monachus ſi agat ſine licentia ſui ſuperioris de calumnia, an valeat. 304.30
Moniales quam iuriſdictionem habent. 242.1
Moniales, quæ ſunt in agro an poſsint mutari intra ciuitatẽ, & quando. 243.13
Monialium ſepta quis poſsit ingredi, & quis poteſt dare licentiam. 243.7
Monialium dos, quanta eſſe debeat. 245.1
Monialiũ, reſignatio bonorũ quomodo fiat, & quando. 245.1
Monialium clauſura. 243.3
Mortuus excommunicatus an poſsit abſolui. 60.26
Monitio ſolemnis quomodo debeat fieri. 207.38
Mulier an poſsit concipere ante ætatem. 34.3
Mulier an teneatur ſequi maritum quocumque ierit. 87.34
Mulier an poſsit eſſe ſodomita cum alia muliere. 87.46
Mulier quæ vendit ſponte ſuam virginitatem an poſsit petere aliquid ante Iudicem. 90.18
Mulier vxorata quando poſsit puniri ſine licentia mariti. 106.16
Mulieres nobiles coniugatæ, quando poſſunt ingredi Monaſterio. 249.12
Mulier an poſſit concedere teſtamentum ſine licentia mariti. 379.9
Mulier arcta, quæ dicatur, & an debeat conſentire, vt eius vas aperiatur ferro. 406.5
Mutus, & ſurdus an poſſint contrahere. 39.6
Mutua accuſatio an admittatur. 415.51
Mutua petitiones, quæ. 302.2

N

Natus ex libero ventre quis dicatur. 406.1
Neceſsitas an careat lege. 434.23
Neophitus quis dicatur. 420.1
Notarius qualis debeat eſſe. 331.1
Notarij an poſsint facere donationem ſuorum bonorum, & in quo tempore. 236.21
Notarius quando tenetur dare arcta parti appellanti. 35.89
Nominatio, quæ dicatur. 390.6
Noui operis enuntiatio, quæ dicatur. 426.1
Nouum quando dicatur. 428.34
Nouale quid appelletur. 431.17
Nuptiæ ſecundæ quid ſunt, & an benedicendæ. 48.1. & 4

O

Oblatio quid ſignificet, & quare res data Eccleſiæ ſic dicitur. 431.8
Obligatio quibus modis contrahatur. 372.13
Obligati ad ratiocinia an poſsint ordinari. 48.2
Occidere furem an liceat. 425.23
Odium quotuplex ſit. 325.17
Officium Epiſcopi quale ſit. 129.15
Officium Archidiaconi. 276.3
Officium Archipresbyteri. 277.4
Officium Primicerij. 277.2
Officium Sacriſtæ cuſtodis. 277.2
Officium Vicarij. 278.1
Officia mechanica in qua differentia ſint. 215.8
Officiales mechanici quod priuilegium habent quãdo fit executio in eorum bonis pro bonis pro debito ciuili. 220.12
Officium Iudicis delegati. 278.1
Officium legati. 280.1
Officium Iudicis ordinarij. 281.3
Officium Iudicis. 283.1
Ordo quid ſit. 16.1
Ordinis materia, & forma. 17.9
Ordinatus ſine approbatione, an remaneat ordinatus. 19.56
Ordinatus per vim, vel dormiens, vel puer ante vſum rationis an ſint vere ordinati. 19.66
Ordinis incapaces. 21.32
Ordinari quando poſsit, qui matrimonium contraxit. 21.34
Ordines duo maiores an poſsint conferi vno die. 22.4
Ordines minores an poſsint conferri vno die. 25.8
Ordines furtiuè ſuſcipere quis dicatur. 26.1
Ordines ſuſcipere intra annum quis poteſt abſque diſpenſatione. 32.17
Ordo cognitionis quid ſit. 306.1
Oratorium an gaudeat immunita Eccleſiæ. 404.51
Oratoria quæ priuilegia habent. 428.49

P

Pactum vnde dicatur, & quid ſignificet. 431.6
Papa an poſsint diſpenſare in gradibus prohibitis à lege. 37.13
Papa an poſſit diſpenſare pluralitatem vxorum. 46.3

Papa an poſſit excommunicari. 63.4
Papa an poſſit renuntiare Papatui, 191.4
Papa an poſſit errare in canonizat. ſanctorum. 253.11
Papa per quot teſtes poteſt conuinci de crimine. 318.56
Papa in temporalibus quam poteſtatem habet, 318.59
Papa electus per ſimoniam quam pœnam incurrit, 122.141
Papa an poſſit concedere priuilegium de non ſoluendis decimis. 427.19
Pater an teneatur dotare filiam raptam à ſua domo. 423.13
Patres, qui dicantur, & quomodo ſunt à filijs honorandi 86.29.
Pater, vel mater, aut conſanguinei quando admittuntur in teſtes pro filio, vel contra filium. 329.104
Patria poteſtas. 409.1
Patrimonium quam qualitatem debet habere. 24.3
Patrimonium, vel bona Clericorum an gaudeant priuilegio fori. 298.62
Patriarcha, quæ dignitas ſit. 131.1
Pallium quid ſit, & quomodo concedatur. 133.1
Parochialis Eccleſia ſi vacat, quid debet facere Epiſcopus. 175.1
Parochia an poſſit habere duas diœceſes. 404.9
Parochi officium. 177.1
Parochiales Eccleſias an poſſit diuidi, 177.10
Pauperes quærentes eleemoſinam abſq; licentia quam pœnam incurrunt. 221.6
Pactum quid ſit, & genera pactorum. 283.1
Pactum implicitum, vel explicitum cum dæmone. 266.8
Participans cum excommunicato quando non eſt excommunicatus, 62.1
Patronus, & eius officia. 390.1
Patronus an poſſit ſeipſum præſentare. 393.47
Patroni ſæculares quam iuriſdictionem habeant. 428.33
Pœna reiterantibus baptiſmum. 16.9
Pœna ſacerdotis celebrantis in pane fermentato. 14.40
Pœna ordinatis ſine dimiſſoria. 22.5
Pœna Clerici, qui ordinatur ſine patrimonio, vel cum titulo falſo. 25.15
Pœna Clerici depoſiti, vel excommunicati miniſtrantis. 29.1
Pœna Clerici celebrantis in Eccleſia interdicta. 29.12
Pœna Clerici ſuſcipientis ordines furtiuè. 29.2
Pœna Clerici, male, vel ante ætatem, vel ſimoniacè ordinati. 30.2
Peccata commiſſa contra decem præcepta. 85.1
Pœna ſchiſmatici. 31.7
Pœna ſtuprantis ſponſam. 34.32
Pœna contrahentis cum duab. mulierib. 35.2
Pœna raptori ſponſæ. 45.4
Pœna Diaconi contrahentis. 50.1
Pœna percutientis clericum. 64.1
Pœna excommunicati per annum vnum. 63.8
Pœna clerici calumniantis Epiſcopum. 75.10
Pœna homicidij. 81.4
Pœna ſodomitæ. 87.45
Pœna ſimoniaci. 99.19
Pœna vſurarij. 103.64
Pœna clerici furantis. 204.5
Pœna clerici fornicatoris cum filia confeſſionis. 208.4
Pœna mulieris non denuntiantis clericum, qui eam ſollicitauit. 211.20
Pœna teſtium, qui nolunt deponere. 331.6
Pœna ponentis libellum famoſum. 336.26
Pœna ſepelientium excommunicatum vel Chriſtiani, occulta. 389.27. & ſeq.
Pœna mulieris ſolicitantis confeſſariũ in confeſſione. 212.38
Pœna mulierum vendentes virgines, & facientes magicas artes. 221.10
Pœna ingredientium monaſtrium monialium ſine licentia 244.16.
Pœna impedientis ingreſſum religionis. 247.21
Pœna clerici falſificantis literas Apoſtolicas. 273.36
Pœna appellantis non ſequentis appellationem. 274.61
Pœna Epiſcopi, vel viſitatoris recipientis in viſitatione aliquid extra victum. 154.64
Pœna ponentis venenum in fluuio ad occidendo piſces. 430.16.
Pœna percutientis alium. 430.9
Pœna iudicis ſæcularis carcerantis clericum. 297.31
Pœna nolentis iurare de calumnia. 304.22
Pœna contumaciæ. 311.20
Pœna non probantis accuſationem. 415.63
Pœna calumniatoris. 415.66
Pœna parentum ſponte occidentium filios ſuos. 421.7
Pœna interpretatio mitior quomodo intelligatur. 421.12
Pœnitentia, quid ſit. 8.1
Peculium Epiſcopi, in quibus rebus debeat expendi. 198.18
Peculium caſtrenſe, & paganicum in quo differunt. 411.16
Petitio quid & quotuplex ſit. 30.11
Percuſſio leuis, vel grauis, quæ ſit. 66.23
Percutiens, vel interficiens quando non incidit in excommunicationem. 65.8
Percipere fructus poſt mortẽ quibus ex cauſis detur. 432.42
Pertinatia, quæ ſit, & in qua potentia conſiſtit. 418.17.
Peſtis tempore, qui teneantur miniſtrare ſacramenta. 379. 38
Peſtis tempore, & belli ad quid teneantur clerici. 400.4
Pignus quid, & quotuplex ſit. 365.1.4
Pignorari, & vendi res Eccleſiæ quando liceat. 366.31
Poſtulatio Prælatorum, quæ. 112.1
Poſtulatio, quæ ſit, & qui poteſt poſtulare. 286.1
Poſſeſſio continuata quomodo probetur. 428.52
Poſſeſſio quid, & quotuplex. 312.1
Polutio Eccleſiæ quibus modis fiat. 329.3
Prima tonſura, & ordines minores cui conferri debeant. 208.8
Poteſtas Epiſcopi in commutatione vltimarum volunt. & reductione Miſſarum. 138.1
Presbyter non baptizatus miniſtrans. 6.1
Præſumptio, quæ. 334.1
Procurator ad ſponſalia an poſſit ſubſtituere. 32.9
Procurator matrimonij quam ætatem debet habere. 39.5
Præbenda, & dignitates, quæ ſint. 354.3
Probatio in caſu adulterij. 58.6
Probatio contra ſolicitantem in confeſſione quibus teſtibus fiat. 211.28
Præcepta Decalogi quot ſunt. 85.1
Profeſſio fidei quomodo, & quando facienda. 174.1
Profeſſio facta per vim, & metum an valeat. 236.27
Proceſſiones generales, quæ dicantur. 238.14
Priores ordinum militarium quam poteſtatem habeant. 242. 13. & ſeq.
Principes, & Reges an ſubijciantur legibus. 398.4
Priuilegium quid ſit & ex quibus cauſis perdatur. 427.17
Procurator quas qualitates debet habere, & an poſſit renocari. 286.1. & 101
Procurator an poſſit eſſe filius familiæ. 287.21
Probatio, quæ requiritur ad petendam reſtitutionẽ. 290.24
Priuilegiũ fori quale ſit, & quis eo gaudeat. 299.1. & ſeq.
Probatio in delictis occultis quomodo fiat. 319.2
Probatio in crimine hæreſis. 323.39

Præſum-

Præſumptio Iuris, vel de Iure quid ſit. 320.10
Præſumptionum genera. 334.4
Præſcriptio quid ſit. 340.1
Præſcriptio quando interrumpitur. 342.41
Præſcriptio centum annorum quomodo probatur. 342. 54
Puer ante vſum rationc an poſſit conſecrari in Epiſcopum. 19.70.
Publica honeſtas impediens matrimonium. 44.1
Publicatio ſcripturæ quid ſit. 334.37
Publicatio facienda quid, & à quo. 192.1
Purgatio canonica quotuplex ſit, & eius forma. 419.1
Purgatio vulgaris, quæ ſit. 429.1

Q

Quarta funeralis cui debeatur. 179.34
Quarta funeralis an pertineat ad parochum, vel ad regulares. 179.37
Quarta falcidia quæ ſit, & vnde dicatur. 384.15
Quæſtores eleemoſinarum an permittantur. 131.50
Quæſtores eleemoſinarum in Regularibus qui. 237.1
Qui filij ſint legitimi. 408.1

R

Raptus quid ſit, & quando impedit matrimonium. 45.1.
Raptor quis dicatur, & eius pœna. 223.1
Raptor an poſſit cum rapta nubere ea conſentiente. 423.14
Recuſatio quid. 353.1
Regulares an teneantur ſoluere decimas. 428.37
Regularis ordinatus ad titulum paupertatis relinquens religionem quid debet agere. 24.17
Regulares quo iure prohibeantur alloqui moniales. 227.17
Regularis confeſſor à quo examinetur, & an Epiſcopus poſſit tollere ei licentiam datam à ſuo ſuperiore. 228.10 & 229.12.
Regulares quibus conditionibus poſſunt alloqui moniales. 244.21.
Regulares an poſſint habere beneficia. 356.37
Religioſi poſſunt ne iurare. 357.23
Regulares an debeant ſoluere decimas. 389.17
Regulares an poſſint accuſare ſuum ſuperiorem. 414.43
Reges à quo conſecrentur, & cui ſubijciantur. 398.1
Reges an poſſint excommunicari. 398.3
Reges, & Principes an poſſint eſſe Iudices in ſua propria cauſa. 295.46
Res Eccleſiæ in alienari debeant. 104.1
Reliquiæ, canonizatio, & veneratio ſanctorum quid. 252.1
Rerum permutatio quæ. 364.1
Reſtitutio quid ſit, & quando non obligat. 91.48
reſtituere famam, vel honorem quando quis non tenetur. 93.8.
reſtitutio ſpoliatorum, quæ. 308.1
reſidentia quæ ſit. 182.1
reſidentia Epiſcopi vnde debet eſſe. 126.1
renuntiatio quæ ſit. 191.1
reus quando tenetur in iudicio dicere veritatem etiam cum periculo vitæ. 88.55
reſignatio quæ ſit. 191.3
reſignatio bonorum monialium quomodo, & quando fiat. 245.1.
reconuentoribus an poſſit Epiſcopus in viſitatione. 152.15
reconuentio an poſſit Epiſcopus in viſitatione. 152.15
reconuentio an poſſit fieri coram Iudice arbitrio. 292.42
religioſi qui habent conceſſionem Apoſtolicam alicuius Eccleſiæ an poſſint ſua auctoritate apprehendere poſſeſſionẽ. 428 43
religioſi tertij ordinis S.Franciſci, & Commiſſi an gaudeant priuilegio Clericali. 428.44
religioſi an poſſint iurare de calumnia. 429.14
Reſidentia Epiſcopi, quæ. 126.1
Reſidentia canonicorum, quæ. 170.1
Reſidentia Proebi, quæ. 181.1
Reuocbatio donationis quando poſſit fieri. 370.1

S

Sacramentum in genere. 1.1
Sacramenta non iteranda. 3.1
Sacramentum extremæ unctionis an poſſit fieri in Eccleſia interdicta. 16.13
ſacrificium Miſſæ. 13.1
ſacrilegium qui ſit. 75.1
ſagittarius quis dicatur. 322.1
ſatisfactio quid ſit. 9.45.
ſcrutinium in ordine quomodo fiat. 20.1
ſchiſma quid ſit. 30.1
Sententia, & res iudicata quæ ſit. 343.1
Seruus an poſſit ordinari. 26.1
Seruus an poſſit contrahere matrimonium. 51.1
Seruientes Eccleſiam an gaudeant priuilegio fori. 397.34
Secretarius Epiſcopi quam mercedem debet habere pro ordinibus. 20.79
Seminarium quis poteſt inſtituere. 250.1
Senex an poſſit contrahere. 47.17
Separatio thori quomodo, & à quo fiat. 55.7
Separatio coactorum quomodo, & quando facienda à Iudice, & cum quibus teſtibus. 406.6
Sede vacante an poſſit aliquid immutari. 111.5
Seminarium Clericorum an gaudeat immunitate Eccleſiæ. 404.53.
Sequeſtratio quotuplex, & quando detur. 313.1
Seruitium Epiſcopo præſtandum. 171.1
Sepultura mortuorum in Eccleſijs Reg. 231.1
Sepultura Eccleſiaſtica, qui careant. 388.23
Sententia quando iuſta, & quando iniuſta. 343.6
Simultanea quæ ſit. 187.8
Simonia quid ſit. 97.1
Synodus Prouincialis quæ ſit. 146.1
Synodus diœceſana quomodo definitur. 147.1
Sindicus quis dicatur, & eius officium. 288.1
Singularitas teſtium quotuplex ſit. 321.19
Sponſalia quomodo contrahantur. 32.3
Sponſalia facta per procuratorem quando non tenent. 32.9
Sponſalia quibus modis ſoluantur. 33.28
Sponſalia de futuro in qua ætate poſſint contrahi. 33.16
Sponſus duarum quis dicatur. 35.1
Spoliatus an teneatur reſponpere reſtitutionem. 306.9
Spoliatus quis proprie dicatur, & contra quem poteſt petere. 309.16
Spadones quando poſſunt contrahere. 407.24
Spurius an poſſit ordinari. 26.8
Statutum Eccleſiarum, vt nemo ingrediatur deſcendens à Iudæis, an debeat obſeruari. 21.31
Sollicitatio in confeſſione quod delictum eſt. 209.1
Socius criminis quis dicatur. 212.36
Sortes quid ſint. 268.26
Sodomia quibus non committatur. 322.36
Solutio quid ſit. 371.1

Solemnitas teſtamentorum, quæ ſit. 376.1
Succeſſio ab inteſtato quid ſit. 386.1
Succeſſor in beneficio an teneatur ſoluere debitum ſui anteceſſoris. 366.19
Suſceptio habitus, & profeſſio monialium. 491.1
Suſpenſio quid ſit. 69.1
Suſpenſus à iure, quis dicatur. 69.2
Summus Pontifex an poſſit diſpenſare, vt Monachus, vel moniales profeſſi nubant. 225.32
Superſtitio quæ ſit. 85.11
Superſtitio diuinatiua quotuplex. 268.3
Subſtitutus quis dicatur. 35.3

T

Tabellio teſtamentis qualis debeat eſſe. 378.1
Theſaurus inuentus in agro quando ſpectat ad inuentorem. 89.12
Tempus quod attenditur in reſcripto. 273.39
Teſtis idoneus quis dicatur. 321.16
Teſtes, & atteſtationes. 324.1
Teſtes in cauſa affinitatis quomodo examinandi. 45.15
Teſtes contra Epiſcopum quales debent eſſe. 143.9
Teſtes in canonizatione quales debent eſſe. 254.20
Teſtes an ſint cogendi. 331.1
Teſtes teſtamentorum. 377.10
Teſtes ad pias cauſas, quo numero debent eſſe. 384.14
Teſtes, qui deponunt eadem ſerie, & eiſdem verbis an ſint ſuſpecti. 433.47
Teſtamentorum genera. 375.1
Teſtamentorum executio ad quem pertineat. 297.26
Teſtamentum vnde dicatur, & quis poſſit teſtare. 375.1
Teſtamentorum ſolemnitas. 376.1
Teſtamentum qui non poſſunt condere. 378.1
Teſtamentũ Epiſcopi an poſſit fieri in fauorem ſuorũ. 198.22
Teſtamentum ruptum. 382.1
Teſtamentum factum à parocho an valeat. 385.21
Teſtator qui dedit ſuo confeſſario aurum, vel pecunias quid debet agere. 385.26
Teſtis quando debet torqueri. 433.8
Tortura quomodo dicatur, & quæ ſint conſideranda, & in qua ætate poſſit dari. 433.4
Torqueri, quando poſſunt laici à Iudice Eccleſiaſtico. 222.18
Tranſactio quæ. 285.2
Tregua quid ſit. 283.1
Tranſumptis inſtrumẽtorum quando dandá eſt fides, & quãdo non. 333.21
Triennalis cohabitatio quomodo ſit facienda. 407.11
Tranſlatio Epiſcopi quæ ſit. 134.1
Tranſactio poterit interuenire in cauſis, quæ habere pœnam mortis. 425.5

V

Vagantes quomodo contrahant matrimonium. 39.1
Vagabundi, & peregrini quam parochiam habent. 221.5.
Venditur ad quid teneatur. 365.8
Venditur an poſſit vendere plus, quam res valet. 365.13
Verba quomodo ſit interpretanda. 431.2
Veſtes ſacræ à quo benedicantur. 398.27
Veſtes Clericorum. 201.1
Virtus Sacramentorum. 1.15
Virgo rapta ſi conſentiat, an poſſit contrahere cum raptore. 33.21
Virginitas quomodo probetur. 318.43
Viduæ an poſſint educari in monaſterio. 249.16
Vicarius Epiſcopi an debeat eſſe Clericus. 295.39.
Vicarius Epiſcopi ſi ſit Canonicus quem locum habere debet. 137.25
Vicarius ſede vacante quando eligatur. 108.8
Vicarius in reſidentia quando ponitur. 183.4
Vicarijs, & Coadiutores Parochorum. 184.1
Vicariorum genera. 278.2
Violatores Eccleſiæ, qui. 423.1
Viſitatio Epiſcopi intra Diœceſim. 151.1
Viſitatio Canonicorum, &c. 155.1
Vita, & honeſtas Clericorum. 196.1
Vnio quid, & quotuplex. 193.1
Vnigenitus, & primogenitus quis dicatur. 432.23
Vſura quid, & quotuplex. 100.1
Vſura quomodo probatur. 366.11
Vſucapio circa quas res verſatur. 342.43
Votum impediens matrimonium. 40.3
Votum ſolemne explicitum, vel implicitum. 50.2
Votum quid. 94.1
Vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione cõferãtur. 359.1
Vxoratus an poſſit ingredi religionem. 54.12
Vxoratus an poſſit promoueri in Epiſcopum. 54.25
Vxor an poſſit vouere ieiunium, vel alia ſimilia, ſine licentia mariti. 54.34

FINIS.

[illegible]tized by [illegible]